Universidad de Chile
Biblioteca

PLUTARCHI

OPUSCULA MORALIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

TD-3

20
B

TESORERO DEL PATRIMONIO
REAL

C. 23.238

Universidad de Concepción
Biblioteca

PLVTARCHI CHAERONEI,

PHILOSOPHI, HISTORICIQVE CLARISSIMI

OPVSCVLA MORALIA.

Quorum Catalogum sequentis paginæ facie secunda reperies.

C. 23.233



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM.
1542.

Hyeronimi Bustamãte
De Herrera & Amicorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

PLVTARCHI VITA, ex Suida.

PLVTARCHVS Chæroneus ex Bœotia, Traiani Cæsaris fuit temporibus, ac antea quidem. Tribuit uerò ipsi Traianus honorem Consularem, impetuitq; nemmem per Illyriam magistratuum absque illius quicquam agere consilio. Scripsit autem multa.

SYLVIO GRYPHIVS STVDIOSIS LITERARVM S. P. D.

CVM id mihi in omnem uitam negotij sumpsissem, quod agerem sedulò, curaremq; diligèter, ut nulla unquam in re uestris cõmodis studijsq; nostra hæc opera, quæcunq; ea est, deesset, præclaráq; fere ingenia librorũ caritate à bonorũ autorũ lectione auocari cognouissem: optimos quosq; in omni arte atq; disciplina scriptores ita informare cogitaui, ut & sumptu nullo pararẽtur, & comites esse possent nõ molesti: neq; uobis tamẽ in legẽdo uoluptas ulla ex pte minueretur. Dedi ab hinc mẽses nõ multos Erasmi Adagiorũ Chiliades, dedi Iuris dictionariũ: atq; ita dedi ut utilitates uestras meis rationibus præpositas habuerim: dabo propediem Galeni opera, quæ quidẽ Latina facta sunt, omnia: quantis meis laboribus, ut spero, cognoscetis uos: quanto meo quæstu, scio ego. Damus hoc tẽpore Plutarchi opuscula, haud scio an maiore, quàm qui ante nos dedêre, fide atq; diligẽtia: sed ita certè damus, ut à lectione eius operis, unde & morũ, & historiæ, & naturæ cognitio non exigua peti potest, pretio nemo iam possit deterreri. Eo erga uos, studiáq; uestra animo quia fui semper, petere à uobis meo iure possum, quod à spectatoribus apud Comicũ Turpio in opera minus certè necessaria, ut si auarè nunquam pretium statui arti meæ, & eum esse quæstum in animum induxi maximum, quàm maximè seruire uestris cõmodis, exemplum statuatis in me, ut adolescentuli uobis placere studeant potius, quàm sibi. Exemplum autem aliud in me statui à uobis non postulo, quàm ut beneuolentia uestra nostræ sit fautrix industriæ. Valete. Lugduni 1541.

OPVSCVLORVM PLVTARCHI CATALOGVS.

Quæ in primo habentur tomo.

NICOLAO SAGVNDINO INTERPRETE.

Politica, seu de ciuili institutione liber, ad Traianum imperatorem, charta 9

CAROLO VALGVLIO.

De uirtute morum. 85
Præcepta connubialia. 108
Musica. 123

INCERTO INTERPRETE.

De differentia inter odium & inuidiam. 156

ALAMANO RANVTINO.

De claris mulieribus, siue de uirtute mulierum. 161

GVARINO VERONENSI.

Parallela. 215
De liberis educandis. 241

RAPHAELE REGIO.

Apophthegmata. 272
Apophthegmata Laconica. 348

IOANNE REGIO.

An bruta animalia ratione utantur, Dialogus. 411

PETRO LVCENSI.

Problemata. 425

STEPHANO NIGRO.

Oratio consolatoria ad Apollonium. 507

ANGELO BARBATO.

De exilio. 544

ANGELO POLITIANO.

Amatoriæ narrationes. 561

Quæ in secundo.

GVLIELMO BVDAEO.

De tranquillitate & securitate animi. 7
De fortuna Romanorum. 42
De fortuna uel uirtute Alexandri libri II. 131
De placitis decretisq; philosophorum naturalibus libri V. 62

BILIBALDO PIRCKHEYMERO.

De his qui tarde à numine corripiuntur. 175
Quod non oporteat fœnerari. 218

ERASMO ROTERODAMO.

Quo pacto possis adulatorem ab amico dignoscere. 229
De utilitate capienda ab inimicis. 293
De tuenda bona ualetudine. 298
In principe requiri doctrinam. 330
Cum principe philosophandum. 337
Vtrum grauiores sint animi morbi quàm corporis. 344
Num recte dictum sit, λάθε βιώσας, id est, Sic uiue ut nemo te sentiat uixisse. 348
De cupiditate diuitiarum. 353
De uitiosa uerecundia. 364
De cohibenda iracundia. 387
De curiositate. 412
De nota Pythagorica, ex octauo libro conuiualium quæstionum

stionum Plutarchi. 430

OTTOMARO LVSCINIO.

Quòd docenda sit uirtus. 434. 568
Num improbitas sufficiat ad infelicitatem. 440
Num philosophari conueniat inter pocula, ex primo Symposiacõn Plutarchi. 445
De fortuna. 453
De uirtute & uitio. 459
De amicitia in multos diffusa. 461
Quatenus, aut quo fructu liceat iuueni audire poëticam. 462
Quo pacto se quispiam circa uirtutem candoremq; morum sentiat profecisse. 519
De auditoris officio. 543
Carolus Valgulius, in Plutarchi Musicam. 572
Stephanus Niger, de fraterna benevolentia. 588

rum Index.

Quibus notam hanc b, adiecimus, in secundo habentur tomo: reliqua in primo.

A

Byssus 353.b
Academia Platonis 552
Achantyllides 137
Acheron fluuius 315
Achilleus Tanagræorũ 495
Achrades 502
Actæon 563
Ada Cariæ regina 287
Adimantus 296
Ἄδηλα 351
Admonitores externi 544
Admonendum quando sit 176.204.b
Admonentes liberè quàm rari sint 227.b
Adolescentes auro & argento abstineant 65
Adolescentes qui rubescerent Catoni magis placebant, quàm qui pallescerent 306.503.b
Adolescentuli ad quæ inducendi 262
Adolescentiæ cura ibidem
Adrastia, Necessitatis & Ionis filia, scelerum uindex 209.b
Adulator tam delectat quàm amicus 240.b
Adulator uicia eleuat, et uirtutũ nomine donat 245.b
Adulator in laudibus cauendus 245.b
Adulatoris & amici discrimen 229.b
Adulatores nec sibijpsis parcunt 247.b
Adulatio pernitiosa 252.b
Adulterij apud Cumæos pœna 480
Aeaci filius Phocus 230
Aeacus iudex 541
Aedes Saturni cur ærarium continebat publicum, & quare legati primum adibant 448
Aedes Vulcani cur sit extra urbem 450
Aedes fortunæ paruæ 461
Aedem Ocridionis præco, & Tenæ tibicen cur non

intrent 491
Aegesta Siciliæ oppidũ 239
Aegithalli 157
Aeglator 193
Aegrotantes res implacidissima est 11.b
Aegrotos curabant ueteres in propatulo 349.b
Aegyptiorum reges 276
Aegyptiorũ subuersio 243.b
Aemilius & eius uxor 228
Aemilius Censorinus 239
Aemulatio inter quos sit 63
Aemulatio laudata 539.b
Aeneas Troianorum mens à Græcis dictus 506
Aenianes à Lapithis sedibus expulsi 491
Aeolus rex Tuscorum 231
Aeolis harmonia 577.b
Aeoleæ 496
Aerarium publicum cur in æde Saturni 448
Aër 515
Aes alienum in fraudem creditorũ contractum Athenis 32
Aeschylus 514.533.555. 560
Aesculapij ædes cur extra urbem 170
Aesopus, & eius mors 193.b
Aestimare se & sua 19.b
Affectus quid 85
Affectuum ratio 150
Affectiones corporis 159.b
Affectiones animi 313.b
Africanus Pompeio suffragari nolente à petitione destitit 28
Agamedis & Trophonij merces 519
Agamemnoni graue erat imperitare multis 11.b
Agamemnonis species 94
Agamemnonis cædes 237
Agasicles 344
Agathocles fictilia inter aurea locauit pocula 280
Agathoclis tyrãni amara responsa 194.b
Agesilaus 221.307.344
Agesilai animus 214
Agesilai in amicos studium 32
Agesilai ad Ephoros epistola 350
Agesilai ad patrem suum dictum 378.b
Agesipolis Pausaniæ 358
Agesipolis Cleombroti 357
Agis 306.309
Agis uiriliter egit 59
Agis & Stilpon 14.b
Agis Archidami 358
Agis iunior & ultimus 359
Agis Argiuus 252.b
Agriona festa 496
Agrigentini cæruleum colorem prohibuerunt ob Phalaridem 69
Agricultura 277
Aiax 221
Ainautæ apud Milesios 493
Aius Locutius 47.b
Ἀκμαίων λίχνος, id est, statio ualentium circa Pyrsophium 493
A' lare incipere prouerbium 178.b
Alastor quid 490
Alcamenes 360
Alceste 163
Alcibiades 299
Alcibiadis mutatio 237.b
Alcibiadis ante orationem quæstio 23
Alcibiadi obiectum à Lacone 395
Alcibiadi grauia dicenti cothurnix è sinu euolauit 13
Alcippi filiæ 226.b
Alcmæon locũ limosum incoluit 551
Alcmanica nouatio 131
Alcyones 52.b
Alexander Magnus 286
Alexander Ammonis filius 92.b
Alexander inuidum habuit neminem, osores autẽ multos 159
Alexãder de Diogene 337. a.72.b
Alexander ad Diogenem 335.b
Alexander rectè usus fortuna 89.b
Alexander Molossus 61.b
Alexãder ex uino ad prouocationem sumpto interijt 302.b
Alexandri dictum 308.b
Alexãdri apophtheg. 71.b
Alexandri lacrymæ 11
Alexandri ægritudo 100
Alexandri uirtus 62.74.b
Alexandri calamitates 63.b
Alexandri inopia 64.b
Alexandri disciplina 65.b
Alexandri cõtinentia 73.b
Alexandri facies 79.b
Alexandri prandium 86.b
Alexandri uirtus fortunæ nõ

obnoxia 87.b
Alexandri præceps saltus 96.b
Alexandri telũ infixũ corpori ferentis animus 99.b
Alexandri de Timoclia iudicium 205
Alexandro fortuna inimica 94.b
Alexandro insunt omniũ uirorum dotes 95.b
Alexandro Ilias & Odyssea pro uiatico 64.b
Alexandria 66.b
Aliterij cognomen unde ortum 490.a. 428.b
Allia fluuius 58.b
Althea 219
Aluus auribus caret 317.b
Aluũ cientibus leniter utendum 324.b
Ἀλύειν 488.b
Amare ex unguibus 245
Amasis 207
Amatoriæ narrationes 561
Ambitio non minus quàm auaritia est perniciosa rei publicæ 65
Amethysti uis 468.b
Amicus uerus rara auis est 471.b
Amicus ad aras usq; 299
Amicus est magis necessarius, quam aqua aut ignis 234.b
Amicus studet utilitati 246.b
Amici à nobis laudandi 54
Amici consuetudo dulcis 466.b
Amici nõ æstimandi, qui solum lucrũ spectant 465.b
Amici futuri explorandi 465.b
Amici quibus rebus comparentur 464.b
Amici parandi 325
Amici quos Alexander Magnus sustulit 273.b
Amicorum inopiæ per occasionẽ à magistratibus opitulandum 33
Amicitia in multos diffusa marcescit 464.b
Amicitia animorum pariter 471.b
Amicitia uera ex tribus pretiosissimum conflatur 46
Amicitia priuata Reip. ponenda est 3
Amicitiæ fructus præcipuus 467.b

Amicitiæ iura quatenus seruanda. 34
Amicitiæ principiũ. 234.b
Amicitiæ cõciliatrix est morum & studiorum similitudo. 234.b
Amictus quomodo calefaciat. 439.b
Amisodarus Isaras. 174
Amnemones Cnidijs qui dicantur. 481
Amor ualidissimus atq; sanctissimus à uirtute profectus. 69
Amor non eijciendus. 104
Amor patris in filios. 256
Amor sui perditus. 23.b
Amor cæcutit. 392.397.559.b
Amor mulierum insitus. pagina 305.b
Amor Venereus sine zelotypia nullus. 539.b
Amphiaraus. 522
Amphiaraus absorptus. 218
Amphictyones. 213
Amphion. 125
Amphissa ciuitas. 178
Amphissææ mulieres. 178
Amphoterus & Hecaterus. 283
Amphotides. 545.b
Amulius. 237
Anabus. 196
Anaxander. 361
Anaxilas. 361
Anaxagoras. 536.561
Anaxagoras fundum fertilẽ abdicauit. 226.b
Anaxagoras de filij obitu. 30.b
Anaxandridas. 360
Anaxarchus robore canino 94
Anchurus Midæ. 217
Ancillæ Smyrnæorum pro uxoribus se libidini exposuerunt. 232
Ancillarum cõsilio Romani uictoriã reportarũt. 232
Androclidas. 362
Animantium genera, & an omnia sensu ratiõeq; prædita sint. 167.b
Animalia quanto tempore formentur in utero. 168.b
Anima an corpus sit, & quæ eius essentia. 147.b
Anima sensibilis unde, & quid principatus eius. 149. 156.b
Anima utrũ condolescat cor pori

pori affecto. 159.b
Anima nũ sit mortalis. 200.b
Anima Neronis uisa. 215.b
Anima Solci in corpus reuersa. 215.b
Animæ partes. 148.b
Animæ principatus, & qua in parte. 148.b
Animæ motus & immortalitas. 149.b & 200
Animam Pausaniæ placare iussi Spartani. 201.b
Animæ defunctorum tanquam bullæ leuantur sursum. 207.b
Animæ pendent connexæ in aëre. ibidem
Animæ lucentes & stigmosæ. 209.b
Animæ in corpore purgatæ Ibidem
Animarũ pœnæ. 289. et 20.b
Animarum pœnæ incertæ. 201.b
Animarum notæ. 210.b
Animarum in uaria corpora transmigratio. 215.b
Animus æquus in degenda uita. 508
Animus exul. 560
Animus temperatus. 94
Animus humanus uarius. 86
Animus si à corpore in ius uocetur, non effugiat malæ administrationis crimen. 326.b
Animus est corporis inquilinus. ibidem
Animi mala latere. 345.b
Animi partes duæ. 253.b
Animi affectiones. 313.b
Animi moderãdi ratio. 103
Animo insunt tria. 89
Animo uirtus aut uitium inest. 514.b
Anio, siue Anien, fluuius. 240
Anius in Anienem demersus. 240
Annibal. 57.b
Annibal de Fabio. 316
Annibalis exulis ad Antiochum responsum. 558
Anser honoratus. 59.b
Anseres Capitolini 59.b
Antagoras poëta. 292
Antalcidas. 310.361
Anteas ad Philippum. 277
Anthedon de qua Pythias. 488
Anthes. 125
Anticles. 133

Anticlia ex Sisyphi cõpressu Vlyssem concepit 439
Anticyra insaniæ medela. 407.b
Antigenis amores 87.b
Antigenidion. 137
Antigonus secundus. 292
Antigonus de filij nece. 537
Antigoni apophth. 291
Antigoni dictum. 70.372.377.397.b
Antimachi cõsolatio. 514
Antiochus. 310.362
Antiochus & Philippus. 57.b
Antiochus Põticus & Charicles fratres inuidi. 590.b
Antiochus Hierax. 294
Antipater. 303
Antipater Philippo à consilijs. 506
Antipater omnia quæ sibi læta cõtigerãt recẽsuit. 18.b
Antipater intus purpureus est totus, foris albus. 288
Antipater Casandri filius quõ interfectus. 369.b
Antipatrides. 288
Antiphates. 297
Antisthenes obsonium portãs, mihi, inquit, porto. 41
Antisthenis mater Phrygia, & deorum. 560.b
Antisthenis dictum. 80.290.b
Antistrophæ. 580.b
Annus uertens, & quantus uniuscuiusq; errantiũ magnus sit annus. 136.b
Annus cur dicatur Iouis, & menses Iunonis. 462
Anulus ori admotus. 74.b
Aornus captu facilis. 289
Apelles Alexandri pictor. 79.b
Apellis ad Megabyzum lepidũ dictum. 23.248.b
Apellis lepidum dictum. 252.a.268.b
Aper Xanthijs infestus. 175
Aphabroma Megarensibus quid sit. 486
Apharetus. 239
Aphester Cnidijs quis sit. 481
Apollo inuẽtor Musices. 132
Apollinis oracula. 533
Apollodori somniũ. 189
Apollonij super luctu filij consolatio. 506
Apophthegmata regũ & imperatorum. 272

Universitat de Barcelona Biblioteca

Apoph. Græcorum. 296
Apoph. Romanorum. 315
Apoph. Laconica. 343
Apophthegmata Laconum ignobilium. 390
Apoph. Lacænarum. 405
Apoph. Diogenis. 297.b
Apophtheg. Naſicæ. ibidem
Apoſphlendoneti qui ſint. 483
Appetētiæ unde fiāt animalibus & uoluptates. 171.b
Apum ſimiles ſumus. 548
Aqua uino miſcēda. 318.b
Aqua intercute laborās Heraclitus, medico præcepit ex imbre facere ſiccitatē, 327.b
Aquæ potus eſt lenis. 320.b
Aquilæ cum draconibus pugnant. 157
Ara tenus amicitiæ iura, et ultra ſeruanda, contra Periclem. 33
Ara Herculi & Muſis communis. 455
Aræ magnæ Herculis oblatū. 456
Aræ in Germania. 227
Arati ad remp. gradus. 25
Arceſilaus. 205
Arceſilai in Apellem ægroantē liberalitas. 268.b
Arceſilai manſuetudo in pueros. 405.b
Arceſilai ſcomma in libidinoſos. 306.b
Archelaus de morte. 522
Archelai dicta, 281.a. 371.b
Archeſtratia. 381.b
Archemorus. 522
Archidamus. 306.309
Archidamus Ageſilai. 364
Archidamus pecunijs mulctatus à Lacedæmonijs. 242
Archidamus Zeuxidami. 363
Archidami de Pericle ſentētia. 19
Archidamidas. 63
Archilochus. 130.334
Archilochus in acie cæſus. 200.b
Archiæ fatum. 364.b
Archytæ habita fides. 68
Archytæ ſcitè dictum. 259
Arclus. 489
Arcus cœleſtis. 140.b
Area cœleſtis quî fiat. 146.b
Arænilittus in Thracia. 495
Aretaphila Cyrenæa. 195
Aretaphilæ purgatio. 194

Argeus

Argeus 362
Argei cur dicta ſint ſimulacra 442
Argia uia 168
Argillæ natura 218.b
Argiuæ claræ 168
Argiui et Lacedæmonij 215
Argonautæ & aureum uellus 64
Ariobarzanes 221
Ariſtides 298
Ariſtides & Themiſtocles priuatā ſimultatem quum magiſtratu fungerentur poſuerunt 36
Ariſtio hoſtis reip. 37
Ariſtippus Socraticus 69.b
Ariſtippus quantum pro eruditione exegerit 248
Ariſtippi reſponſum 17.b
Ariſtippi dictum 355.b
Ariſtoclea 361
Ariſtocrates 176.b
Ariſtodemus in cœnaculo domicilium habebat oſtio penſili, ubi dormitabat cū puella 334.b
Ariſtodemus Battus 207
Ariſtogiton 302
Ariſton 363
Ariſtonis dictum 321
Ariſton mulieres exoſus exaſina puellā genuit 232
Ariſton cum omnibus diſputans, feras intelligere ſermones reprehēſoribus reſpondit 337.b
Ariſtophanes in Socratem 239
Ariſtophon delator Timothei 557
Ariſtoteles ad Alexandrum 67.b
Ariſtoteli obiectum 552
Ariſtotelis de ambulatione poſt cœnā ſentētia 322.b
Ariſtotimus 181
Ariſtotimi cædes 187
Ariſtoxenus defenſus 380.b
Ariſtoxenia 582
Ars laborat citra fortunæ opem 456.b
Ars imitanda & decorū, nō res 479.b
Arſinoē facta oratio 524
Artabani iudicium 591.b
Artaxerxes Longimanus 275
Artaxerxes Perſarum rex ibidem
Arte corrigendū ſi quid malè cecidit 526

Artiſi

Artificum exemplum, quorum alter discertior, alter peritior 19
Artis nemo iudex nisi expertus 178.b
Artini Epidaurijs qui dicantur 480
Aruntius hydropota 227
Aruntius Paterculus 239
Asiæ incolæ 353
Asias cithara 127
Assentatores fugiẽdi 264.a 245.b
Assentator comparatur speculo & chamæleonti 237.b
Assentãtes Dionysio ibidem
Aster Olynthius 219
Astycratidas 365
Atepomarus rex 232
Athenienſis populi natura 13
Athenienſes Philippi literas interceptas reſignare noluerunt ibidem
Atheniẽſes nunquã niſi pullati pacẽ decernũt 307.b
Ater color in anima eſt auaritiæ ſignum 210.b
Athos mons Thraciæ 80.b
Atoſſa Xerxi blãdita 89
Attalus 294
Auaritiæ ſeminaria adoleſcẽtibus uitanda 64
Auaritiæ mala 404
Auaritiæ proprium 356.b
Auarorum doctrina 359
Auarorum natura 305.b
Auctus creſcentium 175
Audendum quomodo ſit 34.b
Audiendi in adoleſcente ratio prior, dicendi poſterior 343.b
Auditus 154.b
Auditus à turpitudine cohibendus 473.b
Auditoris in ſedendo habitus 560.b
Augures ulcus habentes ſedere nefas 460
Augur cur ſolus ſacerdotum aliũ nõ ſubſtituit ſimulac damnatus ſit 471
Auguſtus 331
Auguſti fortuna 48.b
Aulæ frequentia in ſolitudinẽ uertitur, ſi deſit quæſtus 465.b
Auſpicari poſt Sextilem cur uetuerit Metellus 445
Auſpicibus et auguribus cur luminaria aperta 460

B

Bacchantium pompa 361.b
Bacchicum antrum 211.b
Bacchi ſobria ſacrificia 320.b
Bacidis reſponſa 162
Ballachrades 302
Balneis frigidis non utendum 316
Battus Eudæmon 205
Battus ſchola excluſus 242
Beati erimus, ſi fecerimus ut nulla nobis doleãt 22.b
Bellerophon 174
Bellerophontis integritas 421.b
Bellum ſacrum 178
Bello non eſt locus iterũ peccandi 300
Bellorum origo 317
Beneficio afficere iucundius quàm affici 341.b
Beneficiorum uiciſſitudo in amicitia neceſſaria 104
Beneuolẽtia fraterna 389.b
Beſſi pœnæ 186
Beſtiæ quas odio habemus 157
Beſtiarũ inter ſe odia ibidẽ
Beſtius excæcatus 230
Bias 365
Biantis dictum 253.a.176.b
Biantis reſponſum 254.b
Biogis ſententia de dei punitione reprobatur 202.b
Bionis uana ſentẽtia 249.b
Bito & Cleobis 319
Blepſus 191
Borborus ſtuuius 352
Boream ſol ſuperauit 111
Bona aduentitia, nobilitas, diuitiæ, gloria, forma, ſanitas, uires, intellectus, ratio 249
Bona diſciſſa 331
Bona fortunæ 249
Bona naturæ et animi ibidẽ
Bona dilatanda 524
Boni nõ ſemper dant pœnas ob malos progenitores 205.b
Boui cornupetæ cur fœnum in cornu 460
Bos camelo negãti partẽ oneris ferre, minatus eſt, mox ſe & onus totum laturum, quod eo mortuo cuenit 309.b
Bos nõ amittitur, niſi qs im probũ habeat uicinũ: quo modo intelligatur 312.b

Bouem benefactori præter Pyrrhiam immolat nemo 493
Branchidarum urbs ob deli cta maiorum euersa 193
Brasidas 306.365
Brasidas Lacedæmoniorum dux 175.b
Brasidæ mater 405
Brennus Gallorũ rex 224
Breuitas in dicendo 23
Bruma 133.b
Bruta ratione uti 411
Brutus & Decius 221
Bruti filij 222
Buccula p uirgine cæsa 223
Bucephalia 66.b
Bottiei qui, & ubi 494
Bulla cinctus 452
Bullæ cur pueros exornent nobiles 473
Buris & Spertis Lacedæmonij 397
Busiridis cædes 238
Bysaltia 230
Bysius mensis quis 482

C

Cadmea uictoria 259
Cæcias ad se nubes trahit, prouerb. 298.b
Cæcutiẽtes in proprijs 17.b
Cædendi pueri raro 256
Cæsaris fortuna 47.b
Cæsar Augustus 338.a.48.b
Caius ubi tu, ego Caia 441
Calendæ 437
Calendæ redduntur ab usurarijs nefastæ 219
Callicratidas 366
Callimachus stetit occisus 214
Callimachi dictum 552
Callinici 85.b
Calliope regibus ueneranda comes 18
Calliope & Clio 340.b
Callirhoë Lyci filia 229
Callistratus 312
Calpurnia Marij 224
Calpurnius Crassus 229
Calpurnius Romanus uirginem compressit 221
Caluia Nicocratis mater crematur 197
Calypso uestẽ Vlyssi dedit, quã tandẽ reiecit 225
Camillus 56
Camillus exul non inglorius 557
Camilli fortuna 47
Camilli uirtus utiliter nota Romanis 350.b

Camma & eius exitus. 198
Campi laneæ. 48
Candidati cur sint sine toga. 451
Candys. 67.b
Canes feroces. 8.b
Canis Lysimachi. 68
Canis cruci affixus. 59.b
Canis cur laribus assistat, & cur deæ Geneciæ mactetur. 452
Canis ligneus. 486
Canis septem milibus drachmarum emptus. 299
Cani abscissa cauda. 299
Cane & capella abstineat sacerdos. 477
Cantharides medicinam ueneni sui habent. 187.b
Cantharolethron. 28.b.
Canticorum genera. 579.b
Cãtores Dionysiaci. 296.b
Cantus Lydius & Phrygius 70
Canuliam sororem Papyrius grauidam fecit. 231
Caphena uirgo. 172
Caphisius. 295
Capra qua herba sistatur. pagina 338.b
Capram gestare non ualeo, prouerb. 222.b
Capite cur operto deos, homines nudato salutẽt Romani. 430
Capite aperto cur Saturno immolẽt & Honori. 431
Capite cur tecto filij, nudato filiæ parentes suos effẽrant. 432
Carboni iuranti non creditur. 17
Carmentis ædem cur matres ædificarint. 434
Carminum altior, & latens mens. 155
Carneades quid admonebat. 30.b
Carneadis dictum. 249.b
Carnia. 579.b
Caro emẽdicata quænam sit apud Aenianas. 484
Carnem crudam ne tangat sacerdos. 477
Carnium esus temperandus. 318.b
Carthaginenses. 318
Carthaginenses mulieres capillos in machinarum usus pro patria impenderũt. pagina 219.b
Carthaginensiũ natura. 13

Caricas fundis uindemiare. 550
Cassander. 288
Cassandræ uaticinium quare ciuibus inutile. 68
Cassandræ cædes. 237
Cassandri statua. 198.b
Cassandri ultio cur suspensa. 184.b
Castoria lex musicæ. 576.b
Castorius modus. 141
Catacautæ. 489
Cato acerbius Catulo censori respondit. 35.a.177.b
Cato ad senem improbum. 222.b
Cato Vticensis cæteris naui impositis sibi manu necē consciuit. 334.b
Catonis seueritas. 111
Catonis in dicēdo mos. 24
Catonis bona æstimatio. pagina 295.b
Catonis cautio. 310
Catonis senioris apophthegmata. 322
Catulos discreuit Lycurgus 244
Catulus Luctatius 330
Caudinæ furcæ 216
Causa quid. 120.b
Celtæ in Italia, & eorū mulieres claræ. 170
Celtæ qui, & quòd sint Barbarorū nobilissimi. 327
Censores quare anseres curent. 472
Censura quare abeundum mortuo collega. 451
Cercaphus. 491
Ceres neglecta. 220
Cecropis conuersio 182.b
Chabrias. 304.313
Chalcedoniæ cur alterā maxillam aperiant. 501
Charillus. 158.305.367
Chares. 302
Charicles & Antiochus fratres inuidi. 590.b
Charila apud Delphos. pagina 483
Chiæ mulieres claræ. 166
Chilonis dictum. 293.b
Chimarchus. 174
Chimæra. 175
Chiomara Ortiagontis uxor uiolatorem obtruncandū curat. 200
Chiron musicæ, iustitiæ, & medicinæ doctor. 152
Chius negociator sordidus uappam bibens. 17.b

Chori

Chori tragici 344
Choreæ & saltatiōes 380
Chresti 480
Christiano dogmati proximum, inimicos laudare 294.b
Chroma 136
Chrysippus definiēs patientiam & continentiā 100
Chrysippi cædes 234
Cibaria amarulenta 545
Cibi multi nutrimenti parcius sumendi 317.b
Cibi & potus cauēdi, autore Socrate, qui sint 303.b
Cibi ægrotis exhibendi ibidē
Ciborum parcitas 400
Ciborum inexhausta auiditas per medicos curatur, rerum & diuitiarū negligitur 272.b
Cicero 334
Cicero exul clarus à Clodio eiectus 557
Ciconia 432.b
Ciæ, & earum castitas 178
Cimbri & Teutones 57.b
Cimoni uinum uitio datum 16
Cimonis resipiscētia 183.b
Cimonis posteritas honorata, Aristonis nō itē 196.b
Cinesias 580.b
Cinna à Romanis saxis obrutus 233
Circulus lacteus 137.b
Circuli terræ 143.b
Circus cur Flaminius 458
Citharæ partes 575.b
Ciues inducendi, ut absentibus præfectis ab officio nō discedant 32
Ciues qui pro hoste habendi 37
Ciuitas uolēs gloriari de maiorū meritis affligatur de eorū peccatis 198.b
Ciuilia qui bene tractauerint officia 255
Claudum facit uicinus claudus 246
Cleanthes molere non desijt uictus gratia. 223.b
Clearchus fulmen gestauit 83.b
Clearchus, Ponti tyrannus, arculæ inclusus dormire solitus 334.b
Cleobis & Bito 519
Cleomenes. 168.309.368 370
Cleombrotus. 368

Cleon quia dijs rem ſacram fecerat, ſenatus eſt ſolutus 13
Cleopatra 48.b
Cliſthenis ad Alexandrũ dictum 391.b
Clitus Neptunus 84.b
Clœlia uirgo equo donata 180
Clonas 129
Clyſtere utendum 324.b
Cochleæ uitã uiuere 358.b
Cocles claudicans 219
Cocytus 515
Codrus Athenienſis 226
Codrus ex exule ortus 560
Cœli ſectio, ſubſtantia, & circuli 129
Coliadæ qui ſint 485
Colores 121.b
Colores inamœni 545
Colores animarũ quorũ uitiorum ſint notæ 210.b
Columnis ſimiles qui 321.b
Coma pulchros decentiores fieri 305
Coma Lacedæmoniorũ 306
Comminius equis diſtractus interimitur 235
Concentus tres 585.b
Conceptus quo fiat 161.b
Condẽnationes micãt antequã accuſatiões, ſicut fulgur ante tonitru 335.b
Conipedes Epidaurijs qui appellentur 480
Coniugibus communia omnia 113.117
Coniugium unitum 117
Connubialis lex 108
Conſciẽtia ultrix mali 190
Conſciẽtia facinoroſa 35.b
Conſilia quarum ſint rerum 88
Conſilium muliebre 167. 172
Cõſuetudo quid poſſit 244
Conſuetudo in naturã tranſit 318
Continentia uirtus imperfecta 92
Continentia ſecundũ Chryſippum 99
Conuerſio unde dicta 182.b
Conuiciantem tolera 393.b
Conuiuiorum ratio 399
Copiæ cornu 45.b
Corax qui fuerit 200.b
Cordax 580.b
Coriolanus exercitus 54.b
Corõa querna et ciuica 469
Corpus paßionibus obtemperat 102
Corpus cibis onuſtum non lauandũ in balneo 309.b
Corpus an genitura 160.b
Corpus, & quòd nobis nihil cum corpore 517
Corpus non eſt exercendum ſine animo, nec animus ſine corpore, ut admonuit Plato 329.b
Corporis affectiones 159.b
Corporis partes ſingulæ ex quibus conſtent elementis 168.b
Corporum ſectio 121.b
Corpuſcula minima 120.b
Correctiones abſurdè dictorum proſunt 510.b
Cothurnus Theramenis 75
Cothus 489
Cotoneum pomũ quare nubẽtibus præguſtandũ 109
Cradias lex 128
Crantor 530
Crãtor Academicus 508
Crantor ad Hippoclẽ 511
Crapula ingenio nocet 24.b
Craſſus male audijt, quòd Veſtalem ſæpius conueniret 291.b
Craterus 186.290
Crates de puerorum neglecta cura 248
Crates in re tenui beatus ac lætus uixit 11.b
Crates cur ſua reliqt 226.b
Creontis dictum 302.b
Creta ueneno caret 293
Creticum 578.b
Cretinæ & Hermiæ in compeſcẽda ſimultate prudentia 36
Crinitæ ſtellæ 138.b
Criſſon Himeræus 249.b
Criſtas adnaſci corydalidibus, id eſt, alaudis omnibus 36
Crithologus apud Opontios quis ſit 481
Critola 207
Critolaus 225
Cruma 580.b
Cryaſſa urbs 172
Cteſiphon quare Lacedæmonia eiectus 404
Cupido honorum 51
Cupiditas diuitiarũ 354.b
Cureticum 578.b
Curiatij & Horatij 225
Curioſus omni fide caret 420.b

Curiositas quid sit 412.b
Curiositas uitanda ibidem
Curius 315
Curtius Romanus 217
Curulis lex 128
Cyanippus & Cyane eius filia 226
Cyanippi uxor 227
Cyaxares 281.b
Cyclia 579.b
Cylonis zelus 186
Cynegyrus & Datis 214
Cyri nasus aduncus 69
Cyrus uictus 169
Cyrus iunior 275

D

Dæmoni hominem offerre licet, deo non licet 465
Daiphantus 164
Daiphāti genere orti 195.b
Damatria 406
Damis 371
Damidas ibidem
Damonidas ibidem, & 309
Danista uitandus 220
Darius 221, 273
Darij de Alexandro sententia 86.b
Datis & Cynegyrus 213
Daulides 431.b
Debitores sunt equorum simules, frenum suscipientium 224
Debitorem esse primum delictum apud Persas: mentiri secundum 221.b
Debitorum radices 221.b
Debitorum turpis patientia 226
Decimæ cur Herculi offerebantur 433
Decembri mense cur mortuis parentabat Decius Brutus 443
Decius & Brutus 221
Decius & filius eius interficiuntur 216
Defuncti beatissimi 530
Delius ager 191
Demadis statua 67
Demades de Alexandri exercitu 290
Demades 304
Demades gulosus 357.b
Demades de Athenien sibus 307
Demaratus 371.a. 68.b
Dementia præcipuus animi est morbus 345.b
Demetrius Phalereus 305. 549
Demetrius de pictura 292

Democratis in se scomma 22
Democriti dictum 258.a 312. 326.b
Demodicus & Demodica 225
Demostratidæ 224
Demosthenes 303
Demosthenes & Alcibiades meticulosi in dicendo 530.b
Demosthenes ad consulendum accersitus restitit, q. imparatus & minimè instructus esset 251
Demosthenes de filiæ interitu 537
Demosthenes de Demade 73.b
Demosthenis dictū 370.b
Demosthenis sententia bona ab alio recepta 17
Deo magna, fortunæ parua committas, autore Euripide 42
Deo maximè fruitur homo, dū eius opa imitatur 180.b
Deo & Prouidentiæ obsequendum 524
Deos qui se nominarint, ut Clytus, Clearchus, Dionysius 85.b
Dei notionem unde habuerint homines 113.b
Dei mansuetudinem imitari debent homines 180.b
Deus quid 115.b
Deus sator 103
Deus quādo maximè colendus 9.b
Deus de quo homo nil certi asserere potest, solus nouit scelera punire rectè 179.b
Deus cur tardè uindicet ratio, & quòd seipsum uirtutis exemplar constituit 180.b
Deus est in scrutandis hominum scelcribus prudētissimus 182.b
Deus suspēdit uindictam interdum, ut homines emendentur ibidem
Deus uerā horam corripiendi nouit 184.b
Deus quare ob peccata maiorum aliquando ciuitatē puniat 197.b
Deus nihil nisi quod decet, agit 196.b
Deus non tantoperē curam nostri haberet, si nil diuini nobis inesset 200

Universitat de València Biblioteca

Deus cordium ſcrutator 204.b
Deus cur ſæpe malis parcit 185.b
Deum urbis Romæ cur nominare nefas 456
Deorũ nomina à poëtis uarie uſurpata 469
Dexicreontis Venus 502
Diabagoæ Paryſatis 89.b
Diali flamini cur iurare nefas 449
Dialis cur cœlebs non ſit 451
Diali quare nefas attingere farinam 477
Dialis ne tangat hederam 479
Dianæ ædes in angiportu: & cornua boum Dianæ in Auentino 427
Dianæ ſimulacrum amiſſum eſt 173
Diapaſon 138.139
Diapente 139
Diateſſaron 139
Diatonum 130
Dicendum non eſſe ex tempore 252
Dicelictæ, hiſtriones 353
Dicta facetè 22
Dictys conſolator 514
Diei principium à medio noctis 466
Dies omnis uiro bono feſtus, iuxta Diogenem 37.b
Dieſis enharmonia 131
Difficilia ſunt quæ honeſta 231
Dij tacitè iuuant 269.b
Dij turpitudinis non ſunt autores 34.b
Dilator ubiq; cũ detrimentis luctatur 536
Diogenes in exilio 13
Diogenes in Ariſtotelẽ 554
Diogenes Cynicus exilio damnatus, quid imprecatus 550
Diogenes ad Alexandrum 557
Diogenis liberũ ad Philippum dictum 558
Diognetus 189
Diomedes & Vlyſſes 34
Diomedes ſeruatus 229
Dionis feſta 232
Dion de amicis 285
Dion Syracuſanus de filij morte 537
Dionyſius ad citharœdum 76.b

Dion

Dionyſius in Philoxenũ 77
Dionyſius Apollinis filius pagina 85.b
Dionyſio, id eſt Baccho ſacratæ mulieres ſedecim 183
Dionyſius ſenior 279
Dionyſius cur Liber pater 475
Dionyſius tyrannus 184.b
Dionyſius Semelen ab inferis reduxit 211.b
Dionyſij tyrãni immoderata cupiditas 23.b
Dionyſij tyranni in filiũ exclamatio 268
Dionyſij tyranni dictum 70.b
Dionyſij iunioris dicta 280
Dionyſium uenire pede bouino quid ſit 494
Dionyſij corpus poſt mortẽ effoſſum 98.b
Dionyſio aſſentantes 239.b
Diophantus Themiſtoclis filius, quia matri charus & mater patri, pater autẽ populo, quicqd uolebat habebat 242
Diſciplinarum orbis 253
Diſcipuli expetendi 341.b
Ditare, quàm diteſcere, magis regium eſt 290
Dithyrambi 379.b
Diuinatio 159.b
Diuitiæ & nobilitas 249
Diuitiæ cæcæ 378
Diuitiæ & patria 544
Diuitiarũ cupiditas 354.b
Diuitiarum inſatiabilitas, autore Solone 356.b
Diuitem eſſe quid ſit 197.a
Diuortiũ ne minetur 119
Doctrinam requiri in principe 330.b
Dolia Homerica 26.b
Dolia fatorum duo 546
Dolonis formido 100
Dolor naturalis 509
Dolor mediocris ibidem
Domitius 320
Domus plura ſignificat 488.b
Donationes coniugũ & ſoceri ac generi irritæ ſunt 429
Dorica harmonia 133.134
Doris 377.b
Doryxenus aper per uicos cultus apud Megarenſes 487
Dos uiri cenſeatur 113

Druſi

Universidad de Sevilla Biblioteca

Dyusi domus perspicua 16
Δυσωνία 365.b

E

Eamus Athenas 494
Echo quomodo fiat 156.b
Echemythia 420.b
Educatio liberorum 241
Elaphebolia festa 165
Elasij qui 490
Elegia 228
Eleus urbs 240
Eloquentia & eius usus 18
Embaterius 376
Embantis nomen 497
Embrio 164.& seq.
Emerepes 372
Emicantes stellæ 138.b
Emmeles 380.b
Emmelia ibidem
Empedocles exul 560
Enecnisma apud Argiuos 490
Endymatia 379.b
Endrone ibidem
Enharmonium 130
Epaminondas 222
Epaminondas decretus Thebis Thelearchus 41
Epaminondas quandiu latuit inutilis fuit 350.b
Epaminondas plus tribuit meretriculæ orăti pro uinc ti liberatione, quàm Pelopidæ 35
Epaminondas ciuibus die festo potantibus, solus exercebas egit, dicens se sobriũ esse 334.b
Epaminondæ fiducia 14
Epaminondæ iocus 327
Epaminõdæ apophthegmata 310
Epænetus 372
Ephemerum semen 535
Ephialtæ artes 44
Ephori qui fuerint Athenis 538.b
Epibomium 578.b
Epicharmia 196.b
Epicharmus de morte 521
Epicharmi mulcta 278
Epicherecacia 418
Epicydes 296
Epicuri summum bonũ pagina 341
Epimenides arce donatus 66
Epodi 579.b
Epoda Archilochus inuenit 145
Epona equæ filia, & Fului Stelli 238

Equarum

Equarum initus 502
Equi Achillis 68
Equi et asini cur sint coronati in Consualibus 450
Equus indomitus 244
Equus æreus factus 239
Equus uictor cur Marti immoletur 471
Erechtheus, & eius filia. pagina 227
Eretriensiũ mulieres cur non ad ignem, sed ad solem Cerealibus carnem coquant 493
Eringitĕ herbam capella in ore tenens, totum post se gregem trahit 190.b
Erinnys, Adrastiæ ministra, quas puniat 209.b
Erinnydes deæ quæ pœnas infligunt 398.b
Errones qui felices prædicãt taxat 553
Eros & Fundanus 7.b
Eruditio, intellectus, ratio, res perpetuæ 250
Erungium, seu ἐρύγγιον herbam si capra in os sumpserit, sistitur, & gregem totum sistit 338.b
Eteocles 395
Eteocles malus frater. pagina 590.b
Euboidas 372
Eubolus pecunia remp. iuuit 45
Eudemonidas 310.372
Eudemus Aristotelis liber 530
Euenus se in fluuium præcipitem demisit 240
Euergetæ 85
Eumenes 294
Eumolpus 233
Eunostus, cuius lucum mulieres non ingrediuntur 497
Euripides de oblocutoribus. pagina 258
Euripides de morte 516
Euripides homines infantes & clingues esse optat. pagina 18
Euripides aptè obiurgat 45
Euripides non probatus. pagina 176.b
Euripides de indigenis 555
Euripides de exilio 557
Euripides de Venere 316.b
Euripidis sententia 42. 50.531.533
Eurybiades 296

Eury

Universidad de Sevilla Biblioteca

Eurycratidas 375
Eurydice liberos eruditit in musicis 267
Euthynous 519
Ex nihilo nihil fit 221.b
Exacta & nimis seuera uitæ ratio inutilis 312.b
Execratio 449
Exemplum Leonis Byzantini regerentis conuicia 299
Exercitatio & labor 243
Exercitatio fortis non conuenit repletis & lassatis 316.b
Exercitationis bona 314.b
Exilij ferendi ratio 544
Exilio multa scripta 556
Exul quæ res sit 559
Exules clari 556.557

F

Fabius Maximus 217.316
Fabij in fratrẽ amor 593.b
Fabricianus paternæ cædis ultor 238
Fabricius 315
Fabula Socratica de deorũ in homines imperio 540
Fabula de Satyro 294.b
Fabulæ uis 475.b
Faces nuptiales 426
Facetijs quomodo utẽdũ 22
Fastus diuitum 509
Fatale debitum 515
Fatum 124.b
Fati substantia. Ibidem
Fatorum dolia duo 546
Fauni cædes 238
Faustulus pastor nutritor 237
Febris qualis sit affectus, an adnatus 171.b
Febris futuræ indicia 312.b
Febri æstuantes sobrietatem laudant 307.b
Fecem emi 304.b
Fel abijciendum 115
Felicitas inuidiam attenuat 160
Felicitates et infortunia 509
Felicitatem homini locus nõ adfert 561
Felicia foris, infelicia intus 188
Felis natura 120
Fenestra porta 444
Feræ naturam suã protinus ostendunt, homines cælant 204.b
Feræ promiscuos concubitus auersantur 470.b
Festa Dioni instituta 232
Festum

Festũ ancillarũ Romæ ibidẽ
Fides primum & maximum bonum 68
Figulũ figulus odit 296.b
Filius uirtute præditus, ob patris improbitatem non obstupescat 500.b
Filij possidentes maiorum bona, luant eorum scelera 199.b
Filij peccatorũ parentũ ut honorum hæredes 136.b
Filiorũ parentes quales sint 241
Filiorum ob delicta parentum pœnæ 192.b
Filiarum tyranni mirificus in obeunda morte animus 188
Firmus à Nuceria noucrca cæsus 235
Flamen unde dictus 447
Floræ, quæ Bona est dea, quare nõ importent myrtos 435
Florentia 221
Fœcialium maximus cur dicatur Pater patratus 456
Fœminæ quomodo gignantur 161.b
Fœminæ utrum emittant semen 160
Fœnerari nefas 218
Fœnori pecuniã accipimus non indigentiæ, sed luxus causa ibidem
Fœnerator igni similis, pagina 222.b
Fœnus qui accipiendũ probant damnat 225.b
Fœtor oris 278
Foris cœnare 443
Forma quid 121.b
Forma res caduca 249
Formæ stellarum 131
Formicarum fumus similes 548
Fortitudo 91
Fortitudine nil opus iustis 308
Fortuna quid sit 42.125.b
Fortuna Romanorum 42.b
Fortuna Romam ingressa 45.b
Fortuna uirilis & muliebris 54.b
Fortuna primigenia 176.a 54.b
Fortuna Idia, Parthenos, seu Virginea, & Ixeutria, id est, Viscatrix, & Euelpis, et Mascula 55.b
Fortuna

Fortuna in Alexãdrũ 62.b
Fortuna rectè usus Alexander 89.b
Fortuna Alexandro aduersa 97.b
Fortuna non eget naturæ operatio 435.b
Fortuna improbis propitia 444.b
Fortuna quõ cæca 416.b
Fortuna etiam bestiæ nõ reguntur 453.b
Fortuna abest ratione non utentibus 458
Fortuna nostra, quãtumuis tenui, simus cõtenti 21.b
Fortuna à casu differt 125.b
Fortuna incõsiderata 511
Fortuna & natura 476
Fortuna uleiscenda sapienter 546
Fortunæ ductu an omnia regantur 453.b
Fortunæ aut generis infelicitas homini non exprobranda, sed animus corrigendus 515.b
Fortunæ uaria cognomina 461
Fortunæ obijci solita 42.b
Fortunæ simulacrũ 47.b
Fortunæ delubra ibidem
Fortunæ ad Romulum uerba 51.b
Fortunæ paruæ ædes 461
Fortunã secundam sine inuidia ferre, hominis est bene instituti 254
Forum inferis simile 220.b
Fraterna charitas 589.b
Fraterna beneuolẽtia ibidẽ
Frigida balnea nocẽt 316.b
Frugalitatis asylum 220.b
Frui deo 180.b
Fulgura & fulmina 139.b
Fuluius Stellus equæ se immuscuit 232
Funarius Plutonicus 27.b
Fundamentũ Politicæ 10
Fundanus & Eros 7.b
Funebris laudationis lex Romanis instituta 161
Furari permissũ Sami, Mercurio dum Charidotæ rẽ diuinam faciunt 503
Furciferi cur dicti 459
Futurũ præterito sæpe deterius est, & occultum noto 205.b

G

Galli 58.b
Galeritis omnibus inesse cristam 295.b
Gallum Germanicus uidere non poterat 157
Garætium castellum 230
Gelon tyrãnus 177.a.182.b
Gemini & trigemini quomodo gignantur 162
Geneciæ cur canem mactent 432.b
Generatio animaliũ 106.b
Generationi qualis opera danda 241
Genius unus, & Genij duo 29.b
Genius Romanorũ 57.b
Genij 119
Genus meũ à me incipit 300
Geometræ liberi 558
Gerion multa crura & manus habebat, unicum quo cũcta regebat animũ 64
Gesta Romanorum obscura 61
Gidica Comminium deperit 235
Glaucus & Hasdrubal 214
Gloria res inconstans 249
Gloriari uiuus potest nemo, ut est à Menandro dictũ 33.b
Gloriantes de nobilitate parentum, eorum ferant delicta 196
Gobryas 233
Gorgias 270.b
Gorgias de muliere 161
Gorgo 406
Gorgonis Leonidæ uestes 122
Gracchus orator ad fistulæ tonum dicebat 393.b
Græci omnes honesta cognoscunt, Lacedæmonij faciunt 296
Græcorũ apoph. 296
Grana Cnidia 323.b
Grandines 140.b
Granicus fluuius 222
Gratijs opus uxori 115
Gratijs Musas coniungens oratio 116
Gratiarũ nomina ab alacritate & gaudio, & floruentia eis indita 342.b
Grauedo & laßitudo sponte obortæ morbum denunciat 309.b
Gryllus in suem mutatus 271
Gubernator nauis 33.b
Gulæ probrum 309.b
Gustatus 154.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Guttæ aquarum lapidem cauant 243
Gygis opes 19.b
Gylippus in exilium missus quòd sacculos pecuniarũ soluerat 259
Gymnastica 253
Gymnopodiæ 579.b
Gyrtias 406

H

Habitaculum Tettigi 201.b
Habitus, potẽtia, & affectus sunt in animo 89
Hæc præcipua, aut hæc domina, prouerb. 499
Hamaxocyliſtæ apud Megarenſes 505
Hanno quòd leonis opera usus, in exilũ missus 13
Harma 218
Harmonia, & eius nomina 576.b
Harmonia cœleſtis 139
Harmoniæ tres principes 138
Harmonici 585.b
Haſdrubal et Glaucus 214
Hebetare gladium hoſtis cæde ſuã 397
Hebius, eius proles, & uxor 234
Hector ad Andromachen 335
Hederam tangere nefas cur Diali 479
Hegemonis munus 339.b
Hegeſiſtratus Eleumta condidit 240
Helena à cæde liberatur 236
Hellanicus ſenex 183
Hellanici uiſum 186
Helepolis machina 293
Helotes ſerui Lacedæmoniorum 306
Hephæſtiõis ori admotus ab Alexãdro anulus 74.b
Hephæſtionis reſpõſum 83
Heracletus 515
Heraclitus de ſole 554
Hercules uictor 218
Hercules & Iole 223
Hercules ſimulatus clauam ueram non fert 230.b
Herculis pater exul 560
Herculis labores 92.b
Herculi cur decimæ offerebantur 433
Herculi & Muſis cõmunis ara 455
Herculi cur ſoli ſine cane ſacra faciant 469

Herculi Græcia omnis patria 347
Herculem iurare ſub tecto prohibentur 440
Heraclitius fluuius 198
Herodicus Silymbrianus 187.b
Herondas 374
Heroũ genus muſicum 578
Heroës 110. 523
Heſiodus conſolator 513
Hiampolis 164
Hiatu terræ abſorpta Pheneatenſium regio 194.b
Hiatus immenſus 211
Hyenæ fel prodeſt 185.b
Hieron 277. a. 182. b
Hieroni fœtorem oris non uxor, ſed inimicus indicauit 292.b
Himerij adulatio 253
Hipparchi ſomnium 189
Hippocentaurus 240
Hippocratidas 373
Hippodamia 234
Hippodamus 373
Hippolyti cædes 235
Hippothoros in muſica 108
Hirundo & Tereus 431.b
Hiſter 132
Hiſter ſcenicus 476
Hiſteropothmi 428
Hiſtriones qui 476
Homerus 9.b
Homerus conſolator 513
Homerus de Achille, qui equos hominesq; hortari ſolitus 88
Homerus de uiro forti 104
Homerus mortuus alit decem milia hominum 278
Homeri nihil habenti magiſtro pugnum incuſſit Alcibiades 299
Homeri patria 555
Homo quãdo & quõ incipiat in utero pfici 169.b
Homo planta 547
Homo curioſus hoſtibus utilior quàm ſibi 412.b
Homo quilibet cuiq; nõ conuenit 467
Hominem deo immolare cur nefas, dæmoni fas 465
Hominem ne te obliuiſcaris eſſe 512
Homines liberi natura, ſpõte ſe locis aſtringunt 343.b
Homine calamitoſius nihil 549
Homophonus 585. b
Honos permanẽdæ rei præclarè

clarè gestæ signum 66
Honor per bonam memoriã exhibetur 529
Honores falsi qui 69
Horatij & Curiatij 225
Hortæ deæ cur ædes aperta 430
Hostium respectus 296.b
Humana quæ patimur omnia sunt existimãda 31.b
Humorum abundantia corpus ad morbos propẽsum reddit 309.b
Hyems & æstas quomodo fiant 131.142
Hypate 136
Hypecaustria 481
Hyporchema 129

I

Ialysson 292
Iamborum inuentor 138
Iani portæ clausæ 53.b
Ianus cur bifrons 436
Ianuarius cur initiũ anni institutus Romæ 434
Ias harmonia 576.b
Iason 312
Idathyrsus 276
Ideæ 119
Idus unde dictæ 437
Idricus Cares 347
Ignem igni adijcere, prouerbium 253.301.b
Ignis animal 462
Ignis & deus 231.b
Ignis, id est, coctio condimẽtum optimum 307.b
Ilia Rhea grauida 237
Ilias malorum 113
Ilias & Odyssea 64.b
Ilus Palladium rapuit 225
Imbricus 230
Imitatio in turpibus uitanda 495
Imperium Rom. 56.b
Imperium nõ spacio, sed stabilitate metiẽdũ est 330.b
Imprecari nefas 449
Improbi in hac uita suapte affligũtur conscientia 190
Improbitas an sufficiat ad infelicitatem 44
Inane 122.b
Incommoda hilaritate condienda 54
Incontinentia ab intẽperantia differt 9
Incontinentia diminutũ uitium ibidem
Inconstantia fastidit amicos 463
Indolentia 50
Inertium

Inertium uita 12.b
Infans in utero an sit animans 164.b
Infans unde alatur in utero, & quid primum absoluatur in utero, & cur septimestres uiuant 165.b
Infelicitas quorundam 547
Infortunij contemptus 29.b
Insula Ptolemæo addita 245
Inimicus præceptor gratuitus 291.b
Inimici plus docent quàm amici 292.b
Inimici nõ omnes expellendi è ciuitatibus, sed tolerandi 293.b
Iniurati Romani cur pugna abstinebant 445
Iniuriam accipere melius quàm inferre 516.b
Inopinata plus dolent 31.b
Instituti malè quales tandẽ euadant liberi 248
Insulæ beatorum 541
Insularũ inhabitatores summi uiri, Acolus, Vlysses, Aiax, Alcinous, Zeno 552
Insularum laudator Homerus ibidem
Intemperantia ex toto uitium 93
Intemperantiam uiri ferat, non uideat uxor 112
Inuenta plura à priscis 142
Inuidia & odium brutorum 137
Inuidos se negãt omnes 158
Inuidia in omni repub. 293
Inuidia dolor est de bonis alienis 137.a. 418.b
Iole & Hercules 223
Iphicrates 300
Iphicrates domi declamitans ridetur 46
Iphigenia 225
Ippoclus rex obtruncatur 166
Ira cæca 101
Ira excitanda 104
Ira Alexandri nobilis 23.b
Ira impedit animum 181.b
Ira quibus incitetur 392.b
Ira unde nascatur, & quid sit 396.b
Ira omnia inuadit 392.b
Ira homicidio deterior. pagina 408.b
Ira in connubio esse non debet 115

Ira animi nerui 100
Iram uincere, uiri munus est 254.a. 505.b
Iram uites 259
Irã Archytas domuit 181.b
Iram Plato puniens ibidẽ
Iram cohibendã esse 387.b
Irã nihil magis decet quàm silentium 392.b
Iracundia uitium intolerabile 406.b
Iracũdiores sunt mulieres uiris, ægroti sanis, senes iunioribus, & infelices felicibus 396.b
Irasci uetat 15.406.b
Irena 163
Ismenias tibicen 277
Ismenus balneator 559.
Ithacensium Alalcomenæ 499
Iudicare nemo de arte nisi expertus potest 179.b
Iudices apud inferos, iudiciumq; æquum 540
Iugurthæ imago in anulo Syllæ, à quo captus erat 29
Iulius Cæsar 336
Iulius Drusus cur clarus habebatur 16
Iunius Brutus 222
Iupiter quorũ pater 288
Iupiter hospitalis 555
Iustitia secundũ Zenonẽ & Chrysippũ quid sit 84
Iustitia præstat fortitudini 307
Iustitiæ uituperatio 246.b
Iustitiæ laus 332.b
Iuuenes temerarij 102
Iuuenum delicta 262
Ixion in nubẽ incidit 340.b

K

Καταιγὶς 489
Καταφρακτοι 365
Κέρκη ibidem
Κόσμος ἄκοσμος 43.b
Κρίνων 352

L

Labor omnia uincit 243
Labor & somnus 255
Labradeus Iupiter bipennẽ sustinens 300
Lac grauedinẽ adducit 318
Lacedæmonij 215
Lacedæmoniorum antiqua instituta 399
Lacedæmoniorũ pactũ cum Antipatro 271.b
Lacedæmoniorum lepidum beneficium 270.b
Lacænarum apophthegmata 405
Lacon de pueris instituendis 105
Laconis capti nobile dictum 394
Lacones de latronibus ibidẽ
Laconica cantio 522
Lacydes ob comam notatus 291.b
Lacydis amicũ facinus 269.b
Lacteus circulus 137.b
Lacus apud inferos tres 214.b
Ladas semper plausus spectaculorũ audire sibi uisus 25
Lælij & Scipionis amicitia 28
Lætãdi obiectũ, & unde lætemur habemus oẽs 18.b
Læua in auspicijs 463
Lagus & Lasus 579
Laius suspicione liberatus 234
Lamachus de bello 300
Lampes 395
Lampsacæ honores 192
Lampsacum urbs ibidem
Lar deus 55.b
Λάθε βιώσας num rectè dictũ sit 348.b
Laribus cur canis assistat 452
Lauari quàm ungi plures cupiunt 25.b
Larẽtiã scortũ quare tantopere uenerẽtur Rom. 444
Leander culeo insuitur 198
Learchus 205
Lecta quomodo in usum traducenda 512
Lectionis exercitatio 315.b
Lecto sit pax & concordia 118
Leges musicæ 575.b
Leges cantuum 129
Leges hominum non semper æquæ 179.b
Leges Lacedæmoniorũ, & Romanorũ, & Solonis ridiculæ ibidem
Lex omnium regina 331.b
Lex funebris Rom. de probis mulieribus 161
Lex indigentiæ fauere debet 218
Lex connubialis 108
Lex Solonis 109
Lex Aegyptiaca de grauida noxia ad partum seruãda à Græcis recepta 184.b
Lex uetans usuram 218.b
Legumina cur castis contraria

Universidad de Deusto Biblioteca

traria 471
Leo dux ceruorum 301
Leocrates Themistoclis accusator 557
Leonis Byzātij facetiæ 23
Leon Eurycratides 374
Leonidas 375
Leonidæ cor 216
Leonides pædagogus 286
Leontis mulier 161
Leosthenes 303
Leotychidas 374
Leptani mores 117
Lethe inferrorum 211
Leucadia petra 191
Leuconia urbs 166
Leuctrica pugna 356
Liberi à matribus lactandi, & educandi 245
Liberorum qui plus amentur 117
Liberorum educatio 241
Liberorum instituendorum ætas secundum Phocylidem 246
Liberè loquēdi ratio 283.b
Libertas loquendi est amici propria 234.b
Libertas uera 250.b
Libertas condienda 274.b
Libertas moderata ibidem
Libitinæ in æde cur quæ ad sepulturā pertinent uenditent 436
Libri multi in exilio conscripti 556
Libri qui sint legendi 255
Licinius 320
Licorma 239
Lictores unde dicti 458
Lingua eadem & optima et peßima 545.b
Linguam contine 260
Linus 125
Lißi scopulus 391
Literis uacare mulieres cōuenit 121
Liuor in omni Rep. 293.b
Liuor perspicit 292.b
Lochadus 376
Loco cedentes 248
Locrensium lex in curiosos 420.b
Locrica 577.b
Locus 122.b
Locus uirtutē nō affert 560
Loculamentum 122
Lucar quare dictum 468
Lucius satelles tyranni 181
Lucretia Romana 179
Luctus tempore minuitur 39

Luctus dæmon inhonorus 525
Luctus ob immaturam mortem 527
Luctus inanes 530
Lucullus 330
Lugere fœmineū est 526
Lugentes non statim sunt à luctu dehortandi 507
Lumen uirtutis & philosophiæ 362.b
Luna quā præbeat speciē, et cur terrea uideatur 136.b
Lunæ substantia 134.b
Lunæ magnitudo ibidem
Lunæ forma ibidem
Lunæ illuminatio 135.b
Lunæ deliquium, siue eclipsis ibidem
Lunæ à sole intercapedo ibidem
Lunulæ cur sint in calceis nobilium 462
Lupa Romuli 237.a.50.b
Lupa infantes nutrit, proprijs abiectis catulis 237
Lupercī cur canem immolent 458
Lupum auribus teneri non posse 20
Luscinia 431.b
Lux iucunda 196
Luxus fœneratorum parens 218.224
Lycastus 237
Lycæum ingressus sponte 496
Lychnū extinguere cur habitum sit nefas 461
Lyciæ mulieres claræ 174
Lycisscus 176
Lyctos urbs 174
Lycurgus 272.305.376
Lycurgi facinus 84
Lyde uxor & elegia 514
Lydiades ex tyranno princeps bonus euasit 183
Lydia harmonia 376
Lydius cantus 70
Lydorum institutum in fame 320.b
Lynceus perspicax 295.b
Lyra Paridis & Achillis 132.a.72.b
Lyra usi Cretenses 142
Lysander 307.382
Lysias 124
Lysimachus 293
Lysimachi fera querela 190.b
Lysimachus ob sitim hostibus

bus se dedidit 190.308.b
Lysimache Mineruæ sacerdos 377.b
Lysippus Alexandri statuarius 79.b

M

Macareus sorore uiolata se interfecit 231
Macellum unde dictũ 453
Mæmacten Atheniẽses deorum regẽ appellant, à benefaciendi promptitudine 398.b
Magæ regis erga Philemonem factũ egregiũ 398.b
Magistratũ gerere, aut petere, cur nefas sacerdoti 479
Maius Metagetnion, & Metagetnia regio 548
Mala sunt rotunda 531
Mala contrahenda 529
Mali malos corripiũt 184
Mali sibi ferunt crucẽ 187.b
Mali à sua uita pũiũtur ibi.
Mali semper horrent 189.b
Mali suapte affliguntur cõscientia 190.b
Mali assiduo cruciatu senescunt 188.b
Mali semper tristes 191.b
Malis cur utantur boni 17
Malis sæpe parcit deus, à quibus optimos orituros nouit 187.b
Malitia sese affligit ibidem
Malos odimus 156
Malorũ reminiscẽtia 214.b
Malorũ obduratio, & quõ seipsos execrẽtur 192.b
Malorũ pœnæ 209.210.b
Malus mali supplicio ita succedit, ut in ære alieno 205.b
Mamercus 220
Mammæ duplices cur mulieribus datæ 243
Mancipia frugi 277
Mandron 191
Manlius Torquatus 222
Manlius imperiosus 225
Manum admouenti fortuna est imploranda 401
Mansuetudo 91
Mansuetudo dei 181.b
Marcellus 220
Mare unde cõstet, & cur sit amarulentum 145.b
Maris reciprocationes & æstus unde fiant 146.b
Mares quomodo gignãtur aut fœminæ 161
Maritũ imitatur uxor 113

Mariti

Mariti cur se aduentare præ nuntient 430
Marius Syllæ opera felicissima uti consultò destitit 29
Marius & eius filia 227
Marij Prisci fortuna 46.b
Marij apophthegmata 329
Maron 578.b
Marpissa 239
Marsyas musicus 128
Materia quid 119.b
Marti cur immoletur equus uictor 471
Matrum nomina sortiti 176
Matutæ ædem cur nõ ingrediantur ancillæ, & cur in ea nõ filijs, sed nepotibus bona optentur. 433
Maximi filij 231
Medica uestis 68.b
Medicina & gymnastica ad corporis sanitatem 253
Medicina ante morbum adhibetur sapienter 203
Medicinæ laus 399.b
Medicinæ quicqd utile, idem & iustum est 198.b
Medium multiplex 91
Medium tenere artis est 253
Medius adulator 272
Medullina 227
Megali 85
Megistonæ animus uirilis 184
Megistonæ in filias tyrannũ heroica clementia 187
Meleager 219
Meliæ claræ 170.171
Melos 575.b
Memnon in militem maledicum 276
Memoria, quæ Græcè Mnemosyne, Musarum est mater 258
Menander cõsolator 513
Menandri dictum 17. 509.a. & 35.b
Menandri dictũ: Quem diligunt dij, iuuenis moritur 538
Mensam cur uacuam tollere nefas habitum 457
Mẽsis cuiusq; cur tria quasi principia, & dierum nomina 437
Menses cur dicantur Iunonis, & annus Iouis 462
Mens sola uidet 81.b
Mentiri est seruile 261
Menyllus 303
Mercurij statua apud simulacra Gratiarum 559.b

Mer

Mercurius iuxta Venerẽ 109
Mercurius cõmunis 340.b
Merops Tragicus 7.b
Meropa per fortunam aduersam sapientior effecta 391.b
Mese 572
Messenij serò ulti 176.b
Metagetnia 548
Metelli fortuna 46.b
Metellus cæcus 225
Metiochus in ore omniũ 42
Metius Suffetius 218
Micca & Megistona 181
Midas & Anchurus 217
Miltiadæ trophæa Themistoclem insomnem effecerunt 296
Miltiadæ conuersio 183
Milesiæ mulieres claræ, & earum furor 177
Milichion, hoc est placidũ, deorũ regẽ uocãt 398.b
Minerua cana 19
Minerua Chalcioeca 345
Minyi filiæ 496
Minos iudex 541
Minos tibiam submouit à sacris, & coronam à luctu 320.b
Minutius 316
Miserationẽ culpantes 15.b
Miseris non inuidemus 159
Mithridates 201.a.57.b
Mithridatis fuga 292
Mixarchageua 490
Mixolydij modi 133
Mixtio 121.b
Modestia est optima honoribus custos 67
Modestia & boni mores senibus uiaticum 255
Modulus 577.b
Monophagi Aeginæ 499
Monstra qui fiant 161.b
Morbi irremediabilis medicatio est eius prolongatio 347.b
Morbo bene usi 295.b
Morbi non taciti 309.b
Morbi animorũ utrum sint grauiores quàm corporum 344.b
Mordeo ut leones 394
Mores quid sint, & unde dicantur 88
Mores persuadent, non oratio 17
Morum simplicitas & facilitas magnum ad mansuetudinem uiaticũ 404.b
Morum uirtus 85
Mors breuis iucunda 276
Mors optima inexpectata 338
Mors unde fiat 169
Mors utrius sit, animæ an corporis ibidem
Mors, medicus, orcus 515
Mors quibus rebus similis 516
Mors immatura 522
Mors iuuenum non est lugenda 531
Mors à multis malis sæpe liberat 528
Mors malorum non pœna, sed finis pœnæ 187
Mori est melius quàm uiuere 516
Mortem timere quid 518
Mortui putati ut recipiantur 427
Mortui honore iuuandi. pagina 529
Mortuus triduanus reuixit 206.b
Motus 123.b
Mulæ cur steriles 164.b
Mulier optima quæ 161
Mulier frequẽtius indulgens Veneri cur non concipiat 162.b
Mulieres Aegyptiæ domi manent 117
Mulieres claræ 161
Mulieres iracundiores sunt uiris 396.b
Mulieres uirili habitu 169
Mulieres pudenda monstrãtes uiris suis 169
Mulierum migratio 181
Mulierum nullum in tenebris discrimen 120
Mulierũ perturbationes 9.b
Mulierum consilia 167.172
Muliebre silentium 172
Muliebre, flere 526
Mulius 52.b
Mundus an animãs 126.b
Mundus qualis animans 85
Mundus an expers corruptionis, unde alatur, à quo elemento adorsus fabricã mundi deus 127.b
Mundus an unus & finitus 112
Mundus musica factus 155
Mundi coagmẽtatio 111.b
Mundi forma 126.b
Mundi structura, & cur sit cernuus 128.b
Mundi extrariæ partes, & nuncubi uacuum 129.b

Universidad de Navarra Biblioteca

Mundi pars dextera, & læua 129.b
Muri quare sancti, & non portæ 440
Musica ueteres usi 153
Musica instrumenta 88
Musica augusta & adulterata 133
Musica conuiuijs apta 155
Musica cœnula 308.b
Musica fiunt rerum motiones 155
Musicæ nomina, et Harmoniæ 375
Musicæ tria genera 125
Musicæ auctus 131
Musicæ partes tres 146
Musicæ studiũ & bona 153
Musicæ complures factiones 581.b
Musici 580
Musici insignes 123
Musicus unde peritus cuadere possis 150
Musicantes reges 245
Mutationes maiores in homine quàm in ciuitatibus 197
Mutius & Porsena 215
Mutuum rapere 502
Myronides 298
Myrrha Cynaræ 228
Myrtis poëtria 498
Mysorum ac Phrygũ fines, prouerb. 398.b

N

Nabis, Aristio, Catilina, simulesq; ciues pro hostibus habendi 37
Narrationes amatoriæ 561
Nasicæ apophthegmata. pagina 297
Nasus aduncus Persis in honore & precio 69
Nati è malis boni 185.b
Natura, ratio, consuetudo, disciplina, exercitatio, ad operis perfectionẽ requiruntur 242
Naturà quid sit 105.123.b
Natura & fortuna 476
Natura nullam nobis patriã dedit 547
Natura auarorum 305.b
Naturæ iura uiolari nequeunt 279
Naturæ magnæ exorbitant aliquando 184.b
Nauigia incensa per mulieres 164
Nauis gubernator 33.b
Nauis insignia 174

Nauplius 493
Nausithei fuga 552
Naxus & Thuria 551
Neæra 189
Necessitas 124.b
Necessitatis essentia ibidem
Nepenthe quo Helena usa 450.b
Neptẽ ex sorore ducere permissum 429
Ne quid nimis 332.a. 303.b
Neronis anima uisa 115.b
Neroni tragicus ornatus additus 245.b
Nestoris domus 362.b
Nete 135
Nicanor 282
Nicander 385
Niciæ dicẽdi infelicitas 20
Nicocrates tyrannus 193
Nicocratis cædes 196
Nicostratus 309
Nili exuperantia 146.b
Nimietas uitanda 303.b
Niobe 532
Niues & pluuiæ 139.b
Nix Aegyptia 304.b
Nobilitas & diuitiæ 249
Nomina matrũ sortiti 175
Nominum imponendorum dies quæ sit 474
Nomina Gratiarũ unde sint indita 342.b
Nomphis 175
Nonæ 437
Non expectatã 300.325
Nosce teipsum 532
Nox iners 351.b
Nubendi tempus uirginum uiduarumq; 475
Nubes & pluuiæ 139.b
Nugari Laconũ nõ est 394
Numæ fortuna 45.b
Numismata Iano et naui signata 447
Nundinæ 448
Nunquã redibitis in patriã cur dicatur 491
Nuptiales fãces 425
Nuptialis satio optima quæ 119
Nupta noua cur limen non transcendat 441
Nuptiæ quæ uetitæ, et quãobrem 476
Nutrices quales sint 245
Nymphæus 170

O

Obiurgans culpæ se admiscat 285
Obiurgatio Socratis, & q. obiurga

obiurgationi laus sit admiscenda 286
Obsonatores boni 286
Obsoniorum artifices optimi Alexãdro uisi, nocturna profectio ad prandiũ, & prandij tenuitas ad cœnant 308.b
Occupato non est moriendi ocium, iocus 321.b
Ochna 497
Ochus Xerxis filius 593
Ocrisia uirgo 55.b
Oculus regis & Oeconomi pinguẽ facit equum 257
Odatis & Zariadres ex uisione nocturna se mutuò deperierant 588.b
Odimus malos 157
Odia bestiarũ inter se 157
Odia soluenda, non amicitiæ 469.b
Odiũ non est cæcum 296.b
Odium auget uitiorum magnitudo 158
Odium & inuidia quid differant 156
Odij ortus ibidem
Odontismos 574.b
Odoramenta uxoribus grauia ne ferant uiri 120
Odoratus 154.b
Oedipodi curiositas obfuit 426.b
Officium medium, &c. 90
Olympiorum uictor 20.b
Olympus musicus 128
Olympus inimitabilis 135
Olympus funebris carminis inuentor 133
Olynthus urbs euersa 357
Omnibus respondere seruile, omnes despicere stulti & superbi est 502.b
Onesicrates 123
Onobatis apud Cumæos 480
Onochus rex 191
Onomademi de non expellẽdis omnibus inimicis sententia 46.a.295.b
Onoscelis ex asina Aristonis filia 231
Opes arte parantur 458.b
Opinio quid possit 545
Opulentia est res leuis 361.b
Oracula Apollinis 212.b
Oratio consolatoria 507
Oratio uiri ciuilis & Demosthenis 20
Oratio qualis sit 252

Oratio

Oratio est actionis umbra 258
Oratio cui similis 298
Oratores prohibiti 97
Orchomenij 176.b
Orcus Pæan 515
Orcus cur dictus infernus 352.b
Orestes ultor necis paternæ 237
Ornatus nimius uitandus 115
Orobos Trallianis quid sit 500
Orpheus quousq; perduxerit uxorẽ ab inferis 212.b
Orthia lex 128.373.b
Ortus & interitus 123.b
Oscula cognatis cur Romæ dent mulieres 164.428
Osioter apud Delphos 482
Othryades 215
Ouium initus 502

P

Pæanes 124
Pædaretus 309.387
Palæmnæus quid 490
Palladis lex 373.b
Palladium raptum 225
Palintocia Megarẽsiũ 487
Panæma 503
Panætius 326
Pandæsia urbs 61.b
Panicus terror 310
Panthœdas 385
Parallela Plutarchi 213
Parasitus cancro similis 240.b
Parentibus unde cum genitis similitudo, & unde eũ alienis 163
Pareusius fluuius 240
Parrhasius 237
Papyrius sororem uiolauit, & seperemit 231
Parysatis Cyri mater 276
Parmenio imperator 282
Pasiades Byzantius 85.b
Pasiphaë simules 110
Pater qualis sit 264
Pater sit filio exemplo 265
Pater patratus cur sit is, qui fœcialiũ maximus 456
Patientiæ secundum Chrysippum definitio 100
Patientia Socratis 259
Patriam nullam nobis natura dedit 547
Patriam reliquerunt philosophi 556
Patriæ plus quàm liberis cõcedendum 37

A Patres

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patres, & Patres Conscripti qui sint 455
Patricius quare non habitet circa Capitolium 469
Patris in filios amor 256
Patroclus in armis Achillis hasta abstinuit 250.b
Paulus Aemilius 218.321
Pauli Aemilij fortuna 45
Paupertas ærumnosa quidē, sed secura est 222
Paupertatē fateri non turpe est, sed nō effugere 374.b
Pausanias 221.385.a.190.b
Pecuniarum usus 8.b
Pecuniæ exactio 279
Pedetes Andron 503
Pegasus nauis 174
Pelopidas 314.a
Pelops, & eius proles ac uxor 234
Peregrinatio 560
Perdiccas ad Alexandrum 94.b
Pergamena mulier 202
Periander cōmode tardè perijt 184.b
Pericles 299.a.371.b
Pericles mores cū magistratu mutauit 15
Pericles se imparatum dicēs populum dimisit 251
Pericles deæ ornatū ad belli usum uendidit 219.b
Pericles Olympius 536
Periclis præoratio 23
Periclis imperium 19
Perieramus nisi perijssemus, inquit Themistocles 149
Perillus artifex egregius 238
Perillo responsum 286
Persæ septem tiaram in anteriori capitis parte gestantes 66
Persarum reges 549
Persarū reges omnes pro seruis habēt, præter uxores, quibus commode sint domini 331.b
Persides claræ 169
Persis lacrymæ 30.b
Persei dictum 370.b
Pes aliquando laxandus 60
Pestilentia Lacedæmonis & Valeriorū sedata 236
Petreius uiuus crematus 53
Petronius Valentinus 238
Phædra Minois regis filia, Thesei uxor 235
Phaethon lacrymabundus 12.b

Phaëthontis ob necem pullati accolæ 194.b
Phalaridis uacca ærea 238
Phagilus apud Itacheſios 486
Phalerei statuæ 67
Phantasia quid distet à phantasto 152.b
Phantasiæ an ueræ 150.b
Pharmaca uitanda 324.b
Pheræa Thebana 194
Pherecrates Comicus 144
Phedimus 193
Pheynnis musicus 237
Philammon 125
Philanthropos 131
Philippus dormit 285
Philippus luscus factus 219
Philippi iocus festiuus 301
Philippi edictum 167
Philippi consilium, ut se uiuo Alexander amicos cōparet 29
Philippi Alexandri patris apophthegmata 281
Philippicæ Demosthenis 39
Philippides Comicus 210.b
Philodemus 181
Φιλονικία 229.b
Philosophia quid 104.b
Philosophia triplex ibidem
Philosophia quid tyranno prosit 280
Philosophiæ laus 234
Philosophi notantur 9
Philosophi placita mutant 97
Philosophi qui nihil scriptū reliquerunt 65.b
Philosophum debere maximè cum principibus disputare 537.b
Philosophorū placita 104.b
Philosophātes in morte, Socrates, & cæteri 562
Philosophādum ne sit inter pocula 445.b
Philoxenus 131. 145.a.75.b
Philoxenus, bona, inquit, hæc me non perdēt 226.b
Philoxenus & Gnatho gulæ proceres 348.b
Philoxenus musicus 580.b
Phobus
Phocæ coagulum prodest 185.b
Phocus Aeaci 230
Phoci filia 566
Phocenses claræ 164.178
Phocion 191
Phocion frugi 357.b

Phocionis in diecndo breuitas 23
Phocionis dictum 302.a 270.374.b
Phœbides per Ageſilaũ absolutus 33
Phœnicis cerebrum 321
Phœnix Achillis pædagogus 247
Phos, id eſt lux, cur dicatur homo 352.b
Phrygia 577.b
Phrygius Nilei filius 189
Phrynes dicterium 304.b
Phyllis muſicus 579.b
Phyximelum 483
Pindari dictum 298.b
Pirei lippitudo 299
Pictorum mos 246
Pictores inſignes 162
Pictoris in equo pingendo mirabilis caſus 457.b
Pictura eſt poëtica muta 479.b
Picus Martius 50.b
Picum cur uenerantes ab eo abſtineant Latini 435
Pieria mulier clara 188
Pieriã ut adamauerit Phrygius 189
Pierius 125
Pigritia 9.b
Pindarus 516
Pindari ædes receptæ 195.b
Pindari de pijs ſentẽtia 539
Piſcis medicamento captus eſt inſipidus 109
Piſiſtratus 305.a.182.b
Piſiſtratus in ſenatu ut Romulus diſcerptus 233
Piſiſtratus de filijs 593.b
Pittacus tantum agri accepit, quantum iaculo percurrere iecit 66
Pittacus mulieris turbam ſine turbatione tulit 21.b
Pittacus fratris amator 591.b
Pityoëſſa 192
Placere multis quid 250
Placita philoſophorũ 104.b
Plato de mundo 85
Plato concentus cur repudiauerit 137
Plato de animæ immortalitate 139
Plato cur in Siciliam profectus 343.b
Plato utiliter notus Dioni 350.b
Platonis reſp. 113
Platonis oratio magnanimis & candida 276

Platonis

Platonis dictũ 259.517.a. 233.313.b
Platonis admonitio 325.b
Platoni eſt homo animal uerſatile 18
Pliſtarchus 387
Pliſtonax ibidem
Ploiades quæ ſint 481
Plutarchus Traiani præceptor 561
Plutonis regio 540
Pocula inter læta nõ eſt admonendum 278.b
Pœmandrus 495
Pœna qualis de inimicis ſumenda 486.b
Pœna eorum qui palàm & qui clàm peccarint 213.b
Pœna eorum qui lucri cauſa iniuſtè egerũt, & quorum ob ſcelera deſcẽdẽtes puniuntur 214.b
Pœna culpa grauior 392.b
Pœnæ malorũ 209.210.b
Poëticæ omnis diſciplinæ initium 475.b
Poëtica hiſtrionicæ non admodum abſimilis 493
Poëtica bona & triſtia continet 473.b
Poëtica quo fructu iuueni audienda 474.b
Poëtica eſt pictura loquens 479.b
Poëtica imitatrix morum, uitæ, ac hominum 495
Poëtice ad duo utilis 515.b
Poëtice non reijciẽda 474.b
Poëticæ admouenda philoſophia 475.516.b
Poëtæ damnant turpia quæ recenſent 481.b
Poëtæ multa mentiuntur 475.478.b
Poëtarũ ſubita mutatio affectus mouet 494.b
Poëtis non aliter credẽdum atq; pædagogis & legũlatoribus 500.b
Poëſis allegoriæ 482.b
Politicæ fundamentum 10
Polites apud Epidamnios 492
Pollis et Cratis fratres 173
Pollux & Caſtor fratres gemini et amãtiſſimi 590.b
Poltys de Helena reddenda 276
Polybius 324
Polybius de Gallis 60
Polycrita 189
Polycratidas 388

Polydorus ibidem
Polydorus Priami 230
Polymnestor ibidem
Polynice 217
Polyzelus cæcus factus 214
Pompa Bacchãtium 361.b
Pompeius Magnus 331
Pompeio obiectum, quòd unico digito caput scalperet 16.a.291.b
Põpeio assurrexit Sylla 30
Pompeij ad rempublicã gradus 25
Pontius 58.b
Popilius 330
Popularitas 20
Portiæ prudentia 162
Porus rex 74.b
Pori responsum 290
Porsena rex 179.215.219
Possidens plura quàm sat est incurabilis est 355.b
Posthumius Albinus 216
Posthumiæ risus 291
Postridie Calendas, Nonas, Idus, cur dies habentur atri 437
Potentiæ ab ultimis ad prima relationes habẽt 197
Præceptum aureum de uitæ ratione eligẽda 300.b
Præco cur non ingrediatur templum Ocridionis 191
Præceptæ cõnubialia 108
Præceptor puerorum qualis sit 247
Præceptores ad quid conducant 439.b
Præfractis cãticis et mollibus abstinuere ueteres 137
Prænestæ urbs 240
Prænomina Rom. 475
Prætorum uirgæ 465
Praxithæa 227
Priamus 230
Princeps quid sit 332
Principi opus esse doctrina 331
Principes imitantes statuarios, qui colossos tibijs ductis fingunt ibidem
Principum ad regulam comparatio ibidem
Principia quæ sint 106
Principiũ uerũ quod fuit secundũ philosophos ibidem
Principiũ & elementũ ibidẽ
Priniſtum oppidum 240
Problemata 425
Probitatis opinio 17
Prodici de igne, id est coctura sententia 307.b
Prodigium uisum 185
Prophthasia 66.b
Procli figmentum 234
Promantis, id est Pythias 519
Promedon 189
Prometheus 541
Proretis utendum 44
Prosodium 578.b
Prudẽtia quadruplex 509
Prudentia informat affectionum uim 89
Prudentia secum non pugnat 95
Prudentis est nonnunquam tacere 557
Psamatha 230
Psolocs & Aeolcæ 496
Psychomantion 520
Ptolemæi Lagi dictũ 291
Ptolemæi Cerauni amici uisum 189.b
Ptolemais mulier musicæ perita 581.b
Publicani turpes 221.b
Publio Rom. claudo quantum sit agri datum 66
Pudor duplex 98
Pudor honestus adolescentulorum 321.503.544
Pudoris immodici detrimenta 369.b
Pudoris efficacia 177.a. 364.b
Puella auri pondere uiua obruta 224
Pueri non cædendi frustra 257
Pueri an sint amatoribus cõmittendi 261
Pueri malè instituti quales tandem 248
Pueri mox pædagogis committendi 246
Pueris ad ludendum ueniam Anaxagoras postulauit 66
Puerorum sepulchrum 489
Pulsus sui rationes nemo ignoret 328.b
Purgandi modi tres 209.b
Purgationis finis 210.b
Purpurati cur non incedant Tribuni, ut cæteri 464
Pyrander saxis obrutus 233
Pyrachmes uictus 218
Pyrrhias bouem immolans 494
Pyrrhiæ 579.b
Pythagoras Tyrrhenus, pagina 430.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pythagoras aucupiũ uetuit, & pisces captos mari restituit 294.b
Pythagoræ ænigmata 204
Pythagorici 533
Pythagorica mandata 479
Pythagoricum dogma 85
Pytheas 301
Pytheæ dictiũ de Demosthenis oratione 20
Pythes 188
Pythei diuitiæ, uxor, auaritia, & exitus 210
Pytheæ de Alexandro facete dictum 24
Pytho Nisibensis 206.b
Python 295

Q

Quaternarius numerus sanctißimus Pythagoreis 109
Quernæ coronæ causa 469
Quies muta 350.b
Quiescendum est 526
Qui se ipse non habet Samũ uult, prouerb. 392
Quintius 319
Quirinalia quare sint stultorum feriæ 468

R

Rapere mutuum 502
Rationis habitus 151.b
Ratio & rota 510
Redde, fœneratorũ uerbum auditu molestum & tẽpestuosum 223.225.b
Reduuia 8.b
Reges Homerici eloquẽtiæ cupidi 18
Reges decorũ discipuli 338.b
Regis gestamen 335.b
Rex magnus 307
Regi sacrificulo cur non liceat magistratum gerere, aut cõcionẽ habere 437
Regulus auicula Æsopi 30
Reip. capessundæ uiæ 25
Remigum mos 348.b
Requies dãda pueris 257
Rerum motiones non sine musica 154
Respectus hostium 296.b
Respiratio 157.b
Retana ancilla 232
Rhadamanthus iudex 541
Rhetorica persuadendi adiutrix, non opifex est existimanda 17
Rhesus 231
Rhetræ Lacedæmoniorũ leges 355
Rheximachidæ 224
Rhiglus à balneo subitò mor

acerbam dedit 260
Soteres 85.b
Soterichus 132
Spartiatæ 14.390
Spartiata seruilibus non inseruit 394
Species captat uiros 114
Speculi usus ibidem
Speculorum species 153
Spes Alexandri 94.b
Spes perniciosa 310.b
Speusippus 281
Sphodrias 33
Spolia dijs oblata cur situ pereant 445
Sponsus cur sponsæ primum tũgitur in tenebris 458
Spurij unde dicti 475
Staticrati responsum 79.b
Statuæ erectæ 67
Statua equestris Cœliæ 180
Stellarum formæ 131.b
Stellarum ordo & situs ibidem
Stellarum uectatio & motus ibidem
Stephanophoria 195.b
Steriles qui fiant tum mulieres, tum uiri 163.b
Steriles cur mulæ 164.b
Stesibrotus 222
Stesichoria nouatio 131
Sthenius 331
Stilpo suorum nihil amisit, capta urbe, & bonis 250.32.b
Stilponis filia impudica 14.b
Stirpes quomodo augescãt, et an sint animãtes 170.b
Stoicum decretum 73.b
Stoicorũ sapiẽs 24.249.b
Stratoclis messis aurea 11
Stratoclis scurrilitas 14
Stratonica Deiotari 200
Stratonicus de exilio 550
Stratonicus Rhodiensiũ luxuriam taxans 357.b
Strobilus 579
Strophæ ibidem
Struthias in Biantem 245.b
Studiosi non parcentes corpori taxantur 329.b
Studiosorum exercitatio 314.b
Studiosorum secundæ mensæ, poëticæ exercitatiunculæ 322.b
Studiosis nõ uacat meminisse uoluptatum 327.b
Stultitia mortẽ lugẽtiũ 533
Stulti 558
Subalaria negocia 271.b

Succẽsere nõ debemus 16.b
Supplicia sceleſtorum cohibent alios 201.b
Sus Mineruam. At iſta Minerua in adulterio deprehenſa 22
Sycophantæ unde dicti, pagina 428.b
Sylla 52.b
Sylla Felix 330
Sylla Iugurthæ à ſe capti imaginem in anulo geſtabat 29
Sylla Mariũ deiecit ibidem
Syllæ de ſole dictum 25
Syllæ fortuna 46.b
Syluia 219
Synorix uenenum bibit 199
Syrannes 273
Syſtema 380.b

T

Tacere quandoque expedit 557
Tacuiſſe, pœnituit Simonidem nunquam: locutum eſſe, ſæpe 305.b
Tænarus 172
Talaſij nomen cur inuocetur in nuptijs 442
Talorum iactus 527
Tanais traiectus 91.b
Tanaquilis aſtutia 162.d. 55.b
Tantali ſaxum 21
Tantalus & Phaëthon cœlo deiecti 561
Tarpeia uirgo 224
Tarpeius mons 239
Tarquinij expulſio 179
Tartarus 540
Taurutius 444
Taxili reſponſum 269
Telamon 220.230
Teleclus 306
Telecrus 369
Telegonus & Prænesta, pagina 240
Teleſterium 378.b
Teleßilis 168
Teleſippam quia libera erat cogi uetabat Alex. 269
Tellen nouas tibias habet 313
Teleſphorus 556
Temperamentum adhibendum eſui carniũ 318.b
Temperatura 121
Temperantia & intemperantia 92
Templum Dianæ in Epheſo 219.b
Tempori quod facias, rationi & ni & eruditioni fac 525
Temporis eſſentia 122.b
Temporis punctum omnia uertens 511
Tempus 122.b
Tẽpus maturat omnia 507
Tenebræ an uiſibiles 153.b
Terentius Probus 318
Teres de ſe ocioſo 276
Tergemini Tegeatæ, et Pheneatæ, & Romani 225
Termino Deo quare nihil quod ſit animatũ ſacrificent Romani 432
Terra, & quæ eius eſſentia, quantaq; ſit 142.b
Terræ figura, ſitus, inclinatio, motio, dimenſio, motus ibidem
Teſſerarum ludus 290
Teuthides 298
Teutones 57.b
Thales Mileſius 106.b
Thamyras 125
Thaſus inſula 554
Theagenis arrogantia 42
Theagenis mors 202
Theanûs dictum 117
Theanûs ornamenta 122
Thearidas 389
Theatro ignota muſica 142
Theatra quãdo cõdita ibidẽ
Thectamenes 389
Thematicos 131
Themis conſultißima 19
Themiſteas 389
Themiſtocles in iactantem ſe Rempub. bene adminiſtraturum 31
Themiſtocles torquẽ aureã ab hoſte noluit 35
Themiſtocles ſe nihil ſplendidum geßiſſe, quòd inuidum nõ haberet, dixit 158
Themiſtocles exul 557.b
Themiſtocles ex Pauſaniæ familiaritate cõtraxit, pditionis ſuſpitionem 291.b
Themiſtoclis inſomnia ob Miltiadis trophæa 15
Themiſtoclis apophthegmata 295
Themiſtoclis notitia utilis Græciæ 350.b
Theocriti philoſophi in Alexandrum dictũ, & in Antigonũ, & in Eutropionẽ coquorum magiſtrũ 261
Theodori ad Lyſimachum liberum reſponſum 558
Theopompus 306.369.d. 33.b

Theopompi de Spartana salute sententia proba. 56.
Θεωρίη 142
Therycion 390
Therpander musicus 126
Thersitæ deformitatē corporis q̄ animi pluribus depinxit Homerus uersibus 158
Theseī templum 559
Thesmothetæ & Archontes 89.b
Thespesius 208.213.b
Θώλιος. 488.b
Thraces uxores uerberāt in Orphei uindictam 194.b
Thuria & Naxus 551
Thyiades 179
Thymocles 209
Tiberij Cæsaris dictū 328.b
Tiberius in Capreis 551
Tibias ablegat Agathon è conuiuio 361.b
Tibicen Tenæ ædem ne intret 491
Tibicines in uestitu mulicbri Idibus Ianuarijs cur urbem lustrabant 453
Tigranes 57.b
Timoclia 202
Timoleo Corinthius 33
Timotheus 576.b
Titus in balneo extinctus 301.b
Tonitrua & turbines 139.b
Toredorax 201
Trabes in cœlo 138
Tragici 133
Tragœdia 474.b
Trapezitæ 532
Treres Ioniā inuasit 70
Tribunal Stratocli & Dromoclidi messis æstimatum est aurea 11
Trite 135
Triumphantis ossa in urbem deferre, & cur triūphātes deprecentur Consules, ne conuiuio adsint 464
Troades claræ 163
Troscius 220
Tubarum usus 142
Tullus Hostilius 218
Turunda 50.b
Tuscium Samnij opp. 238
Tyliphus pastor 237
Tynnichus filij mortē fortiter tulit 395
Typhones 92.b
Tyrannis genitrix iniuriæ 85.b
Tyranni magni boni principes effecti 183.b

Tyrannorum xxx electio 176.b
Tyrannis nulla fides habēda 66
Tyrrhenæ claræ 172
Tyrtæus 136.397

V

Vacuum nuncubi sit 122.b
Valeria Valerij filia 229
Valeria Publicolæ 179
Valerius Torquatus 218 223
Valetudo bona est bonū diuinum 307.b
Valetudo prospera & aduersa, atq; senectus 171.b
Valetudinis bonæ tuendæ ratio 398
Valetudini conducentiū memorabile dictū 314.b
Varietas in oratione 252.b
Vatinius 334
Vegetatio 171.b
Veneri interdicta bella 24.b
Venia interdum danda pueris 265
Veneralia 449
Venter caret auribus 317.b
Venti 141.b
Venti & imbrium prognostica ex coruo, gallo, sue, autore Democrito 312
Venus Dexiereontis 502
Venus: & quòd Venerem Hippolytus salutet procul 341.b
Vepolitanus 202
Verba non sunt rebus meliora 313
Verecundia uitiosa 363.b
Verecundia moderata innocentiæ custos ibidem
Veritatem sequere 261
Veritatis oratio simplex 266.b
Vestales incesti reæ cur uiuæ defodiuntur 471
Vestes beluis inuisæ 120
Vestes albæ cur in luctu mulierum 439
Vestium raptoribus ignouit tyrannus 279
Viaticum senibus modestia 255
Vicinus bonus 297
Victoria Cadmea 258
Vindicare tardè, lōgè est melius, quàm inconsultè. pagina 186.b
Vindicta numinis sera 175.b
Vini effundendi ratio in Veneralibus

neralibus 449
Vini laus 318.b
Vir dominetur uxori 110
Vir malus est qui malũ laudat 381.b
Viri nõ irritent uxores 119
Viri uitia in uxorem redundant 112
Viri non cum alijs mulieribus uersentur 119
Vires corporis facilè contabescunt 230
Virgulæ cœlestes 141.b
Virginum uiduarumq; nubendi tempus 475
Virginalia 578.b
Virtus quid 84
Virtus a materia semota 83
Virtus sola beat 250
Virtus triplex 104
Virtus quid significet 492.b
Virtutum et morũ profectus argumenta 523.b
Virtuti obijci solita 42.b
Virtutis elementa 263
Virtutis fanum 54.b
Virtutis laus 397.b
Virtutis lux 351.b
Visa an sint uera 150.b
Visus, & quî fiat 152.b
Vita triplex 254
Vita, est æquiuocum 488.b
Vita optima quæ uirtute prædita, non quæ longissima 522
Vita est pœna 529
Vita est punctum 535
Vita est deorum depositum homini datum 532
Vita non uita, sed labor censeatur 538
Vita sedentaria marcorẽ conciliat 350.b
Vitanda in ridiculis 21
Vitæ humanæ spacium apud deum uix est momentum 188.b
Vitæ ratio exacta inutilis 312.b
Vitia uirtutis specie fucata, magis nocent 363.b
Vitia hamis similia 156
Vitium ubi unum, ibi plura 192.b
Vitio omni careat, qui alios reprehendit 298
Vlciscendi modus 180.b
Vlysses è caprifico pendens 33.b
Vlysis ædes iuxta Leucipidarum templum 501

Vltionem de inimico negligere est humanũ 294.b
Vltione quando utendum 403.b
Vngi sub dio quare Flamini diali nefas 446
Vniuersum an unum 112.b
Vocabula in seditione mutata 243.b
Vocabulorũ usus rebus subiectis inseruiat 488.b
Voconius 335
Voluptates superare rationem, sapientis est 254
Voluptates & appetentiæ unde fiant animalibus 171.b
Voluptates ab animo in corpus scatentes pernicioßissimæ 304
Vomitus & alui subductiones uitandæ 322.b
Vortices cœlestes 139.b
Vox an sit incorporea, & quomodo fiat Echo 156.b
Vox, animi index 70.b
Vocis definitio 123
Vocis commodum exercitium 315.b
Vsuram lex uetans 219.b
Vtilitas ex cõniciando 298
Vtilitas nulla tardæ uindictæ 178.b
Vtilitatis ex inimicis capiendæ ratio 293
Vulcanus 55
Vulpes Aesopica 344.b
Vultur in augurio 469
Vxor freno regenda 110.
Vxor mariti parentes suis præferat 118
Vxor uirum ne irritet 120
Vxor læta sit corã uiro 115
Vxor ne sit amicæ similis 116
Vxor pareat ibidem
Vxor uiro loquẽte sileat, & silente loquatur 118
Vxor detractrices caueat 119
Vxor uiri moribus consonet 111
Vxor maritũ imitetur 112
Vxor splendeat uiro, non alijs 110
Vxor si premat, ne feras 114
Vxor non oculis aut digitis capienda, & cur speculo utatur 114
Vxor non habeat amicos proprios, sed cũ uiro cõmunes 112

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vxoris ducendæ ratio 98
Vxoris Aristotimi suspendium 186
Vxori opus est gratijs 115
Vxori est cõuiuendum 111
Vxori uir domunetur 110
Vxori domi manendũ 116
Vxorẽ ducãt lasciui, et qualis sit uxor ducenda 266
Vxorẽ ducentium comæ cur hasta discriminentur 468
Vxorẽ repudiare quare non liceat 451
Vxorẽ cur Maio mense non ducant 467
Vxores sunt ferendæ 108
Vxores Romanæ cur nec molant, nec coquant 467

X

Xantippe Socratis uxor 293.b
Xenænetus 22
Xenocrates poëta 130
Xenocratis de disciplinis sententia 105
Xenocratis de philosophantibus sententia 95
Xenocratis in contemnenda pecunia uirtus 75.b
Xenocrati munus accipere recusanti quid responsum sit 290
Xenocritus 207
Xenophanes pauper 278
Xenophanis Lagi ad Hermoneũ scitè dictũ 370.b 8.b
Xenophon 59
Xenophon de principe
Xenophon Socraticus de filij obitu 538
Xenophontis dictum 293
Xerxes & Agesilaus 214
Xerxis stoliditas 68
Xerxis probè dicta & facta 274
Xerxis ad montem epistola 393.b

Z

Zelia colonia 174
Zeno 293
Zeno cithara motus 98
Zenonis in rerum amissione constantia 15
Zenonis resp. 67.b
Zenonis egregiè dictum 353.a.377.b
Zepoëthus rex 501
Zeuxidamus 390
Zoilus sacerdos 490
Zopyrus, & de eo Darij dictum 227.274

FINIS.

NICOLAI SAGVNDINI AD CLARISS. IVRE consultum, Patricium Venetum, M. Donatum, in Plutarchi de Ciuili institutione, traductionem Præfatio.

GVM plerisq; alijs humanitatem, eruditionem, animi magnitudinem tui, præstantißime Marce, intelligere potui, tum uerò hoc maximè, quòd te uehementi amore Græcè dicendi sæpenumero flagrare animaduerti. Eius enim te rei non propterea cupidum esse sentio, quòd ostentationis gloriolæue cuiuspiã studio rapiaris, quippe cuius spectata grauitas sapiẽterq; institutæ ratio uitæ, eiusce modi te uacare affectionibus persuadere mihi facilè potest: neq; quòd Græca facundia dictionisue peregrino lepore paulò altiuscule teipsum imbuere uelis, tanquam ad Athenienses quãdoq; aut Lacedæmonios pro suggesto sis habiturus orationem: quin ut Latinam eloquentiam, qua plurimum uales, ueluti cõdimentis quibusdam aspergas, remq; satis per se comptam, copiosam, luculentam, suauem, pro uirili parte iucundiorem, distinctiorem, locupletiorẽ, ornatioremq; reddere possis. Ad hæc ut de doctis tum præsentis, tum futuræ ætatis hominibus optimè promeritus uideare, qui quæ apud Græcos digna nactus esses, quibus in Latinum uertendis operam impenderes, sedulò hæc Latina efficeres. Etenim re uera, si liberè loqui licet, splendescit magis nescio quomodo, atq; liquidius eluceſcit, & tanquam peregrinarum adiectione gemmarum & mercium conditior

tior & illustrior Latina oratio fit, ubi Græcanicæ supellectilis quippiam literatè, aptè, peritè demum intertexueris. Hanc ego humanitatem egregiamq; uoluntatem tuã diu mecum summopere admiratus, dignissimam continuò arbitratus sum, quam ingenti commendatione & laude eruditissimus quisq; omni studio prosequatur. Quid enim quæso præclarius, quid præstabilius homini contingere potest, quàm quæ honesta natura sunt, studiosè expetere? quid fructuosius, quid uitæ conducibilius, quàm quæ semel expetẽda delegeris, hæc ut tibi compares, elaborare atq; adniti? Nempe ut ijs potius ad commodum uti queas. Quid deniq; liberalius, quid cõmunius, quàm ea in usum conferre hominum, & quidem ultro atq; gratuitò, quibus adipiscendis ipse diu multumq; insudaris, diligentiã, studium, operam exhibueris, uigilias quamplurimas egeris, sumptus, necesse fuit, pertuleris? Enimuero immortale nomen, & pẽnè diuinos honores his rationibus plerosque mortalium consecutos accepimus, propterea quòd suapte industria, felicitate quadam ingenij freti, optimarum inuentores artium atq; excultores quum extitissent, his nõ contenti, ut qui non modò se sibi, uerum alijs quoque, atqueadeo cuncto mortalium generi natos arbitrarẽtur, sua inuenta, suorum quoque laborum & industriæ fructus, citra omnem inuidiam satis expolitè atq; limatè ad posteritatis utilitatem literis & memoriæ tradere destinarant. Hos tu Marce optime imitaris, horum instituta generosè secutus uirtutem in primis adamauisti, humanitatem & bonas artes amplexus es, tale tibi sumpsisti negocium, unde clarissimo tuo nomini immortalis gloria quæreretur, & bene de alijs promerendi facultas ubertim tibi suppeditari queat. Gratulor itaque tibi, quem non ad fa-

stum in-

stum ingens splendor natalium rapuit, non ad superbiam amplitudo magnitudoq; patriæ traxit, non deniq; fortunæ & opes & id genus pernitiosæ illecebræ ad uoluptates & luxum pellicere potuere, quando præsertim plerosq; huc occæcatos ferri atq; præcipites ruere quotidie cernere licet: sed uirtus, sed probitas, sed doctrina & uitæ optima ratio ad humanitatem, comitatem, facilitatem præclarè instituit & perpulchrè ornauit. Id quod hominum grauissimorum sententia, opulentissimum patrimonium, opimus & fructuosissimus ager, nobilitatis firmissima sedes, ueræ ac solidæ gloriæ certissimum domicilium, tutissimum uitæ ualidissimumq; præsidium semper habitum est, atque omnium quæ homini contingere possint antiquissimum & pulcherrimum. Et rectè quidẽ: uirtus enim una res omnium est, ad quam nati præcipue sumus, quæ non temeritate & casu, non cæcis affectibus, non effreni obsequio appetitus comparari potest, sed ratione, uoluntate, consilioq; expetita & delecta diligentia, deinceps studio, assidua opera, actionibus perficitur nostris, nec alieno impulsu, necessitate'ue ulla adhibita, sed uoluntate libera, ductu atq; iudicio nostro finem assequitur. Hæc semel rectè possessa & parta, actis iam altè radicibus, ipsa sui custos uigilantissimus est, ipsa se suis tuetur artibus, suis armis repugnat, & ab omni iniuria se fortiter uindicat, ægritudinem ab animis amolitur, culpa uacat, securitate gaudet, se ipsa demum contenta uiuit & uiget nũquam interitura, nusquam offensura, nullibi detrimentum facturа. Suis etenim innixa uiribus, nullis machinamentis fortunæ dimouetur loco, nullis improbitatis tormentis labefactatur, nullis inuidiæ morsibus læditur. Ego uerò sortem uehementer indoleo nostram, quæ ita tulisse uidetur,

ut per occupationes priuatas & publicas tuas minus tibi licuerit Græcis literis operam dare, atq; cognitionē eius rei reliquæ eruditioni tuæ, uti cumulum quendam, & adscititium ornamentum apponere. Et hæc hactenus. Cæterum ut de me aliquid dicam, fateor uir præstantißime, humanitatem erga me, atq; beneuolentiam tuam multiplici significatione rerū recognouisse. Illud uerò non iā odore quodam, & umbratis sum uestigijs assecutus, quin luculenter perspectum, exploratum, compertum habeo, haud stetisse per te, quo minus honore & cōmodis auctus, reliquum quicquid supereſt uitæ in tranquillo locare, atq; securè degere possem. Quod etsi tantum tibi debitū soluere, gratiamq; referre minime possum, soluendo enim non sum, tentare tamen aliquid in gratiā tuam uolui, quo meæ in te uoluntatis testimonium & haud ingrati animi documentum daretur, ea in re potißimum in qua non ægre nimis operam ipse ponere possem, & eandem tibi fore iucundam existimarem. Inchoaui proinde opus, absoluiq;, hortantibus maximè, & mihi mea sponte currenti calcaria propemodum adigētibus, Phœbo Capella, Marcoq; Aurelio, uiris probitate, eruditione, natura egregijs, & ut mihi amore, consuetudine, familiaritate, & penè necessitudine quadam arctè deuinctis, ita nomini tuo haud mediocriter deditis, atq; honoris & famæ obseruātißimis tuæ. Illum ergo librum Plutarchi, uiri profecto illius grauißimi, qui omni ratione instituere cōformareq; eum uidetur, qui rempublicam administrandam capessere animo destinarit, atq; in ciuitate futurum se principem, & patriæ salutarem ciuem exoptet, hunc inquam librum Latinum de Græco tuo nomini efficiundum suscepi. Quē quidem idcirco mihi potißimum, in quo traducendo consumerē operam, deli-

ram, deligendum existimaui, cum quòd ad hanc diē, quod scire possim, in Latinum uertendum aggressus est nemo, tum uerò quòd mirum in modum rem eiusmodi tibi posse accōmodari sum arbitratus. Ea enim in republica natus es, quæ magnitudine, fortunis, pulchritudine, uiribus, religione, fide, iustitia, opibus, imperij ditionisq; terra & mari amplitudine, antiquitate, autoritate, splendore, rerū gestarum gloria, fortißimis, ac præstantißimis ciuibus, optimis temperamentis, & legibus ita pollet, adeò nobilis est & illustris, ut non modò cæteris huius seculi ciuitatibus sine ulla controuersia antecellere uideatur, & iure præferri possit, uerumetiā cum ijs quas antiquitas tulisse traditur, quæq; rerū longè lateq; diu potitæ, pace & bello, domi & foris floruisse commemorantur, omnibus rebus, omni cōmendationis & laudis genere strenuè cōtendere, atq; ut aiunt, suo Marte certare possit. Cæterū in ea uirtute, probitate, doctrina, prudentia uires: ea integritate, sapientia, fide, consilio, abstinēter, grauiter, innocēter, per sanctè, tum legatus tum prætor dubijs temporibus, atque difficillimis rebus rempublicam foris gessisti: talem in magistratibus & honoribus, qui tibi frequentißimè deferuntur, te domi iam ostendisti, atq; in dies magis ostendis: ita temperanter, tam lautè, sic frugaliter & modestè rem domesticam, & familiarem tueris, ut meritò iam iudicio omniū, autoritate, existimatione, gratia in ciuitate existas, & plurimum ualeas, magisq; quotidie te ualiturum superis approbantibus confidendum sit. Tibi itaque uiro optimo, & in florentißima republica clarißimo ciui, opus hoc maximè conuenire, atq; tuo nomini oportere dicari putaui. Hoc loco de grauitate Plutarchi, ipsius eruditione, existimatione, prudentia, plurimarum & maximarum

rerum scientia, deq; in omni doctrinarum genere singulari quadam cognitione, dicendum mihi meritò arbitrarer, ni id omnino certissimis rationibus superuacaneum futurum animo cernerem. Ita enim fama nomenq; uiri illius percrebuit, tam per eruditorum omnium ora uersatur & uolitat, adeò locus omnibus scripta eius admirabiliter celebrantur, ut Græciæ iandiu fines transgressa, maria percurrerint, uniuersam Italiam occuparint, nemoq; inter doctos, & humanitatis cultores sit, quem nomen, quẽ grauitas, quem rerum ubertas, quem dicendi copia, quanta in illo fuerit, fugiat. Nam etsi Græcus homo Græcè scripta edidit sua, usqueadeo tamen gustata Italos delectarũt, ut omnes qui Græcè sciunt, pro ingenio & facultate dicendi quisq; scriptis eius traducendis, eruditionis suæ & quatenus Græcè ualent periculum facere certatim inducant animum: & ut semel dixerim, is paulò indoctior, & penè insulsior inter doctos & eloquentes haberi solet, qui Plutarchi scripta ignorare omnino uidetur. Postremò opus ipsum quod Latinum utcunque factum tuo nomini dedicaui, laudibus impræsentiarum efferre, & siue totius materiem operis unum in argumentum redigere, seu membratim per partes diuidere, nequaquam consilium fuit. In manibus enim est, quod statim euoluas licet, nec legas modò, uerum quoq; perlegas, atq; identidem lectites: unde qua sapientia, quo consilio, quo rerum ordine & iudicio, quibus institutis & rationibus totum hoc negocium cõtexatur, animo percipere queas, & ut ita dixerim, singulis diligenter expensis, quo rerum pondere, qua uerborum potestate & ui, qua dicendi serie explicata omnia sint, quanti deniq; facienda, haud difficulter considerare. Equidem qua fide, qua diligentia, quibus rationibus potui, res

Plutarchi laus.

tui, res ipsas seuerè secutus, ueritatem sententiarum syncerè seruaui. Cæterum uerbis ipsis eatenus indulgendum inseruiẽdumq; censui, quatenus cõmoditas linguæ & tenor Latinè dicendi permittere uisus est. Saluis enim rebus uerba ipsa quandoq; mutare & paululum inuertere, quo dicendi contextu & orationis æquabili filo religioni aurium modicè mos gereretur, non ab re neq; alienum putaui: quando præsertim uel maiorũ exemplo tutò id fieri posse, non nisi rudis rerum & imperitus, aut nimium pertinax ire inficias potest: modò si quæ singillatim uertendo numero reddere ut recepta sunt nequeas, usu scilicet repugnante uerborũ, & grumulos eiusmodi & salebras æquore & planitie detractante orationis, ni dein atque pondere referendo, rebus ipsis integrè ratione & uia facias satis. Nec arbitror ullum tam iniquum rerum æstimatorem, tamq; acerbum, atq; inexorabilem fore iudicem, qui utriusq; linguæ peritus absurdum hoc facinus audax'ue & toleratu indignum negocium dicere possit, negetq; fieri oportere, ubi per nominum uertendorum asperitatem, si secus res pertractare uelis, duriter & inepte cõmitti oratio & penitus inconcinnè cõponi uideatur. Vale.

PLVTARCHVS CHAERONEVS TRAIANO IMPERATORI SAL.

MODESTIAM tuam noueram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia mereri studuisti: quo quidē tanto dignior iudicaris, quanto à crimine ambitionis uideris esse remotior. Tuæ itaq; uirtuti congratulor, & fortunæ meæ: si tamen rectè gesseris quem probè meruisti: alioqui te periculis, & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito: quum & ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Seneca Neronis sui culpa detrahentium linguis carpitur: adolescentum suorum temeritas in Quintilianum refunditur: & Socrates in pupillum suum clementior fuisse culpatur. Tu uerò quidquis rectissimè geres, si non recesseris à teipso: si primum te composueris, si omnia disposueris ad uirtutem, rectè tibi procedent uniuersa. Politicæ cōstitutionis, imo rumq; uires tibi descripsi, cui si obtempe peras, Plutarchum uiuendi habes au torē: Alioqui præsentem epistolam testem inuoco, quòd in pernicie imperij non pergis autore Plutarcho.

Vale.

PLVTARCHI CHAERONEI POLITICORVM, SEV, DE CIuili institutione, opus, ad Traianum Imperatorem.

NICOLAO SAGVNDINO INTERPRETE.

QVAM ad rem poëticum illud accōmodari potest, ò Menemache, Ex Achæis nemo reprehēdet uerba, nec obloquetur, uerùm res exitum inuenit nullum: haud absurdè ijs quoque Philosophis mihi conuenire uidetur, qui, ut aliquam rem adeas, adhortantur quidem: sed nihil ipsi suggerere, nullam'ue rationem, quonam pacto id fieri oporteat, afferre uidentur. Sanè non illis absimiles, qui lucernæ, ut ardeat, lychnum emungunt, & manu cōtrectant, cæterum olei nihil omnino infundunt. Equidem te iampridem ratione atque cōsilio uideo ad rem publicam capessendam impulsum, uolentem pro domestica nobilitate, & gloria, in rebus patriæ cum dignitate uersari, atque iuxtà & uerborum oratorem, & rerum actorem effici. Verum quòd per ætatem tibi philosophiæ nauare operam minus licuit, neque in aperto & sub dio, ut aiunt, negotijs te publicis, atque rei administratione ciuilis exercere

quiuisti,& facta conspicere, unde non tam oratione & uerbis,quam ipsis rebus exempla capere posses: proinde petis à me,ut tibi præcepta dem aliqua, quæ ad Rempublicam administrandam,atque dignitatem tuendam attineant. Id quicquid est operæ, tibi negare periniquum equidem duxi: opus uerò ipsum diligentia & desiderio tuo,uoluntate item erga te mea dignum ut euaderet,uehementer optaui. Demum,ut tu poposcisti, uarietate sum exemplorum paulò accuratius usus: quippe qui ex industria multa undique congesi. Principio itaq; uoluntas & propositum ipsum Reipublicæ capessendæ ueluti fundamentum aliquod firmum atque prænalidum faciendum est,ut ratione id atque iudicio profectum, non trepidationem animo, sollicitudinem ue injicere uideatur, æquè ac si res tanta inanis studio gloriæ, contentione ue ulla, postremò cessatione & ocij gratia susceptu uideretur. Nam ut quibus domi nil boni usui est, libenter hi foris degunt, atque nullo rerum usu maximam partem temporis in foro absumunt,sic quoque nonnulli quòd sibi nihil operæ precium domi priuatimq; exhibetur curandum, publicis se propterea implicare negotijs pergunt,non secus atque si terendi ocij gratia sibi duntaxat eò diuertendum esset. Plerique alij forte fortuna Rempublicam attigere,qui mox fastidio & rerum satietate affecti, inde auersi ad ocium se à negotio uindicare percupierunt: quod facilè sibi efficere nequiuerunt,ut quibus idem accidit, quod ijs qui gestationis, ac paulum exercendi sui causa nauem ingressi, leuem futuram ac facilem nauigationem rati, porrò tempestate subita in pelagus tracti, terram uersus identidem spectant: qui etsi facti à se pœnitet, at nihilominus inuiti & anxij nausea uertigineq; affecti manent in naui. Et hos

hos candida in tranquillitate pulchellæ nauis cursu fulcandi maris per iniuriam numinis cupido uana incessit. Hi mihi uidentur cum pœnitentia facti, tum uerò mœrore animi maximæ rei detrahere, quando aut assequendæ gloriæ spe adducti, postea in ignominiam incidunt, aut terrori se alijs futuros opum ingenti ui rati, demum periculosis ipsi negotijs impliciti perturbantur. Enimuero qui ut sibi maximè conuenit, & rationis & consilij ductu pulcherrimum hoc Reipublicæ gubernandæ negotium capessunt, nulla hos harum rerum à proposito absterrere potest, nec pœnitet, nec piget cœptorum,ut retro cogitatione cogantur respicere. Nec enim tanquam ad nundinas & lucella eundum est ijs,qui sibi gubernacula Reipublicæ committi uolunt. Quemadmodum Stratoclem illum & Dromoclidem accepimus solitos sese mutuò ad messem auream inuitare: sic enim ioco tribunal & curiam appellare consueuerunt. Neq; perturbatione commotum animi, atque affectu impulsum, in administrationem Reipublicæ uadere quenquam oportet, subitario utique impetu ueluti numine raptum. Quemadmodum C. Graccho usuueniisse accepimus,qui sub recentem fratris calamitatem à muneribus Reipublicæ sese abdicauit, mox contumelia maledictisq; percitus, aliquorum inflammatus ira, in munus publicum se rursus recepit. Non multò pòst negotiorum fastidio, & honorum facietate affectus, eiusce modi onus & sarcinam ponere cupiebat, quietis & ocij inops: cæterum id consequi ob magnitudinem contractæ iam potentiæ haud potuit, ut inde ad extremum perierit. Qui uerò æmulatione ambitioneq; ducti, fingere se, atque histrionum in morem ad spectaculum componere pergunt, hos rerum suarum tædiũ capiat demum necesse est: Quãdoquidem

doquidem aut ijs, quibus imperitare cupiunt, seruire coguntur: aut hos, quibus obsequi maximè & placere uolunt, offendunt. Mihi quidem uidetur, eos cœpti mox pœnitere, & animo perturbari, qui se in aliquem puteum temere & ab re demittūt: ijs uerò rectè euenire, ut & rebus semper modicè atque modestè utantur, & nihil contingat, quod ulla eos molestia & difficultate implicitos habeat, qui freti consilio per ocium non præcipites, sed ex instituto eò descendunt: quippe qui actionum omnium, atq; uitæ totius finem honestum sibi constituunt & proponunt, nihil præterea aliud. Hac uoluntate, his artibus, hoc firmo incommutabiliq; innixum iudicio, uertere se inde ad mores ciuium cognoscendos oportet, atque eorum penitus exploranda atque pertractanda ingenia. Quæ res temperamentis optimis atque rationibus constituta eiusmodi est, ut appareat plurimum, ualeatq; longè necesse sit. Etenim statim mores & ingenia conari mutare populi, nouisq; ea legibus moderari extemplo uelle, non modò non facilè, uerum ne tutum quidem omnino est, ut res quæ multo tempore, & ingentibus uiribus indiget. Proinde quemadmodum uini usus initio quidem arbitrio atque lege bibentis regitur, ubi uerò sensim ac placidè caluefecerit hominem, immutare continuò incipit, atque nouis imbuere moribus, hac ratione decet uirum ciuilem, & Rempublicam tractare incipientem, tandiu ciuium moribus consentaneè uiuere, & se ad eorum naturam accommodare, atque scitè coniectura sectari ea & assequi, quibus populus soleat delectari, & quibus adduci facilè, donec opinione uirtutis, & fide iam comparata, autoritate inniti possit. Varij enim sunt populorum mores, uaria ciuitatum ingenia. Athenien-

sis popu

sis populus facilè concitatur ad iram, at idem facilè ad misericordiam flectitur: celeriter suspicari, quam tardè & leniter edoceri mauult: ut ad opem ferendam inglo-rijs & humilibus promptior est, ita iocos atque ridicula libenter amplectitur. Eum coram si laudes, delectaeur: hunc ipsum si reprehendas, grauatè non fert. Formūdabilis est uel principibus: idem debinc humanus, & clemens etiam hostibus. Alia Carthaginensium est natura, alia morum & uitæ ratio. Acerbi sunt, tristes, facile magistratibus parent, ijdem subditis sunt molesti & graues, ignaui aduersus pericula, immanes & truces ira perciti, perstant pertinaciter in sententijs, ad iocos & urbanitatem duriores, quàm quos ulla ridicula mollire gratia possis. Iis nunquam probari posset illud Leonis, qui iam coacto senatu, dijs se inquit rem sacram feciſſe, hospites lautè acceptum, precari perinde senatum in præsens dimitti, atque in diem insequentem reijci. Id risu Athenienses excipientes continuò cœtum soluerunt. Multo minus Alcibiadem tolerandum censuissent Carthaginenses, cuius, dum sententiam frequenti senatu de re seria dicit, cothurnix euolauit è sinu. Eam Athenienses auiculam studiosè per curiam cursitantes aucupati, Alcibiadi reddiderunt. Vtrunque Carthaginenses necassent, utputa corruptos delitijs, atque per lasciuiam molliter contumeliantes. Quandoquidem Hannoni, uiro insigni, quòd leonis in expeditione opera usus esset ad utensilia conuectanda, insimulantes affectatæ tyrannidis, pœnam exilij irrogarunt. E quidem arbitror, ne Thebanos quidem destituros fuisse, quo minus hostium literæ, quæ in eorum manus uenissent, resignatæ perlegerentur. Atqui Philippi tabellarijs captis, qui literas ad Olympiadem datas de-

ferrent

ferrent, Athenienſes non reſignarunt, mariti peregrinantis arcanã uxoriã comitatem detegẽdam omnino atq; referandam minimè arbitrati. Rurſus mihi non uidentur laturi fuiſſe Athenienſes fiduciam atq; libertatẽ Epaminondæ, cui dies dicta quum eſſet, cauſam ad populum dicere noluit: quin è theatro per cõcionem incedens, ſeſe in gymnaſium omnibus ſpectantibus contulit. Multo minus Spartiatas æquanimiter accepturos fuiſſe puto Stratoclis ſcurrilitatẽ, atqueadeo inſolentiã: Is enim perinde ac re optimè geſta uictoriæ partæ nunciũ accepiſſet, ſupplicatio dijs immortalibus ut publicè decerneretur retulit perſuaſitq;. Non multo pòſt cladis acceptæ certo nuncio, proq; eo, illius factũ populo, ut par erat, indignè ferente, ſingulos rogitabat, num iacturæ quippiam feciſſent, quòd totum triduũ per ſe illa fuiſſent lætitia & opinione affecti. Enimuero aulici, & ut ſic dicã, cortales adulatores, uelut aucupes uoces imitãtur auicularũ, cæterisq; rebus ſimiles ſe fingunt, nempe ut hiſce artibus regibus ſe maximè inſinuent atq; cõmendent. Sanè ciuem, qui Rempublicam rectè adminiſtrare uelit, mores & uias uulgi effingere atq; imitari minimè decet, ſcire dũtaxat ac probè tenere, qua quiſque maximè ratione capi adduciq; poſſit. Ignoratio enim eorũ, quibus cum tibi uiuendũ eſt, ut opinione & ſpe fruſtreris, ac cœptis ſæpenumero decidas, ita cauſa eſt: quod non minus in ciuitatibus, quàm in amicitijs regũ uſu uenit. Mores proinde ciuũ tum leniter atque ſcitè tractandos, moderãdosq;, meliores efficiendos aggredi debes, quum tibi iam uires ſunt, & autoritas cõparata apparet: Vulgi enim & multitudinis rationes uiuẽdi derepẽte immutare, atq; aliorſum traducere difficile nimirum & nimis arduũ eſt. Cæterũ teipſum ita excolere, ita

mores

mores exornare tuos, ſic uitam omnẽ tuam tueri debes, ut qui in aperto medioq; ſpectaculo, ante omnium oculos uitã acturus ſis, nemine celaturus. Quòd ſi tibi nõ tam'facile forte fuerit uniuerſa omnino, ſi quæ ſunt, animi exterorum uitia, ac penitus emaculare, illa certe tibi tollẽda, minuenda'uc ſunt, quæ apparẽt maximè, primoq; conſpectu occurrunt. Auditui & memoriæ proditum eſt, Themiſtoclem, ut animũ ad Rempub. capeſſendã appulit, compotationibus comeſſationibusq; primo abſtinuiſſe, ſecundo loco uigilijs ſe ſollicitum & ſobrietati dediſſe, amicis dicere ſolitũ, quò minus dormiret, Miltiadæ ſollicitari trophæo. Pericles item rationẽ uiuendi, & cultum corporis traditur immutaſſe, inceſſu tardo, orationeq; leni uſus eſt, compoſitũ os, & uultum ſibi conſtantẽ ſolitus præ ſe ferre: poſtremò manu contenta intra amiculũ, unam omnino uſurpaſſe uiam quæ ad forum & curiam duceret: Non enim cuiuſuis eſt, neq; tractatu & factu facile, uulgus & multitudinem ſalutaribus allici rationibus, & in officio contineri. Sat erit, ſi uelut fera natura ſuſpicioſa & uaria, uocem atque aſpectum rectoris minimè reformidans, regimen & frenum admittit. Vt hæc igitur præclarè curare optimum eſt, ita quoq; uitam ſibi quiſq; & mores pulcherrimè excolere debet, quo prorſus omni nota uituperationeq; careat. Quando præſertim eorum qui Reipublicæ præſunt, non modò ſingula uerba, nec res tantum publicitus geſtæ animaduerti notariq; ſolent, ſed uirtutis quoque, ioci ſimul & ſeria quæque, domus, ipſa familia, uxor, cubile, curioſius conquiruntur. Quid hoc loco commemorare Alcibiadem attinet? quem circa rem communem adminiſtrandam ſolertiſſimum habitum, atque inuictum compertum Imperatorẽ, uiuẽdi licẽtia atq;

animi

animi ferocia perdidit, cuius cætera uirtus ob sumptus immoderationem, & uitæ luxuriã, parum Reipublicæ uisa est profuisse: Quando Athenienses Cimoni uinum, populus Romanus Scipioni somnolentiam soliti exprobrare traduntur: quippe qui nihil præterea aliud, quod illis obiectari posset, haberent. Verũ in Cn. Pompeium inimicos cauillatos accepimus, unico digito caput scalpere deprehensum. Quemadmodum enim indignius ferri, maioriq; haberi solent dedecori uerrucæ, ficus ue in facie, quàm notæ, næui, atque mutilationes in reliquo corpore, sic etiam ob eam, quæ plerosq; omnes de principatu atq; ciuilibus magistratibus tenet, opinionem, utpote de re magna atq; dignissima, quæ omni facinore atq; temeritate uacare debeat, minima quæq; principum, & Rempub. administrantium errata notantur, & pro magnis habentur. Eam ob rem Iulius Drusus Publicola haud immerito claruit, quòd domus eius ex pluribus partibus uicinis conspicua quum pateret, & quinq; eam talentorum omnino sumptu faber quidam euersurum atq; cõmodius directurum reciperet: Decem, inquit, dabo, si totam ita exponas conspicuam, ut uniuersi ciues, nedum uicini, perspicere queant, qua domi meæ ratione uiuatur. Nempe uir erat modestus ac frugi, nec ei forte eiusce modi domus perspicuitate opus erat, qui uirtutis egregiæ specimen, & præclaræ uitæ documenta eruditissima quotidie foris dabat. Vulgus igitur mores, uitã, actiones, cõsilia omnia eorum qui Reipublicæ præsunt, curiosissimè rimari atq; introspicere solet, etiãsi hoc altè admodũ obtegas, & tanquã uelamentis obnubas & abdas. Nec minus hoc accidere amat ex priuatis, quàm ex pũblicis studijs. Quo fit ut ijdem alium ament & admirẽtur, aliũ oderint et pro nihilo ducãt. Cur igitur, dicet quispiam

quispiam, sceleratorum quoq;, nequiterq; uiuentium opera plerunq; ciuitates utuntur? Propterea q; sæpe mulieres prægnantes humum lapillosq;, nausea uerò affecti salsuginem, & id genus edulia persequuntur, sanè non multo pòst respuunt, atq; ab illis abhorrent: haud absimili ratione ob luxuriam & delitias populus seu inopia meliorum rectorum quibusuis utitur, mox eos abominatus negligit & minimi facit, eaq; in se dici sæpenumero delectatur, cuiusmodi sunt quæ Comicus populum usurpantem inducit: Apprehende, apprehende manum quàm celerrimè meam, Agyrium decretorã Imperatorem: & rursus quærentem peluim ac pennam scelus euomat. dicentẽ deniq;, officit mihi linteum ad tribunal cunti, depascitur fœtulentum caput morbus teterrimus. At populus Romanus pollicẽte nescio quid Carbone, & iurisiurandi adiectione id adfirmante, fore adiurauit contrà, asseuerauitq;, fidẽ se illi non habiturũ. Lacedæmone uerò Demosthenes quidam in senatu autor sententiæ fuit satis salutaris, & rei qua de agebatur idoneæ. Ad quam repudiandam pro ingnitate autoris uisus est senatus propensior. Proindè Ephori alium ex senioribus delegerunt, cui id negotij sententiæ dicendæ demandauerunt, tanquã ex uase obsoleto & sordido ad parum bene imbutam rem transfundendam censentes, quo multitudini acceptior fieret. Tantum momenti in rebus publicis probitatis opinio possidet. Ad hæc uerò ciuile ius & gratia eloquentiæ non in postremis ducenda est, uirtute magistra & principe. Non enim rhetoricam suadendi opificẽ, sed adiutricem esse debemus existimare. Qua ratione illud est corrigendum Menandri: Mores dicentis sunt qui persuadent, non oratio. Re enim uera utrunque est quod rem efficit, mores nimirum atque

*Plato Comicus.

oratio: nisi quispiam dicere uelit, nauem à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoque, & equitem esse qui equum in gyros uersetur, non etiam frænum: ita ciuitatem quoque oratorum uita & moribus regi, non & oratione: nempe qua ueluti gubernaculis ac fræno utantur, quibus maximè uersatile animal, ut Plato inquit, tanquam è puppi regatur atque uertatur. Quando enim reges illi magni & Ioue sati, ut inquit Homerus, tametsi sceptris & purpura nobiles, satellitibus constipati, deorum demum oraculis inflati & tumidi, uulgus territare soliti, ac sibi subijcere, uolebant tamen uerborum oratores efficiy gratiam'que dicendi nequaquam aspernabantur, concionesque, in quibus clari solent effici uiri, non negligebantur, nec Iouem duntaxat consilij præsidem obseruabant, bellicosum'que Martem, aut militarem Mineruam, sed Calliopen quoque uenerabantur, quæ regibus uenerandæ comes accedit, ferociam atque duritiam uulgi suadela leniens atque pudore. Homo certe priuatus de ueste atque habitu populari ciuitatem regere, uolutatem populi præualere, multitudinis moribus modum facere nunquam poterit, ni oratione & eloquentia præditus sit, quæ una suadeat, afficiat, flectat, ducatq; multitudinem. At uerò gubernatores nauium alijs utuntur iussoribus, qui imperata excipientes ad alios deferant: qui autem rempublicam regere uult, mentē is secum uelut gubernatorem habere debet: orationē insuper, quæ accepta mentis imperia demum in alios ædat, ne idem ipse uoce extera indigere uideatur, neue ut Iphicrates Aristophontis superatus oratione, meliorem esse dicat aduersariorum actionem, cæterum suam ipsius causam longè potiorem: ne sæpe quoque Euripidis illa in mentem ueniant: Vtinam miserorum

rum mortalium genus elingue & infans sit, resq; ipsæ pro uoce hominibus sint, quo qui grauitate præstant orationis pro nihilo habeantur. Quæ quidem Alcameni nimirum, & Nesiotæ, & Ictio, reliquisq; sordidis illiberalibusque opificibus dicere concedendum est, dicendi commoditatis expertibus, ut Athenis quondam duobus architectis propositis ad opus quoddam publicum affabrè faciendum, uter esset præstantior quum quæreretur, alter disertior scilicet, & qui ad orandum scitior atque comptior esset, orationem iam inde ab initio meditatus, ad populum eam de ædificio & opere habuit, affecit demum & mouit. Alter uerò arte quidem longè præstantior, cæterum dicendi imperitus, uerborumq; inops: Viri, inquit, Athenienses, quæ iste pulchre disseruit, equidem re efficiam. Ii sunt, ut inquit Sophocles, qui opus omnino curandum suscipiunt, uelut ferrum inanime plagis obnoxium in incude tundentes procudant. At cultor ille canæ Mineruæ, atque consultissimæ Themidis, quæ conciones agere, cœtusq; dimittere nouit, oratione usus tanquam instrumento, nunc confingendo res inter se atque aptè conglutinando, nunc quæ obstant operi molliendo leniendo'ue, & quæ ut nodi grumuliq; circunstant stipitem, uel ut ferrum ferrugo, repurgando omnino ciuitatem exornat. Quas ob res Periclis remp. gubernandi ratio, uerbo quidem, ut Thucydides inquit, popularis esse uidebatur: re uerò, ui & facultate orationis unius omnium primi uiri regebatur imperio. Quando Cimon erat uir ille quidem bonus, Ephialtes item atque Thucydides: sed ab Archidamo rege Spartiatarum idem interrogatus, uter, ipsé ne, an Pericles luctā præstaret, haud facilè dixerim respondit excipiens:

ubi enim luctando illum ego prostrauero, mox ille dicendo cecidisse negat: denique spectatoribus ita rem habere persuadet & euincit. Quæ quidem dicendi facultas & uis, non modò gloriam illi, uerum quoque salutem ciuitati ferebat: eius enim dicto audiens ciuitas, suam ipsius conseruabat felicitatem, alienis & exteris abstinebat. Nicias uerò eandem rationem uoluntatemq; subsecutus, haud quaquam obtinuit, minimeq; adeptus est, propterea quòd suadendi commoditatis indigus erat, languidiore oratione tanquam obtuso fræno conatus populũ flectere, atque quò uellet impellere, & unde commodum esset deducere: quin ui quadam compulsus ipse profectus in Siciliam, attritis pene ciuitatis opibus, ingenti rei publicæ uulnere seipsum perdidit. Lupum quidem aiunt auribus teneri non posse, populum autem inde maximè duci oportet: non hisce artibus atque ansulis, quibus ineptè satis & inuenustè inexercitati quidam, & eloquentiæ rudes ac imperiti, gratificari multitudini quæriunt, & sibi eam conciliare: epulis, inquam, largitionibus, saltationibus, apparatu gladiatorum, spectaculorum editione, magnis demum sumptibus: quarum rerum studiosos equidem ambitiosos magis, quam populares habendos censeo: quandoquidem popularitas est, quæ ratione orationeq; persuadet populum. Cæterum ciusmodi rationibus & illecebris plebem ambire atque mansuefacere, nihilo mihi differre uidetur ab artificio uenãdæ decipiẽdæq; feræ. Porrò uiri ciuilis oratio ea sit, quæ neque recens & theatralis, tanquam ostentantis cuiuspiam, & mollibus atque floridis nominibus innectentis serta uideri possit: nec rursus ut Pytheas dicere solitus traditur, orationem Demosthenis lucernam olere, exquisitis scilicet

cet curiose commentis duris ambitibus examussim, & ad perpendiculum exactè compositam: uerũ ut musicis placet, leniter atq; placidè fides tractari, non ui & impulsu concuti oportere, sic & in eorum oratione, qui reipublicæ consulunt & operam nauant, existere debet non astus, non calliditas: non ipsi aptè artificioseq; tum dicendi, tum diuidendi sibi laudem arrogent: quin ciuilis oratio ingenuitatis plena promatur: ferat præ se ueritatem & simplicitatem sententiarum: libertatem quæ patrem deceat, prouidentiam, curam, prudentiam: gratificãdi suadendiq; modũ metiatur honesto: grauibus id, aptis, idoneisq; tum uerbis, tum uerò sententijs efficiat: admittat in causis forensem dicendi acrimoniam: sententias, historiam, fabellas, translationes, quibus maximè auditores mouentur, non refugiat: modò aptè id & modestè efficiatur, ut ille: Nolite, inquit, Græciam altero captam oculo. & ut Demades naufragia reipublicæ dixit à se tractari. item Archilochus: Ne Tantali saxum huic impẽdeat insulæ. & Pericles, Aeginam ueluti oculis lippam Piræo detrahendam esse. Phocion uerò super uictoria Leosthenis, Pulchrum sibi inquit uideri cursum, uerum metuẽdum esse belli exitum. Et ut semel dixerim, grauitas & amplitudo orationis his qui reipublicæ præsunt, maximè conuenit. Huic rei exemplo sint orationes Philippicæ: & ex Thucididis quam Stenelaida Ephorus, quãq; Archidamus rex Platæis habuit, quã ue Pericles post pestilentiæ cladem ad populum, Ephori, Theopompi, Anaximenis, hæ quibus copias armant, & instructas in aciem ducunt. Ad hæc non alienum est ab oratione ciuili, cauillo nonnũquam uti, atq; interdum ridiculo, modò res non ad cõtumeliã fiat, neq; scurriliter: quin ea ratione tractetur,

ut ex usu dici & modicè uideatur, reprehendendi alicuius detrahendiq; studio. Maximè autem eiusmodi commendari solent, quæ à lacessitis prius, non ipsis incipientibus, tanquam occurrentibus aliorum in se cauillis reddi uidentur. Ex præparato enim his uti & priorem esse qui mordeat, scurræ & risum captantis esse uidetur, præterquam quòd improbitatis etiam affert opinionem, ut illa Ciceronis & senioris Catonis, atque Euxithei, qui Aristoteli familiaris fuit. Hi enim mordebant sæpe dictis incipientes. Atqui remordentibus ueniam simul & gratiam ipsa occasio præbet, ut Demosthenì, qui, quum is qui ut fur male audierat, lucubrationes eius & nocturnas scriptiones paulò petulantius irrideret, respondit excipiens: Scio me tibi molestum, qui noctu lucernam accendimus. Idem ad Demadem exclamantem: Demosthenes me corrigere uult, nempe sus Mineruam: At ista, inquit, Minerua priore anno in adulterio deprehensa est. Lepidum etiam illud Xenæneti ad ciues suos. Exprobrarant ei, quòd imperator exercitus ab hostibus esset uersus ad fugam: At uobiscum, inquit, lepidißima capita àfugi. Verum illa uitanda uidentur in ridiculis, ut nihil nimis, ut ineptè non offendas auditores, ut teipsum non admodum deprimas, ut non ignauum & abiectißimum reddas, quemadmodum Democrates frequenti populo concionem habiturus pulpitum quum ascendisset, sic se inquit ut ciues ipsos parum ualere, multumq; timescere. Is clade apud Cherronesum accepta, proq; ea ciuitate mœrore affecta, orationem ad populum pro suggesto habiturus: Nolim, inquit, ciuitatem tanta calamitate afflictam, ut me ea de re deliberantem audire necesse haberet: ut enim pusilli animi hoc, ita superius illud profecto insani

insani erat, quorum neutrum ciuitatem regenti uiro conuenire uideri potest. Phocionis deniq; breuitatem dicendi omnes admirabantur: quippe Polyeuctus Demosthenem aiebat esse oratorem amplißimum, Phocionem uerò persuadendo grauißimũ: breuißima enim eius dictione uberrimas sententias contineri. Quamobrem Demosthenes ipse cæteros non magni faciens, solitus dicere traditur, ut Phocionem surgere conspexisset: Verborum meorum gladius iam surgit. Maxime itaq; annitendum est, ut oratione non interuacua meditatus caute ad populum utare: Quando etiam Pericles ille prius quàm orsus esset orationem, precari, & uota facere consueuerat, ne uerbum quidem ullum sibi in mentem ueniret, quod à rebus ipsis uideri posset paulò alienius. Enimuero ad respondendum cauillis, & remordendum exercitatione & usu est opus: Rarò enim afferri uidentur occasiones, è quibus derepente pleraque oboriantur atque appareant. Quo factum est, ut superari plerunque Demosthenes creditus sit, qui nactus occasionẽ, reformidari sæpe, & rem differre, quam ex tempore respondere malle consueuisset. Alcibiadem præterea memorat Theophrastus inter orandum quærere solitum non modò quæ diceret, sed etiam quo dictionis genere, quo denique modo ea sibi essent dicenda. Vnde sæpe numero hæsitare rebus, & titubare in ipso orationis cursu deprehensus esset. Sanè qui crebris ipsis, atque adeo ex ipsis occasionibus rem opportunè aggrediuntur, auditores facilè mouent ij, & sibi conciliant: postremo quò uolunt impellunt sine negocio. Venit olim Athenas Leo Byzantius, populo inter se dißidenti de concordia suasurus: ubi uisus pusillus derisui habitus est. Id ut ille animaduertit, per occasionem, quid inquit, uiri Athenien-

ses, si uxorem meã uideritis? quid si se uestris illa subijciat oculis? quæ tantilla est, ut uix me genu tenus pertingat. Maior hinc sublatus est risus. At dixit excipiens: nos tantopere pusillos & breues, si inter nos dissidium esset, uix oppidum Bizantium capere posset. Quum in senatu Athenis de magnis honoribus Alexandro Macedoni decernendis ferretur, Pytheas orator acriter intercessit. Dicenti uerò cuidam: Tu'ne Pythea ista ætate tantis de rebus uerba publicè facere audes? respondit: Atqui is quem deum uos decernere molimini, Alexander, me iunior est. Ad hæc oratori ciuili uoce ualida & spiritu opus est: quippe qui non ad quodlibet, sed ad ingens & pugnax certamen est descensurus, ne quando defatigatus iam, & sensim extingui incipiens, à rabula quopiam & uocali uociferatione atque clamoribus opprimatur. Eam ob rem Catonem accepimus tempus nequicquam terere solitum, & totam diem concionari, ubi populo se uel senatui, occupato scilicet alicuius gratia studio'ue, minus posse persuadere arbitraretur. De apparatu orationis & usu quæ dicta hactenus sunt, satis ei futura existimamus, qui hæc adeptus, uia hinc proficiscens, quæ reliqua sunt consequi possit. Cæterum ingressus geminos, quibus ad rempublicam capessendam eatur comperio. Alteram quidem uiam compẽdiariam, ad splendorem & gloriam peridoneam, sed non ita tutam, neque citra periculum. Longiorem alteram, & humilem illam quidem atq; pedestrem, sed satis securam atq; in tuto positam. Sunt enim qui de aliquo præclaro & grandi soluentes facinore, uelut de promontorio quodam in altum protinus uela dent, in mediam rempublicã deferuntur, rati illud Pindari rectè dici: Inchoando operi pulchra uisu esse primordia iacienda. Videtur enim uulgus

satietate atq; fastidio quodam eorũ quibus cum iam consueuit, ut in spectaculo nouum certatorem, ita eum qui recens rempublicam capessit, alacriter excipere. Celeritas enim incrementi comparatæ potentiæ liuorem euincere omnem, & inuidiæ locam nullum uidetur relinquere, & ut inquit Aristo: Nec ignis cõcipit fumum, nec gloria gignit inuidiam, si repente utrunq; atq; celeriter emicuerit. Illa enim aliunde alius carpit atq; obtrectat, quæ paulatim & ociose uidet succrescere. Quo sæpenumero factũ est, ut in foro plerici; priusquam florere cœpissent penitus elanguerint. Vbi uerò res ita agitur, ut de Lada memoriæ proditum est, cuius auribus plausus spectaculi, atq; sonitus ille carcerum dies noctesq; obstrepere solitus dicitur, ut quocunq; siue Imperator, seu legatus profectus esset, corona triumpho'ue magnificè donaretur: ubi, inquam, res sic succedunt, pari hic ratione tam contemptores, quàm inuidi parum ualent, uel nihil potius. Hac uia Aratus gloriam consecutus est, qui Nicoclis tyranni interitum gradum sibi ad capessendam rempublicam fecit. Hoc pacto Alcibiades sibi uiam muniuit, inductis Mantineis, ut in Lacedæmonios conspirarent. His Pompeius artibus nihil dum ad senatum allectus, decernendum sibi triumphum curauit. Syllæ uerò intercedenti plures dixit esse qui solẽ orientem, quàm qui occidẽtem adorent. Quæ simul audiuit Sylla, substitit, atqueadeo cessit. Iam uerò Cornelium Scipionẽ non temere populus Romanus adductus præter legem Consulem declarauit, sed pugnam atq; uictoriam eius adhuc adolescentis Hispaniensem maximè admiratus, non multo postea quæ Tribunus militum apud Carthaginem gesserat. Quibus tamen gestis Cato senior exclamauit: Solus sapit, cæteri ut umbræ mouentur. Verum-

enimuero hac tempestate, quando nullæ sunt amplius ciuitatibus expeditiones sumendæ, nulla bella militiæq; relicta imperia, nullæ tyrannorum cædes, nulla bella iure sociali suscipienda, quænam initia quispiam capere possit Reipublicæ præclarè administrandæ? Iudicia omnino legationumq; functiones ad rerum omnium principes reliquæ sunt: ad quæ quidem munera subeunda, uiris certe opus est ingenio præditis, lingua, rerum denique usu. Sunt pleraque præterea satis honesta & clara munia, tametsi iandiu neglecta, & propè desita in ciuitatibus, quæ si reducenda cures, gloriam adferant: Quæ corruptioribus institutis, & inconsiderata licentia damno atque dedecore ciuitatum illata sunt, si tollas corrigasue, ciuibus usui, honori tibi futura sint. Iam magna aliqua, atque difficilis causa pulcherrimè iudicata, integritas atque fides patroni imbecilli clienti præstita, præsertim aduersus potentem litigatorem, iuris atque pudoris contra petulãtiam magistratus libera propugnatio, uiam plerisque muniuit, atque præclarum aperuit aditum ad Rempublicam cum dignitate & gloria egregiè tuendam & gubernandam. Permultos alios uidimus per inimicitias & contentionem auctos claruisse, adortos ex industria homines, inuidiosa & formidabili autoritate pollentes. Maiore enim cum gloria autoritas deiecti iam hominis ad eum qui deiecit transfunditur. Verum probum ac frugi hominem, & uirtute præstãtem uirum ob inuidiam oppugnare, ut Periclem Simmias, ut Themistoclem Alcmæon, ut Pompeium Clodius, & Meneclides orator Epaminondam, neque ad gloriam est decorum, neque alioqui utile. Nam etsi decepta multitudo frugi hominem impugnarit, mox errato animaduerso, & instigatoribus agnitis, si

tis, si facti se pœnituerit, iustissimam hanc simulq; facilliman mulctam peccati existimant, si autorem facinoris atq; impulsorem funditus perdant. Ediuerso improbo facinoroso q; homini siue calliditate & astu, siue superbia atq; fastu Rempublicam sibi subijcienti, cuiusmodi Athenis fuit Cleon, qualis Cletophon, huic omnibus officere uiribus, eius potentiam decurtare, audaciamq; reprimere, præclarum utiq; facinus, quo ad Rempublicam capessendam luculentum patefieri aditum cernere licet. Haud me fugit, aliquando plerosq;, qui aut senatui molesto & insolenti modum fecerunt, aut paucorum potentiam repressérunt, ut Ephialtes Athenis, ut Phormio apud Elienses, autoritatem hinc cõtinuò atq; uires adeptos: uerum homini modò munera ciuitatis subire incipienti, hæc ratio ingentis est periculi plena. Quocirca meliora uidetur suscepisse auspicia Solon, qui quum inter se ciuitas dissideret, atq; per factiones diuisa trifariam esset, in Diacrios, Pandicos, atque Paralios (hæc enim omnino capita partium erant) nullis se immiscuit, nullis factiosè se dedit: quippe qui cunctis communem se præbuit, omnia dicens agens q;, quæ ad concordiam ferrent. Quamobrem communi consulto, & discordiarũ transactor, & legum lator egregiè declaratus est: ad extremum hac uia, his artibus ciuitatem constituit, & Rempublicam optimis institutis ac legibus temperauit. Illustrior itaq; ad Rempublicam aditus atque gradus existit, qui eiusce modi principijs proficiscitur. Alterã uerò uiam, quã tardiorẽ quidem, sed tutiorem esse mõstrauimus, pleriq; illustres uiri præoptauerunt, Aristides, Phocion, Pammenes Thebanus, Lucullus & Cato Romæ, Agesilaus Lacedæmone. Etenim quemadmodum edera nascentis alicuius futuræ prænalidæ arboris stipitem undique

dique amplexa unà consurgit & inoleſcit, ita illorum quiſq; ſeniorem adoleſcens, & glorioſum inglorius ſubiens, ac ſe dedens, paulatim ſublatus, & ſenſim adactus, radicibus iam altè actis ſubnixus, extitit demum, atq; ad rempublicam capeſſendam & gubernandam ſeſe idoneũ præbuit. Siquidem Ariſtidem Cleſthenes, Phocionem Chabrias, Sylla Lucullum, Catonem auxit Maximus, Pammenes Epaminondam, Ageſilaus Lyſandrum: tametſi hoc importunæ gloriæ ſtudio, improbáq; æmulatione laſciuiens, rectorem non multo pòſt reiecit, atq; agendorum moderatorem petulantiſſimè aſpernatus. Cæteri ciuiliter & honeſtè ad finem uſque magiſtros obſeruauerunt, & cultu debito proſequuti ſunt, ut ſoli ſubiecta corpora, quæ quum inde ſplẽdorem accipiunt, uiciſſim & reddũt, & quidem quoad eius fieri poteſt illuſtrius atq; plenius quod acceperunt. Verum qui Scipioni gloriam inuidebant, eiuſq; obtrectabant laudibus, actorem illum quidem eſſe iactabant, poëtam uerò amicum Lælium. Lælius autẽ nihil hinc ſublatus, nunquam non uirtuti Scipionis atque gloriæ ſtuduit. Africanus Pompeij neceſſarius, etſi admodum humilis, uiſus eſt tamen Conſulatum appetere, Pompeius uerò alijs petentibus operam dabat. Africanus ubi id comperit, petitione deſtitit, inquiens, non tam Conſulatum, ſi forte adipiſcatur, futurorum gloriæ, quàm moleſtũ & triſtem, ſi Pompeio nolente, neq; opitulante, illum aſſequatur. Quare factum eſt, ut anno omnino circumacto ſaluis amicitiæ uiribus, Pompeij ope uoti compos effectus ſit. Proinde his, qui alieno ductu ſe ad gloriam erigunt, illud quoque uſu euenit, ut hic una re multis ſimul mos geratur, ſi quid moleſti accidat, offendatur nemo. Quamobrem Philippus Alexãdrum ſummonere ſolitus traditur, ut

ut patre uitam adhuc agente atque regnante, amicos ſibi conſuetudine, comitate, gratificatione, quoad licitum eſſet, comparare ſtuderet. Enimuero eiuſcemodi is ſibi magiſtrum ac ducem deligere debet, qui ad ciuitatis munera obeunda ſe idoneum uult, cuius non tam opibus & potentia, quàm uirtute probitateq; inniti firmariq; poſſit. Quemadmodum enim non quæuis arbor uitis amplexus admittere & perferre uult: quin pleræque uitem ipſam præſocant, atque eius inoleſcentis progreſſus retundunt & opprimunt, ita in ciuitatibus, qui gloriæ duntaxat & principatui omnem nauare uidentur operam, atque obnixe ſtudere, non una quoque uirtutem excolere, iuuenibus hi nullas uolunt exhiberi occaſiones rerum egregiè gerendarum: quin præclariſſimas quaſq; res, tanquam futuræ gloriæ ſegetem clàm per inuidiam ſubtrahunt, & iuuentutis florem ex induſtria flaueſaciunt. Hac ratione Marius in Libya, rurſus idem in Gallia, opera Syllæ ad facinora præclarè patrata egregiè uſus ſubſtitit: denique & ea uti amplius noluit: nempe grauatus felicitate & curſu indies augeſcentis gloriæ eius: tametſi obtentu, atq; per cauſam anuli ſigillaris, conſuetudinem eius eſt uiſus abhorruiſſe. Etenim Sylla Quæſtor in Libya Imperatore Mario miſſus ad Bocchum, re feliciter geſta uinctum Iugurtham adduxit. Eare, ut erat iuuenis, & gloriæ paulò auidius affectator, neq; felicitatem modicè tulit, & Iugurthæ imaginem, ut fuerat traditus, in anulo quem geſtabat inſculpſit. Eam rem crimini dans Syllæ Marius, amicitiam eius poſt hac aſpernatus eſt: ad Catulũ ille atq; Metellum claros tum uiros, alioqui infeſtiores Mario, ſeſe contulit: nec multo pòſt Marium autoritate deiecit, & opibus omnibus exuit, cõcitato iam illo bello ciuili,

ex

ex quo parum abfuit, quo minus Romana res funditus euerfa periret. Pompeium Sylla iuuenem adhuc ipfe fubuexit, cui aduenienti detecto capite folitus memoratur aſſurgere: multas idem imperitandi occaſiones reliquæ iuuentuti fuppeditauit, nonnullos aliquando uel languidiores excitando, uel inuitos inducẽdo, uel deniq; per ſe animatos uehementius irritando. Quibus artibus militares ordines, quibus ille præeſſet, ambitionis atque cupiditatis & æmulationis compleuit: quippe cui nõ tam cordi erat, ut unus cunctis imperitaret, quàm ut inter multos magiſtros & claros, primus ipſe atq; maximus haberetur. Eiuſcemodi itaq; uiros ſequi oportet, & his initi, non ut eſt regulus Aeſopi, qui humeris uectus aquilæ, prouolutus repente excuſſusq; decidit: Neque enim ab illis furripienda eſt gloria, ſed beneuolentiæ ac amicitiæ ductu accipienda: quando præſertim ne imperare quidem quiſpiam rectè poteſt, ni prius ipſe rite ſeruierit, ut inquit Plato. Conſequens eſt, ut de amicitia rectè atque ſanctè conſtituatur, exploſa ſimul cum Themiſtocle, tum uerò Cleonis ſententia. Hic enim ut primum Rempublicam attingere deſtinauit, uocatis amicis omnibus, ſoluere ſe uelle dixit amicitiæ uincula, ſubditiq; rationem: ſolere amicitias pleraq; recta et iuſta ſubuertere, quod homines Rempublicam adminiſtrantes, utpote affectu & mollitie occupatos quadam, ſæpenumero a uia deducit recti officij. Et longe melius fuiſſet, auaritiam & contentionem omnẽ animi procul eijcere, & ſeſe omni prorſus inuidia atque improbitate deputare. Neq; enim his ciuibus opus eſt qui beneuolos atq; amicos habeant nullos, ſed qui temperati & frugi ſint. Nunc uerò amicos fugandos abigendosq; ille quidem duxit, ſed centum ſe capitibus adulantium, atque

atque quoquò uerſus palpantium circundatum, atque lingentium, ut aiunt Comici, non intelligebat, ut qui modeſtis ac probis grauem atque trucem ſe exhiberet, idem rurſus multitudini imperitæ ſubiectum, atque in gratiam inēoditi uulgi ſenectutis mercenariam corruptorem præberet: & quod omnium turpiſſimum eſt, colluuionem populi morbidam, ut aduerſus optimos quoſque per inſidias conſpirarent, muris artibus conciuaret. Themiſtocles autem ei qui rectè honeſteq; ipſam rem communem geſturum affirmarat, ut qui æquum ſe omnibus præmiq; præſtiturus eſſet, dic meliora, inquit: nolim equidem in magiſtratu gerendo talem me eſſe, & ea ratione ad hoc aſcendere ſolium, ut nihil à me amplius habituri eſſent amici quam inimici. Nempe ne is quidem rectè: nec enim debuit ciuitatem & munus commune ſuis adductus ſtudijs, ſuis ipſe obſequutus affectibus, amicis permittere, & tam perperam priuatis obſtringere rationibus: quanquam idem petenti ab ſe Simonidi neſcio quid quod minus uideretur honeſtum, nec poetam inquit ſibi uideri bonum, qui inconcinnum quippiam & abſonum caneret: nec magiſtratum frugi, qui contra ius fasq; cuipiam inſeruiret. Iniquum profecto, & miſerandum omnino uideri poteſt, ſi gubernator nauis nauitas deligit, nauis præfectus rectorem qui puppi inſideat, qui clauum ſcitè pertractet, qui è re ſua nunc málum erigat, & antemnam intendat, nunc ingruente uento uela in altum det: ſi architectus item magiſterq; operum operarios conducit, atq; redemptorum delectum habet, non qui opus corrumpant diſtorqueant ue, ſed qui attentè iuſſa excipiant, perq; affabrè munia exequantur: ciuilis autem uir præſtantiſſimus opifex, ſimulatq; Reipublicæ capeſſit gubernacula,

nacula, non deliget sibi ministros ijsdem secum affectos studijs, eadem uoluntate coniunctos, eodem ueluti numine ad honesti cultum, & uirtutis amorem impulsos. Etenim si eorum utetur opera, quorum studia atque rationes diuersæ & dissentaneæ sint, quorum ad aliud aliud ui & iniuria perpetrandum pro studio impellat & flectat, nihilo mihi differre uidebitur ab eo qui opificem agens, imperitè & temere perpendiculis ac normis utatur, nõ quibus opus dirigat & pulchre absoluat, sed quibus omnino destruat & deprauet. Amici enim habendi sunt his qui rempublicam administrant, pro instrumentis animatis & ratione utentibus, quos sicubi forte aberrent, non tanquam comites ipsi sequi debemus: quin maximopere attendendum est, ita eos esse affectos, ut sponte sua, etiam absentibus nobis, ab officio non discedant. Id enim fuit quod Soloni uitio datum animos ciuium pupugit, & uehementer offendit. Animo enim quum destinasset legem ferre, qua qui ære alieno impliciti essent à sarcina leuarentur, quam leniendæ rei causa Sisachthiã, hoc est, nouas decretas tabulas appellauit, communicauit antea rem hanc cum amicis: Illi rem nefandam protinus commenti sunt: Quippe legis ferundæ tempus præuertunt, & grande æs alienum contrahunt, ut paulò pòst promulgata lege creditoribus ipsis imponerent, effecerunt̃q; facinus amplissimis ædibus atq; magnificis prædijs coëmptis ea quam modò interuertissent pecunia. Hinc Solõ pessimè audiuit, perinde ac si ille iniuriam intulisset, quæ potius ab amicis ei illata fuerat. Ageſilaus uerò ita studiosus amicorum extitisse commemoratur, ut seipsum sæpe imbecillum atque abiectissimum faceret, in morem Euripidei Pegasi putans, atque longè amplius æquo cedens

πειθὼ ἕτερα ἀλλοῖα ἐστὶ δεδιτὰ κοινά.

dens: Calamitosis enim amicis paulò studiosius & uberius opem ferendo, iniurius ipse ut uideretur, sæpenumero committebat. Phœbidem accusatum, quòd iniussu senatus Cadmeam demolitus esset, pœna exemit, & ut saluus fieret autor extitit, subdens, eiuscemodi res quandoq; ex tempore ac raptim patrare necesse esse. Sphodriæ præterea, quòd Atheniensibus, non modò per id tempus amicis, uerumetiam socijs & fœdere iunctis, agrum Atticum inuasisset, in iudicio salute periclitanti affuit, & ut absolueretur effecit, filij amatorijs precibus moliter atq; indecorè inductus. Fertur ad hæc epistola quædã eius ad tyrannum quendã pro amico Nicia in hæc uerba: Niciam, si insons est, dimitte: sin sons, mihi dimitte: omnino uerò dimitte. Enimuero Phocion ne genero quidem Charillo, repetundarum dicturo causam, adesse sustinuit, inquiens: Equidem mihi generum te, ut bonum hominem iustum & probum optaui. Quæ cum dixisset, deserto genero, continuò inde sese proripuit. Timoleo Corinthius, ut fratrem, quo tyrannide abstineret, monitis atque precibus inducere atque persuadere nequiuit, his subinde nauauit operam, qui illum interemerunt. Non igitur ara tenus, ut Pericles dixisse fertur, iura amicitiæ sunt seruanda, scilicet ne amico peieres, sed omnibus legibus, omni iure, cunctis denique rebus officium est ciuis custodiendum, ubi neglectum aliquid ad magnam aliquam noxam, & reipublicæ detrimentum referri queat, ut illud referri poterit, Sphodriam atque Phœbidem Lacedæmonios Ageſilai opera debitas non luisse pœnas: hi enim potissimum Spartam ad cladem illam Leuctricam uisi sunt attraxisse. Verum in amicos, leue quippiam committentes, acerbè & grauiter ut animaduertas, ratio ciuilis non cogit: quin

salvis rebus maximis, & in tuto positis, per ciuitatem & rempublicam licet amicis adsis, & opem feras: quando præsertim id efficere potes citra inuidiam, hoc est, si candidatis & honorem petentibus præsto sis, si administrationem ullam commutas, si legationem ijs cures, unde gloriam consequi possunt, & humanitatis specimen dare reconciliandis ciuitatibus, & discordiarum tollendis seminibus. Verum ubi res ulla præponitur, magna quidem illa atq; illustris, sed operosa & ardua, laborum & operis socium tibi assume amicum, ut Diomedes: Quòd si alterum mihi iubetis ut adiungam, postea qui possum diui obliuisci Vlyßis? Cui quidem Vlysses gratiam perquam commodè & amicè retulit, inquiens ad Nestorem: Quos uides adductos equos, ô senex, Thracij sunt, quorum dominũ fortis Diomedes extinxit: comites præterea omnes duodenos haud instrenuos. Et re uera amicis si tribuas laudẽ, nihil te minus quàm illos quos laudes, decorare uidebere. At teipsũ omnino amare sine riuali, solitudinis id comes est, autore Platone. Quamobrem cuiusq; rei humaniter abs te, benigne, honestè, comiter perpetratæ gratiam amicis quoque impertias oportet, ut hi de quibus sis benemeritus, eosdem amicos tuos, te hortante maximè, utpote adiutores & consiliorum participes, amare, laudare, & beneuolentia pariter prosequi animum inducant. Ex contrario, quorumuis amicorum inepta & incommoda postulata amoueas ipse depellasq; necesse est: non tamen acerbè & truciter, sed placide leniterq; commonefaciendo, quæ abs te petunt non esse digna quæ ab illis impetrentur, quando à uirtute atque existimatione eorum iure abhorrere uideri possunt. Proinde lepidissimè omnium Epaminondas negasse fertur roganti Pelopidæ, ut cau-

ponem quendam unctum, atq; conditum solueret, quem idem non multò pòst illa quam adamabat orante dimisit, subdens, orata eiuscemodi conuenientius meretricula quàm uiros claros atque prætorios assequi oportere. Molestè Cato atque acerbè oranti Catulo Censori, Catoni ipsi consuetudine, amicitia, familiaritate arctè cõiuncto, ut quendam iudicio eius obnoxium (erat autem Quæstor) dimitteret: Turpe est, inquit, nos qui iuuẽtuti bene instituẽdæ autores esse debemus, à lictoribus & ministris irrideri nostris. Potuit certe uerbi detracta asperitate atque amaritudine, re ipsa orata refutare amici, & simul ostendere, molestè se id atq; inuitum facere, seueritate legum coactum, & iuris ui. Præclarum profecto illud, atque honesti præferens speciem, inter honores magistratusq; publicos amicorum inopiæ per occasionẽ opitulari. Themistoclem Athenienſem legimus, ubi feliciter aduersus Barbaros pugnatum esset, quum in hostem mortuum incurrisset, torque atq; monili & reliquo ornatu indutum, ipsum quidem sponte præterijsse, ad amicum autem quendam conuersum, accipe ista, dixisse, tu: non enim Themistocles es. Plerumq; enim hanc bene de amicis merendi commoditatem ratio ciuilis permittit, nec omnes sunt Menemachi, ut alijs causam honestè defendendam demandes, quæ sit scilicet aliquam allatura mercedem: alijs diuitem quidem & opulentum, sed alioqui patrocinio & diligentia indigentem commendes: nonnullis opus aliquod publicum redimere cupientibus, uel locationem curantibus operam des. Epaminondam accepimus cuidam egeno iussisse, ab amico diuitijs affluente talentum unum peteret: à quo petitor ille facilè impetrauit. Percontanti posthac, quid ita? quia is quidem, inquit,

quum homo frugi sit, inopia rerum premitur: tu uerò dies pleraq; de publico peculatus. Agesilaum Xenophon memorat solitum libenter amicis locupletandis operam dare, qui tamẽ opes atq; diuitias minimi faceret. Sed quoniam omnibus corydalibus, ut inquit Simonides, cristas enasci necesse est, & quæuis reipublicæ administratio inimicitias & dissidia quædã affert, maximè de his quoq; considerandum uidetur ei qui in republica aliqua ratione uersetur. Aristides atque Themistocles uulgo laudantur, soliti quoties siue legati, seu imperatores publicitus mitterentur, priuatam simultatem & omnes inimicitiarũ rationes in finibus agri Atheniẽsis deponere, resumpturi si ita uideretur in reditu. Consilium etiam Cretinæ Magnetis plerisq; uehementer probatur: cum inter ipsum atq; Hermiam, honorũ quidem cupidũ & animo promptum uirum, sed exiguis fretum uiribus, inimicitiæ acriter & contentiosè exercerentur, extitit Mithridaticum bellum. Animaduerterat Cretinas ciuitatem eiuscemodi bello salute periclitari: proinde iubet Hermiæ gubernandam ciuitatẽ susciperet, eaq; salutariter uteretur: se enim è medio summoturum, atq; aliò profecturum iam destinasse: quòd si alteras mallet suscipere partes, ciuitate ipse decederet, illi imperium & gubernacula reipublicæ relinqueret: metuendum nanq; summopere, ne ob ambitionem & intestinæ contentionis studia ciuitas ipsa funditus interiret. Accepit conditionem Hermias, & optione proposita Cretinam bellicosiorẽ professus, & magis idoneum cui salus rerum committeretur, acceptaq; uxore & liberis ciuitate abijt. Quem Cretinas comiter atq; humaniter prosecutus, ijs opibus iuuit atq; ornauit, quas solum uertentibus, quàm domi obsessis, magis usui futuras existimauit.

stimauit. porrò ciuitatem, extremis iam periculis proximam, præter spem omnium fortissimè est tutatus. Etenim si hæc exclamare, amo liberos, sed patriam magis amo, generosi ac celsi animi esse existimatur, cur non id cuiuis facillimum dictu: odi illum atq; malè afficere cupio, sed uehementer patriam amo? nolle enim eas inimicitias tolere, quibus etiam amicus sit perituras, immanis est nimirum & admodum feri. Quare præclarè Cato et Phocio, quorum neuter inimicitias animo concipiendas ducebat, si quid in gerenda republica discreparet: quin pro sugesto, & in publicis certaminibus, hoc durus uterq; & inexorabilis habitus est, quòd præfractè nimis nusquam proclinandum censebat, unde reipublicæ commoda prodi pacto aliquo uiderentur. Cæterũ in rebus priuatis omni simultate longè abiecta, eorum ipsorum consuetudine comiter atq; humaniter utebantur, à quorum rationibus in republica uehementissimè abhorrebant. & rectè quidem, nullus enim ciuis pro inimico habendus est, nisi is ciuitati & rei communi hostis sit, atq; eiuscemodi, qualis Aristio, & Nabis, & Catilina, tanquam morbus aliquis & uomica reipublicæ natus. Porrò si qui alicubi dissonãt atque discrepare uidentur intensione laxationeq;, hos amicè & placidè uelut musicum ad modum atq; concinnitatem oportet reducere: non si quis aliquatenus peccat, iracundè protinus hunc, duriter, atq; per contumeliam adoriri: quin autore Homero mitius & moratius pertractare: Te scilicet equidem cæteros prudentia anteire arbitror. Item: Te certe scio meliorem ista oratione excogitare facilè posse. His & similibus est utendum, ubi moderatè quippiam amicus egit dixitue, ne aut honores eorũ molestè ipsi ferre uideamur, aut rerum præclarè ab ijs

Universidad de Oviedo Biblioteca

gestarum laudes parcè attingere. Hac ratione improbitatem aliquando detestantibus nobis, ubi uituperandi quippiam locus appareat, fides habebitur, ut ijs, qui uirtutis commendatione nunc decorem & dignitatem proueritate exaggerare, nunc improbitatem uituperare uideri possimus. Equidem a uiro ciuili alienum minimè puto, in re honesta & iusta uel inimicis & aduersarijs testimonio præsto esse, & in iudicio aduersus calumniatores eos tueri, & falsò obiecta refellere crimina, quæ scilicet ab reorum insolutis & rationibus abhorrere penitus uideantur. quod non multò antè à Nerone factitatum accepimus. Exercebãtur miris modis inter ipsum atq; Thrasean inimicitiæ: uerum cuidam multa criminosè iactanti atq; Thrasean perperam iudicasse causam suam aienti, obstitit Nero, tantumq; abfuit ut criminibus de inimico contra ueritatem assentiretur, ut exclamarit: Vtinam tam me Thraseas diligat, quàm iudex æquus & rectus est. Ediuerso non parum ciuili rationi cõducit, si amicum facinus quodpiam admittentem liberè increpes, præsertim si alicuius inimici quidem, sed paulò integriore uita hominis mentionem habeas, dicasq;: At ille non id patratum dictum´ue uoluisset. Potes etiam per occasionem ijs, quos à recta ratione uiuendi ullibi uideas aberrare, parẽtum uirtutis summonere, ut Homerus: Næ parum sibi similẽ Tydeus natum progenuit. Et ad Scipionem Africanum Appius, cũ in comitijs inter eos disceptaretur, quàm, inquit, Paule præ indignatione iraq; ingemisceres, si filiũ tuum Censorem agentem sentires Philonico comite ad magistratum domo deduci, domum rursus eodem ipso consequente reduci. Iis rationibus tractata res, ut errantes corrigere, ita correctoribus ornamẽto esse atq; laudi potest.

Ciuili

Ciuili proinde animo Nestor Sophocleus lacessitus Aiacis iurgijs, respondere uidetur: Non incuso, inquiens, te qui recte agis, perperam loquens. Cato aduersatus erat Pompeio, rempublicam cum Cæsare, ut aiebat, labefactanti, atq; ei impiè uim afferre conanti: At simul ad bellum deuentum est, idem iussit imperium Pompeio omnino demandandum esse, subdens, eundem posse magna mala ciere, qui & concita inhibere sciat. Enimuero uituperatio si mixta est cum laude, quæ ingenuitatem, non contumeliam uideatur prætendere, neq; iram & propè furorẽ excusetet, sed pœnitentum ueluti morsum inducat, lenę id negocium est, & res obsequiosa uidetur: è contrario maledicendi atq; obiurgandi profusa licentia, rempublicam tuentibus, & principibus ciuitatis dedecori est. Proinde animaduertere licet quæ in Aeschinem Demosthenes, cõtrà quæ in eundem dixit Aeschines, rursus quænam Hyperides in Demadem scripta edidit: ea certe Solon aut Pericles, Lycurgus Lacedæmonius, Pittacus´ue Lesbius nequaquam dixisset: quanquã etiam Demosthenes eiuscemodi maledicentia in accusatorijs duntaxat atq; forensibus causis utitur. Cæterũ orationes Philippicæ omni omnino scurrili dicacitate carere uidentur: quæ quidẽ res præterquam quòd omnem confundit curiam, fórum atq; cõciones perturbat, plus quoq; maledictorum autoribus dedecoris ignominiæq; afferre uidetur, quàm ijs in quos euomunt. Præclarè itaq; Phocion, maledico & dicace quodã multa aduersus eum cõcionem habentem iactante petulãtissimè, intermissa oratione subsitit, & cursum illium uerborum inhibuit, donec uix aliquando ille conticuit: tum imperturbato animo Phocion pulpitum rursus conscendit, inde superiorem orationem continenter prosecutus.

De equestribus, inquit, atq; pedestribus copijs iam audi-
stis, reliquum est, ut de uelitibus & leuis armaturæ milite
disseram. Et quia plerisq; id non uidetur toleratu facile,
propterea quòd lacessentum petulantia opportunitate
respondendi haud incommodè sæpenumero retundi pos-
se atq; refutari uidetur, res proinde uerbo debet esse bre-
uissima, ira excandescentiaq; carere, lenitatem præferre,
ut ioco atq; lepidè lacessentem remordeas. Quemadmo-
dum enim emissa semel tela si in emissorem eadem reue-
hantur, soliditate quadam & robore eius qui prior peti-
tus est, retorqueri uidentur, ita uirtute atq; prudentia la-
cessiti & petiti, cauillum iniectum ad autorem ipsum re-
dire uideri potest, ut illud Epaminondæ in Callistratum,
Oedipodi & Oresti parricidium, Thebanis simul & Ar
giuis exprobrantem: Horum, inquit, patratores facino-
rum ciuitatibus nostris nos quidem exagitauimus, uos ue
rò extorres & profugos excepistis. Antalcides Spartiata
Atheniensi cuidam Lacedæmonijs exprobranti, sæpe à
Cephiso Attici agri monte depulsis: at Lacedæmonij, in-
quit, nunquam ab Eurota depulerunt Athenienses. Face-
tissimè Phocion uociferāti Demadi, perdent te Atheniē-
ses si insanierint: te uerò, respōdit, si sani sint. Crassus ora
tor, obiectanti Domitio, quòd murena mortua, quā in pi-
scina nutricaret, ploràsset, occurrit excipiēs: atqui tu tri-
bus elatis uxoribus ne lacrymatus quidē es. Hæc et eius-
modi etiam ad uitam priuatam usui esse possunt. Quam-
obrem de his hactenus. Cæterum sunt nonnulli ad rempu
blicam capessendā sic animati, ut eam omnibus ex parti-
bus amplexari uelint, nihil omnino optimo ciui præter-
eūdum existimantes, quod quidē aliqua ratione ad rem-
publicā attineat, nec per eū standū, quo minus cuncta cu-
randa

randa diligēter suscipiātur: id quod Cato uisus est senti-
re. Laudatur perinde Epaminondas, qui Thebis inuidio-
se atq; cōtemptim decretus Thelearchus nō neglexit mu
nus, inquiens nō modò magistratu uirum ostendi, uerum
etiam magistratū uiro. Id itaq; muneris amplitudine ipse
cuexit, & clarū reddidit. Fiebat enim antehac parui, &
penè pro nihilo habebatur, quòd angiportus & uiā per
urbem ita curare necesse habebat, ut per cloacas & sub-
terraneos riuulos purgamēta quæq; extergerent, & eiu-
scemodi quisquiliarum illuuies. Nos ipsi quoq; risum for
te mouemus prætereūtibus, & nostrā operā circa eiusmo
di munia uersari quotidie inuisentibus. Qua in re illud
Antisthenis memoria repetitum potest nobis nunc auxi-
lium ferre. Admiratione quidā summopere teneri uideba-
tur, quòd Antisthenes ipse per fōrum obsonij et salsamē-
ti nescio quid deferebat. Ad quem Antisthenes: desine, in-
quit, mirari: mihi ipsi enim hæc, non alijs fero. Equidem è
diuerso hoc nomine me defendere possum siqui accusant:
si trāsennæ, inquam, dimetiēdæ, si calce lutoq; subigēdo,
si cōportandis lapillis ipse impendere uideor operam, &
hisce negotiolis modū statuere, nō hæc priuatim mihi con
ficio, sed publico operi præsum, atqueadeo ipse patriæ o-
peram & industriā do. Pleraq; enim sunt, quæ si tu tibi
ipsi, aut per teipsum pertractes & agas, abiectus & for-
didus meritò existimari possis: Hæc eadē si ciuitati publi-
citus exhibere uidearis, nō illiberalis & degener, sed ge-
nerosus ciuis haberi queas. Magni est enim atq; perstre-
nui animi, uel paruulas ciuitatis res curandas suscipere.
Quidā Themistoclis illud magnificū esse putant & glo-
riosum, quorū sentētiæ Critolaus Peripateticus astipulari
uidetur. Iactasse enim Themistoclē hæc uerba accepimus:

quemadmodum Salaminia & Paralos (sic appellatæ naues Athenis) non ad quodlibet opus, sed omnino pro magnis & necessarijs rebus solitæ erant è nauali produci, atq; nauigationem aliquam inituræ deduci, ita suaipsius opera rempublicam uti debere, nō ad quæuis, sed pro maximo & amplißimo quoq; munere: hac lege scilicet qua rerū dominus Deus & mundi totius rex utitur. Magnas enim res Deum attingere, paruas fortunæ cōmitti, Euripides est autor. Equidē ambitionem nimiā & cupiditatē Theagenis parum probo: certauerat ille sæpe, atq; in publicis ludorū spectaculis Græciæ victor euaserat, nec pugillari modò certamine, uerum luctæ & cursu. Is inuitatus ad cœnā eam & epulū, quod de more heroū parentalibus exhiberi solebat, dum singulis conuiuis portio, quæcunq; pro parte uirili cōtingeret, rite proponitur, se continere nequit, quin exurgēs disco certaret, perinde atq; nulli id factitare ipso præsente liceret. His artibus ad M. CC. corollas aggeßit, quarū plerasq; paruo æßimare haud inuria poßis. Itaq; nihil interest, mea quidē sentētia, inter illum & hos qui ad cōmunem reipublicæ partem se accinctos uolunt, nempe qui sui satietate multitudinē cito afficiunt, & plerisq; omnibus oneri atq; moleßiæ sunt. Ad hæc si cōcupita adipiscuntur inuidiā cōcitant: sin opinione fallsi, & uotis frustrati sunt, facilè irridētur: & si quid curādum sibi conficiēdumq; suscepерunt, incipiētibus forte admirationē & laudem attulit idipsum, progredientibus in subsannationem atq; cōtemptum mutatur: & tale fit, cuiusmodi fuit illud Athenis. Metiochus in ore omniū erat uulgo iactantium: Metiochus ducit copias, Metiochus uias curat, Metiochus exercet panarium, Metiochus farinam tractat, Metiochus præest omnibus, Metiochus

chus ergo lugebit. Amicus is erat Periclis, cuius florente tunc autoritate & opibus, ad inuidiā usq; atq; fastidium abuti solitus memoratur. Enimuero operā qui reipublicæ dat, populo ueluti amanti ita se exhibere debet, ut absentis quandoq; desideriū ingens apparcat. Id quod Scipionem Aphricanū ex industria factitasse legimus. Ab urbe sæpenumero secedebat, rusticari perdiu solitus, ut & inuidiæ quicquā detraheret, & respirandi locū illis præstaret, qui splendore uirtutis eius & gloria rerū gestarum opprimi uidebātur. Timesias quoq; Clazomenius, uir cætera frugi, & ciuis haud ineptus, ea cupiditate tamen, ut cūcta ipse per se agere atq; curare appeteret, cōtraxerat inde odiū ciuium: quod ipsum tātisper latuit, dū tale quippiam usu euenit: Cærduelem auiculam trāsenna captā adepti sunt quidā pueri: eorū unus ita manu oppreßit caput auiculæ, ut cerebellū excuteret. addiderunt reliqui: utinā sic Timesiæ caput excerebrasses. Præteribat illac tū forte Timesias, & uerba excepit: nempe eū pueri ipsum esse non cognoscebāt. Reputās rem secū diu, quorsum odia in se ciuium pertinerēt, quandoquidē per paruulorum ora talia uolitarēt, facilè intellexit. Cōuersus domū rem omnē uxori narrat, atq; confestim collectis sarcinis, uxore comite rectà urbe profectus solū uertit: quippe qui sibi amplius in patria manendū nequaquā existimauit. Nō huic rei uidetur ualde absimile, quod Themistocli Athenis accidisse fertur, qui tum ad ciues suos conuersus: Quid ô fortunati, inquit, beneficijs sæpe affecti defatigamini? Harum rerum alijs rectè quidam sunt usi, alijs alij peream uidentur abusi. Claro autem ciui, & reipublicæ principi, nulla ciuilis muneris pars uidetur prætermittenda: quin consilio omnibus, beneuolentia, diligentia

ligentia attendendum, & summa cura & studio singula uestiganda, ne tanquam sacrum aliquod uas in naui sepositus, ciuitatis nouissimos casus, atq; extremos usus opperiri uideri possit. Et quemadmodum rectores præfecti nauium, alia ipsi suis conficiunt manibus, per alios alijs uelut instrumentis utuntur, atq; in puppi sedentes omnibus modum faciunt, siue circunferre quippiam, seu mutari, alio ue transferri sit opus, utuntur nautis, proretis, iussoribus: est quando nonnullos ad se accersunt, quibus scilicet clauum & gubernacula ipsa committant: Hoc pacto ciuem rem communem administrantem, omnia circunspicere, moderari omnibus decet: cedendo nonnunquam pro tempore, ut alij honores & ciuitatis munera capessant: uocando interdum ad hæc, quos idoneos ad res subeundas conspexerit, atque ciuiliter & amanter hortando. Neque enim par est, unum se quempiam uelle, qui munera omnia ciuitatis suis ipse concionibus, suis decretis, sua demum autoritate, suasione, consilio conficiat & absoluat. Pleriq; enim esse debent fide, probitate, consilio, usu rerum præstantes: quorum singulis munera singula demandentur. Id quod Periclem usurpasse accepimus. In expeditionibus foris opera potissimum & imperio Menippi uti solebat: Ephialtæ artibus domi Areopagi senatum sensim deprimendo humiliorem effecit: Autore Charino bellum aduersus Megarenses ut decerneretur obtinuit: Lampona ut coloniam Turis deduceret ipse curauit. Etenim autoritatis & uirium in plures partes eiuscemodi distributio, non modò inualescentem inuidiam minuere decurtareq; solet, uerumetiam ut quæ reipublicæ usui sunt commodius peragantur, facilè efficere uidetur. Vt enim manus in digitos distributa, non idcirco imbecillior

πρωρεὺς, custos in prora. hoc est proreta

cillior redditur, quin ad omnem usum aptior propterea est & operis habilior artifex, sic ad gerendam rempublicam, qui alios quoq; munerum participes uult, efficacius is societate adductus opus absoluere potest. Qui uerò inexplebili quadã cupiditate gloriæ & potentiæ studiorum uniuersam rem sibi arrogãt, & commissam singulariter uolunt, his plerũq; præesse muneribus, atq; modum exhibere cogũtur, ad quæ ipsi nec natura idonei, nec exercitatione & usu accõmodati, & apti sunt: & ut Cleonem legimus ad copias ductitandas haud aptum fuisse, Philopœmenem ad rei naualis imperium, ad concionandum Annibalem: Quorum quidem errata nulla ratione excusari possunt: ad quos Euripideum illud aptè accommodari potest: Quum esses faber lignarius, rem ipsam lignariam minimè exercebas: quum oratione ad persuadẽdum parum ualeres, legationes inibas: quũ in re familiari curanda inertia torperes, rempublicam gubernare uolebas: calculandi ratiocinandiq; imperitissimus quũ esses, Quæstorem agebas: imbecillus & senex, ductitandi copias et foris imperitandi studio flagrabas. Atqui Pericles Cimonem in republica administranda assumpsit socium, quandoquidem ipse rerum domi potiebatur, ille autem instructis nauibus bellũ aduersus Barbaros gerebat: erat enim alter ad rempublicam gubernandam aptior, ad bellicas res alter natura ipsa accõmodatior. Laudatur subinde Eubolus Anaphlystius, qui autoritate, opinione, uiribus, opibusq; maximè pollens, nihil quod ad bellum & imperium pertineret unquam curandum suscepit, ærario duntaxat locupletando penè se addixit, unde uectigalia publicos´que prouentus mirum in modum auxit, & rem communem apprime ijs rationibus ampliorem effecit.

Iphicra

Iphicrates uerò meditando declamandoq; domi, pleriſq; audientibus, deriſui habitus eſt. Nam etſi eloquens erat, beneq; & apte orare ſciebat, debuit tamen gloriam eam quærere, quæ republica pace & bello adminiſtrãda comparari & gigni ſolet, cæterum eiuſcemodi ſcholas & ſtudia rhetoribus & ſophiſtis concedere. Et quoniam natura id comparatum uidetur ut ſuſpiciones, atq; querelæ facilè conflentur ad uulgus & multitudinem, contra hos potiſſimum quibus autoribus reſpublica gubernetur, & pleraq; ab omni crimine atq; factione ſummota, ſuſpicionem tamen afferant, per cõiurationem atq; ſeditionẽ tractari: quo fit ut ſodalitates & amicitiæ crimunoſæ res uideantur ac malè audiant: eas ob res inimicitiæ quidem ueræ & aduerſus ciues diſſidia nequaquam mihi uidentur ſuſcipienda. Negocium Chij illius Onomademi, uiri ſanè popularis, qui ut ſe autore ac duce aduerſa in ciuitate factio ſuperata & uicta fuit, omnes aduerſarios eijciẽdos non cenſuit, uereri ſe inquiens, ne aduerſæ factionis hominibus ad unum ciuitate exactis, inter amicos diſſidia fieri inciperent: quod mihi quidẽ abſurdum omnino atq; conſilij inops negotium uidetur. Proinde ſi quam aliquando rem, magnam utiq; & reipublicæ ſalutarem uulgus ſuſpicari uidetur, & propè formidabilem ducere, ob rem tum mihi futurum uidebatur, non omnes ueluti ex compoſito eidem aſtipulari ſententiæ & idem ſentire uideri: quin conſultò duobus tribuſue per diſſidij atq; contentionis ſpeciem renitentibus, rem in diſceptationẽ adductam bellè & leniter in commune tractari: ad extremũ hos ipſos qui contradicerent, uelut melioribus rationibus ſuperatos, priore deductos ſententia manus dare. Hac uia facilè allicias uulgus, & tanquam utilitatis communis habita

habita ratione perſuaſum quocunque uelis inducas. In paruis autem rebus, quæ non magnopere ſummam reipublicæ contingere uidentur, non erit ab re, ex ſententia animi ciues, atqueadeo amicos, inter ſe certare, explicatã ſingulis, nullibi omnino diſſimulatam ſententiam afferentibus. Hinc maximis in rebus populus inducetur, principibus ciuitatis ſententias ſuas dicentibus fidem habere, perſuaſus ſanè ſingulos ſuo fretos conſilio ſaluti reipublicæ rectè proſpicere, non omnes ex compoſito conſpiraſſe. Sanè uir optimus, & ciuilis, nunquam non naturã ciuitati et multitudini præeſt, ea lege qua dux inter apes exiſtit: quod eum qui rempublicam adminiſtrat animaduertere in primis oportet. Quos uerò uulgo appellãt magiſtratus, & quos decernunt honores, his equidem ſæpe ac nimis ſtudendum haud exiſtimo: neque enim aut pulchrum, aut populare uidetur, ambitioſe potentiam aſſectari: ut è diuerſo ciuile non eſt, honores publicè & de more decretos repudiare: & uocantis munera patriæ detrectare: quandoquidem ciuis boni eſſe uidetur, quodcunque patriæ munus rite delatum admittere, & id pro uirili parte curare, etiamſi humilius uideatur, quàm eius exiſtimationi cui demandatur conueniat. Quin hoc nomine maximè ſuſcipi debet, atq; paulò ſplendidius geri: Par enim eſt, ut qui magnis honoribus decorati ſunt, ab iis munera munera uiciſſim ornentur. Verum in adipiſcendis primis & maximis magiſtratibus, ut ſunt Athenis Prætores, Rhodi Prytanes, apud nos Bœotiæ principatus, cedendum aliquando eſt, & nonnihil alicubi per modeſtiam remittendum, inferioribus autem honoribus maieſtas & ſplendor quidam ſtudioſè adijciendus, ne pari ratione aut in hiſce contemni facilè poſſe, aut in illis

Universidad de Navarra Biblioteca

in illis inuidiam nobis ipsi facere uideamur. Ingrediẽtem uerò subeuntemq; quemuis magistratum, illa uersare in primis animo, atqueadeo explicata habere oportet, quæ Periclem accepimus solitum scipsum dum ueſtem induceret submonere: Attende Pericles, liberi sunt quos ipse regis, Græci sunt, ciues Athenienses. Super hæc id quoque haud absurdè uidetur adijciendum: Regeris ipse, qui ciuitati præfectus es, Proconsulibus uicarijs Cæsaris subdite: *non hi lonchæ sunt campi, non antiquæ Sardis, non illa Lydorum potentia, expeditiore tibi ueſte utendum est, atque de prætorio ad tribunal & forum spectandum, non redimiculis capitis, non coronæ tibi est magnopere tribuendum, qui alios uides capiti immunere tuo. Histriones tibi sunt imitandi, qui actioni atq; certamini afferunt nonnihil ex se: affectus, inquam, exprimendis moribus atq; uenustatem agendi, cæterum dictanti suggerentiq; uerba poëtæ sedulò obsequuntur, nihil numeri, nihil modi omnino transgreßi. Hac uia tibi finibus ab ijs præscriptis ac traditis qui rerũ sunt domini, non est excedendum, quando excessus eiusmodi nunc sibila & risum affert, sed pleriſq; uelut sæuißimus astitit tortor, & securim è collo adiecit: id quod Pardalæ noſtro accidisse scimus, præfinitos transgresso terminos. Alius in insulam deportatus, factus est, ut inquit Solon, Pheleandrius, Sicinitá ue pro Athenienſe, genitale solũ coactus uertere. Pueros quum uidemus parentum sibi conniti induere calceos, seu corollas accõmodare capiti, rem risu & ioco excipimus: Principes uerò ciuitatũ, qui inepte nimis ac stultè res à maioribus egregiè gestas cõmemorãtes, hæc ciuibus suis ut imitẽtur iubẽt, excitare animos illi quidẽ conãtur, uerũ ridiculè id tẽtare deprehẽdũtur: quãdoquidẽ ea præcipi

* Οὐ ταῦτα λέγω τοῖς. Id est, non hi sunt lanceæ campi.

præcipiunt, quæ præsenti statui rerum nulla ratione congruere poßint. Meritò itaq; irridẽtur ab omnibus & cõtemptui sunt. Nã pleraq; adhuc extant ex factis antiquæ Græciæ, quæ tẽporibus hisce haud incõmodè in usum uenire queant, quibuiq; ætatis homines noſtræ bene institui confirmariq; poßint. Etenim ei qui Athenis pro suggesto orationẽ habeat, non absurdè cõmemorandum illud suggerendumq; uideri potest, nõ quibus rationibus bella suscepta & gesta profligata sint, sed qua clemẽtia simul & sapiẽtia Amneſtia illa omniũ consensu decreta sit, hoc est iniuriarũ offensionum ue (quæ triginta uiris remp. occupãtibus ultro citroq; illatæ acceptæq; essent) obliuio. Referri etiã illud potest, quæ sit mulcta irrogata Phrynicho, quòd tragœdiam recitasset, qua Mileti contineretur excidium: ad hæc decreta pompa, quã ciues coronati egerũt, accepto nuncio, Thebas oppidum dirutũ antea, & prorsus collapsum, instaurari & refici à Casandro cœptũ, quodq; renunciato Athenis ad mille quingentos Argiuos interemptos, qui Lacedæmoniorũ fauerẽt partibus, habito senatu, purificatoriũ poculum circunferri per Curiam decretũ est. Deniq; quũ per singulas domos exigenda ueſtigaretur pecunia, eius domus cõsultò præterita est, qui modò uxorẽ duxisset. Hæc nunc quoq; sectari licet, atq; studere his artibus ad maiorum instituta & mores proximè accedere: cæterũ Marathona, Eurymedontẽ, Plateas, & superiorũ exempla temporũ, quæ uulgus omnino tumoris & inertis inflationis atq; fremitus implere solet, prætermittẽda, & ad scholas sophistarũ reijcienda uidẽtur. Debet præterea pro se quiſq; insontẽ, & crimine omni uacãtem patriã principibus ac dominis rerũ repræsentare, nec minore cura & studio amicitiã alicuius præpotentis re-

ctè comparare, qua uelut ſaburra firmiter conſtitutus, eiuſq; uirtute innixus, certo patriæ præſidio ſit: præſertim quando Romani principes ciuili quodã ſtudio, & innata quadã humanitate nõ inuiti optimè de amicis mereri uolunt, beneficentiæ atque benignitati nati. Hac ratione fructus percipi poſſunt uberrimi, cuiuſmodi Polybius & Panætius reportauit: quorũ uterq; beneuolentia & cõſuetudine Scipionis maximo opere patriã adiuuit, & ingenti felicitate affecit. Id Cæſar Auguſtus magnificè præſe tulit. Alexandria expugnata victor ingreſſurus urbem, amici cuiuſdam ciuis Alexandrini manum prehendit, atq; cum eo honoris ergò familiariter confabulando introiit. Timentibus reliquis ciuibus, ne in direptionem militi darentur, proq; eo peſtem huiuſmodi ſuppliciter deprecantibus, parcere ſe inquit Auguſtus illis, & omne ius belli libenter condonare, cum urbis magnitudinẽ miſeratũ, tum uerò conditoris Alexandri habita ratione, ad extremum, in gratiam illius amici familiariſq; ſui. Num cum eiuſcemodi gratia pecunioſiſſimi quiq; magiſtratus, atq; locupletiſſimi quiq; prouinciarũ Proconſulatus conferri poſſunt? quibus pleriq; omnes adipiſcendis ad aliena ueſtibula, re familiari neglecta, conſenuiſſe uidẽtur. An illud Euripideũ mutandum, & in hanc eſt ſententiam conuertendum? Si ulli eſt rei inuigilandum, ſi domus aliorũ frequentiſſimè adeundæ, ſi ſubditum ſe quiſpiã cõſuetudini principum uult, iuuandæ decorandæq; patriæ gratia hæc facere pulcherrimũ eſt, cæteris in rebus iuſtæ honeſtæq; amicitiæ tuendæ & amplectendæ. Quòd ſi patriã quiſq; pro uirili parte obſequentẽ dominis exhibere uidetur teneri, nõ tamen eam idcirco ſeruituti penitus obſtringere, & abiectæ humilitati obnoxiam efficere debet, neq; crure altero obligato

obligato, collum præterea uinculis eſt ſubmittendũ. Plerisq; enim ſimul parua ac magna, nullo rerum diſcrimine, nullo delectu omnino habito ad dominos refrentes, proſpera patriæ ipſi aſtruere ſeruitutẽ uidentur, uel potius labefactare, & ueluti ſucceſſibus crebris euertere: quãdoquidẽ eam paulatim meticuloſam & penitus conſternatã reddunt, & rebus omnibus irritam atq; inopem faciunt. Etenim quemadmodũ qui niſi adhibito medico conſuetudine quadam adducti nec cœnare, nec lauare, nec aliud quicquã per ſe agere ſciunt, ij ne ualetudine quidem proſpera ſponte naturaq; data frui audent: ita qui cuicunque Reipub. decernendæ, cuicunq; cœtui habẽdo, omni ſimul adminiſtrationi cenſurã atq; iudiciũ principis afferẽdum putant, ij dominus ſeſe & patriæ reliquã libertatẽ amplius quàm ipſi principes uelint ſubijciũt. Qua in re cõtentionũ ambitio, atq; uehemẽs & immoderata honorũ cupido potiſſimũ in cauſa eſt: aut enim humiliores oppreſſos uolunt, quoad ciuitate coacti relicta profugi abeant, aut mutuis inter ſe ipſi cõcertaminibus inflãmati, indigniè ferentes ſicubi ſuccũbere atq; poſtputari uideantur, principes ipſos ad res omnes adducũt, unde ſenatus, iudicia, populus, magiſtratus omnis, et Reipub. ſpecies funditus euertitur. At uerò qui rectè in ciuitatibus excellere uolũt, inferiores ij ciues æquitate, facilitate, beneficẽtia allicere debẽt, potẽtiores obſequio, comitate, modeſtia lenire: omnes deniq; bonis rationibus pacatos atq; cõſentiẽtes retinere in ciuitate, ut id quod maximè cupiũt rebus omnibus trãſi gẽdis præeſſe meritò poſſint, hac ciuili ratione & uia uſi, tanquã medela abdita quapiã & arcana aduerſus oẽs qui poſſint in ciuitatibus naſci morbos, ut beneficio atq; cõmodo Reip. q̃buſdã aliquando cedere, quàm pertinaciter &

Universidad de Deusto
Biblioteca

obnixe damno & incõmodo rei familiaris peruincere atq; obtinere præoptandum censeant, aliorum unumquenque precando, & singulos condocefaciendo, quàm pernitiosa sit res ciuitatibus, pertinax atque obstinata contentio. Nunc uerò nonnulli ueriti ne ciuitas tribulibus uicinis atq; collegis cum honore ac bona gratia domi cedere uideantur, coguntur postea ad rhetorum ostia atque pragmaticorũ in manus haud paruo damno atque dedecore, disceptationes inde exortas deferre. Medici quidẽ morbos quos euellere penitus nequeũt, extrinsecus diuertendos ad corporis superficiẽ putant. Principes autẽ ciuitatum, si pacatã omnino ciuitatẽ & perturbationibus uacuã tueri conseruareq; haud possunt, in ea ipsa ciuitate supprimere atq; abdere debẽt, & è Repu. curandũ suscipere quicquid turbulenti & morbidi, quicquid seditiosi inesse cõpererint, non foris uocare & exteris palàm facere, ne medico alieno & aduectitijs medicamentis in re tam secreta Respub. indigere uideri possit. Voluntas enim atq; propositum ciuilis uiri eiusce modi optandum est, ut ciuitatis securitatem, & rerum tranquillitatẽ omnium expetat & amplexetur, perturbationem omnem, & gloriæ inanis ad insaniã usq; cupiditatẽ omnibus uiribus fugiat & declinet: uerum si quæ aduersæ res et dubiæ accidant, præsenti animo adsit, intrepida fiducia roboreq; munitus. Quæ animi affectio facilè illos solet subire, qui pro patria hostibus repugnare, atq; ad res difficiles & tẽpora dubia reniti & dimicare alacres inducũtur. Cauendumq; nobis summopere est, & in primis optandũ, ne ipsi nobis tempestatẽ aliquã cõcitemus, & malorũ nostrorũ autores & principes simus: uerũ si quo casu aduersitas irruperit, ulla nobis arte ab officio discedendũ nõ erit, neq; periculosè

losè ciuitas cõmouenda, cui periclitanti atq; labãti omnibus rationibus suppetias ferre debemus, & quã opera, studio, industria, fide nostra maximis tempestatibus fluctibusq; iactatã, uelut sacra ancora sistere & firmare: quæ tẽpestates Pergamenis olim Nerone, Rhodijs nuper Domitiano, Thessalis ante hac Augusto imperatore acciderunt, qui uiuum Petreium cremauerunt. Hoc in loco profecto utrũ optimũ atq; egregium ciuem nequaquam conspicarere uel silentio casum prætereuntẽ, uel sibi extimescentem, uel deniq; se instanti periculo eximentẽ, crimen atq; facinus in alios transferendo: quin hunc ipsum nauigationem primum omnium obeuntem, legationis onus suscipientẽ, dicentemq; ingenti fiducia illa: En patratores sceleris assumus, auerte pestẽ Apollo. Neq; hæc modò, uerũ etsi omnino facinoris expers ipse sit, paratus tamẽ accedat, ut unus pro omnibus, si in usum ueniat, pœnas luat, molem eiusmodi magno ac forti animo susceptur us: præclarum mehercles facinus, & quòd sæpenumero unius uiri uirtute, unica præsentia animi, concitam iram retundere, ulciscendi, & pœnas sumendi flagrantem cupiditatem restinguere, denique acerbitatem atque formidinem omnẽ fugare deiicereq; potuerunt. Eiusmodi usu euenisse accepimus Buli & Sperchi Lacedæmonijs à rege Persarum. Simili ratione affectum Pompeium legimus defectionis pœnas à Mamertinis exposcere, atque omnino sumere animatum. Astitit Stheno ille, & libera remissaq; fronte uerba fecit: non æquè nec iustè constituturum Pompeiũ, si unius ob noxam plerosque insontes damnandos capitis uelit, se unum esse qui ciuitatem ad defectionem erexit, amicis quidem persuadendo, inimicis uerò uim afferẽdo. His ita affecit Pompeium, ut & ciuitati parcẽdo, &

Sthenonem humaniter comiterq; habendo facilè induxerit animum. At hospes quidem Syllæ, uirtute quidem ille simili usus est, sed non Pompeio similem Syllam adeptus, fortiter atq; ingenuè mortè obijt. Prænetum enim oppidũ Sylla quum ui cepisset, ciuesq; ad unum necandos constituisset, unum illũ qui hospes eius fuerat, hospitij nomine exemptũ uoluit: ille contrà, nolo inquit occisori patriæ salutis acceptæ gratiã habere, simulq; ciuium se turbæ immisit, & una cum reliquis trucidatus est. Verum eiusmodi casus deprecari maximè decouereq; meliora sperãtem oportet: perfanctè autẽ perq; religiosè feceris, si quoscũq; magistratus publicè geras, honore uenerationeq; summa geras. Honos uerò magistratibus ille in primis habendus est, cõcordia atq; cõsensu collegarũ, & quidẽ multò amplior, quàm qui impositione coronæ atq; purpura & auro cõtexta ueste cõparatur. Proinde qui eadẽ feciſſe stipẽdia, et eãdẽ militiã iniſſe, demũ iiſdẽ inoleuiſſe tẽporibus, amicitiæ hæc idonea satis initia esse putãt, societatẽ uerò magistratus atq; imperij, tãquã inimicitiarum atq; dißidij causas horrẽt atq; auersantur. Ijs id eueniat oĩno necesse est, ut unũ è tribus malis effugere nequeãt: aut enim collegã parẽ sibi, aut meliorẽ, aut inferiorẽ necessariò existimãt: si parẽ, p factionẽ dissentire ab eo incipiẽt, ne cedere uideãtur: si præstãtiorẽ, inuidia & liuore flagrabũt: si inferiorẽ, contẽnent: quandoquidẽ diuersa omnino ratione, præstantioribus morem gerere, inferiores ornare, paribus honorẽ habere deberent, cæteros amplecti beneuolè, atq; omnibus amicitiæ prosequi officijs. non enim per mensam & inter pocula, nec in uestibulis ipsis, societatẽ eiusmodi inuenerunt, sed cõmuni ciuitatis consulto, & publica suffragatione. Quo fit ut beneuolentiã hanc decernẽte patria

tria, ueluti ius quoddam hæreditariũ mutua charitate complexos perpetuò seruare atq; tueri oporteat. Hinc Romæ Scipio male dicitur audisse: in dedicatione nanque ædis Herculis, epulum quũ splendidè & opipare apparasset, amicos inuitauit omnes, collegam duntaxat Mumiũ præterijt. Etenim quamuis non inter se cæteris rebus uidebantur amare, par erat tamen societatis atq; collegij comiter & honorificè rationem habere. Si Scipioni itaq;, uiro certe cætera admirabili, comitatis parumper prætermissum officium fastus & superbiæ notam inurere uisum est, quibus quæso artibus modestus quisquam alius & frugi homo haberi possit, qui existimationi collegæ per inuidiam detrahat, qui alicubi aberranti per maleuolentiã insultet, qui factis præclarè gestis per æmulationem obtrectet, uel denique inde laudem beneficiorum per ambitionẽ extorqueas, sibijpsi postea per impudentiam arrogęt & adscribat? Equidem cõmemini iuuenem me quodam adhibito altero socio, legatum ad Proconsulẽ decreto publico institutũ, socium uerò casu quodam restitisse, neq; legationis munus ad exitum usq; prosecutum, me functum officio, & quæ publico nomine curanda susceperã, ex sentẽtia confeciſſe, domum regresso, ac legationis iam absolutæ rationẽ publicè relaturo mihi patrem secretò iußisse, ne dicerem: acceßi, dixi, feci, sed comprehenso collega, acceßimus, diximus, fecimus, haud secus atq; si rebus omnibus ipse quoq; interfuisset, & operam mecũ præsens conficiendis negocijs impendisset: hac enim ratione nihil non modestè atq; humaniter fieri, nec modò haud inuidiosè rem totam tractari, uerumetiã nihil de existimatione inde atq; gloria detrahi. Hinc factũ plerũq;, & à præstantißimis & maximis usurpatum est uiris, ut rebus præclarè

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarè ab se & prosperè gestis, sortem fortunamq; imparatire oportere censuerint. Sic Timoleo postquam tyrannos Siculos deiecit ac sustulit, Fortunæ cõdidit templum quam magnificentissimè. Sic Pytho admirantibus eum Athenienſibus, & honore ac laude prosequentibus, quòd Cottyn interemisset: Dijs, inquit, habenda est gratia, quibus autoribus patratum facinus egregiè est, manu duntaxat, & opera mea cõmodato accepta. Iam uerò Theopompus Lacedæmoniorum rex, affirmanti cuidam, propterea Spartam saluam & incolumem esse, quòd regibus uteretur imperandi gnaris: Imò, inquit, & ciuibus & populo regibus obsequente. quanquam re uera ex altero alterum fit, atq; utrũq; immutatim se continet. Proinde plurimorum hæc fertur sententia, id maximè ad disciplinam ciuilem instituẽdam attinere, ut principibus ciuitatis & rẽpublicam rectè administrantibus, ciues quoq; bene moratos & temperatos exhibeas. Plures enim ubiq; inueniri qui regantur quàm qui regũt. Rectoribus item rempublicam administrãdi, parui definitiq; temporis potestatẽ dari, hos uerò qui in ciuitate uersantur, per omnẽ fermè uitam regendos exhiberi. Pulcherrimum itaq; & utilissimũ institutũ ciuilis disciplinæ hoc est, ut principibus magistratibusq; quisq; obtẽperet, etiamsi opibus ac natalibus inferiores esse aliquatenus uidcantur. Indignũ certe & uehementer absurdum negociũ, tragœdiarum principẽ Theodorum, Polumue histrionem aliquem mercenariũ humili quãdoq; oratione affari, propterea quòd diadema & sceptrum gestat, in gubernãda uerò republica, atq; rebus nõ confictis, sed ueris, magistratũ idcirco à diuite quopiã & potẽte contemni & parui fieri, quòd priuatis non ualet opibus, etiamsi rerũ angustia & difficultate laborare uideatur.

deatur. Nempe hoc nomine dũ existimationi magistratus per cõtumeliã & cõtemptũ detrahitur, reip. ipsius dignitas deijci ac premi uidetur, quãdoquidẽ pro se quisq; maximè ipsam auctã & ornatã uelle tenetur & debet, eiq; suã ipsius gloriã, suã existimationem adijcere. In Sparta Ephoris cedere reges debebãt, & si quis è reliquis ciuibus publicitus uocabatur, non cessim is neque ociosè, sed cursim atq; perpropere accedebat per forũ, parẽdi ciuitati studiũ præ se ferens, honoreq; se in eo affici ratus, quòd imperio ciuitatis obtemperare alacer uideretur. At uerò sunt alij, insolẽtes profectò & prorsus agrestes & ineiuiles, qui tanquã inde sibi nomẽ atq; potentiã nẽdicẽt, in publicis certaminibus ad ostẽtationẽ usq; ludorum magistros contemnũt, & cõtumelia cõsultò afficiunt. In Dionysijs pomparũ principes & doctores obiurgãt, prætores ridẽt atq; fugillãt, & præfectis Gymnicorum ludorum imponunt, stulti sanè, qui intelligere nequeũt, honorare quàm honorari quid præstet, quam sæpenumero gloriosius & honorificẽtius sit. Maius enim ornamentũ & decus affert homini præpotenti in ciuitate, si magistratũ ipse deducit, ac ei se comitem adhibet, quàm si ipse cõtrà deducatur à magistratu: imò hoc inuidiã parit, illud solidã arguit gloriam, ut quæ à beneuolentia honorem habentiũ proficiscitur, præterquam quòd etiã ciuitati ipsi dignitatẽ addit & decus. Pulchrum profectò spectaculum, & iocundum, si prior is ad uestibulum prætorij prætorẽ salute imperatiat, atque eum amplexus spatiando per urbem deambulet. Ciuile quoque illud populare ue, maledictum aliquod per iram prolatum æquo excipere animo, et non ægerrime ferre, & uel illud Diomedis per occasionem subdere: Laus hinc et honos sequetur. uel illud Demosthenis: At nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

modò Demosthenes est,sed initiorum moderator,sed pom pæ agendæ princeps,sed coronatus de more. Itaque ulciscendi cupido in aliud est tempus reijcienda, ut alterutrum certe usu ueniat. nam aut posteaquam magistratu perfunctus fuerit, commodius iniuriam ulcisci poterimus, aut si intermissione persequendæ iniuriæ ira interea leniatur,lucro id deputabimus. Quòd si de commodis reipublicæ agatur, omni tum studio,opera,cura,fide,& diligentia rei communi prospiciendum erit, & aduersus quemuis magistratum solertissimè contendendum. Et si forte ij quibus reipublicæ gubernacula tradita sunt, ea urbanitate, modestia, prudentia uideantur, ut facilè & sine contentione quæ pro commodo reipublicæ dicantur excipiant,eos horum quibus sit opus admonitos & planè edoctos oportet, quibus teipsum ita pollicitum uelis atq; depromptũ, ut tua rebus agendis opera uti queant: uerũ si quam his subesse segnitiem & cunctationem intelligas, uel improbitatem & fraudem suspiceris, oratione tum,studio,opera sedulo reipublicæ adsis necesse est. Reliquos quoq; ciues qbus forte res nõ usquequaq; pspecta est,periculi admonitos imminẽtis oportet:nec ulla arte est negligendũ,nec ciuitatis iura ac salus prodenda per speciem,scilicet nõ decere priuatum ciuẽ principum & magistratum gerentiũ res & munus paulò curiosius disquirere & scrutari,& hoc nomine administrationẽ alijs rite traditã ad se conari trãsferre. Parũ hæc ualere,nullũ obtinere locũ omnino debent,ubi de salute rerũ & reipublicæ cõmodis agitur. Pulcherrimo enim iure, cum nunquã nõ recte agenti,atq; ciuitatis saluti & cõmodis præclarè prospicienti primæ reipublicæ haud iniuria deferũtur. Fuisse refert Xenophon in exercitu quẽdã,nõ imperatorem quidem

quidem,non ducem,non præfectum,sed prudentia,uirtute,consilio,magnitudine animi facilè principem, qui talis extitit, ut Græcos perseruarit. Philopœmenes quoq; inter res præclarè à se gestas,illo maximè facinore claruit, quòd quum Agis Lacedæmoniorũ rex copias ad Messenam oppidum admouisset,& Achiuorum dux reformidãs congressum suppetias ire recusaret, ipse iniussu imperatoris strenuis quibusq; uoluntarijs acceptis, atq; in aciem directis,hostes irrupit, & ciuitatem salute periclitantem hac uia metu atq; periculo liberauit. Non tamẽ pro quibusuis exiguis scilicet & parui momenti rebus nouitati studendum est,& ordo ac modus rerũ omnium perturbandus,sed aut pro necessarijs, & quæ dilationẽ sine pernitie ferre nõ possint, quale Philopœmenis fuit negotiũ: aut pro rebus illustribus & præclaris, cuiusmodi fuit Epaminondæ. Is enim contra legem definito sibi imperio tempori quadrimestre spatium addidit,ingressuq; Laconicã res Messenæ confecit. His rationibus extraordinariè innouandum aliquid est,ut uel necessitatis prætextu, si quà occurrendum erit uituperationi atq; querelis, accusationem deprecari possis, uel magnitudine atq; decore faciendi inceptum commode compensare. Celebratur ubiq; gentium Iasonis illa Thessalorũ tyrãni sententia, quam usurpasse in eos solitus traditur, quibus ullam molestiam aut uim intulisset: Qui magnis in rebus iustitiæ se cultorẽ haberi uult,eum ius aliquando in paruos uiolare necesse esse. Quanquã eiusmodi uerba uestigio intelligi possunt præpotentis cuiuspiam esse, cupiditate & ui, non ratione & lege res administrare uolentis. Hoc uerò rectè ciuile præceptum est,parua plerunq; quibusdam ratione concedenda esse,ut et maioribus resistere abstinere'ue possis,&

hos

hos qui ad peccandum paulò petulantius propensi uidentur, facilè coërceas & retardes. Is enim morosum atque prorsus difficilè populum efficere solet, qui gubernacula Reipublicæ tenens, nimium in omni re se & uehementer seuerũ, asperum, atq; inexorabilẽ exhibet, nemini unquã cedens, nihil ulli condonans. Assuefacit nimirum is & inducit populum, ut pertinaciter atq; contentiosè renitatur atq; repugnet. Enimuero laxandus est aliquãdo, ut aiunt, pes, & fluctibus obsequendum, quando præsertim magna uentorũ ac ingẽs uis, nunc propere obsecundãtium, nunc reflantium: & cum lepidè atq; scitè alludendum assentiẽdumq; deorum solennibus ludis atq; spectaculis celebrandis, tum uerò dissimulandum, atq; consultò nõnihil prætereundum, tanquam nec uideris quicquam, nec audiueris: id quod domi plerunq; puerorum errata de industria non obseruantes, quasi nesciamus intelligamus'ue, factitare solemus. Hinc maximè obiurgandi castigandiq; acrimonia & loquendi libertas, non uelut medicamentũ idẽtidem usurpatum, seu uetus atq; abolitum, proq; eo parum efficax parumq; potens, sed ut uigens raritate ac fidem faciens, hos qui maiora grauioraq; commeriti sunt, uehementius taxat, atq; acrius mordere & pungere potest. Alexander sororem cum quodam honesta iuuene fõrma consuescere quum accepisset, haud rem grauatè tulisse fertur, dixisseq;, concedendum aliquatenus illi quoque esse, regno ut fruatur: quanquã nõ rectè, neq; pro dignitate & officio uidetur eiuscemodi factis concedere, quem minimè oportuit petulantiam & perniciem regni uoluptati habendam existimare. Porrò uir ciuilis nequaquam pro uiribus populo permittendum censebit, ut in ciues per contumeliam sæuiat, aliena bona diripiat, publica peculetur

culetur, uel perperam dissipet: suadendo potius, cõdocefaciendo, terrendo deniq; petulantiæ omni atq; libidini repugnabit. Quales cupiditates ac pestes Cleon & pauit & auxit, aculeatumq; sucum, ut inquit Plato, in ciuitatem inuexit. Quòd si uulgus aliquando uetus aliquod & patrium festum uel Dei solenne prætendens, spectationem largitionem'ue aliquam nõ admodum sumptuosam, & benignitatem haud absurdam uidetur expetere, licet ei tum per magistratus & principes ciuitatis commoditate hac iocũditateq; frui. Pleraq; enim eiusmodi rebus à Pericle aut Demetrio principe gestis inesse comperiuntur. Cimon quoq; traditur deambulacris spatiosis platanis ordine cõsitis atque in uersum dilatis forum uariè exornasse. Catonem item accepimus, ut Populum Romanum animaduertit ad mutationem Reipublicæ perniciosè propensiorem, Catilina rebus nouis studente, & Caio Cæsare uarijs stimulante artibus, retulisse in senatu, persuasisseq;, ut largitio decerneretur, quæ inopia & angustia rerum laborantibus distributim exhiberetur: hoc nomine tumultũ sedatum, hac uia seditionis suppressa semina, atque turbulentorum ciuium inhibitum impetum. Etenim quemadmodum medici est, magna ex parte corruptiore sanguine diminuto, parum ægroto deinceps innocui & salubris cibi afferre: sic uir ciuilis & Reipublicæ princeps, demptis prius ignominia, damno'ue ciuitatis summoto, leui deinde gratia & humanitate quascunque molestias & querelas leniet atque solabitur. Erit quandoq; ob rem, quod populum intelligas nimio flagitare studio, id aliorsum traducere, quod Demadem fecisse accepimus. Ei Quæstorem agenti, & prouentus ciuitatis curanti, Athenienses uisi sunt studio quodam inducti, auxiliares triremes ijs

uelle

uelle mittere, qui modò ab Alexandro defciuerant. Iubentibus itaque pecunias depromeret, & fine mora repræsentaret: Sunt, inquit, uobis uiri Athenienſes paratæ pecuniæ, quas equidem in congijs depoſueram, quo ſinguli dimidium mnæ acciperetis. Verum ſi ad iſta mauultis erogari eas, per me liceat ueſtris abutamini, & ad quæ complacitũ eſt impendatis. Hac arte populi ſubſtitit impetus: & ne diſtributione illa fraudaretur, expeditionẽ poſthabuit, & in Alexandrum nihil cõmeruit. Pleraq; enim incõmoda non recta excutiendi uia amoliri atq; depellere poſſis, ut ad ea propulſanda inſinuatione & ambiendi artificio opus ſit. Qua ratione uſum Phocionem accepimus: Iuſſus enim copias in Bœotiam ducere, quæ tum expeditio non ei è Republica fieri uidebatur, edixit, ut qui ex ephebis ad ſexageſimum annũ in ciuitate eſſent, ipſum continuò ſequerentur. Reclamantibus uerò ſenioribus, et ætatem excuſantibus, nihil inquit abſurdi edicto contineri ſuo: ſiquidem ipſe octoginta natus annos copias ductitans una profecturus eſſet. Hac ratione uulgi ſtudia retundere poteris, ſi quando legationem uideris importunè flagitari, eiuſmodi decernendo, qui ad munus obeundum parum tibi idonei uideantur, easq; ſarcinas ac uaſa deferant iubendo, quæ impedimento magis atque decornamento proficiſcentibus, quàm uel decori uel uſui omnino futura ſint. adhæc te ipſum unà peregre profecturum pollicebere, modò quæ conſtituiſſes in expedito ſint. Maximè uerò omnium eos huc puto trahendos, & ijs id quicquid eſt negotij committendum, qui ſuis inducti ſtudijs harum rerum autores hortatoresq; potiſſimum uidebantur exiſtere, qui ſi munus recuſent, rem totam, cuius ſe autores uoluerunt, ipſi deſtruant: ſin ſuſcipiant, laboribus diffi-

difficultatibuſq; quoquò uerſus impliciti ſuæ ipſorũ demẽtiæ & temeritatis pœnas primi omniũ luant. Quòd ſi quod opus ingens ac utile curandũ proponitur, ad quod conficiendũ opera & diligentia multa opus ſit, hic annitendum eſt, ut optimos amicorũ tuorum, quibus rẽ perpetrandam cõmittas, deligas, uel ex idoneis omnino eos deſumas, qui facilitate atq; manſuetudine maximè præſtent: ut qui non per contentionem ſibi inuicem refragando, ſed conſentientes atq; concordes negocium ſunt abſoluturi, nempe prudentia ſine ſtudio æmulationis adhibita. Quin etiam tuam ipſius naturam expertus, ſi quid offeratur agendum, ad quod efficiendum alios te magis idoneos futuros intelligas, illis ut qui plus ualituri, & rem commodius tractaturi ſint, adminiſtrationẽ & munus cõmittes. Quam uiam Diomedem ſecutũ accepimus, qui caſtra hoſtium exploratum quum mitteretur, poſthabitis fortioribus eum ſibi delegit ſocium, qui prudentia maximè præſtaret. Natura enim comparatum uidetur, ut inter eos æmulatio cõtentioſa non innaſcatur, qui diuerſa uirtute, diuerſis uiribus, non eodem ſtudij genere, operã rei cuiuſpiam dant, ac eam diſparibus quidem artibus, uerum pari diligentia uoluntateq; curant. Quòd ſi forte cauſam dicturus, ſeu legationem initurus, tu teipſum ad dicendum intelligas parum idoneum, uirum dicendi peritũ adiutorem tibi ſociumq; muneris deſumere debes, ut Pelopidas Epaminondam. Sin ad alliciendum oratione populũ parum es natus, & à gratificandi ratione alienior, lepidum aliquem atq; obſequioſum delige tibi ut Callicratidam facere ſolitum legimus. Si uerò ad labores tolerãdos imbecilli tu es inefficaciq; corpore, induſtrium accipe & robuſtum, ut quondam Lamachum Nicias. His artibus

Gerionem

Gerionē admirandum accepimus: qui enim multa crura, pleraſq; manus oculoſq; habere dicebatur, unico cuncta animo conſilioq; adminiſtrabat. Itaq; reipublicæ gubernatores non modò ad uſum ciuitatis opes & corpora cōferre debent: uerum quoq; fortunas, uires, uniuerſas copias, concordibus atq; cōſentientibus animis contribuere, ut pro ſe quiſq; eandem rem quibus poßit & ſciat curādo excellat: non quemadmodum Argonautæ relicto Hercule coacti poſtea ſunt muliebri ductu ueneficijs & incantationibus ſeſe ſaluos facere, & aureum uellus furari. Neq; templum intrare uolentibus, foris eſt aurum omittendum, & ferrum nequicquam inferendum: & quoniam iuris dicendi tribunal uelut commune omnibus templum patet, Iouis conſiliarij & Themidis iudiciorū præſidis domicilium, cueſtigiò quemque inde mouere oportet morbum auaritiæ: omnemq; comparandarū diuitiarum ſollicitudinem tanquam ferrum ferrugine obſitum, ab animo amolitum, ad mercaturam & nundinas atque fœneratores & caupones reijcere, & ſeipſum aliorſum uertere ad recta munera expeditū, admonitum prius & pro comperto habentē eius ſemper corruptam futuram rationem uitæ, qui ſemel depeculari rempublicam, legere ſacra, expilare ſepulchra, bona amicorum ſurripere, negare credita, clientes prodere, falſo teſtimonium dicere animum induxit. Hunc, inquam, futurum conſiliarium perfidum, iudicem irreligioſum, in magiſtratu gerendo quæſtui & muneribus inhiantem, nullius, ut ſemel dixerim, iniuriæ omnino expertem. Qua de re mihi haud uidetur pluribus diſſerendum uerbis. Ambitio uerò etſi ſpecioſior uideri poteſt auaritia & lucrifaciendi cupiditate, nihilo tamen minus mihi uidetur pernitioſa reipublicæ, quippe cui ma

Ambitio rei
ub. pernies.

ior ineſt audacia, & quæ non deiectis neq; ignauis innaſcitur animis, ſed nouis, uigētibus & iuuenilibus: accedit plerunque obſecundatio quædam & fauor populi: quo fit ut extollantur magis & intumeſcant, nec contineri proinde poßint, nec facilè à quouis ſe tractari permittant. Plato quidem ait, adoleſcentes à primis omnino annis admonendos eſſe, aurum extrinſecus uel geſtare, uel poßidere nefas eſſe ei qui illud intrinſecus, & animo ipſo immixtum natura haberet: uirtutem, ut mea fert opinio, hoc nomine uolens ſignificare: cuius primordia quædam, & ueluti ſemina homini innata, ad conſummationem eius pertinent. Ea ratione commonefaciendos exiſtimo, qui cupiditate honorum, & morbo ambitionis laborant, eiuſmodi aurum ab ſe poßideri, quod nulla aſperſum labecula, omni peſte uacuum, nec inuidia ulla corrumpi, nec notari macula, nec ſordibus ullis cōtaminari queat: quin memoria rerum priuatim publiceq; honeſtè geſtarum indies augeatur & creſcat. Quamobrem non depictis opus eſt imaginibus, non fictilibus ſignis, non ex ære cōflatis ſtatuis, in quibus id quod apparet probariq; poteſt, totum alienum & foris affictum eſt. Quandoquidem non is abſentibus laudatur, cui ſtat opus, & aut pictus uel fictus, aut denique fabrefactus atq; compactus tubicen forte quiſpiam uel ſatelles, ſed is commendatur qui fecit. Proinde Cato referta iam urbe Roma ſignis & ſtatuis, ſuamipſius ſiſti uſpiam non permiſit, malle, inquiens, cauſam cur ſibi non ſteterit ſtatua, quàm cur ſtet requiri: Ij enim honores inuidioſi ſunt, arbitrāturq; uulgo homines ijs ſe habere gratiā, quia non accipiunt: è contrario ab ijs ſibi haberi qui acceperunt, eoſq; grauantur, atque quaſi mercedē ea ab ijs efflagitāt, quibus indigere ipſi uidētur.

Universidad de Salamanca Biblioteca

Et ut qui præteruectus syrtes ad fretum delatus & æstuaria, postea nauim euertit, nihil operæprecium is fecisse uideatur, ita qui Quæstor ærarium conseruauit, prouentus publicos auxit, Consul deinde factus & ampliori præfectus muneri, repetundarum peculatus'ue damnatus est. Nam etsi sub rupes præaltas, celsumq; promontoriũ depulsus uidetur, mergitur tamen nihilominus & pessundatur. Magnus igitur ille, qui nulla eiusmodi rerum indigens fugit ea & deprecatur, & omnino pro nihilo ducit. Quòd si gratiam & benignitatem populi studio huc prolapsi, repudiare facilè & ea carere non potis, satis sit tibi titulus & tabella, decretumq; publicum & uerba, perinde atque si inter ciues decertaretur, nõ præmio argẽteo ingentis proposito pretij, sed de re sancta certe, & ad corollam usq; pertinente. Cuiusmodi Epimenidem ex arce donatum accepimus, postea quam expurgarat urbẽ. Anaxagoras uerò publicè decretis honoribus animo magno repudiatis, id sibi omnino postulasse commemoratur, ut quo die mortem obiret, pueris qui disciplinis & artibus operam darent, permitteretur feriatos ociari & ludere. Septẽ etiam Persis, qui magos interemerant, eorũq; soboli honoris causa illud decretũ est, * ut anteriore capitis parte tiaram gestarent: Id enim signi facinus patraturi inter se ex opposito dederant. Honos uerò Pittaco habitus ciuile aliquid præ se fert: Iussus enim quantũ uellet ex eo agro sibi acciperet, quem ipse ciuibus uendicarat, quantum iaculum, quod ipse iaculatus erat, pertransijt, tantundem accepit. Publius uero Romanus tantundẽ agri sibi quæsitum uoluit, quantum ipse qui claudus esset uno die peragrasset arando. Honos enim non rei præclarè gestæ merces esse debet, sed signum permanendæ rei ad multum

τὰν πολυμαχοφόρων τῆς κεφαλῆς τὰν τιάραν γενέσθαι.

multum tempus, ut illi superius memorati honores diu manserunt. Ex trecentis autem statuis Demetrio Phalereo honoris erectis causa, nullam ærugo attigit, nullam squalor sordidauit, nullam uetustas attriuit: quippe quæ adhuc illo uiuẽte subuersæ omnes sublatæq; sunt. Demadis item statuas deiectas & obrutas, ac inde ad uascula quædã per cõtumeliã cõflatas accepimus. Pleriq; alij eiusmodi honores in cõtumeliã uersi, molesti odiosiq; habiti sunt: nec p improbitatẽ tantũ eorũ, qbus decreti fuerãt, ueruetiã uastitas & amplitudo immoderata, cur antiquarentur, causa extitit. Proinde fortissimus atq; firmissimus honoribus custos, modestia adhibẽda est. Prægrãdes enim honores, utpote superbi et tumidi, æquè ut corpora uastæ & immoderatæ proceritatis, cito simul & facilè corruũt. Appello autem nunc honores, quos uulgus sic æstimat: Empedocle enim autore, quod uulgo fas dicitur, sic ego quoque accipio. Nam honorem uerum & solidum, & gratiam quæ eorum continetur beneuolentia, qui beneficiorum memores, & gratiæ referendæ studiosissimi sunt, ciuilis uir nequaquam despiciet, neque committet, ut quasi existimari negligat, & ne suis uideatur placere, honorem ex industria fugitet, & deuitet: quod sensit Democritus, quando ne canum quidem allusio, uelut salutatio, neque equorum propemodum beneuolentiæ species uenatoribus equisonibusq; res omnino repudianda uidetur: quippe quam iocundam & utilem arbitrantur, puetantq; affectionem eiusmodi cicuribus animalibus inculcandam, & penitus inserendam esse: qualis commemoratur Lysimachi canis, quales equos Achillis in Patroclum fuisse Poeta refert. Mihi proinde præclarius cum apibus agi uidetur, si cultores altoresq; suos salutare, &

manſuetè accipere conſueſcant, quàm ſi inſiſtis eos acu-
leis petant. Nunc uerò apes quidem ſimo uexatæ pœnas
poſſeſſoribus temeritatis atque ferociæ dant, equi laſci-
uientes & duri freno iunguntur, contumaces canes coer-
centur collaribus, & quocunque uel inuiti aguntur. Ho-
minem uerò homini nil aliud mãſuetum & mitem reddit,
quam beneuolentiæ fides, iuſtitiæ & probitatis certa opi-
nio. Quocirca rectè Demoſthenes ſenſiſſe uidetur, qui id
maximè ſalutare ciuitatibus & firmum præſidium cenſet,
ut tyranni nullam liberi populi fidem habeant. Etenim
pars illa animi, qua fidē habemus alijs, & credulitate affi
cimur, lubrica nimirum eſt, & facillimè falli inducíq; po
teſt. Et ut Caſſandræ uaticinatio propterea nihil pro-
fuit patriæ, quòd erat apud ciues ingloria, & fides ei
non habebatur (ſic enim dicere adducitur: Incaſſum me
Deus uoluit uaticinari, quando ante cladem inſana habi-
ta, poſt calamitatem ſapiens ſum appellata) ſic fides Ar-
chytæ habita, & in Batum beneuolentia ciuium magno-
pere ijs profuit, qui eorum opera & conſilio uſi ſunt.
Proinde primum & maximum omnium, quæ exiſtima-
tioni bonorum ciuium attribui poſſunt, fides certe eſt,
quæ gradum ad agendum conſtituit, & aditum magna
capeſſentibus præſtat, propugnat ſecundo loco, armatq;
& inſtruit bonos beneuolentia ciuium aduerſum obtre-
ctatores & improbos: quandoquidem, iuxta illud poëti-
cum, ut mater ab infante ſuaui ſomno ſopito abigit mu-
ſcas, ita liuorem atque inuidiam procul propellit & amo
litur. Aequat præterea uires, & parem plebeium patri-
cijs, ignobilem illuſtribus, inopem diuitibus, & magi-
ſtratibus priuatum facit, atque ut ſemel dixerim, uirtu-
te ueritateq; accedente, Reſpublica certis ſtatibus & ſe-
cundis

cundis gubernanda ſuſcipitur. Quæres tibi, ſi animad-
uertas exempla, notesq; memoria rerum ratione contra-
ria & diuerſa hominum affectione geſtarum, facilè com-
pertior apparebit & euidẽtior. Dionyſij uxorem ſtupra-
tam, liberoſq; prius omniſaria contumelia fœdè affectos,
interemptos demum accepimus: ad extremum concrema-
tis corporibus, in mare de naui cinerem ſparſum. At Me-
nandro regi Bactrorum, homini frugi atque mitiſſimo, in
expeditione & caſtris uita defuncto, cunctæ ciuitates re-
gni, cunctiq; populi inferias de more & iuſta magnificè
communi cõſenſu ſoluerunt. Poſtremo de reliquijs quum
diu decertatum eſſet, quibus potiſſimum commendarẽtur,
uox tandem inter omnes conuenit, ut æquè partitæ ſingu
lis diſtribuerentur pro rata parte: nempe quo monumen-
tum illius uiri apud omnes pariter cum ueneratione exi-
ſteret. Agrigentini tyrannide Phalaridis liberati, publi-
cè ſanciuerunt, nulli cœruleo colore ueſtimentum geſtare
liceret: ideo quòd tyranni ſatellites, & corporis eius ſti-
patores, eo colore ſubligaculis uti ſoliti erant. Perſæ ad
hanc uſque diem homines unco naſo & amant, & pul-
chritudine præditos arbitrantur, in honorem Cyri, qui
eiuſmodi naſo fuiſſe traditur. Quo fit ut amor ille uali-
diſſimus atque ſanctiſſimus omnium meritò habeatur, quẽ
per uirtutem quiſpiam à ciuibus & popularibus ſibi cõ-
parat. Honores autem, qui ſpectaculorum, largitionum,
atque gladiatorum editione conflantur, falſo quidem hi
honores appellari uidentur: quippe qui à meretricijs
adulationibus nihil diſtant. Natura ſemper id multitudi-
ni comparatum in promptu eſt, ut eroganti gratificana-
tiq; ſtatim arrideatur, & inſtabilis, atque unius diei ingen
tis gloriolæ ſpecies cõfeſtim exhibeatur. Rectè itaq; mihi

naturam multitudinis conſpicatus uidetur, qui primus dixit, largitionum corruptelæ inductione, libertatem populorum interiiſſe: uis enim omnis & robur frangitur multitudinis cupiditate accipiendi ſuperatæ & uictæ: quanquam corruptores uulgi admonẽdi mihi uidentur, ſeipſos primos ijs artibus perdere atq; peſſundare, quando magno precio honores eiuſmodi ementes, ferocius efficiunt uulgus: oſtenduntq; ipſum rerum potiri, & dandi auferendiq; munera poteſtatem penes eum poſitam eſſe. Et de largitione quidem hactenus. Verum non idcirco circa munificentiam & benignitatem ciuilem ſordidè aut parcè erit agendum, ubi ſcilicet rebus ſuppeditantibus legum atque morum permiſſu fieri poſſit: maiore enim odio diuitem populus ſuggillare & perſequi ſolet, nihil per benignitatem & gratiam depromentem, quàm inopem & egenũ, qui bona ſurripiat publica & ſuppilet: hoc enim neceſſitate acerba domina ſtimulãte, illud malignitate atq; cõtẽptu fieri arbitrãtur. Eſto itaq; munificẽtia talis, quæ primo gratuitò & liberaliter, nõ alicuius recti cauſa appareat: hac enim ratione ij, quos afficeris beneficio, admirãtur te & facilè capiũtur. Secũdo loco oblata occaſione prætẽdẽdæ urbanitatis frugalitatisq; uenerare deos, et pietatẽ in honorem eorum opibus tuis utare: Magnopere enim affici multitudo ſolet, et in opinionẽ adduci colẽdos uenerãdosq; eſſe immortales deos, quãdo pietatẽ eorũ conſpiciũt, quos ipſi maximi ducũt, tam magnificè et alacriter diuina proſequẽtium, atq; tot ſumptus haud grauatè impendentium. Et certe, ut inquit Plato, modulationem & cantum, cum Lydium, tum uerò Phrygium adimi adoleſcẽtibus oportere, quos liberaliter inſtitutos uelis, quòd alter luctu atq; cõqueſtionibus deijcit atq; affligit animũ,

alter

alter ad libidinem & luxuriam irritat, & præcipitẽ agit; ſic principẽ ciuitatis facere decet, ut ambitionem & ſumptus, quibus alitus irritatusq; animus atrocior & ſtrocior fit, & ſcurrilitate quadã prodigã luxuriari uidetur, omni ſtudio de ciuitate procul depellat atq; eijciat. Quòd ſi minus effici forte id poteſt, ab ijs certe abhorreat, atque eos declinet, & ijs refragetur pro uiribus, qui talia experũt, & pernitioſiſſimè ſtudent. Modicos uerò temperatosq; ſumptus ſemper putet idoneos bene moratæ ciuitati, quorum finis neceſſarius honeſtus ue ſit, & ſuus iucundus & gratus, modò noxa omnino atq; contumelia uacet. Et ſi forte tibi adeò mediocres fortunæ ſunt, ut niſi cẽtro & linea, ut aiũt, permenſæ, ad ea quibus tibi opus ſit ſuppeditare minimè queant, non erit illiberale, nõ animi omnino ſummiſſi & humilis, inuoluntariam inopiam confiteri, deinde locupletum ſumptibus cedere, ne cõtentionis inani ſtudio ad grande æs alienum conflandum ineptè cogare, unde teipſum non modò miſerandum omnibus, uerumetiam irridendum exhibeas: Difficultate enim rerum implicitus, occultam diu & abditam inopiam tenere quì poteris? Nanque ſiue amicis moleſtiam & negocium exhibueris, ſiue creditoribus adulando alluſeris, deprehendaris uteunque neceſſe eſt, iudicesq; teipſum non modò nullam gloriam, nullas hac uia tibi opes parare, uerum contemptum & dedecus adipiſci. Conducet itaque rebus tuis Phocionis atque Lamachi memoria ſæpenumero uſurpata: Quorũ alter flagitantibus quibuſdam Athenis, ut ad ſacram rem faciendam quippiam etiam ipſe pro uirili parte tribueret, & diu quaſi daturo applaudentibus: iniurius & impudens, inquit, profectò ſim, ſi ad rem diuinã uobis depoſcentibus aliquid dare animum in-

duxero, huic autem Callicli, digito creditorem ostendens, nihil reddidero. Lamachus uerò imperij expensum referre solitus traditur, quantulum sibi in uestimentum atq; crepidulas expendisset. Ermoni Thessali magistratum præ inopia ei deprecanti, matellam uini singulis mensibus, & farinulæ modium de publico decreuerunt. His rationibus fit, ut neque fateri inopiam dedecori sit, & in ciuitatibus non desint qui possint benignè & lautè accipere inopes, modò uirtus intersit rebus, & liberè esse uiuendum persuasum sit omnibus. Quamobrem contineat se quisque maximè, & rebus sic consulat, sic modum constituat, ut nec in campum pedes aduersus equites dimicaturus descendat, nec in spectaculis, epulis, & in scena inops cum locupletibus de magnificentia & gloria certaturus. Sanè uirtute innixus, animi præsentia rationeq; fretus, ciuitatem regere pergit, ut inde non modò dignitas & maiestas quædam exoriatur, uerum gratia quoque & beneuolentia rectè concilietur, res profecto diuitijs Crœsi optatior longè atque præstantior. Frugi nanque moderatusq; uir, non insolens, non nimium sui amans, nemini in ciuitate oneri esse potest, nulli acerbus & grauis, nulli uisu infestior: Nam & salutabilis est, & natura communis, atque adire & affari uolentibus facilis, cuius domus non obserata, non occlusa, sed patens est omnibus, quò se quisque uelut è tempestate & fluctibus in portum tutò recipere possit. Nec humanitatem duntaxat his rebus affert, quibus curandis ope simul & opera opus est, uerumetiam uota prospere adsequētibus lætum se & hilarem exhibet, rursus offensis & aduersitate ulla affectis dolentē & mœstum. Nusquam ulli molestus occurrit, nemini per importunitatē impedimento est, non longo sere-

uorum

uorum & comitum agmine insolens, non in balneis & theatris occupatione locorum curiosus, nō delitijs & nimio sumptu insignis, & propterea inuisus & grauis, sed æquus & lenis: moribus, ueste, uictu, educatione liberorū, uxoris atq; familiæ cultu, simul modestia & humanitate rebusq; omnibus talis, ut facilè agnoscere possis populare hominē, qui se unum de cœtu haberi ciuium ex animo studeat, qui beneuolum se & fidelem cōsiliarium dubitatione æstuantibus præbeat, afflictis patronum sine mercede, connubijs amicitijsq; committendis facilem aptumq; cōciliatorem. Hunc magnam partem diei in curia Reipublicæ, in foro amicis impartire quotidie uidere licebit, reliquum uitæ spatium ea ratione dispensare, ut curas, sollicitudinem, atq; desideria ciuitatis ad se undecunq; conuertere, atq; pro uiribus componere, & ad meliorem cōditionem redigere prompto & alacri animo pergat, imitatus Cæcian, qui flando nubila ad se contrahere ferunt: Non enim cessationem & ocium, quod plerisq; passim facere solent, quæritat, sed Reipublicæ præclarè administrandæ omnē operam, atque adeo uitam ipsam impendit. Quibus artibus ciues ad se conuertere uult, edoctos atq; bene admonitos, quæ sit boni ciuis in Rempublicam cura, qualis prudentia: rursus cuiusmodi aliorum sint falsæ adulterinæq; adulationes, & pernitiosæ illecebræ. Iam uerò assentatores Demetrij alios non appellandos reges censebant: quippe qui Seleucum elephantorum magistrum, Lysimachum gazæ & ærarij custodem, Ptolemæū Nauarchum, Agathoclem præfectum insularum dictitare consueuerunt: Populus certè etsi prudentem & bonum ciuem initio forte spernere, atque nonnunquam parum facere uideatur, percognita tamen animaduersaq; simplicita-

plicitate ueritateq; morum eius, eum postea ciuilẽ omnino uirum, eum popularem, eum ciuitatis principem arbitrãtur. Ex reliquis chorearum atq; pomparum ductorẽ alĩi, epulorum alium præbitorem, ludorum hunc magistrum, & aliãs alium arbitrantur & uocant. Et ut in conuiuijs usu uenit: Callias Alcibiades ue epulum præbet, & sumptum facit, Socrates autem obseruatur, ad Socratẽ omnes congerunt oculos, sic in sanis & liberis ciuitatibus Ismenias erogat & largitur, Lichas apparat editq; cœnas, Niceratus dux est pomparum, & choreas aptè cõmittit: uerum Epaminondas, Aristides, Lysander magistratus gerunt, copias ductitant, imperijs ubiq; funguntur, domi ac foris Rempublicam administrant. Huc itaq; intueri oportet, non animis deijci, non expauescere & penè cõsternari gloriolã spectantẽ, quæ fauore atq; applausu uulgari, de theatris, de culina, de popina, de strage hominum repente exorta, & fragiliter comparata sit. Proinde nil honorabile, nil honestum, nihil præclarum & graue in se, nihil solidum continens, non diu mansura, parum uictura, unà cum ludis & scenis ipsa quoque meritò peritura funditus est. Qui apiaria curant, & ipsis apibus ære & usu nutriendis operam sedulò dant, quas ingenti bombo & strepitu de cellulis conspicantur prodire, ualidas eas atq; uberes esse coniectant: Quem uerò deus ciuilis & ratione præditi examinis curæ atque cultui præfecit, quietis atque mansuetudine populi felicitatem eius potissimum metitur, & coniectura consequitur. Et reliqua quidẽ Solonis præcepta & instituta amplexabitur ac admittet, postremo pro uiribus imitabitur: illud autẽ admirabitur certè, sed hærebit diu & dubitabit, qua tandem uir ille ratione adductus lege cauendum duxerit, qui scissa ciuitate per sed

per seditionem bifariam, neutri se parti addixerit, in ærarios eum oportere referri. Non enim corpore aliquo affecto & morbido, de membris iam morbo & uitio occupatis, initium conualescendi & salus speratur progredi posse: quin ubi uis ualidorum membrorum præualere inceperit, inde uelut quoddam temperamentum proficiscens, uires serpentis iam morbi reprimit, & indies magis retundit. Natura dehinc opitulante immutatio fit, & membra languore iam læsa ad salutem pristinam redeunt. Sanè populo seditionis uitio laboranti, non tamen graui & deplorato, sed quod curari aliquatenus inhiberiq; queat, partibus sanis certè & bene ualentibus temperamentum salubre afferri debet, atque in hac medendi ratione perseuerandum est, ac penitus insistendum. Etenim uis atq; uirtus bene ualentium partium, aptè, atq; ut ita dicam, familiariter in membra morbida influens, mirum agit in modum. Plæræq; autem ciuitates omnibus perturbatæ partibus, nulla ui foris compulsæ, nullam malorum castigationem adeptæ, radicitus subuersæ interierunt. Ciuibus itaque pereuntibus, nullo sensu moueri, nihil dolere, tranquillitatem animi, atque adeo indolentiam, prædicare, uitam ociosam tanquam beatam uerbis extollere, perinde utique est ac aliorum miserijs oblectari, & gaudere calamitatibus uideare. Imò Theramenis cothurnum induere debes, ut utrisque conuenias, neutris tamen addictus: qua ratione uideberis neutris iniuriam facere, & propterea non alienus: utrisque opitulari, proinde communis: nec concitabis aduersum te ullam inuidiam, scilicet quia sis solus expers malorum, cæteris calamitate afflictis: quippe qui uicem utrorunque pariter indoleri uideri possis. Iam uerò optimum & potissimum omnium illud est, longè lateq; prospi

prospicere, ne quando seditio ulla erumpat, opus profecto rationis & disciplinæ ciuilis maximum & pulcherrimum. Etenim ciuitatibus illa sunt bona optanda maximè, pax, inquam, libertas, feracitas cum agrorum, tum uerò hominum, postremo concordia. At ad pacem comparandam hac tempestate nullius boni ciuis auxilio ciuitates indigere uidentur, fugato iam, & de medio omni genere belli sublato, tum intestini, tum barbari. Libertatis uerò tantundem possidetur, quantam rerum domini impartiendum populis arbitrantur: amplius autem optare utique non est utile. Feracitatem atque prouentus agrorum, anni temperiem, & clementiam cœli, mulierum partus, & parentibus similes natos, prognatis incolumitatem & sospitatem modestissimus quisque sibi ac ciuibus à dijs immortalibus postulabit. Reliquum ergo est, quod uiro ciuili nulla re inferius existimandum uidetur, ut rebus administrationi ciuium subiectis ita utatur uir bonus, sic moderetur, ut amicitiæ & consensus inter ciues conciliari, contentiones & inimicitiæ tolli penitus uideantur: & quod in amicorum dissidijs usu uenit, qui se priorem iniuria affectum putat, eum priorem quoque adeas, atque oratione soleris, ostendasq; te unà secum dolere, & iniuriam æquè ferre. His iactis mœrorem lenire incipito, hominemq; docere, non eos commendari solitos, qui alijs iniuriam intulerint, qui'ue pertinaciter & obnixe superare contendant, sed qui illatam iniuriam animo æquo, uel certè fortiter tulisse uidentur. Hi enim non modò mansuetudine & morum facilitate, uerum quoque prudentia & animi magnitudine præstant, propterea quòd paruis rebus cedentes, maximis atque pulcherrimis obtinent & euincunt. Ad hæc priuatim singulos publicèq; uniuersos admo

admonitos & doctos oportet, conditionem imbecillitatemq; rerum præsentis Græciæ cernere. Bene enim cum sapientibus agi existimandum est, si quietè ac concorditer uitam agere liceat, quandoquidem nil sors præclarum reliquum fecit, de quo in medium decertetur. Quis enim principatus, quod imperium, quæ gloriæ materies, his qui supersunt relicta est? quæ omnino agendi potestas, quam quoduis decretum Proconsulis facilè non inuertat, & destruere possit? quæ'ue, etiamsi integra permaneat, digna haberi & idonea possit, cui magnopere studeas, & operam naues? Enimuero non semper incendia de ædibus publicis'ue ædibus initium sumunt, sed sæpenumero è domuncula, lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma: uel ignis sensim conceptus, palea deinde & fomentis refocillatus mirum in modum ardere incipit, & primis quibusque correptis longius serpere, & maximam stragem dare: Ita seditiones in ciuitatibus non magnæ semper contentiones, nec de publicis rebus dissidia incendere concitareq; solent: uerum plerunque priuatis creatæ offensionibus, in publicam pestem certando progressæ sunt, studijs & contentionibus mutuis auctæ. Quas ob res principem ciuitatis, & uirum ciuilem oportet eiuscemodi parua futuræ cladis initia nihilo segnius præuenire, itaq; curanda & opprimenda suscipere, ut aut nusquam existere possint, aut si quà extiterint præsocentur, ne paulatim assumptis uiribus luculenter succrescant, postremò suapte magnitudine Rempublicam taxent & occupent. Quòd si tolli penitus nequeant, ad eos saltem reijciantur, è quorum priuatis studijs & dissensionibus ortum sumpsisse uidentur. Attendendum præterea sibi ducat, & alijs prædicandum, sæpe usu uenire

Universidad de Sevilla Biblioteca

uenire, priuatis & paruis neglectis rebus initio, nulla cura, nullis medicamentis adhibitis, inde calamitates etiam publicas extitisse. Delphis maximam idcirco seditionem ortam accepimus, quòd Orgilaus Phalidis filius Cratetis ducturus filiam, dum rem sacram de more facere uult, cratera stantem inter libandum ultro sortéq; derepente ruptum animaduertit, portentum hoc deuouendum ratus, infectis nuptijs, relicta sponsa, cum patre inde confestim abijt. Ea re Crates infensus, Orgilaum & fratrem non multò pòst sacrificantes adortus, ut præcipites se darent pessum iri compulit. Iterum amicos familiaresq; supplices in templo Prouidentiæ impetu dato oppressit. Postremo Orgilai fratres Cratetem & factionis eius homines ex composito aggressi intereme-runt, deq; pecunijs, nuncupatis Piacularibus, inferiora templa ædificarunt. Adolescens Syracusis quidam amatæ adolescentis amici, profecti peregre, sibi creditæ stuprũ intulit: rediens ille resciuit facinus, ulturusq; iniuriã inuicem uxorem amici stuprauit. Re uulgari cœpta, maior natu ciuis in senatum retulit, utrunq; ab urbe eliminari, prius quàm ciuitas uelut contagio sceleris infecta, ad diuersa propensa studia, & ad intestinas hinc profecta inimicitias seipsam euertat: cæterum persuadere senatum potis non fuit: orta seditione, in diuersasq; partes ciuibus raptis, quæ fuerat egregia ciuitas, maximis implicita malis, uarijsq; agitata calamitatibus demum corruit. Iam ipse tu tibi domi tenes certa exempla: inimicitias, inquam, Pardali atque Tyrrheni. Quà in re parum abfuit, quo minus urbs Sardes euerteretur, de paruis priuatisq; causis, in seditionem & bellum intestinum impulsa. Ciuilem itaque uirum eiusmodi tanquam in

in corpore aliquo uitia, quæ possunt emanare latius, nequaquam contemnere & floccifacere decet, sed prouisa emunus statim opprimẽda suscipere. Qui enim hæc prospicit, & magnatis quæ sunt parua efficere, & parua ipsa in nihilum redigere possit, ut inquit Cato. Ad quæ persuadenda nulla mihi uideri potest potior ratio, quàm si induceas animũ, in tuis priuatis disceptationibus mansuetũ te ipsum & exorabilẽ exhibere, atq; in primis persistere cauas, nulla per contentionẽ concitandæ iræ gratia adiecta materia, nullis irritatis affectibus, quibus negocium magis exasperetur, & æquo acerbius fiat. Iam luctæ certantiũ manus loris uinciri leniter & pauxillum prohiberi cõsueuit: nempe ut ictus molliter emittantur, & insticta uulnera non magnũ dolorẽ afferant, ne certatores doloris cõmoti sensu, ad grauẽ, & penè insanabilẽ pugnãdi excãdescentiã prouehantur. Simili ratione in fòro, & ciuilibus cõtrouersijs, sat erit nudis explicatisq; rationibus causam simpliciter agere, non confictis ad libidinẽ criminibus, congestis maledictis undiq;, & iurgijs atq; minis admixtis, tanquam ueneno tela inficere, eaq; præacuta in aduersariũ per insidias iactitare. Quo fit ut causæ suapte natura leues, atq; priuatæ, ad publica crimina, deplorata tumq; luem studio & contentione trahantur. Qui uerò se talem in causis proprijs exhibere potest, is profectò facilè persuadere alijs, ut se uolentes libẽtesq; dicto eius audiẽtes exhibeant, quando maximè publicæ ipsæ cõtentiones & controuersiæ, si priuatas offensiones subducas ac demas, leuiores effici solent, nec molestum quippiam insanabile'ue omnino afferre.

FINIS.

AD D. ALEXANDRVM VI. Pont. Max. Caroli Valgulij Brixiani, Cardinalis Valentini Secretarij, præfatio.

ASAPIENTIBVS accepi, beatißime Pater, non modò magistratum atque imperium pateficere ingenium administrantis uiri, & naturam ac mores, sed uirum quoq; ostendere ipsius magistratus & imperij uires, dignitatem, ac potestatem. Nam quum tam uariæ multiplicesq; sint hominum naturæ, tam abditæ aliquorum mentes, occultaq; ingenia, ut non modò ab alijs rectè percipi iudicariq; nõ possint, sed multi ne ipsi quidem sciant quid præstare possent, si experiundi sui facultas aut necessitas daretur: in magistratu ac principatu uir constitutus, quàm sit prudẽs, quàm iustus, quàm continens, quàm beneficus, atque omnino penetralia cordis mentisq; suæ aperiat necesse est. Contrà uerò & sunt, & fuerunt aliqui, quorum certè mores reprehendi, non possunt, sed neque imperij magistratus ue dignitatem tueri, nec ipsius potestatem magnificentius exercere, nec uires latius explicare sciuerunt. Rursusq; alij autoritatem magistratus excellentia ingenij auxerunt, & præclariorem reddiderunt quàm acceperint. Te uerò, sanctißime Princeps, sedes Petri iustißimum esse, te prudentißimũ, te pacis & quietis amantißimum ostendit quotidie magis. Tu quoq; ipsam sedem his ipsis uirtutibus, & pluribus alijs exornas, dignitatiq; ecclesiæ atq; autoritati præstantia ingenij, consilij altitudine, & animi magnitudine ac robore splendorem addis & ornamentum. Ceremoniarum

præterea, cultusq; diuini diligentißima obseruantia, pietateq; ac religione ipsam condecoras. Teq; auguror, quin potius compertum habeo, dies ac noctes meditari, quomodo posßis augere sedis Apostolicæ maiestatem: quanquam hoc tempore perquam sit arduum. Nam usqueadeo creuit perfidia Christianorum hominum, tantam licentiam abutendi ecclesiæ bonis sibi principes usurparunt, ut quæ ad decus utilitatemq; Christiani populi altitudo mentis tuæ cogitat & concipit, transigere perquam sit difficile. Rectè enim cogitata, prudenterq; consultata, externa aliqua ui atque perfidia, aut difficultate pecuniaria impedita sæpe retardantur. Equidẽ sic esse existimo, quòd quemadmodum bonitas primum orta est, subitò emersit improbitas, & lux effulsit, continuò tenebræ subsecutæ, ita quum primum Christus claues regni cœlorum Petro tradidit, protinus aduersarius noster ipsis obstacula & impedimenta excogitauit, atque ita semper ut possessor nouus illarum creatur, pro ingenio, proq; natura illius maiora minoraq; molitur impedimẽta & machinatur. Quare ut te nouit, beatißime Princeps, æquitate, sapiẽtia præstantem, pietate ac religione insignem, teq; perpetuò cogitantem, quomodo ad iter salutis reuocare posßis deerrantes iandudum Christianos, in solio Petri fuisse collocatum, sic ipse omnes suas acies in peruersis & inquinatis potentum hominum in sedem Apostolicam mentibus armauit, ne tua optima uoluntas, saluberrimaq; consilia, tantum fructum Reipublicæ Christianæ parent, nec uirtus probitasq; tua ut meretur eluceſceret. Veruntamẽ dubitandum non est, quin æquitas superatura sit iniquitatem, & optima uoluntas tot maturis consilijs, diligentiaq; gubernata, prauas & impias uoluntates aut oppres-

sura sit, aut ad sanitatem reuocatura. Sed quoniam in administrandis rebus tum publicis, tum priuatis, in cuiusque animo naturalia etiam impedimenta quædam non parua existunt, quibus fit ut uita hominum, in quocunque sint statu, uarijs perturbationibus afficiatur, & animus noster in deliberando, consilioq; capiendo in diuersas sententias distrahatur, & quasi bello intestino uexetur, de eo genere toto Plutarchus, rerum humanarum uir peritißimus, & in omni genere sapientiæ præstantißimus, accuratè & acutè libellum græca oratione composuit. Eum ego, quia fundamenta continet uirtutum moralium, & ad res agendas magnopere conducit, in linguam nostram conuerti, & nomini Sanctitatis tuæ dedicaui. Cui me quoq; ipsum iampridem dedicaui, & consecraui.

PLV

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER DE VIRTVTE MORVM.

Carolo Valgulio Brixiano interprete.

DE VIRTVTE, quæ ad mores spectare dicitur atq; existimatur, maximè uerò uti à contemplatiua differt, quòd animi affectum materiæ, & rationem formæ gerentem uices habeat, disserere propositum est, quæq; sit eius substantia, & quomodo naturaliter subsistat, & utrum ea pars animi, quæ illam suscepit, propria ratione sit composita & moderata, an particeps sit alieni: Idq; si ita est, num ut ea quæ cum præstantiore ui commixta sunt, an potius quòd ueluti præfectura quadam atq; imperio utatur, alterius particeps esse principis dicitur potestatis. Quòd autem uirtus omnino à materia semota atq; impermista esse, ac permanere possit, latißimè patere arbitror. Sed aliorum præstat breuibus recensere sententias, non historiæ magis causa, quàm ut nostra clariora atq; firmiora explicatis illis existant. Menedemus itaq; Eretriensis multitudinem sustulit uirtutum ac differentias, quasi una esset, ac pluribus nominibus uteretur. Idem enim temperantiam ac fortitudinem & iustitiam, ueluti gladium & ensem appellari. Aristo Chius unam & ipse substantiam uirtutis faciebat, eamq; appellabat sanitatem, sed differentes numerosasq; fieri

Virtus à materia semota.

Universidad de Valladolid Biblioteca

asserebat, quum aliud atq; aliud spectaretur, ut si quis uisum nostrum cum alba contuetur, albiuisum, & cum atra atriuisum appellare uelit, aut quid aliud huiusmodi. Nam quum uirtus quid sit agendum, quid'ue fugiendum consideret, prudentiam appellari contẽdebat: cupiditates uerò coërcentem, & modum uoluptatibus adhibentem, temperantiam: quæ autem in societatibus, & rebus cum alijs contrectandis uersatur, iustitiam. Quemadmodum gladius quum sit unus, aliud aliás secat, & ignis in diuersas agit materias eadem utens natura. Videtur autem & Zeno Cittieus in eandem descendere sententiam, definiens iustitiam esse prudentiam, quæ suum cuiq; tribuit, in rebusq; assumendis temperantiam, & in perpetiendis fortitudinem. Et qui ipsum tuentur, censent in his scientiam à Zenone prudẽtiam appellari. Chrysippus uerò suam cuique qualitati ratus uirtutem attributam esse, examen, ut inquit, Plato, nec usitatum, nec cognitum excitauit uirtutum. Vt enim à forti ac mansueto fortitudinem & mansuetudinem, & à iusto iustitiam, sic à gratioso gratiositates, & à bono bonitates, & à magno magnitudines, à pulchro pulchritudines, atque alias huiusceomodi dexteritates, comitates & urbanitates in numero uirtutum ponẽs, multis absurdisq; nominibus nihil indigentem referrit philosophiam. Communiter autem inter hos omnes conuenit, uirtutem esse principis animi dispositionem, & facultatem quandam à ratione manantem, quin potius ipsam esse rationem: idq; firmum & ratum, & immutabile habent, nec putant id animi quod ratione uacat, affectibusq; perturbatur, diserimine ullo, naturaq; ipsa animi ab eo quod ratione præditum est, esse distinctum: sed eandem animi partem, quam intellectũ principemq; appellant, cõtinuis

Virtus quid.

tinuis mutationibus conuersionibusq; obnoxiam, & in affectionibus, & per uarias habitus uel dispositionis mutationes uitium fieri atq; uirtutẽ, ac nihil in se habentem quod sit expers rationis, diciq; à ratione auersum, quum motus animi auidè concitatus ac uehemens, atq; impotens ad aliquid absurdũ præter delectum rationis effertur. Affectum enim esse dicunt rationem improbam atq; effrenatam & proteruam, ex prauo peccanteq; iudicio ortam, quum uehemẽtiam roburaq; accepit. Hi autem mihi ignorasse uidentur, quòd quisque nostrum uerè duplex compositusq; est, nec illam animi duplicitatem præuidisse, sed tantum perspicuam illam, quæ est animi & corporis commixtionem. Quòd uerò ipsius animi in seipso cõpositum sit quiddam biforme atque dissimile, quasi alio corpore rationis experte atq; participe commuxtum & cõpactum, Pythagoram nesciuisse non est cõsentaneum, coniecturam facientibus à studio musicæ illius uiri, quam animo pacãdi sedandiq; eius gratia adhibebat, tanquam non uniuersus præceptioni doctrinisq; obtemperaret, nec à uitio ratione distraheretur, sed alio quodam persuadendi præsidio indigeret & formatione atq; conciliatione, nisi omnino ad philosophiam intractabilis atq; inobediens esset futurus. Sed apertissimè & constanter, atque indubitatè Plato intellexit, quòd huius mundi animans nec simplex est, nec incompositus, nec uniformis, sed ex eiusdem, atq; alterius potestate cõmuxtus, tum eodem semper se modo regẽs & uersans, unoq; ac simili ordine utens, constanti atque præualido, tum in cõtrarios, errabundosq; motus, ac circulos diuisus, primordium dissidij, & mutationis, ortibus & corruptionibus quæ fiunt, in terra dedit. Humanus quoque animus pars uel sectum quum sit uniuersi, & rationibus

Affectus.

tionibus numeris'que ad illorum cœlestium exemplum compactus, nec est simplex, nec unius modi. Sed alterum habet intelligentiam atque rationem, quam præstare naturaliter imperaréq; homini conueniens est: Alterum uerò turbulentiam affectuum habet, impos'que rationis est, & erroribus refertum, & suaui, suaq; sponte inordinatum. Quo rursus bipartito, aliud semper cum corpore uersari, ipsumq; colere suapte natura desiderat, & appellatur concupiscentia: Alia uerò pars interdum ipsi se dedit appetentiæ, quandoque uerò rationi uim roburq; suppeditat, eaq; dicitur irascentia. Declaratur autem in primis differentia compotis rationis atque intelligentiæ partis itinere contrario aduersus concupiscibilem & irascibilem, quòd hæ aliæ sunt & diuersæ, quum sæpe non obtemperare ei quod optimum est, ac reluctari manifestò deprehendantur. His principijs plurimum usus est Aristoteles, ut ex eius scriptis late patet. Postea uerò irascibilem concupiscētiæ attribuit, quòd ira libido quædam sit uindictæ, perpetuoq; usus est parte affectibus perturbata rationeq; carente, tanquam differenti ab ea quæ est particeps ipsius: non quia omnino sit expers rationis, quemadmodum ea animi pars qua sentimus, nutrimētumq; suscipimus & uegetamus. Nam hæc omnino rationem non audiunt, & modo quodam surda ex carne germinarunt, ac penitus in corpore sunt demersa. Quæ uerò affectionibus obnoxia est, quanquam propria caret ratione, & est expers eius, alioqui tamē ut eam audiret, ad ipsamq; se conuerteret, cederet, & informaretur, natura facultatem concesserit, nisi in totum perdita profligata'que existat à uoluptate uictu'que intemperanti. Qui autem admirantur, quomodo parere rationi possit id quod rationem non

non habet, hi mihi non uidentur mente complecti, quantæ sint rationis uires, & quò penetrent, occupando & ducendo non duris quidem, nec renitentibus modis, sed informantibus, & ad cedendum parendum'que disponentibus. Quæ res est omni necessitate ac uiolentia ad transigendum efficacior. Quandoquidem spiritus ac nerui, & ossa, & reliquæ corporis partes ratione carent, sed quum animi motus oritur, quatiente quasi habenas ratione, omnes intenduntur, & expediuntur, & parent. Pedes ad cursum parati, manusq; ad iaciendum, atque capiendum, id animo cogitante sunt præsto. Præclarè autem Poëta id quod ratione uacat, & affectus habet turbidos, & cum ratione conformatur, his carminibus ante oculos ponit:

Illi, dum lacrymans luget præsente marito,
Formosæ malæ lacrymarum rore madebant.
Vxorem sed flentem animo miserantis Vlyssis
Lumina palpebris stabant immota quietis,
Cornua ceu & ferrum, mente occultante dolorem.

Declarant id quoque in formosis, quos tangi uetat & ratio & lex, pudendorum fugæ & recessus, quæ tacent ac minimè commouentur. Quæ res præsertim amantibus uenire solet usu, quum postea sororis aut filiæ amatores per imprudentiam fuisse cognouerunt. tum enim sese contraxit cupiditas & inhorruit, corpusq; partes suas consentientes cum iudicio præbuit. Enimuero cibos atque opsonia sæpe aliqui perlibenter assumpserunt, qui postquam senserunt & didicerūt, aliquid se impurum & illegitimū edisse, non modò iram morsumq; iudicio adhibuerunt, uerū & corpus ad opinionē conuersum & completum, uomitiones nauseantesq; disturbationes occupant.

Vereor autẽ,ne omnino friuola pueriliáq; oratione exequi uidear,psalteria,lyras, plectidas, tibiasq; persequens, & quæcunque musicæ consona,& inde appellata architectantur homines, affectibus humanis inanimata conueniunt, simulq; flent & concinunt, & unà intemperanter feruntur, iudicia, affectiones, moresq; utentium referentia. Nam & Zenonem in theatrum ad citharam, canente Amœbeo, eamus dixisse discipulis ferũt,ut perdiscamus quæ intestina, & nerui, & lingua ac ossa, rationis rhythmiq; participantia, & ordinis concentum uocemq; edunt. Sed his prætermissis libenter eos interrogarem, si canes & equos auesq; domesticas uident consuetudine quadam & educatione, ac præceptione uoces prudentes reddere,rationiq; obtemperantes motus & habitus,actiones q;,moderationem quãdam & utilitatem nostram continentes, Homerumq; dicentem audiunt, Achillem equos homines q; hortari solitum ad pugnam:cur adhuc admirãtur ac dubitant, id quod irascitur in nobis, & cupit, & dolet,& lætatur,obedire prudentiæ, ab eaq; affici, cum & incola sit,nec abscissum, nec extrinsecus fictum, neq; ulla necessitate aut plagis formatum, sed à natura dependeat,cum eo semper uersetur, educetur, & consuetudine compleatur ac more:unde rectè appellati sunt mores. Sunt enim mores, ut compressè dicam, qualitas animi ratione uacantis. Quod nomẽ inditum fuit propterea,quòd qualitatem hanc & differentiam à more ipse animus irrationalis à ratione conformatus capit. Cui quidem non est cõsilium,commotiones animi & affectus stirpitus euellere: neq; enim potest,nec opus est, nec expedit: sed terminum quendam & ordinem ei præscribere, moralesq; uirtutes cõstituere. Quæ quidem sine affectione motuq; non sunt, sed

Mores quid,& unde dicantur.

sed symmetriæ ipsorum & mediocritates. Imprimit enim, informat ipsa prudentia commotarum affectionum uim, habitumq; constituit urbanum. Tria enim hæc in animo esse dicunt,potentiam,affectũ,& habitum. Potestas principium est,& materia affectus,ut iracundia, uerecundia, atq; huiusmodi procliuitates. Affectus est ipsius potentiæ commotio quædam. Habitus uerò,uis & confirmatio potentiæ in parte irrationali à consuetudine insita. Si peram à ratione ductata, & recta fuerit affectio, uitium existit: Sin probè,emergit uirtus. Sed quoniam non omnẽ uirtutem mediocritatem faciunt, nec moralem appellant, de earum uirtutum differentia altius repetito principio dicendum est. Rerum omnium alia absolutè quodammodo se habent,ut terra, & cœlum,& astra: Alia erga nos modo quodam affecta sunt,ut bonum,malum,eligendum, fugiendum,uoluptas,dolor. Vtrunque ratio complectitur. Superioris generis scientia est & contemplatio. Ex altero,quod uidelicet nos respectat, deliberandi facultas oritur. Et agendi huius uirtus est prudentia, illius uerò sapientia. A' sapientia autem differt prudentia in eo quòd à contemplandi genere ad actiuum, affectionibusq; agitatum conuersione, & respectu quodam facto secundum rationem prudentia subsistit. Quapropter prudentiæ fortuna opus est. Sapientia uerò ne consilio quidem eget ad suum finem consequendum: In æternis enim, & eodem semper modo se habentibus uersatur. Et quemadmodum geometria non consultat, utrum triangulus in ternos angulos abeat, duobus rectis æquales, sed nouit: sunt enim consilia earum rerum, quæ aliàs aliter se habent, non autem firmarum atque immutabilium: Sic mens contemplatiua prima stabilia, unam sempiter-

namq; naturam habentia, nullisq; obnoxia mutationibus exercens, à consilio capiendo libera est. At prudentiam in rebus errorum, ac turbulentiæ plenis, immersam sæpe cum fortuitis misceri necesse est, & consultatione in rebus dubijs uti, & ubi cõsuluerit, iam agere irrationali quoq; assistẽte atq; præsente, & simul à iudicijs tracto: motione enim indigent animi naturali. Qui quidem in affectione mores efficit ratione indigens moderatrice, ut ille motus mediocris adsit, nec ultra modum citra'ue consistat: Quod enim uacat ratione, & affectionibus scatet, commotionibus utitur tum uehementioribus & cõcitatis, tum mollioribus lentioribusq; quàm conueniat. Quo fit ut in omni actione nostra officiũ uno modo perficiatur, & pluribus ab eo discedatur. Assecutio enim signi una simplexq; est, aberratio autẽ multiplex, siue qd præstet mediocritati, siue ab ea superetur. Huius igitur quæ in rebus agẽdis uersatur rationis secundũ naturã munus est, immoderatos redũdantesq; affectus & cõmotiones coërcere ac resecare. Vbi enim præ imbecillitate atq; mollitia, ac metu, uel torpore motus refugit, officiũq; & honestatẽ deserit, tũ præsto est illũ excitans & subleuãs. Vbi uerò contrà sese effert insolenter plurimus atque inconditus, & inordinatus, uehementiam aufert & reprimit, atque ita affectuum commotionem moderans, & intra terminos continens, uirtutes morum in parte animi experte rationis constituit, inter excessum atque defectum medium obtinentes locum: Non tamen omnem uirtutem in mediocritate inesse dicendum est, sed est quædam minimè indiga eius animi partis, quæ est rationis impos, in pura constantiq; mente constituta, sapientia uidelicet atque prudentia, suapte natura perfecta, præstãtiaq; rationis & summitas ac uis, qua

qua summa diuinitas scientiæ atque beatitudo intenditur. Hæc uerò corporis gratia necessaria, & affectuũ & commotionum egens, quibus tanquam instrumẽtis & ministerijs ad res agendas utatur, irrationalis animi haudquaquam existens interitus, nec extinctio, ordo atq; modus, sua quidem ui, & ipsa qualitate summitas est, quãtitate uerò mediocritas circũcidens & amputans quod redũdat & deest. Quoniam autem medium multipliciter dicitur, quod medij genus uirtus teneat dicendum uidetur. Commixtum igitur medium est simplicium, ut albi & nigri fuscus color, & quod continet & continetur, ipsius cõtinentis & contenti, ut duodenarij & quaternarij octonarius numerus est medius, & quod neutrius extremi particeps est, ut boni & mali quod est indifferens. Nullo ex his modo uirtus medietas dicenda est: neq; enim commixtio est uitiorum, neq; cõtinet superatum, neq; complectitur excedens id quod decet, neq; omnino ab affectionum motibus libera est, in quibus est magis & minus. Fit ergo, in primisq; dicitur mediętas ei qui est in sonis atq; harmonia congruenter. Ea enim uox est concinna, quemadmodum in fidibus postrema et suprema: Quarum alterius nimiam acuitatem, alterius grauitatem deuitat, ipsaq; quum sit motus atq; potentia in irrationali anima, quod solutũ & languidum est, aut intentum, atq; omnino plus & minus ab appetitione naturali amputat & demit, modum atq; constantiam affectibus adhibens. Fortitudinem itaq; mediocritatem esse dicunt timiditatis & temeritatis, quarum alia superatur à modo, altera ei præstat in irascentiæ affectu. Liberalitatem uerò auaritiæ & prodigalitatis: Mansuetudinẽ indolẽtiæ & crudelitatis. Ipsamq; iustitiã in cõmercijs nec minus, nec plus quàm cõueniat tribuentẽ.

Temperantiã

Universidad de Sevilla Biblioteca

Temperantiã autem in medio ſtuporis ſiue inſenſibilitatis & intemperantiæ ſemper cupiditates refrenãtem. In quo maximè appæret cognitio differentiæ partis animi quæ eſt expers, & eius quæ eſt compos rationis, & quantum inter affectum interſit & rationem oſtendit. Haud enim à continentia differret temperantia, nec ab intemperantia diſcreparet incontinentia, quum utraq; in uoluptatibus cupiditatibusq; uerſetur, ſi idem in animo eſſet, quod naturaliter appetit, & quod iudicat. Nunc autem temperantia eſt quum quaſi pecudem irrationalem animam obedientem ac mitem ratio regit, & tractat, in cupiditatibus ipſa utens cedente moderationem & id quod decet ſuſcipiente. At continens agit quidem & ipſe illam ualida ratione, ac ſuperãte cupiditates, uerum non ſine dolore parentem, ſed obliquam, & tergiuerſantem ducit, tanquam plagis, & freno coactã, atq; compulſam, certamine inteſtino atq; tumultu completus. Quale ſimilitudine quadã Plato fingit in iumentis eſſe uehiculũ animæ trahentibus, quum deterius ſub iugo cum meliori colluctatur, & auriga conturbat, reſiſtere à tergo & ſumma cura contendere acriter coactum ſemper, ne punicea è manibus excidant lora, ut inquit Simonides. Quare non cenſent uirutem perfectam eſſe continentiã, ſed diminutam: non enim medietas exiſtit ex conſonãtia praui ad bonũ, neq; reſectus eſt affectus uehemẽtior, neq; obtemperat prudẽtiæ, nec cum ea cõſentit appetitus, ſed accipit, & facit dolorẽ neceßitatè repreſſus, tanquam in ſeditione hoſtis & inimicus ſimul habitat, odoribus ſimul & pæanibus & gemitibus completus eſt cõtinentis animus propter inæquabilitatem atq; diſſidiũ. Quam ob cauſam incontinentiã eſſe diminutum uitium, & intemperantiã ex toto uitiũ arbitrantur.

Quum

Quum enim habeat affectum, & rationẽ improbam, & perturbatã, tum cupiẽdo ad id quod turpe eſt prolabitur, tum improbè iudicãdo cupiditatibus aſſentitur, ſenſumq; abijcit peccatorũ. At incõtinentia ratione iudiciũ rectum tuetur, affectione uerò ualidiore quàm ſit ratio præter iudicium fertur. Vnde ab intemperantia differt, quòd in incontinentia ab affectu ſuperatur ratio, in illa ne pugnat quidem: in hac contradicens cupiditates ſectatur, in illa cum aſſenſione ſubſequitur: in hac cum dolore particeps eſt malefactorum, in illa cum uoluptate: in hac inuitus honeſtatem prodit, in illa libẽs turpitudinem amplectitur. Et harum quoq; differentiã non modò facta, ſed etiam oratio declarat. Intemperantum enim ſunt uoces huiuſmodi:

Gratia quæ, uel quid iucundum, ſi Venus abſit
Aureat curæ hæc quum non mihi erunt, moriar.

Et alius inquit: Bibere, & eſſe, & Venere uti, cætera ego omnia additamẽta uoco. Hic toto ex animo cum uoluptatibus conſentit, easq; tuetur. Nec minus qui dixit, ſine me interire, hoc enim mihi expedit, iudiciũ cum affectu ægrotans habet. Continentiæ uerò longè aliæ, ac diſcrepantes: Rectè ſentientem me uiolat natura. Et illud: Hei hei cœlitus inuectum eſt hominibus malum, quum quis meliora uidet probatq;, deteriora ſequitur. Simul & illud: Trahit iam uis iræ, nec queo reſiſtere, littoralis ut hamus anchoræ in mari. Littoralem hamum appellat auerſum à ratione ac minimè aptum, ſed animi imbecillitate atque mollitia iudicium abijcientem. Neque illa ſunt ab hac ſpecie remota: Ceu nauis terræ pẽdeo laqueis: Secũdus flat uẽtus, ac nos non tenent rudẽtes. Rudentes uocat iudicia turpitudini repugnantia, deinde tanquam ab impetu uenti ab affectu concitato refracta. Et certè intẽperans uelis paßis

ad

Universidad de Cádiz Biblioteca

ad uoluptates à cupiditatibus fertur, & sese illis dedit, ad easq; dirigit. Obliquus uerò incontinens, & tanquam se cupiens efferre, atque expellere affectionem effrenatam, hac demũ trahitur, & in turpitudinem incidit. Qua in re Anaxarchum irridebat Timo, cui fiducia iusta inerat, constantiaq; ingens:

Robore Anaxarchum dicunt uiguisse canino,
Qui quanquam sic esset, erat miser attamen, ut fert
Fama: trahebat enim genium stimulando uoluptas,
Quam plerique solent fortesq; horrere sophistæ.

Non enim sapiens est continens, sed temperans, nec stultus incontinens, uerum intemperans. Nam temperans rebus honestis gaudet: intemperans uerò ne turpibus quidem dolet. Sophistici igitur animi est incontinentia, habentis quidem rationem, sed quæ rectè intelligit constanter tueri non ualentis. Talesq; inter se differentias habent incontinentia & intemperantia. At continentia rursus & temperantia easdem habent rata rationum comparatione cõtrarias. Morsus enim, & dolor, & ægritudo nõdum continentiam reliquerunt. Temperatus uerò animus undiq; est æquabilis & pacatus conuenientia & concordia expertis animi rationis, & compotis eius, tranquillitate admirabiliq; quiete ornatus & compositus, in quem intuens dicas: Conciderant uenti, iam & tranquillus sine uento Pontus erat: nanq; ipse deus sedauerat undas uehementes, insanos rabidosq; motus cupiditatum restinguente ratione, & quibus natura indiget, eos sibi consentientes obtemperantesq; in actionibus uoluntarijs parante, ut neq; rationem præcurrant, nec terga uertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes: uerum ut omnis motus, quocunque uelit ratio ducere, paratus sequi, ceu lactens

lactens pullus cum equa simul currat, Xenocratis confirmãs sententiam dicentis, quòd uerè philosophãtes ſponte agũt, quæ cæteri metu legis facere solent inuiti, tanquam uerberibus canes, ac strepitu mustellæ, à uoluptatibus repulsi formidine suppliciorum. Quòd autem in animo quidã circa cupiditates huiusce modi firmitatis sensus & diſ *ΑΠΟΤΥΠΩ
ferẽtia fiat, quasi re quadã cum illis pugnante & contradicente, perspicuum est: quanquam nonnulli asserunt affectum aliud à ratione nõ esse, nec inter duo diſsidium ac seditionem, sed unius nomunis in utranq; partem mutationem celeritate atq; uelocitate sua nosipsos latentem, non præuidentes, quòd idem in animo est, quod naturaliter cupit, pœnitet, trascitur, timet, & ad turpitudinem fertur uoluptate ductum: & quod receptui canit, uagãsq; fusius reuocat. Libidinem enim, iram, metum, & cætera huiusmodi, opiniones esse, & iudicia peruersa & praua, non in peculiari una parte animi, sed totius principis animi momẽta, ceſsiones, assensus, & motus, & ideo operationes quasdam esse paulo momento concidentes: ut puerorum cursus impetum & concitationẽ ad errorum procliuitatẽ præ imbecillitate atq; instabilitate habẽt. Et hæc primum quidem in operatione & sensu. Nemo enim, inquiunt, in se ipso appetentis in id quod iudicat sentit cõuersionem, nec contra in id quod appetit iudicantis. Nec ab amore discedit is qui amat, quando considerat, abijciendum esse amorem, & aduersus ipsum esse pugnandum. Nec rursus desinit ratiocinari, & iudicare, quando à cupiditate mollitus cedit: uerum & ratione affectui contrait, & in ipso adhuc est, ac iterum ab affectione correptus cogitatione erratum percipit, & neque affectu rationem interimit, neq; considerãdo ac reputando ab affectione est liberatus:

atque

atq; ita se huc & illuc trãsferens princeps animus utriusque medius & communis existit. Igitur hi quum modò cupiditatem, modò cupiditati oppositam rationem animũ, cui natura principatum tribuit, fieri arbitrantur, nihil mihi differre uidentur ab his, qui non rentur aliud esse uenatorem, & aliud feram, sed idẽ corpus mutatione utens, nunc feram esse, nunc uenatorem fieri. Quorum illi in re clara hallucinantur, hi uerò testificantur contra sensum, non unius mutationem, sed duorum inter se pugnam & contentionem percipientem. Quid ergo dicunt? non'ne id hominis, quod deliberat & consilium quærit, sæpe in duo scinditur, & in contrarias distrahitur sententias? quum dubitatur an quid sit utile? At illud est unum. Rectè quidem respondemus, sed euentum dissimile est: Non enim secum ipsa pugnat prudentia, uerum una utens facultate diuersa init consilia atque rationes. Quin potius una ratio est, in alijs uersans rebus tanquam materijs differentibus. Quo fit ut ægritudo ĩ cogitationibus uacuis affectione non insit, neque quasi uiolati præter sententiam alterum probent, ni Hercule aliquis affectus tanquam in trutina delitescat. Nam id sæpe usu uenit, ut non ratio rationi, sed ambitio, aut contentio, aut metus oppositus disceptantium sententijs inter se duorum speciem præbeãt, ut in his declaratur:

Sed pugnare metus, retro pudor ire uetabat.

Et in hoc: Iugulari graue est, sed gloriam parit: uiuere autem turpe, sed inest uoluptas. Et in rerum contractandarum iudicia illabentes affectus plurimam inijciunt morã. In senatu uerò consilijsq; principum qui ad gratiã loquuntur, non duarũ sententiarum probant alteram, sed alicui affectioni adhærescunt, prodita & spreta utilitate.

Quapro

Quapropter in ciuitatibus, quas regunt optimates, magistratus non sinunt oratores affectus commouere. Recto enim pondere ratio ad id quod est iustum repit: quòd si affectus insit, pugnam committit atq; dissidium uoluptatis ac dolor cum eo quod iudicat & deliberat. Quod ita esse declarant in philosophia considerationes, in quibus nõnunquam contingit, ut ab alijs cum dolore quisquam trahatur, & sæpe à sententia abducatur. Quin ipse Aristoteles, & Democritus, & Chrysippus quædam quæ antea probauerant, sine perturbatione ac morsu cum uoluptate repudiarunt: Quia contemplanti discentiq; animo nullus officit affectus. Verũ in his rationis expers animus quiescit, nec est curiosus. Quo circa quum ueritas se aperuit, eam ratio amplectens libenter falsitatem declinauit, propterea quòd in ipsa est credendi mutandæq; sententiæ potestas. Nam consilia & iudicia in rebus agendis, multorumq; uiuẽdi rationes affectibus obnoxiæ, ancipitem uiã rationi atq; difficultatem præbent, occupatæ, ac perturbatæ ab irrationali sese cõtra ipsam uoluptate aliqua, aut metu, aut ægritudine attollẽte. Horum arbiter est sensus, ac iudex, utrunq; contingẽs: nec si alterum uincit ipsum uictum necauit, sed ui trahit renitens. Qui enim amanti consulit, ratione aduersus affectum utitur: quasi simul in anima insit utrunq;, & tanquam manu aliam inflammatam partem palpante & premente, ac duo dissidentia sentiente. In cõsilijs quoq; quæ uacant affectu, & in cõsiderationibus, quas plurimas habet contemplandi genus, si æquæ pares q; sint, iudicium non inde oritur, sed dubitatio: quæ est quum intelligentia à contrarijs probabilibus sistitur & firmatur: ac si pondus aliquod alteri accedit, pars uictrix ita dissoluit alterã, ut nec dolorẽ ullũ faciat,

nec opinioni aduersetur. Atq; omnino si ratio rationi opponi uideatur, non fit duorum, & diuersorum sensus, sed unius in differentibus uersantis opinionibus. Quando uerò irrationale, cui quidem à natura tributum est, ut sine ægritudine nec superare, nec uinci possit, cũ ratione depugnat, protinus tanquam duo animam ipsa pugna diuidit, ac differentiam manifestam facit. Non solum igitur ab ipsa pugna, sed nihilo secius à cõsecutione, quòd aliud est affectionum principium ac fons, & aliud rationis, licet uidere. Quum enim amare liceat bonæ indolis adulescentem filium, atq; ingenuum, liceatq; malum & intemperantẽ: contingat præterea sine ratione uti in liberos suos & parentes ira, & pro eisdem aduersus hostes & tyrannos eadem uti cum ratione, ut ibi contentionis atq; dissidij affectionis contra rationem sensus existit, ita hic obedientiæ & consecutionis eisdem affectus quasi influentis, & sese dedentis. Quandoquidem uir probus uxorẽ secundum leges eo animo ducit, ut modestè cum ea uitã degat, postea uerò diuturna consuetudine gignente affectũ cogitatione percipit, se intensius diligere atq; amare, quàm sibi proposuerat. Quemadmodum etiam adolescentes urbanos nacti magistros, utilitatis causa primũ eos sequuntur & imitantur, postea etiam amant, et pro familiaribus atq; discipulis amatores existunt, & appellantur: Idem usu uenit in ciuitatibus aduersus principes probos, & uicinos, & affines, qui à necessitudine aliqua officij inter se uersari inceperunt, deinde imprudentes quasi influunt in beneuolentiam, attrahente id quod afficitur, atq; persuadente ratione. Qui uerò dixit, duplex est pudor, alter nõ malus, alter domorũ labes, non'ne apertissimè uidetur intra se hunc affectum sentire sæpe rationem sequẽtem, et

ab ea in ordinem modumq; redactum, sæpeq; abhorrentẽ rationẽ, & segnitijs cũctationibusq; opportunitates atq; negocia labefactantem? Hiq; ipsi quodam modo propter euidentiam sibi obsequentes, timiditatem uerecundiã uocant, & oblectationem gaudiũ, & formidines cautiones, quòd bonas appellationes à nullo solere reprehẽdi sciãt. Quandoquidem eosdem affectus rationi adhærescentes his nominibus uocant, obsistẽtes uerò, & expugnãtes rationem illis. Et quando lacrymis, & tremoribus, coloris q; mutationibus coarguuntur, pro ægritudine ac metu morsus quosdam, & contractiunculas nominant, & honesto promptitudinis nomine cupiditates diminuunt, sophisticos, non philosophicos ardores, & à negotijs fugas nominibus moliri uidentur. Quanquam illi ipsi gaudia, uolũtates, & cautiones, bonas affectiones, & nõ inaffectiones uocãt, rectè hoc loco nominibus utentes. Fit enim bona affectio ratione nõ extirpãte affectũ, sed ad modũ atq; ordinẽ redigẽte: At praui & incõtinentes quid patiũtur quũ patrẽ matremq; amati aut amatæ loco iudicãt esse diligendam, & tamen diligere nõ possunt, quum uerò iudicant amandam esse meretricem adulatoremue, continuò amant? Nam si in affectu esset iudicium illud amandi, uel odio habendi, amor & odiũ sequi oporteret. Nunc autẽ contra euenit, quum aliquibus consilijs affectum adhærescere, et quædam deprecari atq; reijcere uideamus. Quapropter quum dicunt, rebus uiolatis non esse iudicium in affectu, sed id tantum, quod motũ effrenatum & exuperantem excitat, aliud esse in nobis quod iudicat, & aliud quod afficitur, confitentur. Quemadmodum quod mouet & quod mouetur diuersum est. Ipse uerò Chrysippus multis locis definiens patientiam, & continẽtiam, quum

eas asserat habitus esse eligenti rationi obtemperantes, perspicuum est, quia rebus coactus est fateri aliud in nobis cui paretur, & aliud quod paret. Quum uerò dicant, omnia peccata esse paria, & omnes culpas æquales, si in alijs ueritatem non cernunt, non est in præsentia refellendi consilium, nam in plerisq; perspicuitatem & euidentiam oratione impugnare uidentur: Omnem enim affectũ uitium esse contendunt, & omnes peccare, qui aut dolore, aut metu, uel cupiditate afficiuntur: Magnæ enim affectuum differentiæ secundum plus & minus cernuntur. Quis enim dicat formidinem Dolonis parem timori Aiacis fuisse, referentis pedem, & ab hostibus gradatim discedentis, & paulum genua alternantis? aut quis conferat dolori Platonis, Socratis morte suscepto, ægritudinẽ Alexandri ob Clitum ad conscifcendam sibi mortem concitati? Et quod præter spem accidit, maiorem inurit dolorem, quàm id quod euenire rationi erat consentaneum. Vt si quis expectet se aliquem uisurum mansuetudine & morum gratia ornatum, & in admiratione habitum, & eum deprauatũ peruersumq; intelligat, ut in Philotæ Parmenioni contigit. Quis ira pari dicat in Anaxarchum usum fuisse Nicocreontem, & Magam in Philemonem, utrunq; ab illis contumelia affectum? Alter enim pistillis ferreis contundi, & concidi Anaxarchũ fecit: alter uerò nudum ensem à carnifice Philemonis ceruicibus imponi iußit, deinde abire incolumem. Quo circa neruos animi iram Plato appellabat, quia acerbitate animus intẽdatur, & mansuetudine remittatur. Hæc igitur & alia huiusmodi explodentes, intentiones affectuum & uehementias non dicunt fieri secundum iudicium, in quo peccandi est facultas, sed morsus & contractiunculas, ac diffusiones esse,

esse, plus & minus ipso rationali suscipientes: quãquam & in ipsis iudicijs fieri uidẽtur differentiæ: Nam & paupertatem alij malum, alij magnum malum, nonnulli etiam summum malum iudicant, ut etiam eius uitandæ gratia in scopulos mariaq; ruant. Mortem uerò alij quia priuẽtur bonis, alij propter ultiones sub terra sempiternas, horrendaq; supplicia malum esse censent. Corporis sanitas ab alijs, quia secundũ naturam est & utilis, amatur, alijs maximum bonum esse uidetur, nec diuitiarum ullam gratiam aut liberorum, aut regnorum esse, demumq; uirtutes nec utiles, nec conferentes esse absq; sanitate arbitrantur. Ex quo apparet, in iudicijs ipsis alios magis, alios minus peccare. Sed hæc nunc non est refellendi locus. Illud autem ex eo colligendum est, quod & ipsi concedunt, à iudicio aliud esse ipsum irrationale, in eo quòd dicunt affectum maiorem ac uehemẽtiorem fieri, uerbis discrepantes, in rebus autem consentientes cum his qui affectus & irrationale à ratione atque iudicio differre contendunt. In his uerò quæ de illegalitate Chrysippus scripsit, cæcã esse iram pronunciat, & quòd sæpe nõ sinit cernere quæ apertißima sunt, & præcepta sæpe obscuret. Ac paulò progressus, nascentes, inquit, affectus extrudunt ipsas rationes, & quasi aliter uideatur, uiolenter ad contrarias actiones propellunt. Deinde testimonio utitur Menandri, dicentis: Hei mihi misero, ubinam mentes nostræ? & tamen eo tempore esse in corpore, quum non hæc, sed illa deligimus. Rursum Chrysippus pergens inquit: Quum animali ratione prædito natura dederit omnibus in rebus ratione uti, & ab ea gubernari, nos illam sæpe uiolẽtiore aliquo impetu utentes reijcimus: euentum probans ex discrepantia, & contentione affectus cum ratione. Ridicu-

Universidad de Sevilla Biblioteca

lum profecto esset, ut Plato dicebat, aliquem esse seipso præstantiorem, & rursus deteriorem, & alium esse continentem sui, alium incontinentem. Quomodo posset fieri eundem seipso meliorẽ, & rursus peiorem esse, aut simul uincere ac uinci, ni modo quodã esset cuiusq; animus natura duplex, & aliud bonum, aliud malũ in seipso haberet? Sic igitur qui deteriore utitur obtẽperante meliori, continens sui est, atq; præstantior seipso. Qui uerò per negligentiã patitur, ut princeps animus irrationalẽ effrenatumq; sequatur, & ei subministret, is dicitur seipso inferior, & incõtinens sui, & præter naturã affectus. Nam quum ratio sit diuinitus homini data, conueniens est, eam præstare atq; imperare ei, quæ caret ratione, tum quia originem ducit à corpore, tum quia natura sua cõpletur affectibus, & illorũ fit similis, & eos induit, & cum illis commiscetur. Quã rem declarant appetitus corporis naturales, & cõmoti, & repressi: quando uidelicet in corporis mutationibus uehementius cõcitantur uel remittuntur. Quare iuuenes uehemẽtes ac temerarij sunt, & in appetitibus inflammati, & furẽtes & rabidi, propter sanguinis copiam & caloris. At in senibus concupiscentiæ fons, qui quidem est in iocinore, restinguitur, paruusq; fit & imbecillis. Viget autẽ magis ratio, affectibus unà cum corpore tabescẽtibus. Et hoc ipsum deniq; ad affectus informat ferarum naturas. Non enim prauis, aut rectis opinionibus alijs uires & impetus ad ea quæ uidentur horrenda & grauia, insunt, & alijs irreparabiles timores, & animi fugæ, sed sanguinis spiritus, & corporis uires differentias affectuum efficiũt, è carne tanquam à radice affectibus germinantibus, & educẽtibus qualitatem atq; discrimen. Quòd autẽ humanũ corpus cum appetitibus affectu-

affectatis consentiat, unaq; cõmoueatur, pallores arguũt, rubores, tremores, cordisq; pauitationes, & contrà diffusiones in spe atq; expectatione uoluptatum. Verũ quãdo mens ipsa per se sine affectu mouetur, corpus agit quietem, & sibi constat, propterea quòd mẽtis agitationes nihil cum corpore habent cõmune, si uerbi gratia, aliquid è disciplinis mens attingat, in quibus non est irrationali locus. Ex quo etiam patet duo esse, & facultatibus inter se differentes. Omniũ autem omnino rerum & ipsi affirmant, & late patet, alia habitu, cõplexuq; regi, alia natura, alia irrationali animo, quædam adhibita etiã ratione & intelligentia, quorũ simul omniũ particeps est homo, & in omnibus his differentijs ortus est. Nam & habitudine cõtinetur, & aliter natura et ratione utitur atq; intelligentia, & cõiunctum etiam habet irrationale ingenitumq; affectus principium ac fontẽ nõ accersitũ, nec aduocatum, sed necessariũ, nec ex toto extirpãdum, sed cultu & præceptore indigẽs. Vnde nec Thraccum nec Lycurgeum rationis munus est unà cũ perniciosis excidere, simulq; interimere quæ in affectibus sunt utilia, uerum tanquam sator bonus & urbanus agrestia, & luxuriãtia amputare ac resecare, deinde colere & ad utilitatẽ constituere. Nec enim qui temulẽtiam uerentur uinũ effundũt, neq; affectum qui perturbationes timent auellunt, sed ei adhibent modũ. Bobus quoq; & equis saltus, & rebelliones, & cõtumaciam nõ motus, nec actiones auferũt, affectibusq; domitis, & obedientibus ratio utitur, haud eneruata, nec stirpitus excisa ex animo ministrandi facultate. Curribus enim equus, aratro bos: at apro intẽtanti letum animosus est inueniendus canis, inquit Pindarus. Quibus longè sunt utiliora affectuũ iumenta, quum uidelicet ra-

tioni auxiliantur, & cõcordes ad uirtutem dirigũtur. Vt ira fortitudini, si adsit modus, iustitiæ odium improbitatis, indignatio in eos, qui propter dignitatẽ secũda utuntur fortuna. Quando amẽtia simul & contumelia inflammatus animus indiget coërtione, aut nimiæ indulgentiæ opus est amicitia, aut misericordiæ, humanitate, aut communi gaudio, cõmuniq; dolori, beneuolentia uera, nec si quis cupiat euellere assequetur. Quòd si qui amorem unà cum furioso amore eijciunt, peccãt profectò. Nec illi quidem rectè faciunt, qui cupiditatẽ propter auaritiã uituperant: non enim discrepant ab illis, qui cursum propter lapsus, & iactũ ne ultra iaciatur extinguunt, & qui penitus cantus propter dissonantiam odio habẽt. Verum ut in sonis Musica concẽtum nõ extinctione grauis & acuti, & in corporibus medicina salutare non internicione caloris & frigoris, sed cum symmetria & quãtitate temperationibus ipsorũ perficit, ita in anima mores, quando à ratione affectuũ potentijs ac motibus æquitas adhibetur ac moderatio. Tumenti enim corpori & inflammato similis est, ægritudine se uehemẽter afflictantis, & lætitia effusè gestientis, timoreq; attoniti animus nõ lætans, nec dolens, nec metuẽs. Rectè igitur Homerus quũ dixit, Viri boni non mutatur color, nec timet nimis, metũ nõ abstulit, sed nimium metũ, ut fortitudo, nõ desperatio & amẽtia: & audacia, non temeritas fiat. Quare in uoluptatibus nimia tollenda est cupiditas, & in ultionibus nimium improbitatis odium. Ita enim alius nõ stupidus, sed modestus: alius iustus, non sæuus, nec acerbus erit. Quòd si penitus affectiones tollerẽtur, fieriq; id posset, in multis ratio segnis, obtusa & languida esset, ut gubernator destitutus à uentis. Quam rem intelligentes latores legũ, in rebus publicis

blicis cupiditatem gloriæ, & æmulationes inter ciues serunt. Contra hostes autẽ tubis, alijsq; modis irã excitant, & amorem augẽt pugnandi. Non modò enim in poëmatis, ut inquit Plato, artificẽ & elaboratũ, qui Musarũ afflatu correptus est, ridiculũ ostendit esse, uerũ & in bello affectus furore numinis percitos, nec posse sustineri, & esse inuictos. Quos etiã uiris deos infundere Hom. canit,

Sic fatus robur magnum inspirauit Achiuũm

Pastori.– Et illud:

–Non hic sine numine diuũm Hæc furit.–

affectum adhibentes rationi tanquam impetũ & currum. Hosq; ipsos uidere licet iuuenes sæpe laudibus excitare, ac sæpe obiurgationibus castigare, quorum aliud uoluptas, aliud dolor consectatur: nam obiurgatio & uituperatio inurit pœnitentiam & pudorem. Quorum aliud est genere dolor, aliud metus. Quibus maximè ad emẽdationes correctionesq; utuntur. Vt Diogenes laudante quendam Platone: Quid uerò, inquit, habet ille grauitatis, qui tot per annos philosophiæ operam dedit, ac nullum affecit dolore? Haud ita quidem disciplinas quis dicat, ut Xenocrates dicere solebat, esse ansas philosophiæ, ut iuuenũ affectiones, pudor, cupiditas, pœnitentia, uoluptas, dolor, & gloriæ cupiditas, in debita conuenienteq; uia iuuenem expeditè perfecteq; constituunt. Vt rectè dixisse pædagogum illum Laconem credamus, effecturum sese dicentem, ut puer honestis gauderet, & turpibus angeretur: quum nihil maius, nihil præstabilius homini libero educatione, eruditioneq; congrua & debita, excogitari possit.

FINIS.

AD INCLYTVM D. IO. BORGIA Ma-Gandiæ & Sueſſæ Ducem Alexandri VI. Pont. Max. nepotem. Caroli Valgulij Brixiani, Cardinalis Valentini Secretarij, præfatio.

QVum omnis mea cura eò referatur, Dux inclyte, ut beatitudini Alexandri VI. clariſſimæq; ac diuinæ familiæ Borgiæ aliquē fructum ſeruitus mea pariat: quanquā uires uoluntatem deſtituūt, mihi tamen hac in re ſatisfacere nō poſſe tui, ſi tantū Deum precarer, ut tua in Hiſpaniam profectio nuptiæq; felices fauſtæque ſint, & maturus reditus tuus. Quare præcepta quædā nuptialia de uetere ſapientia Græca in linguā Romanam cōuerti, quæ quondā Plutarchus, uir humanarū rerum peritiſſimus, Poliano & Eurydice ſponſis dono dedit. Ea quum doceant, quo modo ſe uxor cum uiro, & cum uxore uir gerere debeat, non dubito quin ſumma cum tranquillitate, concordia, atque felicitate ductur uitam ſitis, ſi ea legatis & obſeruetis. Non enim te arbitror, quamuis adoleſcentem, in eo errore uerſari, in quo nōnullos eſſe intelligo, qui exiſtimāt ſtudium doctrinæ, & interdum lectioni uacare, Principi non conuenire. Quid enim, per Deum immortalem, optabilius, quid'ue beatius contingere Principi poteſt, quàm præſtantiſſima ingenia, & recta conſilia, prudenter dicta, & præclarè geſta eorum hominum, quorum ſapientiam omnes ætates admiratæ ſunt, ad ſuam utilitatem laudemq; & gloriam traducere poſſe? & habere unde optimam rationem ſiue populus gubernandi quibus præſit, ſiue ſeipſum regēdi (quæ res eſt omnium difficillima) ſiue gerendi belli, aut quid aliud agendi, queat ducere, prudentiamq;

dentiamq; ſuam, ingenium, eloquētiam, uirtute aliena ſic excolere atq; augere poſſe, ut non modò fortuna, uerumetiam uirtute cum admiratione hominum cæteris excellere uideatur? Quumq; omnes Principum domus adulatoribus aſſentatoribusq; abundent, qui utilitatis propriæ uoluptatisq; cauſa miris artibus in animos dominorū influentes, iocundis quidem, ſed pernitioſis conſilijs eorum mentem de ſanitate ſæpe deturbant, uerēdum non eſt, ſapientes ueteres commodorum ſuorum aut uoluptatū, aut gratiæ comparandæ cauſa poſteris, qui nondū nati erāt, blandiri adulariq; uoluiſſe, ſed rectè conſuluiſſe, omnemq; ſapientiam ſuam ad utilitatem poſterorum & ueram gloriam, cuius omnis excellens animus eſt auidus, direxiſſe exiſtimandum eſt. Hæc igitur multaq; alia, quæ exornare, ad ſummamq; gloriam euehere Principem poſſunt, monumenta ſuppeditant literarum. Sed quid ego hæc te hortor, Dux illuſtriſſime? qui ita rectè, ita præclarè à natura, & ab ijs qui te rexerunt, & regunt, inſtitutus es, ut tibi homines, quia etiam uident una cum ætate uirtutem creſcere tuam, longè maiora quàm fortuna dederit, exoptent. Aut quid ego literis eruditus eſſe laudando ſtudia literarum uideri uolo, qui multò plus ætatis ſeruiendo, et aliquid agēdo, quàm in legendo conſumpſi? Nunc enim quia nec ſeruio, nec quicquam agere cōceditur, meipſum his ſtudijs conſolor, ſimulq; ſpe ducor, quam omnem in ſola clementia ſanctiſſimi D. collocaui, cui ut me primum commendes, excellentiam tuam uehementer rogo.

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, PRAECEPTA CONNVBIALIA.

Carolo Valgulio Brixiano interprete.

PLVTARCHVS POLIANO ET EVRYDICE S.

POst legem patriam, qua uos Cereris sacerdos connubio copulauit, orationem quoq;, quæ simul uos cõcinnet, simulq; Hymenæum ope prosequatur, utilitatẽ aliquam arbitror allaturã, & legi cõsonam fore. In musicis unã de legibus tibiarum Hippothoron appellabant: is erat cantus, quo equi in certamine curruli concitabãtur. Philosophia uerò cũ multas habet præclarasq; institutionum rationes, tum non minore studio ea digna est, quæ ad nuptias cõnubiaq; pertinet, qua uobis delicet eos, qui in societatem uitæ cõuenerũt, in idem coniungens, mites mansuetosq; inter se, & obedientes effecit. Ex his igitur, quæ sæpe uos in philosophia educati audiuistis, Capita sub quibusdam breuibus similitudinibus, ut facilius in thesauris memoriæ contineantur contexta, commune utrique donum mitto, precans Musas Veneri adsint, ac faueant, ut nullam lyram, nullam ue cithaeram magis sibi consonam præstent, quam quæ ad nuptias domumq; uestram pertinent, apta omnia, concinna, per

per omnemq; uitam concordia, ratione, harmonia, atq; philosophia efficiantur. Nam ueteres Mercurium iuxta Venerem collocabant, quòd uoluptas nuptialis ratione, aptoq; sermone maxime indigere uideatur. Persuasionemq;, & Gratias orans, ut quæ uestra fert uoluntas, ab alterutro sine pugna & sine contentione persuasi trãsigatis. I. Solon iubebat sponsam non prius cum sponso concumbere, quàm malam cotoneum delibasset, innuens, ut uidetur, primam gratiã quæ ab ore uoceq; sponsæ demanat, bene compositam & aptam, & suauẽ esse oportere. II. In Bœotia sponsam obtectam asparagine coronant: Nam ut ea suauem ex asperrima spina fructũ fundit, sic noua nupta primã asperitatem, difficultatemq; suã non defugiẽti, nec indignanti marito, urbanã, iucũdamq; uitæ societatem præstabit. Qui uerò prima uirginũ dissidia non ferunt, haud quidẽ ab illis differunt, qui propter acorem uuam alijs maturam relinquunt. Multæ quoque nouæ nuptæ maritos propter primos congressus molestè ferentes similiter afficiuntur atq; illi qui apis ictum pertulerunt, & alijs fauum dimisere. Principio controuersiæ offensionesq; magna cura coniugibus cauendæ sunt, quũ recenter coniuncta glutinataq; nasa quacunq; causa facile disiungi, tempore uerò confirmatis commissuris uix igni aut ferro dissolui ualeant. III. Quemadmodũ ignis in paleis leporinisq; pilis facilè accenditur, ocyusq; restinguitur, ni aliqua materia, quæ ipsum foueat & alat, adhibeatur, ita breuem amorẽ nouorum cõiugum corporis forma inflammatum nec durare posse, nec firmum esse existimandũ est, ni in bonis moribus collocatus à prudentia foueatur, & animatũ affectũ capiat. IIII. Medicamentis quæ fit piscatio maturè quidẽ & facilè capit piscem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcem,ſed eum labefactat,& mẽſæ nõ aptũ reddit. Sic quæ amatorijs artibus carminibuſq; uiros uoluptatis cauſa ſtudent ſubigere, cum attonitis demẽtibuſq; & labefactatis ætatem agũt. Neq; enim Circen ab ea potionati quicquã iuuerunt, nec ipſa ulla in re illis utebatur, quũ ſuum, aſinorumq; formã accepiſſent: Vlyſſem uerò mẽte præditũ, & prudẽter cum ipſa uerſantem incredibili amore dilexit. v. Quæ malũt ſtolidis uiris imperare, quàm parere ſapientibus, ſimiles illis ſunt, quæ ducere potius uolũt cæcos, quàm intelligentia uiſuq; præditos ſequi. vi. Paſiphaen non credunt amore fuiſſe captam bouis cubantem cum rege: quũ uideant nõnullas graues moderatoſq; uiros grauatè ferentes, cũ hominibus intẽperantia atq; libidine fluentibus tanquam cũ ſuibus et hircis ſuauius cõcumbere. vii. Qui equos aſcẽdere imbecillitate aut mollitia corporis impediti nequeũt, eos ſeſe flectere & procumbere docẽt. Ita aliqui eorum qui nobiles opulentaſq; uxores acceperunt, haud ſe quidẽ præſtantiores reddunt, ſed illas cõminuunt & debilitant, ut illis demiſſioribus uirioribusq; facilius imperent. Oportet autem ut equi magnitudinem, ſic uxoris dignitatẽ conſeruantem uti freno. viii. Lunã cum abeſt à ſole, lucidã claramq; uidemus, admota ſoli obſcuratur, & occultatur. At contrà modeſtã uxorem oportet cum uiro exiſtẽtem, ſeſe maximè uidendam exhibere: quum uerò abeſt, ædes cuſtodire, ac latere. ix. Haud rectè quidẽ Herodotus dixit, quòd mulier unà cum tunica pudorem exuit. Contrà enim modeſta induit, ſummuſq; amor, ac ſummus pudor mutuo ſeſe teſtimonio argumentoq; indicãt. x. Quẽadmodũ ſi duæ uoces cõſonæ capiãtur, grauior is ſit cantus, ſic omnis actio in bene rectà moderatàq; domo, quanquam ab utroq; unanimiter

miter geritur, apparet tamen & extat imperiũ atq; uoluntas uiri.. x i. Sol Boream ſuperauit: Homo enim quũ ei uentus niteretur auferre pallium, uehementiusq; ſpiraret, ipſum magis atq; magis conſtrinxit, & arctius cõtinuit: feruente uerò poſt flatum uenti ſole, incaleſcens & æſtuans exuit una cum pallio etiã tunicam. Hoc agũt pleræq; mulieres, cum uiris enim luxũ ſumptumq; detrahentibus decertant & indignantur, quæ ſi ratione perſuadeantur, leniter placideq; deponũt, ac moderatè ſe gerunt. x ii. Cato è ſenatu ciuem mouit, quòd uxorem præſente filia deoſculatus fuiſſet. Id quidem atrocius fortaſſe: uerum ſi turpe eſt, ut profectò eſt, præſentibus alijs ſeſe amplexari & ſuauiari, cur turpius non eſt, coram alijs iurgijs contumelijsq; ſeſe uicißim laceſſere? Oportet enim cõgreſſus oblectationesq; cũ uxore ſecretò fieri. Admonitiones uerò ac reprehenſiones libera licentia apertaq; eſſe debent. x iii. Vt ſpeculum auro, gẽmisq; ornatũ utilitatẽ nullam affert, niſi ſimilem ſpeciẽ referat: ſic opulentæ uxoris nullus fructus eſt, ni uitam moresq; præſtet cũ uita & moribus uiri cõgruentes, & conſentaneos. x iiii. Si lætantis imaginẽ ſpeculum triſtẽ reddat, dolẽtis uerò & mœrentis hilarem & ridibũdam, profectò peccat uitioſumq; eſt. Ergo & uxor mente capta, inſulſa & inepta eſt, quæ iocante blandienteq; marito frontẽ contrahit, & agente aliquid ſerio iocatur & ridet: Ea enim ſunt tum triſtis, tum cõtemnentis animi indicia. Oportet autẽ, ut geometræ dicunt, lineas & ſuperficies non per ſe, ſed unà cum corpore moueri: ſic uxorẽ nullam propriũ affectũ habere, ſed ſtudia, curas, riſum, cõmunia habere cũ uiro. x v. Qui uxores eſſe ac bibere ſecũ libenter non uident, ſolæ quum ſunt, eas impleri docent: Ita qui non hilarè cũ illis

Vxor uiri moribus conſonet.

concum

concumbunt, nec iocos risumq; communicant, docēt sine ipsis proprias quærere uoluptates. XVI. Cū Persarū regibus legitimæ uxores ad mensam accumbūt, unaq; commessant: quum uerò ludere lasciuireq;, ac se pluscūlū uino inuitare uolunt, dimotis illis citharistrias meretriculas quoq; adhibent. Et rectè quidem uxores non sinūt intemperantiæ ebrietatumq; participes fieri. Igitur uir priuatus, & intemperans, in uoluptatibusq; profusior, si cum scorto aut ancilla delinquere aliquid deprehendatur, non debet uxor succēsere nec ægrè ferre, considerans eum temulentiæ suæ, lasciuiæ, & procacitatis aliā adhibere participē, ipsius ductū uerecundia. XVII. Cultores Musarum domini musicos multos faciūt: qui uerò studia literarum amplectūtur, multos eruditos, et qui ludis gymnicis delectantur, athletas: Sic uir studiosus corporis cultus uxorem comptricē facit: uoluptarius meretricē & intēperantē: amator probitatis & decori, modestā et pudicā. XVIII. Lacæna ancilla à quodā ĭterrogata, an adhuc accessisset ad uirū, nō ego, inquit, sed ipse ad me. Hoc meā quidē sentētiā in hera matronaq; esse debet, ut neq; deuitet huiusmodi, nec ægrè ferat incipiente marito, nec id ipsa prior tentet: Vt enim hoc meretricis est atq; impudētis, sic et illud fastuosæ, nec uirū amātis. XIX. Vxorē amicos proprios habere nō oportet, sed uti cōmunibus cū uiro. Quum uerò sit primus & maximus Deus quem uir cēsēt esse colendū, solū eū cognoscere uxorē decet: curiosaq; religiones, & peregrinæ superstitiones à uestibulo domus arcēdæ sunt. Nulli enim Deo sacra occulta et absconditā grata sunt, à muliere si fiāt. XX. Plato beatā inquit, felicemq; ciuitatē esse, in qua, meū nō meū, qui dicāt, nō audiuntur, quòd cōmunibus quoad fieri potest rebus, quæ

Vitia uiri redū dare in uxorē.

quæ quidē aliqua æstimatione cēsēantur, uti ciues debeāt. Sed multò magis huiusmodi uox è cōnubio eximenda est: nisi, ut medici dicunt, in sinistra parte existentes plagas ad dextram sensum referre, sic uxorem uiri, & uirū uxoris sentire dolorem magis conuenit. Vt quēadmodum nodi ac uincula mutuum robur uicißim capiunt, ita utroq; reciprocam beneuolentiam præstante, societas uitæ per alterutrum conseruetur. Nam & natura per corpora nos musicet, ut ex utroq; parte decerpta simulq; confusa, quod inde nascitur, cōmune utrisq; præbeat, neutrumq; statuere, dijudicareq; posit, proprium sit, an alienum. Talis quoq; pecuniarum societas connubio iunctis maximè cōuenit, ut unam in substantiam rebus omnibus confusis ac mixtis, ne hanc partem propriam, illam alienam, sed omnia propria, ac nihil alienū arbitrentur. XXI. Vt temperatum, etsi plus insit aquæ, uinum tamen appellamus, ita substantiam & rem familiarem, quamuis plus uxor contulerit, mariti dici oportet. XXII. Helena diuitiarum appetens, Paris uoluptatum fuit, Vlysses uerò prudens, & modesta Penelope: propterea horum connubium felix, atq; optabile: at nuptiæ Paridis & Helenæ malorum Iliadem Græcis & barbaris fecerunt. XXIII. Romanus quidam quum eum amici reprehenderent, quòd pudicam uxorem, locupletem, & formosam repudiasset, calceum protendit: nam & hic, inquit, nouus est & pulcher, sed nemo uestrum nouit ubi me premat. Oportet igitur non doti, non generi, nō formæ uxorem credere, sed operam dare, ut quibus uir maximè tangitur, consuetudine, moribus, & obedientia, ea non dura, nec molesta, sed composita, iocunda, & grata præstet. Enimuero ut medici eas febres, quæ ab incertis causis paulatim collectis

Coniugibus cō munia omnia.

proueniunt, magis suspectas habent, magisq; uerentur, quàm quæ manifestas magnasq; causas habent: sic latentes plerosq; paruæq;, & frequentes ac quotidianæ uiri atq; uxoris offensæ magis eos disiungunt, & uitæ consortium labefactant. XXIIII. Philippus rex Thessalam mulierem amabat, à qua medicamentis magicis in amore teneri putabatur. Quare Olympias uxor operam dedit, ut eam in manibus haberet. Vbi in conspectum uenit, liberalis forma uisa est, & sermo ingenuus ac prudens: ualeant, inquit Olympias, calumniæ: tu enim in te ipsa medicamenta habes. Inexpugnabilis igitur res est uxor legitima, si omnia in se ipsa collocans, dotem, genus, potiones, eingulumq; ipsum, moribus atque uirtute comparet benenolentiam. XXV. Rursus Olympias, quum aulicus quidam adolescens formosam, sed malè audientem duxisset uxorem: ille, inquit, demens est: non enim oculis uxorem accepisset. Oportet autem non oculis, nec digitis uxorem capere, ut aliqui facere solent, reputãtes quàm grandem dotem ferat, non quibus moribus sit cum ipsis uictura. XXVI. Socrates ut se in speculo adolescentes intuerentur suadere consuerat, ut deformes uirtute corrigerẽtur, pulchri ne deturparentur uitio. Matrona quoque quum in manibus speculum habet, secum ipsa dicere debet, si deformis est: Quid ni temperans & pudica simẽ? Pulchra uerò: quid si præterea sim honesta? Nam deform, si propter mores, non propter formam diligatur, uenerationi quædã accedit. XXVII. Lysandri filiabus uestes muliebremq; mũdũ preciosum tyrãnus Sicalus misit: ea Lysander capere noluit, fatus: hoc ornamentũ dehonestabit potius filias meas quàm ornabit. Sed ante Lysandrum hoc Sophocles dixit: Nõ est hic ornatus, ò infelix, uerũ dedecus ui

Speculi usus.

Ornatus nimius uitandus.

eus uidebitur, tuæq; insania mentis. Ornamentũ enim est, ut inquit Crates, quod ornat. Ornat autẽ quod honestiorem mulierẽ facit: talem uerò præstat non auru, non smaragdus, non coccineus color, sed quæcunq; grauitatis, moderationis, & pudoris specimen adhibent. XXVIII. Qui nuptiali Iunoni rem faciunt diuinam, cum uictima fel non consecrant, sed exemptũ post aram abijciunt, innuente legũlatore, nunquam bilem iramue in connubio esse oportere. Debet enim ut uini, ita matronæ austeritas conferens atq; utilis esse, non amara, ut aloë ac medicina. XXIX. Plato Xenocratem seuerioribus præditum moribus, alioqui æquum probumq; uirum, ut Gratijs sacrificaret hortabatur. Pudicæ uero continentiq; mulieri maximè erga uirum gratijs opus esse arbitror, ut quemadmodum Metrodorus dicebat, iocundè, non propter continentiam iratè cum uiro conuersetur: haud enim frugalẽ tenuemq; mulierem contemnere munditiam oportet, nec uiri amantem blanditias negligere: Nam difficultas & morositas honestatem illam mulieris iniocundam atque molestam facit, quemadmodum & sordes frugalitatem reddunt inuisam. XXX. Quæ præsente uiro ridere, aut aliquid aliud agere uerecur, ne temeraria immodestaq; uideatur, nihil ab ea differt, quæ nullo se pacto ungit, ne odoramentis perfundere caput putetur, & quæ se non lauat, ne faciem fuco delinire existimetur. Nam & poëtas oratoresq; uidemus, quicunque orationem molestam, illiberalem, offendentemq; deuitant, rebus, ordine, ac moribus ducere & mouere auditorem omni arte lætari: Sic matronam omne superuacuum, meretricium ac populare fugere: morum uerò, consuetudinisq; iuuendi gratijs erga uirum omni artificio uti decet, una cum uo-

Læta sit coram uiro mulier.

luptate honestè cum eo conuersantem. Quòd si suapte natura seuerior pertinaxq; sit, & insuauis, placidè eam admonere uirũ oportet, Phocionemq; imitari, qui quum ab eo Antipater rem minus honestam indecentemq; postularet: non potes me, inquit, & amico uti, & adulatore. Ita uxori pudicæ quidẽ, sed rigidæ & austeræ dicendum est: nõ te ego eadẽ uti & cõuge, & amica possum. XXXI. Aegyptijs mulieribus uti calceamentis patrius mos non fuit, ut sese domi cõtinerent. At pleræq; fœminæ, si auratos calceos, & armillas, & femoralia demas, purpuramq; ac margaritas, domi manent. XXXII. Theano uestem inducns brachium nudauit: quum quidam dixisset, ὁ pulchrum cubitum: at nõ publicum, inquit. Pudicæ autẽ mulieris non cubitus modò, uerum neq; oratio publica esse, nec minus sermo quàm nudatio corporis formidari, & ab externis caueri debet: propterea quòd affectus, & mores, ac dispositio animi in sermone uehementer conspicitur. XXXIII. Eliensibus Phidias Venerem fecit testudinẽ calcantem, indicans, mulierum esse munus, & ædes custodire, & silentium. Debet autem uxor aut cum marito, aut per maritum loqui, non ægrè ferens, si aliena lingua tamquã tibicen grauius loquatur. XXXIIII. Locupletes ac principes quum honori Philosophos habent, & semetipsos ornant, & illos. At Philosophi quum obseruant opulẽtos, haud illos quidẽ clariores, uerũ se ignobiliores faciũt. Hoc etiã usu mulieribus uenit, quæ quum sese uiris subijciũt atq; obtemperãt, laudẽ cõsequuntur: quum uerò præesse uolũt, magis eas dedecet, quàm eos qui subigũtur. Præstare autem maritum uxori par est, non ut dominum pecoribus, sed ut animam corpori, conspiratione quadam naturali per beneuolentiam cum ipso coniunctam. Quẽ admodum

Vxor pareat.

admodum igitur procurare corpus conuenit, non ipsius seruiendo uoluptatibus atq; cupiditatibus, ita uxori præesse demulcendo gratificãdoq; oportet. XXXV. Corpora Philosophi dicunt alia ex discretis constare, ut classem, ut exercitum: alia ex coniunctis, ut domum ac nauem: quædam unita esse atq; congenita, ut singula animalia. Ferè igitur connubium quod ex amantibus constat, unitum congenitumq; est: quod uerò dotis liberorumq; procreandorum gratia est, ex coniunctis. Concumbendi causa coniugium, ex discretis: quos simul habitare, nõ simul uiuere arbitrari quispiam posit. XXXVI. Quẽadmodum physici dicunt, per omnes partes temperationem humidorum fieri, ita coniugum & corpora, & pecuniam, et amicos, atq; propinquos inuicẽ misceri oportet. Nam & Romanorum legum lator munera uicißim dare, & capere coniuges uetuit, haud quidem ne rei cuiusquã participes forent, uerum ut omnia communia esse existimarent. XXXVII. In Lepti Libyæ ciuitate ritus patrius est, ut sponsa postridie quam celebratæ nuptiæ sunt, ad sponsi matrem petitum ollam mittat. At illa nec dat, nec se assecurit habere, ut uidelicet principio cognitis in socru nouercalibus moribus, si quid grauius postea contingat, iniquo animo non ferat, neque succenseat. Quo fit ut uxor id intelligens occasiones ipsas leniat ac mitiget: Est enim naturalis æmulatio quædam inter ipsas beneuolentiæ, cuius affectus unica curandi ratio est, ut seorsum sibi beneuolentiã uxor cõciliet uiri, & matris nõ cõuellat aut diminuat. XXXVIII. Filios plus matres diligere uidentur, quòd ad eis succurrendũ opemq; ferendam sint aptiores: patres uerò filias amare magis, quasi eorum præsidio indigẽtes. Fortasse etiã honore se mutuo prosequentes, id

quod alteri generi propinquius est, amplecti charitate magisq; diligere uideri uolunt. Sed hoc est fortasse indifferès: illud uerò perturbanum, si uxor magis ad parentes mariti honorandos inclinare conspiciatur, quàm ad suos: ac si quid doleat, ad ipsos referat, & lateat suos: facit enim, ut quum fidem habet, fidem & ipsa uendicet, & quum diligit, diligatur. XXXIX. Græcis qui erant cum Cyro duces iubebant, ut si hostes uociferantes impetũ facerent, cum silentio exciperent: quòd si illi silerẽt, cõtrà ipsi inuaderent cum clamore. At mulieres, quæ quidẽ sana mente sunt, quum irati mariti clamant, silentiũ agunt: quum uerò silent, eos alloquuntur, & consolantes mitigãt ac leniunt. XL. Rectè Euripides accusat eos qui lyra in poculis utuntur. Ad iram enim potius luctumq; adhibenda musica est, non insuper cantu soluere qui in uoluptatibus existunt. Existimate uos igitur errare eos, qui cum gaudio uoluptateq; gestiunt, re uenerea utuntur: & quum irã dissidioq; uexantur, seorsum cubant, quum tum maxime uenerem, optimum huiusmodi malorum medicum, accersere opus esset. Quam rem poëta docet dicente Iunone:

–Vestra ego iurgia soluam,
Vos & amore pares iungam, thalamoq; locabo.

Lecto sit pax & concordia.

Cum semper autem & ubiq; fugiendum est, ne uir uxorem, nec uirum uxor offendat, tum in primis ne id accidat in concubitu, & dum conquiescunt cauendum est. Enimuero quum uxor dolet & queritur apud autores tori: qui fieri potest, inquit, ut his rebus lectus medeatur, quum in ipso lecto ea cõtigerint? Nam simultates, & cõtumelias, et iras quas torus gignit, alio loco, alioue tẽpore non est procliue dissoluere. XLI. Hermione uerũ dicere uidetur quum ait: Fœminarum me malarum perdiderunt ingressus

ingressus. Sed nõ fit hoc simpliciter, uerũ quando dissidia & zelotypiæ aduersus maritos existũt, huiusmodi fœminis nõ ianuas modò, sed etiã auditũ patefaciunt. Tũc igitur potissimũ sana mente prædictam uxorẽ occludere aures, & insusurrationes cauere, ne ignis addatur igni, oportet, illudq; Philippi habere in promptu dictũ. Fertur enim ille quũ ab amicis cõtra Græcos cõcitaretur, q. bene ab eo affecti ei obloquerentur, dixisse: quid si præterea prouocẽ? Quando igitur obtrectatrices deferunt tibi: uir tuus & amãti & pudicæ iniuriã facit, quid si ipsum odisse atq; lacessere incepero? XLII. Fugitiuũ seruũ quidam persequens, ut se in pristinũ proripuisse cõspexit: ubinam te, inquit, alibi inuenire maluissem? Vxor igitur propter zelotypiã diuortij libellũ scribẽs & indignata secũ ipsa, dicat: ubinã me potius æmularitalisq; mea uidere gauderet, quid'ue agentẽ aliud, quàm præ dolore seditionẽ aduersus maritũ concitantẽ, ac domũ thalamũq; deserentẽ? XLIII. Atheniẽses tres arationes sacras dicũt. Prima in Sciro est uetustissimarũ sationũ monumentum. Secũda *in Rharia. Tertia sub Pelin, qui locus Busygiũ appellatur. Omnium autẽ harum sacratissima est nuptialis satio atq; aratio, quippe quæ fiat ad procreationem liberorum. XLIIII. Rectè quidẽ Sophocles fœcundam boni fœtus Cytherẽa appellat: quapropter summa cum obseruantia cõiugibus hac re utendũ est, ut omni profana illegitimaq; *in alios cõsuetudine puri purgatiq; sint, nec serãt unde nasci quicquam nollent: quin si fructus gignatur, pudet & celãt. XLV. Gorgia oratore in Olympia Græcis orationem de concordia recitante, Melanthus quidam, iste, inquit, de concordia disputat, qui sibi, uxori & ancillæ, tribus solis, ut cõcordes essent, non persuasit. Nã Gorgiæ

* ἐν τῇ ῥαριάδι.

* πρὸς ἑτέρους.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amor quidã,& uxori zelotypia aduersus ancillã esse uidebatur. Rectè igitur domũ & familiam ab eo componi oportet,qui sit & senatũ & amicos moderaturus. Magis enim mulierũ,quàm cõtra mulieres peccata latere multitudinẽ uidẽtur. XLVI. Feles olfactu odoramẽtorũ perturbari & furere traditur. Quòd si uxores efferari atque insanire odoribus contingeret,profectò graue esset,si ab huiusmodi odoribus mariti nõ abstinerẽt,& eas tantopere discruciari paruæ gratia uoluptatis paterẽtur. Quũ autem nõ odoribus id cõtingat, sed quia cũ alijs mulieribus uersentur,certe iniustũ est tãto eas dolore afficere & cõturbare,ac nõ ut apibus, quia indignari atq; pugnare cũ his uidentur,qui cũ muliere cõcubuerunt, ita se uxoribus admouere castos,integros, purosq; aliarũ mulierũ cõsuetudinis.

Viros ne irritent uxores.

XLVII. Qui elephantis se admouẽt,uestẽ clarã nõ gestant,nec puniceã qui tauris,quòd huiusmodi coloribus illa animalia maximè efferantur. Tigres uerò in tantũ agũtur sonitu tympanorũ furorem,ut semetipsas dilanient. Quũ igitur alij hominũ coccineã,aut purpuream uestẽ quum uident molestè ferãt,alij tympanis ac cymbalis indignentur,quid malum,grauari uxores debent,si ab huiusmodi abstineãt,ne perturbent uiros irritentue,sed cum mansuetudine atque constantia unà cum ipsis uitam agãt? XLVIII. Mulier quædam quum à Philippo inuita traheretur, dimitte me, inquit : omnis enim mulier sublata lucerna eadem est. Hoc aduersus natura adulteros intemperantesq; homines rectè dicitur. Nuptam autem decet remoto lumine non cuiusque mulieris similem esse,sed tum maximè,quum corpus nõ uidetur, modestiã, moderationem,amorem & charitatem erga uirum præ se ferre,ac se illius esse propriam ostendere.

Mulierũ nullã in tenebris discrimen.

XLIX. Plato senes

senes hortatur,ut iuuenes uererẽtur,ut & illi erga ipsos uerecundiã conseruarẽt: Vbi enim pudorẽ senes abijciũt, nulla in eos uerecũdia iuuenibus residet. Huius igitur memor maritus,nihil minus uereri uxorẽ debet,quàm si thalamus, officina modestiæ,non intemperantiæ sit futurus: Qui enim uoluptatibus ijs fruitur,à quibus eam coẽrcet, nihil ab eo differt,qui uxorẽ cum hostibus iubet pugnare, quibus ipse se dedidit. Tibi itaq; danda opera est, ò Eurydice, ut ea legas quæ ad Aristillam à Timoxene de moderatione atque modestia & pudicitia scripta sunt, in memoriáq; contineas. Tuq; Poliane ne putes à superfluis profusisq; sumptibus uxorẽ temperaturã, si te hæc minimè in alijs cõtemnentẽ conspiciat: quin potius auratis poculis,pictisq; cubiculis,mularũ & equorũ phaleris gaudentẽ uideat: Nõ enim fieri potest, ut à mulieribus luxus remoueatur,quo uiri circũfluunt. Quare igitur tẽpus habens in ea studia incumbẽdi,quæ demonstrationibus probantur,mores cõpone,cum his conuersans qui plurimum prodesse posse uideantur. Cõiugi uerò quacunq; uia adhibeas quæ utilia sunt,& more apum quæ tu in teipso collocaris ei cõferas & cõmunices: familiaresq; effice & cõsuetas eas sermonũ rationes,quæ esse quãoptimæ uideantur. Pater enim illi est uenerandaq; mater ac frater. Non minus,aut uenerabilius est,uxorẽ audire dicentẽ: Tu mihi uir magisterq; es,ac Philosophus,rerumq; honestißimarũ ac diuinarũ præceptor. Huiusmodi enim disciplinæ primũ à rebus absurdis uxores abducunt. Erubescet enim uxor saltationibus operam dare,si studio literarũ delectabitur, nec potiones magicas admouebit,institutis capta Platonis & Xenophontis. Ac si quis se profitebitur lunã de cœlo deducturũ,ignorantiam ipsius ridebit,stoliditatemq; crẽ-

Literis deditæ uxores esse cõuenit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentũ mulierũ, astrologiæ non ignara rationũ. Aganice Hegetoris Thessali filia, quòd pleniluniorũ defectuũ esset gnara, tẽpusq; præuosset quo lunã ab umbra terræ intercipi cõtingeret, mentẽ mulierũ exturbabat, illisq; se lunã deducere persuadebat. Sed quoniã nulla unquam fœmina absq; societate uiri peperisse infantẽ dicitur, informesq; partus, & carnẽ, & aliquid in semet ex corruptione cõceptum, molas appellant, magna diligẽtia cauendũ est, ne hoc in animis mulierũ fiat. Nam nisi sermonũ optima fœmina mulieres suscipiant, & participes eruditionis uirorũ fiant, absurda multa prauaq; cõsilia, atq; cogitationes & affectus malos pariũt. Tu igitur Eurydice enitere sententias sapientũ bonarumq; mulierum habere familiares, & in ore eas semper uoces habere, quas à me dum adhuc uirgo esses suscepisti, ut & uirũ delectes, & tu usqueadeo egregiè, adeò grauiter per temet exornata in admiratione à cæteris mulieribus habearis. Nam illius margaritæ, aut alterius aduenæ sericeæ uestes sine magno precio emi non possunt: at Theanûs & Cleobulinæ honestatis ornamenta & Gorgonis Leonidæ uxoris, ac Timocleæ Theaginis sororis, & antiquæ Claudiæ, Corneliæq; Scipionis, & aliarũ quæcunq; admirabiles præclaræq; fuerunt, gratis licet induere, & magnificè glorioseq; ac bonè uiuere. Nam si Sappho quòd pulchra carmina componeret se tanti faciebat, ut ad diuitem quandam scripserit: Mortua iacebis, nec ulla unquam tui extabit memoria: nõ enim filium habes, rosam ex Pieria: cur non tibi magis gloriandum erit, si non rosas, sed fructus eos perceperis, quos Musæ ferunt & largiuntur his qui disciplinam & studium sapientiæ admirantur?

Plutarchi Sapientũ bonarumq; mulierũ sententiæ.

FINIS.

Plutarchi

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, MVSICA.

Carolo Valgulio Brixiano interprete.

VXOREM Phocionis, eius cui Probo cognomentum fuit, dicere solitam accepimus, mundum suum esse consilia ac decora imperatoria uiri. Ego uerò studium doctrinæ magistri mei non mihi soli proprium esse ornamentum statuo, sed commune omnibus nõ alienis. Haud equidem ignoramus, clarissima facinora Imperatorum paucis tantum militibus, aut uni ciuitati, gentiue uni, in rebus dubijs ac trepidis salutem peperisse, meliores seu milites, seu ciues, aut eiusdem gentis homines haudquaquam feciſſe comperiemus. At uerò doctrinam, substantiam & robur felicitatis, & recti autorem consilij non uni familiæ soli, aut ciuitati, sed uniuerso generi mortalium inuehere utilitatem uidemus. Quanto igitur commoda, quæ à doctrina disciplinisue proficiscuntur, maiora sunt omnibus imperatorijs consilijs, tanto eius memoria studio est & cultu digna maiore. Itaque altero Saturnaliorum die uir clarus Onesicrates ad epulas inuitauerat uiros, qui Musicæ scientiam habebant. Erant autem Soterichus Alexandrinus, & Lysias ex ijs unus, qui æra Musica apud ipsum mecrebant. Postquam uerò quæ assolent, sunt perpetrata,

causam

causam humanæ, inquit, uocis in præsentia quærere intempestiuum atque alienum à conuiuio esse arbitror: Sobriore quæstio ea indiget ocio. Quoniam autem optimi grammaticorum definiunt uocem aërem esse percussum cadentem sub sensum auditus, atq; heri de grammatica quæsitum disputatumq; fuit, tanquam de arte opportuna fabricandis per literas uocibus, ac sacrario memoriæ promptis, ubi uelimus administrandis & dispensandis, quænam sit altera secundum hanc obnoxia, & congrues uoci scientia, uidendum esse puto. Ea est, opinor, Musicae: deos nanq; canere, qui nobis solis uocem articulatam sunt largiti, pium, & homini in primis consentaneum esse arbitror. Quam rem Homerus quoq; significare hisce uersibus uidetur:

Phœbæas iras placabant carmine Achiui,
Per luces totas pulchrum pæana canentes,
Pugnantemq; ex alto: ast pectora arcitenentis
Mulcebant cantus, & gaudia pertentabant.

Agitedum sacri Musicæ ministri, cõmonete sodales, quis inuentor Musicæ, quis ue ea princeps usus fuerit, à quibus, quoq; tempore auctum acceperit, & quinã ex ijs quæ Musicæ scientiam coluere, in eo studio excelluisse existimentur: quas præterea, quotq; ad res, huius utilitas instituti demanet. Quæ quum magister dixisset, insecutus Lysias: Apud multos, inquit, agitatam quæstionem clarè Onesicrates in medium proponis: Non modò enim Platonicorũ plurima pars, insignesq; Peripatetici de uetere Musica, deq; eius labe studiosè & accuratè scripserunt, uerumetiam grammatici atq; harmonici, ad summũ apicem euecti doctrinæ, magnũ studiũ plurimãq; operam in eam rem cõtulerũt. Cæterũ ingẽs est inter autores dissensio.

sio. Heraclides in eo libro, in quem colligit priscos Musicos, primosq; eius artis inuentores, Amphionem tradit, Ioue natum & Antiope, principem citharæ cantum excogitasse, eiusq; poësim, ut qui à patre doctus foret. Cuius rei fidem commentarijs Sicyone depositis, quibus accurata percensio huiusce generis continetur, facit, atq; inde sacerdotes Argiuas, poëtas & Musicos commemorat. Eodem tempore Linum Eubensem inquit lamentationes & fletus carmine cõdidisse, hymnos Anthen Anthedonium ex Anthedone Bœotiæ, Pierium ex Pieria poëmata de Musis, Philammonem uerò Delphicum Latonæ, Dianæ, atq; Apollinis ortum canticis edidisse modis, & choros circa Delphicum templum constituisse commemorat. In primis uerò Thamyræ Thracis canorum concinnumq; carmen ait fuisse, adeoq; præcelluisse, ut Musas prouocare in certamen non dubitasse poëtæ sint autores. Hunc ipsum edidisse ferunt bellum Titanum aduersus deos dimicatum carmine conditum. Demodocumq; Coreyrensem, ueterem Musicum, excidium Ilij, & Veneris atque Vulcani connubium poëmate cõcelebrasse. Ithacensem Phemium reditum à Troia, Agamemnone duce Græcorum, carmine cecinisse proditum est. haud quidem fuisse immunem metri numeri ue rationis Stesichori fuit, & ueterum aliorum poëtarum, qui carmina adhibitis modulis condidere. Terpandrum nanq; tradit, citharæ cantus latorem legum, adiectis ad sua atq; Homeri carmina per singulas leges modis solitum in ludis cum cõcertatione editis canere, eundeq; primũ proposuisse nomina singulis citharæ fidiumq; legibus. Ad cuius imitationẽ Clonam primũ tulisse leges tibiarũ, prosodiaq; fecisse,

feciſſe, tum deinde elegia, & carmina condidiſſe. Quo genere poëmatum Polymneſtum Colophonium, ætate poſteriorem, uſum fuiſſe tradunt. Nomina autem tibiarum legum, bone Oneſicrates, apud eos hæc erant: Apothetus, Elegi, Comarchius, Schœnion, Cepion, Dius, Trimeles. Inſequenti tempore Polymneſtia appellata reperta ſunt. Leges fidium cantus compluribus ante conditas leges tibiarum temporibus conſtat à Terpandro fuiſſe promulgatas. Is nanque primus nomina earum protulit, Bœotiam quandam unam uocans, Aeoliam aliam, Trochæam acutam, Orthiam uidelicet, Cepionam, Terpandriam, Tetraœdiam. Condidit præterea idem Terpander carmine procœmia ad cantus fidium. Quòd autem ueteres fidium* cantus legibus conſtarent, Timotheus declarauit. Primas enim leges carminibus immiſcens dithyrambicam dictionem canebat, ne protinus aduerſus priſcam Muſicam præuaricari uideretur. Et arte nimirum canendi ad fides Terpander præſtitiſſe exiſtimatus eſt, quaternaſq; in Pythicis ludis perpetuas uictorias retuliſſe publicis monumentis traditum eſt. Ac peruetuſtus ſanè Muſicus fuit, quandoquidem antiquiorem Archilocho fuiſſe Glaucus Italus libro quodam, quem de poëtis & Muſicis antiquis compoſuit, demonſtrat: Nam alterũ eum inquit fuiſſe ſecundũ primos illos tibiarũ cãtus cõditores. Alexãder in libro, in quẽ collegit Phrygios Muſicos, ſcriptum reliquit, primum Olympum tranſtuliſſe in Græciam ad Dactylosq; Idæos fidium pulſus. Hyagnin uerò primum tibia cecinisſe, deinde eius filiũ Marſiã, tum poſtea Olympũ, Terpandrũ æmulatum fuiſſe carmina Homeri, & Orphei modos. Orpheus nullũ imitatus eſſe uidetur: quippe quũ ante ipſum nullius præter

*leges carminibus

præter tibicines poëtas, cum quibus nulla in re Orphica res ſimilitudinem habet, fuiſſe tradatur. Tibiarum cantus conditor legum Clonas, ut Arcades referunt, Tegeates fuit: ut uerò Bœotij, Thebanus. Secundum Terpandrum & Clonam fuiſſe Archilochum proditum eſt: quanquam autores ſunt qui tradant Ardalum Trœzenium priorem Clona tibianam conſtituiſſe Muſicam, Polymneſtumq; Meletis Colophonij filiũ poëtam fuiſſe, & leges Polymneſtum ac Polymneſtam feciſſe. Quòd autem Clonas promulgauerit Apothetum atq; Schœnionem appellatas leges, monumenta ſcriptorũ cõmeminerunt. Pindarus item & Alcman poëtæ modorum eiuſdem Polymneſti mentionem fecere. Sunt & qui nonnullas Terpandri legum citharæ cantus ad Philammonẽ illum priſcum autorẽ trahant. Sed omnino citharæ cantus Terpandri ratio omni ex parte ſimplex perrexit eſſe uſq; ad ætatem Phrynidis. Haud enim antiquitus pro libidine cuiuſq;, uti nunc, licebat fidibus canere, nec rhythmos concentuſue transferre: In ipſis nanque legibus accõmodatam cuiq; tentionem tuebatur, cuius rei cauſa id nominis inditũ erat: Leges enim ſunt uocatæ, quoniam præſcriptum quaſi lege eautumq; erat, ne quis per quamlibet unam ſpeciem formãq; tentionis tranſgrederetur. Et enim quæ ad deos ſpectabant extemplo abominati, ad Homeri ac cæterorum poëſim pro uoluntate atq; arbitrio delabebantur: quam rẽ procœmia Terpandri declarãt. Facta quoq; tum primũ citharæ forma, uti autor fuit Terpãdri diſcipulus Cepio, appellataq; eſt Aſias, propterea q; Leſbij fidicines, Aſiæ cultores, ea utebantur. Quorum ultimum Perieletum uiciſſe Lacedæmone Carnia ferunt. Is erat Leſbius genere, quo uita functo, perpetuæ gloriæ Leſbiorum, quam in cantu

cantu citharæ ad eam diem obtinuerant, finem impositũ fuisse memoratur. Errore quoq; nonnulli ducuntur existimantes Hipponactem parẽ fuisse temporum Terpandri, quum Pericletus antiquior Hipponacte tradatur. Postquam tibiarum fidiumq; cantus pariter exposuimus leges, ad proprias tibicinum orationem conferamus, Olympum tibicinem, de quo antè diximus, Phrygium, cõdidisse legem quandam in Apollinem, Multiplicem uocatum. Hunc Olympum ex his unum fuisse memorant, qui ab illo primo Olympo, cuius Marsyas conditor in deos musicarum legum, amator ac doctor cantus tibiarũ fuit, quemq; Olympum extulisse in Græciam harmonicas leges aiunt, quibus nunc Græci in deorum celebritatibus utuntur, genus duxerunt. Alij multiplicem legem Crateti discipulo Olympi uendicant, tametsi iunioris Olympi legem hanc esse, Pratinas testatur. Lex uerò quæ Curulis uocatur, ad Olympum maiorem Marsyæ discipulum refertur, quem sunt qui non Marsyam, sed Massem uocatum dicant. Alij Marsyam, & Hyagnide natum, primo inuentore artis tibicinæ contendant. Curulem legem ab illo Olympo latam fuisse cõmentarij Glauci de antiquis poëtis docent. Vnde etiam cognosci potest Steſichorum Himenensem, non Orpheum, non Terpandrum, non Antilochum, nec Thaletam, sed Olympum fuisse imitatũ, Curuli lege & forma per dactylum uocata utentem, quam nõnulli Orthiæ legis esse dicunt. Alij à Mysijs eam legem fuisse repertã. Traditur enim fuisse certos Mysios pernustos tibicines. Extat & alia quædam antiqua lex Cradias uocata, quam cecinisse tibijs Mimnermum Hipponax tradit. Principio nanque elegia extructa modis ad tibiã canebantur. Hoc indicant monimenta Panathenæorum de musi

de musicis certaminibus. Fuit & Sacadas Argiuus conditor modorum elegiorumq; habentium modos, poëta sanè bonus, ac triplici insignis de ludis Pythicis uictoria. Id quod publica harum rerum monumenta declarant. Eiusdem meminit Pindarus. Quum itaq; sint tres toni, autoribus Sacada & Polymnesto, Dorius, Phrygius & Lydius, in quolibet uno Sacadam aiunt fecisse stropham, & chorum canere docuisse, sic ut Dorium prima, Phrygium secunda, Lydium tertia caneret. Eamq; legem propter tripertitam mutationem tripertilem fuisse uocatam ferunt: quanquam in commentarios Sicyonios, in quibus poëtæ percensentur, Clonas ut repertor legis tripertilis sit relatus. Hic primus Spartæ status, ordoq; Musicæ cultorum Terpandro autore, atque constituente fuit. Secundi uerò ordinis Thaletas Gortynius, Xenodamus Cytherius, Xenocritus Locrensis, Polymnestus Colophonius, & Sacadas Argiuus summam causam, summaq; meritã habent, ut duces autoresq; dicantur. Iis nanque autoribus gymnopodiæ Lacedæmone, in Arcadia Demonstrationes appellatæ, & Argis Endymatia sunt constitutæ. Thaletas, Xenodamus, Xenocritus effectores Pæanum, Polymnestus Orthiarum quæ uocantur, Sacadas uerò Elegiorum fuit. Tametsi autores sunt qui tradant Xenodamum non Pæanum, ut inquit Pratinas, sed Hyporchematum fuisse conditorem. Fertur enim ipsius canticũ quoddam, quod quidem permanifestò est Hyporchema: quo genere poëmatis ipse quoque Pindarus usus est. Quòd autem Hyporchema & Pæan inter se differant, Pindari poëmata, qui & Pæanes & Hyporchemata composuit, indicabũt. Leges tibiarum cantibus Polymnestus sanxit, & in Orthia appellata lege modulatione usus est, ut quidam

dam harmonici tradunt: nam ipse pro cõperto dicere nequeo, propterea quòd nihil habeo hac de re traditum à maioribus. In dubio quoque est, an Cretensis Thaletas effector fuerit pæanum: Nam Glaucus posteriorem Archilocho fuisse tradit, Archilochiq; modos imitatum, præterquam quòd eos Maroncmq; & Creticum rhythmum in structuram modorum consertauit, quibus nec Archilochus sit usus, nec Orpheus, nec Terpander: & hæc à disciplina tibicinali Olympi inquit fecisse. De Xenocrate quoque Locrense, ex Locris urbe Italiæ, dubitari uideo, utrũ poëta pæanum fuerit. Argumenta quidẽ heroica gesta continentia cõdidisse, proditum est memoriæ, ac propterea nonnulla argumenta dithyrambos uocitasse, inferioremq; Thaletæ ætate fuisse Glaucus autor est. Traditur etiam ab Aristoxeno inuentorem enharmonij generis Olympum fuisse à Musicis existimatum, & ante ipsum omnia fuisse diatona atq; chromatica, inuentionemq; illam hoc maximè modo processisse putabant: Quum in diatono Olympus uersaretur, & frequens transueheret ad Parhypaten diatonam modulũ, tum à paramese, tum à mese discedens, diatonumq; transgrederetur, animaduertisse pulchritudinẽ atq; decentiam morum, ex eo uocum cantu prouenientẽ, atq; ita constantem pro rata parte rationibus complexionem, quam systema Græci uocant, admiratum & amplexum, hoc genus effecisse in Dorio tono. haud enim quæ diatoni propriè sunt, quæq; chromatis pertingi, at neq; quæ harmoniæ. Erant autẽ prima enharmoniorum huiusmodi. Primũ omniũ ponebatur spondeus, in quo nulla diuisio præ se ferret proprium diatoni, ni quis respectans ad contentionem spondiasmum speciem id habere diatoni arbitretur. Verũ late patet, qui id posuerit, eum &

eum & falsum, & inconcinnum positurum: Falsum, quia diesi una minus est tono, qui tonus circa ducem iacet: Inconcinnum uerò propterea, quòd si in ui ac potestate tonia proprium contentioris spondiasmi statuatur, profecto euenerit, ut duo perpetua diatona, alterum incõpositum, cõpositum alterum posita sint. Nam in medijs, quas metas uocant, enharmoniũ densum locatum, quo nunc utuntur, ad poëtam pertinere nõ uidetur. Facilius id intelligetur, si quis tibia canentem antiquo ritu audiat: uult enim & ipsum semitonium in mesis esse incompositũ. Ac prima quidem enharmoniorum huiusmodi fuere. Videtur autem Olympus auctum musicæ dedisse inuehendo, quod in lucem ad eam diem non uenerat, nec fuerat à maioribus cognitum, autorq; præclaræ Græcis Musicæ & princeps ac dux fuisse. Est etiam rhythmorum ratio quædam: certa nanq; genera & species non modò rhythmorum adiuentæ sunt, uerum etiam modorum atq; rhythmorũ artificum excitatæ nouæ formæ. Sed Terpandri nouatio decorum quendam in Musicam inuexit modum, quo postea Polymnestus usus præclarè et ipse atq; decenti formæ inhæsit. Similiter Thaletas & Sacadas peregregijs, ac propè perfecti rhythmoram effectores habiti sunt, nec honesta decoraq; forma excessere. Est alia Alcmanica Stesichoriaq; nouatio, nec ipsa quidem à pulchro honestoq; ac moderato discedens. At Crexus, & Timotheus, & Philoxenus, atque eius ætatis poëtæ importuniores & perecupidi atque studiosi nouandarum in Musica rerum fuere, persecutiq; sunt typum ac formam eam, quam nunc Philanthropon et Thematicon uocant. Sed omnino paucitas fidium, & locorum angustia simplicitasq;, & uerẽda Musicæ grauitas uiguit apud priscos. Postquã autẽ de prima

Musica,deq; primis ipsius inuentoribus, & quibus autoribus subinde per insecuta tẽpora incrementũ ceperit,prouiribus à me est disputatũ,finem orationi meæ faciam, & Soterichо,non Musica solum, sed cæteris quoq; liberalibus disciplinis erudito uiro,locũ ad dicendum concedam. Nos enim magis ei Musicæ parti studium impendimus, quæ munere atq; officio manuum absoluitur. His dictis Lysias orationem compressit,tum Soterichus in hunc modum est loquutus: De uerendo, atq; in primis dijs grato instituto clarè Onesicrates nos prouocasti ut uerba faceremus. Probo equidem intelligentiã Lysiæ doctoris, nec minus memoriam,quam in commemorandis primæ Musicæ inuentoribus,atq; ijs qui de ea facultate conscripserũt, præ se tulit. Illud uerò taciturũ nõ feram,sola eum scriptorũ monumenta sequutum fecisse fidem dictis suis. Nos uerò mortalem quenquam negamus fuisse repertorem Musicæ bonorũ,sed Apollini,omnibus uirtutibus & scientijs ornato,inuentum munusq; hoc tribuendum, & acceptũ ferendum esse putamus. Haud enim tibia inuentũ est Marsyæ,uel Olympi,aut Hyagnidis,ut aliqui opinãtur: Nec modò citharæ Apollo, sed tibiarum, fidiumq; cantus est repertor. Argumento sunt chori & sacrificia,quæ illi deo cum cantu tibiarũ perpetrabantur,idq; cum alij,tum Alcæus hymno quodam testatur. Signum quoq; Apollinis in Delo dicatum eo habitu,ut dextra arcum teneat, sinistra Gratias, quamlibet instrumentum musicum aliquod tenentem,nam alia lyram,tibias alia,quæ in medio est proposita ori fistulam continet,idem declarat. Nec putetis hæc uerba mea esse,aut hæc me comminisci: Anticlem & Histrum autores habeo, qui hæc ipsa tradidere in commentarijs, qui de conditoribus modorum inscribuntur, adeoq;

adeoq; uetusta est signi eius dedicatio,ut opifices compares ætatis Herculis fuisse referãtur. Puerum quoq; Pempicam ferentem laurum Delphos tibicen comitatur. Et ex Hyperboreis sacra cum tibijs, fistulis ac cithara nitti Delphos sunt solita. Alij ipsum hunc Deum cecinisse tibia ferant,ut optimus poeta modorum tradit Alcman, & à Pallade doctũ fuisse Corinna prodidit. Est igitur Musica ab omni parte augusta,quandoquidem inuentum est deorum,& ea ueteres sunt usi pro dignitate atq; maiestate ipsius,ut cæteris omnibus institutis. At hoc tempore seueritate & grauitate ipsius repudiata,pro forti,uirili,augusta,& dijs immortalibus grata, præfractam quandam Musicam,adulteram,calamistrisq; inustam in theatra deducunt. Quare Plato indignanti animo eiusmodi Musicam fert,Lydiamq; hæmoniam deprecatur,quòd acuta, uehemens,& stridens sit,& apta complorationibus. Primaq; eius constitutio lugubris quædam res traditur fuisse. Ac primum Olympum funebre tibia carmen in funere Pythonis Lydio ritu cecinisse,in primo Musicæ scripsit Aristoxenus. Melanippidem alij tradunt modulum illum incepisse. In Pæanibus uerò Pindarus in nuptijs Niobes primum Antippum docuisse Lydiam hæmoniam canit. Torrebum alij uolunt primum eo concentu usum fuisse, ut autor est Dionysius Iambus. Mixolydius autem concentus affectibus est refertus, & tragœdijs aptus. Reperisse eum Sappho Aristoxenus prodidit, ab ipsaq; Tragicos didicisse, qui postea coniunxere mixolydios modos cum Dorijs: quorum alteri maiestatem atque autoritatem,alteri affectus afferunt: ex utrisque enim commixta est tragœdia. In commentarijs uerò Hæmonicorum proditum est, id inuentum ad Pythoclidem tibicinem referri. Athe-

* Tempicam

nienſem Lamprocleꝫ inquit Lyſis, animaduertentem nõ ibi haberi diſiunctionem ubi fermè omnes arbitrabantur, ſed in acuto, talem eius cõfeciſſe figuram formam'ue, qualem dixerit aliquis à paraneſe ad hypaten hypaton. Remiſſam item lydiam, ſiquidem mixolydiæ eſt contraria, aſinulem Iadi à Damone Athenienſi inuentam memorant. Plato igitur duabus ijs meritò reiectis harmonijs, altera flebilem, ſolutũ altera cantum habẽtibus, doricam, ut quæ accommodata foret moderatis ac fortibus uiris, delegit: haud Hercule ignarus, ut inquit Ariſtoxenus in ſecundo Muſicorum, in illis quoque aliquid ineſſe ad Rempublicam conſeruandam utilitatis. Et magnam ſanè Plato operam muſicæ ſcientiæ dedit, auditorq; Diacontis Atheniẽſis atque Metelli Agrigentini fuit. Verum quoniam multa grauitas in Dorio concentu inerat, maiore ipſum honore dignatus eſt: quanquam non erat neſcius, Doria multa cantica, Virginalia uocata, ab Alemane, Pindaro, Simonide, atque Bachilide fuiſſe tractata & condita, necnon proſodia & pæanes: luctus præterea tragicos dorico cõcentu decãtatos, & amatoria aliqua eundem in concentum cõpoſita. Satis illi erant quæ in Martem, quæq; in Palladẽ canebantur, & ipſa ſpondea: Nam ea ſatis uirium habere ad roborandos animos hominum moderatorum iudicabat. At neque Lydiam Ioniam'ue ignorabat: Sciebat enim tragœdiam uti talibus modis ſtructuraq; concentuum. Iam uerò priſci omnes haud quidem quia imprudentes imperitiq; forent ullius concentus, & harmoniæ, certis quibuſdam ac definitis uſi ſunt, nec ignorantia autor cauſaq; fuit eiuſmodi anguſtiæ, & fidium paucitatis. Nec ſanè Olympum, nec Terpandrum, nec qui eorum ſectam ſunt ſequuti, perpulit inſcitia ad circun-

circuncidendam multitudinem fidiũ, uarietatemq; demẽmendam. Teſtantur id poëmata Olympi atq; Terpãdri, cæterorumq; omnium eiuſdem generis Muſicorũ ac poëtarum. Quæ quum trifidia ſimpliciaq; forent, uſqueadeo præſtabant uarijs & multifidijs, ut nemo unus Olympi modũ poſſet imitari, & qui in multinerui, multitudineq; uerſabantur poſteriores eſſent. Quòd autem non inſcitia in ſpondiante tropo à trite priſci abſtinerent, eorum in pulſu uſus declarat: nunquam nimirum ea cum parypate congruenter & conſonè uſi forent, ni eius peritiæ atque uſus prudentes fuiſſent. Late igitur patet, pulchritudine decentiaq; morum, qui in ſpondiante modo ob triten exemptam gignuntur, admonitis & captis ſenſibus trãſuexiſſe modulum ad paraneten. Eadem ratio de nete: Eanq; in pulſu fidium, & ad paraneten diſſonorũ, & ad meſen conſonorum utebantur. In modulo uerò, quia illis non apparebat accõmodata ſpondiaco tropo, præteribatur: nec modò in ijs, uerumetiam in ipſis coniunctis nete. Sic enim omnes ea utebantur, ut in pulſu & ad paraneten, & ad lychanon accommodarent. At in modulo uel ipſius utentis perpudebat eos, propter inde prodeuntes eius cauſa mores. Conſtat enimuero id ita eſſe etiam ex Muſicis qui Phrygij dicti ſunt. Nam Olympum ſectatoresq; ipſius non per imperitiam ab ea ſuperſediſſe compertum habetur, quandoquidem non tam in pulſu, quàm in modulo, ubi conuenire exiſtimabant, in ſacris matris deũm, nonnullisq; alijs Phrygijs rebus eadem utebantur. Perſpicuum quoq; in hypatis eſt, non ruditate abſtinuiſſe eos ab illo tetrachordo in Dorijs, quum mox eodem in cæteris tonis uterentur: quippe ſcientes nulla uidelicet alia cauſa cõmoti eximebãt à Dorio tono, quàm ut decus

morum tuerentur, quorum honestatem decorumq; honoꝛi habebant. Quale à Tragicis quoq; obseruatũ uidemus: Necdum enim tragœdia ad hanc diem usa est chromatico genere, nec enharmonio: cithara uerò multis quàm tragœdia uetustior seculis à principio usa est. Et sanè cõstat, chroma esse antiquius harmonia. De illa nanque intelligi antiquitate in præsentia uolo, quæ ad usum cõsuetudinẽq; humanæ naturæ spectat. Nam si ad ipsam generũ respiciamus naturam, neutrum altero antiquius comperiemus. Sed oro uos, si quis Aeschylum, aut Phrynichum abhorruisse à chroma asserat propter inscientiam eius, non'ne sit absurdus? Profecto idem contenderit, ipsum Pancratem ignorasse chromaticum genus, quoniam ab eo pleꝛunq; abstinebat. Quem, quum in quibusdam ipso utereꝛtur, non ruditate, sed consilio ac uoluntate abstinuisse putandum est: Studiose nanq; imitabatur, id quod ipse dicere solebat, Pindarum & Simonidem tropon, illumq; omnino, qui nunc Antiquus appellatur. Eadẽ est de Tyrtæo Mantinẽse, de Thrasyllo Phliasio, de Andrea Corinthio, deq; multis alijs ratio, quos omnes scimus auersatos chroma, mutationem, uarietatem, multineruiam, plurimaq; alia, rhythmos, concentus, dictiones, modulationes, modorum'ue structuras, actus, interpretationes'ue, quæ omnia interserta esse possunt. Telephanem Megarensem ita fistulis pugnasse accepimus, ut opifices ipsos tibiarum ne manus quidem unquam ad tibias fabrefaciendas adhibere permiserit. Ob quam maximè causam certamen Pythicum auersabatur. Summatim autem ut dicam: si quis omnes re aliqua non utentes damnandos ignorantiæ putat, ex eo coniecturã insciti æ faciens ipsoꝛum, quia re illa non utantur, complures profecto prius


temporis

temporis huius damnet necesse est, quum Dorionios non uti modo Antigenidio, quia ipsum contemnant, & conꝛà Antigenidios eadem de causa Dorionium reijcere uideamus. Fidicines quoq; ipsi desiuere propemodum frequentare ritũ modumq; Timothei, & ad pulsamina poꝛmaq; Polydi sese uerterunt. Iam uerò si quis rectè ac perscienter reputet, uetera & nostra comparando inter se, tum quoque in usu fuisse uarietatem comperiet. Vtebantur enim ueteres uarietate in rhythmis, quæ quidem est etiam magis uaria: in honore nanq; habebant rhythmicam uarietatem. Hoc nimirum tempore modos, illo uerò rhythmos studiosè & cupidè amplectebantur. Probatum hactenus esse arbitror, non inscitia ignorantiaq;, sed consultò abstinuisse ueteres à præfractis, mollibus languidisq; canticis modis. Sed quid hoc mirandum est, quum multa in uita humana instituta uideamus exoleuisse, sublato eorum usu, non imperitia, uerum sponte atq; consultò reiecta, quum animaduersum perspectumq; foꝛret, aliquibus in rebus contra officium decorumq; fieri? Reliquum est, ut Platonem non inscitia, nec impotentia cæteros repudiasse concentus, sed quia Reipublicæ indecoros, ac minimè opportunos esse iudicabat, prudentemq; atq; intelligentem omnis generis concentuum fuisse demonstremus. In mollitione animæ, quam fabricat in Timæo, studium disciplinarum ac Musicæ suum hoc maximè modo declarauit. Vnam principio partem detraxit ex uniuerso: secundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ esset secũdæ sesquialtera, primæ tripla: tum quartam, quæ secundæ dupla esset: quintam inde, quæ tertiæ tripla: deinde sextam, octuplam primæ: postremo septimam, quæ septẽ & uiginti partibus antecederet

primæ: deinde dupla & tripla interualla expleuit, partes inde rursus desecans, quas interuallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: hoc est, ut mox ostendemus, uestibulum proœmiumq; harmonicæ Platonis peritiæ. Tres sunt principes harmoniæ, à quibus omnis medietas sumitur, arithmetica, harmonica, geometrica. Earum alia præstat pari numero, alia constat ratione pari, alia nec numero pari, nec ratione. Igitur Plato harmoniam quatuor animæ elementorum, causamq; ex dissimulibus inter se iunctis consonantiæ uolens harmonice demonstrare, duas in singulo interuallo animales medietates ratione musica proposuit. Consonantia diapason musica interualla complectitur: quorum comparationē pro rata parte rationum ostendemus. Diapason in dupla ratione perpenditur: conficient, imaginis gratia, duplam rationē sex & duodecim: Protenditur autem hoc interuallum ab hypate meson ad netem disiunctarum. Quum igitur sex & duodecim extrema sint, hypate meson senarium numerū continet, nete disiunctarum duodenarium. Sumantur deinde intercedentes numeri, quorum alteri extremo alter est sesquitertius, sesquialter alius, octo uidelicet & nouem: ipsius enim senarij octonarius est sesquitertius, nonarius sesquialter. Extremum quidem unum est huiusmodi, alterum est ipsum duodecim numerus, nonarij sesquitertium, octonarij uerò sesquialterum. His itaq; numeris inter senarium & duodenarium insertis, & diapason interuallo ex diatessaron atq; diapente constituto, patet meson octonarium numerū habituram, parameson nonarium. Hoc ita constituto talem rationē habet hypate ad meson, qualē paramese ad neten disiunctarū. Ab hypate nanq; ad meson est diatessaron, à paramese pariter diatessaron

tessaron ad neten disiunctarum. Eadem cōparatio rationum in numeris quoq; reperitur: nam uti se habet sex cum octo, sic nouē cum duodecim, atq; sicuti sex cum nouē, ita octo cum duodecim: sesquitertij illi sunt inter se numeri, hi uerò sesquialteri. Et hæc ad studiū scientiamq; Platonis disciplinarū declarandā in præsentia dicta sufficiant. Aristoteles quoq; Platonicus declarat harmoniā diuinā rem quandā esse, magnamq;, & maximè dignam ueneratione, sic inquiens: Harmonia cœlestis est, naturamq; diuinā & pulchrā, & humana augustiorē habet. Ea quum ui naturali sua quadripartilis sit, tres medietates tuetur, arithmeticā, harmonicam, & geometricā, partesq; ipsius & magnitudines atque præstantiæ numero & paritate mensuræ existunt, & apparent. In duobus enim tetrachordis cantici modi concinuntur. Hæc sunt Aristotelis uerba. Constare corpus eius inquit partibus dissimulibus, concinentibus tamen. Consonare item ipsas medietates ratione numerorum: Nam nete ratione dupla temperata cum hypate diapason reddit consonantiam. Continet enim nete, ut demonstrauimus, duodenas unitates, hypate senas. Et parameson consonam nouenas unitates habere sesquialtera ratione cum hypate. Mese uerò, quam octonas habere unitates diximus, cum eadem hypate sesquitertia ratione comparata est. His maximè rata Musicæ interualla componuntur: Diatesseron, inquam, quòd in sesquitertia ratione: diapente, quòd in sesquialtera: diapason, quòd in dupla perspicitur. Sesquioctaua item ratio quæ est, in unius ratione toni conseruatur. Ita euenit ut partes harmoniæ sic constitutæ, ijsdem præstantijs & superent, & superentur à partibus, & medietates à medietatibus, præstantiaq;, excessiue numerorum, & uis, ac munus geometricum

metricum deprehendatur. Has autem facultates sic se habere Aristoteles declarat: neten uidelicet tertia parte sui meses præstantem, hypaten uerò à mese simpliciter superatam, ut abundantes partes mutuo relatu respondeant: ijsdem nanque partibus & præstant & superantur sesquitertia, & sesquialtera ratione: Talis enim est harmo-



nicus excessus. At nete ratione arithmetica præstans ipsi parameſe, & numero æquo parameſe antecedens hypate, excessus arithmeticos declarant. Apparet & existit uis etiã geometrica, quũ nete sit seſquialtera ipsius meses, & parameſe hypates seſquialtera, & ipsa eadem parameſe præstat ipsi mese parte octaua in ratione seſquioctaua constituta. Rursus nete dupla hypates est, parameſe hypates seſquialtera, meſe hypates eiusdem seſquitertia. Numeris itaque & partibus, autoritate quoque Aristotelis sic harmonia à natura est cõparata, summáq; ope atq; artificio ipsius constituta est infinitaq;, & parimpari natura, cum ipsa uniuersa, tum partes eius omnes: Ipsa etenim

etenim tota par est, quippe quadripertita terminis. At partes & rationes eius, tum pares, tum impares sunt, tum etiam parimpares. Nete enim parem habet, ut quæ duodenũm sit unitatum: Parameſen imparem, nouenum: Meſen parem, octonũm: Hypaten parimparem, senũm. Hoc pacto à natura comparata ipsáq; tota, & partes ipsius exceſsibus atque rationibus, & tota toti, & partibus partes inter se consonant. Iam uerò sensus ipsi apto quodam temperamento corporibus insiti, cœlestes quidem illi, atq; diuini, sensum & intelligentiam hominibus præstantes, obtutus inquam, & auditus, una cum uoce atq; luce harmoniã demõstrãt: Cæteri comites horũ sensus, eo quòd sensus sunt, harmonia constant: omnibus nanq; muneribus suis haud sine harmonia fiunguntur. Qui quanquam inferiores ignobilioresq; sunt illis, haud tamen ab harmonia discedunt. At illi numine quodam comite atq; præsente, corporibus cum ratione atq; intelligentia adhibiti, præpotentem præclaramq; naturam quandam sortiti sunt. Perspicuum igitur est ex his quæ à me sunt commemorata, ueterem illam Græciam studium operamq; rerum omnium meritò impendisse maximam, ut in primis adolescentes Musica erudirentur. Eorum enim animos molles ac teneros ad modestiam atq; moderationem Musica componi, & temperari oportere existimabant. Quippe quam ad omnes occasiones actionesq; omnes, quas intenderes, utilem & commodam esse putarent. Atq; in primis ad bellicos terrores, ad quos alacriter ac fortiter capessendos & sustinendos, alij, ut Lacedæmones, tibijs canẽtibus Castoriũ appellatũ modũ, instructa ornataq; acie cũ hoste cõserturi manus promouebãtur: Alij ad cãtũ lyræ in certamẽ procurrebãt: quo more pericula ad-

eundi

eundi præliorum multis tempestatibus Cretenses fuisse usos memoriæ proditum est. Aetate nostra pergunt etiam nunc uti tubis. Argiui in Sthenijs apud eos uocatis, tibiæ cantu utebantur. Eos ludos primo in honorem Dianæ fuisse institutos, insecutis temporibus ad Iouem trãslatos ferunt. Tenet etiam nunc temporibus nostris mos canendi ante tibicinem in Pentathlis, non cantum quidem insignem ullum, antiquumue, aut qualis apud homines illos cõsueuerat cani, ut qui ab Hierace compositus ad illud certamen, quod Endrome uocatur, erat. Cæterum tametsi nihil, ut inquam, ualidum præcinitur ac nobile, præcinitur certè tamen qualecunque aliquid. Famáq; est theatralem Musam ignotam uetustioribus tẽporibus apud Græcos fuisse: tota enim hæc scientia ad cultum deorum, & ad disciplinam iuuenum uertebatur, necdum ea temporestate apud illos homines extructo theatro. In solis adhuc templis Musica alebatur atq; uigebat, in quibus honores deorum, & clarorum laudes uirorum, cantu musico celebrabantur. Argumento est condita postmodum fuisse theatra: nam uerbum θεωρεῖν, id est, spectare significans, multò antè ἀπὸ τῆς θεᾶς, id est, ab appellatione deæ sumpserat nomen. At nostris temporibus tantos auctus differentiæ forma accepit, usqueadeo discessit à more maiorum, ut nulla sit amplius disciplinæ mẽtio, nulla peruerptio. Omnes qui Musicã attingunt, accurrunt ad Musam theatralẽ. Sed heus tu, dixerit forte aliquis, nihil ne à ueteribus adinuentũ? nihil'ne innouatũ fuit? Fateor equidẽ & ipse, fuisse plurima reperta atq; nouata ab antiquis, uerũ cum maiestate atq; decoro. Qui hoc genus historiæ persequuti sunt, Doriã netẽ adscripsere Terpãdro, quum ea nullus in cãtu usus antea fuisset. Totus myxolydius tonus

nus inuẽtu nouo additus dicitur, & ex modis cantus Orthijs uocatis, is qui trochæus signi dator appellatur. Inuentor præterea modorum Scoliorũ, ut inquit Pindarus, Terpander fuit. Archilochus rhythmicam structuram trimetrorum, & in rhythmos non unigenos intentionẽ immutationemq;, & circa hæc ipsa pulsum inuenit: primũq; eum edidisse epoda, tetrametra, procritici, & prosodiacum. Eidẽ adscribitur auctus ipsius primi, à nõnullis elegium. Ad hæc iambei ad Pæonẽ Epibatũ, & aucti heroi in prosodiacum & in Creticũ intentio ad eundem autorem refertur. Pòst deinde poëtas tragicos ita usos, & Cretieũ admusisse, & exercẽdo pertractandoq; deduxisse intentionem illam in dithyrambum. Præterea ipsorum iambeorũ alia dicenda ad pulsum, alia esse canenda, Archilochum primũ demonstrasse memorant. Hunc etiam ipsum Archilochum existimant ad pulsum fidium primum cecinisse, atq; inde ueteres omnes ad cãtus percussisse neruos. Tonus qui nunc hypolydius uocatur, inuentori Polymnesto tribuitur. Eundem longè maiorẽ essecasse ipsam solutionem & eiectionem tradunt. At Olympum, illum inquam, ad quem autorẽ principem Græcæ legalisq; Musicæ gloria refertur, genus ipsum harmoniæ & rhythmũ, qui prosodiacus dicitur, in quo est Martis lex, et Choreũ, quo ipse plurimũ usus est in sacris matris deũm, inuenisse produtũ est. Nõnulli Bucchetũ quoq; ad ipsum repertorem trahunt. Sic autem antiquos uocum modos se habere cõstat. Lasus Hermionensis dithyrambicum in morem trãspositis rhythmis, multitudinemq; uocũ secutus in tibijs, & pluribus atq; disiectis usus uocibus, ad insiexiones mutationesq;, quæ prius non fuerant, Musicam perduxit. Insecutus Melanippides fabricator modorum, in priore

nec ipse

nec ipse Musica mansit. At neq; Philoxenus, nec Timotheus uetere Musica contenti fuere. Nam Timotheus, quum antè lyra, plures quàm septem neruos nõ habuisset ad usq; tẽpora Terpandri Antissæi, in plures uoces distecit. Atqui & cantum tibiæ simpliciorem antea plurima uarietate distinxit. Quumq; antiquitus ad Melanippidẽ usq;, dithyramborum poëtam, tibicines à poëtis stipendũ caperent, primas agente poesi partes, & tibicines ipsis magistris ministrarent, is quoq; mos abolitus extinctusq; est: tantaq; in Musicam est delapsa labes, ut ipsam Pherecrates Comicus specie muliebri introduxerit in scenam, corpore fœdè lacerato, sciscitantemq; Iustitiam causam cladis, ac Musicam sic loquentem:

Dicam haud inuita, quandoquidem tibi
Audiendi, ac mihi fandi uoluptatem dabit
Iræ impetus: Mi prima malorum labes
Melanippides fuit, qui duodenis
Fidibus me eneruauit. Nec tamen meis
Finis ærumnis: Atticus Cinesias
Execrabilis, hexharmonios strophis
Anfractus inserens me malè perdidit:
Nam dithyrambos condens bisores nisu
Ancipiti clypeorum ritu dextris
Simulibus lœuis mentem irritam fallit.
Sed neq; miserijs hic modus fuit
Meis: Phrynis iniecto Strobilo quodam
Non antè cognito, irrequietis me
Flexibus atque reflexibus uersando
Totam collabefecit, quinq; neruis
Duodenas obstipando harmonias.
Neque adeò eum pœnitebat sceleris,

Quin

Quin repetebat ultro, si quid liquisset.
Iam uerò Timotheus, o mihi carissima,
Perfodit me, & fœdissime lacerauit.
Quis iste Timotheus? Milesius quidam
Pyrrhias: hic mihi innumera inuexit mala,
Vicit & omnes infrendis cladibus
Quos memorau: uicit inquam, mollesq;
Ac formicarios uchens modos, meq;
Sicubi sit nactus gradientem solam
Soluit, dispescit in duodenos neruos,
Meq; contorquens tanquam brassicas totam
Refersit hexharmonijs hyperbolæis,
Profanisq; ac superuacuis fidium
Vocumq; inanibus pertentamunibus.
Hæc inquit Musica.

Meminit etiam Aristophanes Comicus Philoxeni, eumq; dicit intulisse modos cyclicis choris. Alij quoque Comici absurditatem & indecentiam eorum qui musicam lacerauere commonstrarunt. Quantam autem uim habeat & ad dirigendos, & ad euertendos mores, quibus studijs, quibusq; disciplinis à principio aliquis sit institutus, Aristoxenus declarauit. Thebanum quendam Thelesiam refert, æqualem temporum eius, quum ab adolescentia in optima musica educatus foret, ac probatorum poëmata modosq; didicisset, cum aliorũ, tum Pindari, Dionysij Thebani, Lampri atq; Pratinæ, cæterorumq; qui præstantes lyricorũ pulsaminũ habẽtur, et præclarè tibijs cecinisset, reliquis quoq; disciplinis non mediocrẽ operam dedisset, exacta uigẽtiore ætate usqueadeo captũ fuisse scenica illa & uaria Musica, ut contemptis decoris modis, in quibus fuerat educatus, ad discẽdos Philoxeni atq; Timothei mo

dos, horumq; ipsorum maximè uarias, plurimamq; notitiam habentes, animũ applicaret. Quumq; se cõtulisset ad efficiẽdos modos, attrectantem & experientem frequentius, tentantemq; atq; exercentem utrosq;, Pindarium inquam, & Philoxenium, in Philoxenio haud admodũ profecere potuisse, cuius rei causam inquit præclarã à puero ipsius institutionem fuisse. Quare si cui cordi fuerit, scitè beneq; musica uti, antiquam imitetur formam & modum, eumq; repleto cæteris doctrinis, & philosophiã adhibeto comitem, quæ quasi ipsum manu ducat. Nam ea potens est iudicandi quæ mensura ipsi musicæ conueniat, quæ non eam deceat, & quid eidẽ usui sit, quidq; sit utile. Quum itaq; tres sint partes, in quas uniuersali partitione omnis diuiditur musica, diatonos, chroma, et harmonia, eum qui musicam adierit, gnarũ poëseos, utentis his partibus, scitumq; esse oportet, & cõpotem insuper expressionis atq; interpretationis, quam hermeniã Græci uocant, ipsa poëmata referentis atq; proponentis. Primum omnium intelligendum est, quòd omnis disciplina eorum quæ musica continentur, assuetudo quædam est, quæ nondum accepta, cuius gratia singula quæ docentur, ipsi discenti sint discenda. Deinde reputandum, quòd ad eiusmodi institutionem & perceptionem nondum adhibetur enumeratio troporum. Quocirca pleriq; temere discunt quodcunq; docenti aut discenti collibuit. At non ita prudẽtes agunt: Omnem enim hi temeritatem deprecantur atq; repellunt. Quales priscí illi Lacedæmones, & Mantinenses ac Pellenenses fuere: Nam quendam illi modum unum, aut omnino paucos delectos ex omnibus, quos uidelicet ad castigatos seuerosq; mores pertinere existimabãt, admittẽtes & asciscentes, ipsa Musica utebantur. Perspicuũ autẽ hoc fuerit, si quid

si quid quæque scientia spectet & contempletur, reputauerimus. Constat harmonicam generum ipsius apti temperamenti uocum, quod Græci hermosmenon appellant, interuallorum, complexionum, quas systemata uocant, uocum, tonorum, & mutationum ipsarum complexionẽ in se continere cognitionem: extra hæc ab harmonica nequicquam aliud petes, nec ultra per ipsam progredieris. Quare nec ab ea postulanda erit potestas iudicandi, utrũ poëta propriè atq; accommodatè assumpserit: quale in musicis diceremus hypodorium tonum in principio, uel hypophrygium ac phrygium in medio, aut mixolydium ac dorium in egressu. nihil huiusmodi spectat ad rem harmonicam, multorumq; aliorũ indiget: ignorat enim uim proprij. Neq; uerò chromaticum, enharmoniumq; genus secum afferent huius proprij & accommodati integram facultatem cognoscendi, per quam conditi moduli mores appareant & eluceant: id enim est artificis munus. Latè itaq; patet, aliam complexionis, aliam in cõplexione extructæ modulationis esse uocem, quæ existimatio ad rem harmonicam non pertinet. Eadem est rhythmorum ratio: nullus enim rhythmus accedet cum absoluta proprij & accõmodati potestate. Proprium autem hoc & accommodatum, quod sæpe usurpamus, certos quosdam mores spectantes, id dicimus, quorum causam esse cõtendimus compositionem quandam, uel mixtionem, uel utrunq;. Quale illud enharmonium olympi genus in Phrygio tono positum, Pæoni Epibato mixtum: hos nanq; mores primordij in lege Palladis creauit. Adhibito enim modorum rhythmorũq; opificio, & perdextrè atq; artificiosè solo rhythmo cõmutato, pro Pæone uidelicet facto trochæo, enharmoniũ constitit Olympi genus. Et quãquam enharmonium idem

Rhythmorum ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

um idem ipsum genus, Phrygiusq; tonus manserũt, nihilo secius uniuersæ complexionis mores magnam mutationẽ acceperunt. Etenim quæ in lege Palladis harmonia uocatur, plurimum distat in moribus ab ipso communi usu, & uulgo exercitato. Si igitur Musicæ perito accesserit uis iudicandi, haud dubie is erit in Musica consumatus. Nam qui Doricè scit absq; scientia iudicandi, ipsi usui eius quid sit accommodatum, quid ue ei conueniat, profectò quid agat ignorabit, neq; etiam mores tuebitur, quãdoquidem inter ipsos Dorios modulatores ambigitur, utrum facultas harmonica, id quod aliqui opinantur, sit discernendi potens Dorios modos, an contrà. Eadem est ratio totius rhythmicæ scientiæ. Sciet aliquis Pæonem, nec sciet quid sit accommodatum ac proprium ipsi usui eius, propterea quòd solam habeat solertiam ipsius Pæonis intelligendi. Idem hoc ab ipsis Pæonicorum rhythmorum conditoribus dubitatur, num res rhythmica præsidium in se habeat, id quod nonnulli inquiunt, huiusmodi dignoscendi, an usq; eò non progrediatur. Duæ igitur minimè intelligẽtiæ necessariæ illi sunt, qui internosciturus dijudicaturusq; sit, quid proprium, & quid alienum. Primum quidem cognitio morum, quorum causa compositio facta est, deinde earum rerum, quibus ipsa compositio cõflatur. Quòd itaq; harmonica, nec rhythmica, nec partium reliquarum ulla ipsa per se satis uirium habent ad cognoscẽdos mores, & ad cætera iudicanda, hactenus dicta sufficiant. Quum uerò tria sint genera, in quæ aptum temperamentum uocũ diuiditur, magnitudinibus complexionũ, & potestatibus uocum, pariter & tetrachordorum paria & æqua, in uno solo ueteres sunt uersati. Nam nec diatoni, nec chromatis ulla maiores nostros cura incessit, uni

tantum

tantum enharmonio animum, studiumq; applicuerunt, & eius quidem ipsius unicæ complexioni, quæ diapason uocatur: discrepabãt enim de chromate, consentiebãt propè omnes, unam solámq; esse harmoniam. Haud igitur quisquam peruidebit cuncta in re harmonica contẽta, & circa ipsam uersantia, qui ad eius unius nudam intelligentiam processerit, sed latissimè patet opus esse reliquis facultatibus cognitis, & uniuerso atq; integro corpore Musicæ, mixtionibus item & cõpositionibus partiũ. Solus purusq; harmonicus quodãmodo circunscriptus est. Vt autem absolutè summatimq; dicamus, concurrere oportet sensum atq; rationem in partibus Musicæ iudicãdis, ut neq; præueniant sensus, quod citi & præproperi faciunt, neq; sequantur, quod tardi ac pigri. Venire tamen usu solet sensibus nonnullis propter naturalem quandam inæqualitatem, ut modò præcurrãt, modò tardẽt. Quare circuncidẽda superuacua illa à sensibus sunt, dandáq; opera est, ut simul cum ratione gradiantur. Nam semper est necessariũ tria minima esse quæ in auditum cadant, uocem, tempus, & syllabam siue literam. Sic enim fiet ut ab itinere uocis apta eius temperatio, à temporibus rhythmus, à syllabæ, literæue, id quod dicitur, cognoscatur. Quòd si pariter non progrediantur, illationem sensus fieri necesse est. Cõstat enimuero & illud, si sensus separare & distinguere singula quæ dicũtur, & comitari singulis nequeat, futurũ ut neq; erratum in singulis, nec contrà rectum contueri possit. Primum igitur de continuitate atque perpetuitate sciendum est, perpetuum, continens, & cohærens iudicãti ui adesse oportere, propterea quòd rectè ac secus non in segregatis disiunctisq; uocibus, aut temporibus, aut literis, sed in cõtinuis, & cohærẽtibus creatur, quoniã mixtio

in ipso usu quædam est partium per se incompositarum. De cõsequutione hactenus. Deinde considerandum est, eos qui Musicæ scientiam habẽt, non satis in se opis ad facultatem iudicandi habere: Haud enim fieri potest, quẽquam unum consummatũ Musicum, & iudicandi potentem ex ipsis quæ totius esse Musicæ partes uidẽtur, euadere posse, ex peritia uidelicet ea quæ circa instrumenta, quæq; in eãtu uersatur, atq; insuper ab exercitatione sensuum: illa, ĩquam, quæ ad intelligentiam aptæ uocum atque rhythmorum temperationis pertinet, ac præterea ex ipsa harmonica rhythmicaq; facultate, & ex perspicientia atque solertia, quæ in pulsibus atq; dictionibus adhibetur, & si quæ aliæ reliquæ sunt Musicæ partes. Quibus autem de causis eueniat, ut apti ad iudicandum cognitione & intelligentia omnium earum partium esse nequeamus, annitemur proponere. Primum, quoniam ea quæ nobis iudicãda subijciũtur, alia perfecta sunt, imperfecta alia. Perfecta, ut quodq; poëma, id uidelicet quod cantatur, aut quod tibiarum fidium'ue sono redditur, & cuiusque hermenia, quam expreßionem & actum dicimus, ut ipsa tibiæ sonatio, aut cantatio, cæteraq; id genus. Imperfecta uerò, quæ ad ea pertinent & spectant, & eorum gratia fiunt: Huiusmodi nanq; expreßionis partes haud ipsæ quidem finẽ sunt, sed finem ipsum spectant, & propter finẽ petuntur. Horum itaque, atq; huiusmodi omnium opibus, iudicium de moribus ipsius expreßionis fiet, utrum proprij & accommodati proposito poëmati aßignentur, & reddantur ab eo mores, qui ipsum tractandum & exprimẽdum, siue interpretandum desumpsit. Eadem ratio est in affectibus, qui à poëtica in poëmatis significantur: Morum siquidẽ magna erat ueteribus cura, & propterea seueritas, ac minimè

minimè curiosum priscæ Musicæ in præcipuo honore habebantur. Grauiter olim iudicasse Argiuos præuaricationem Musicæ indicta pœna, & in eum animaduertisse, qui septem plus fidibus apud eos uti, & mixolydire primus aggressus foret, proditum est. Vir ille seuerus & uerẽdus Pythagoras, abrogabat iudiciũ in Musica à sensibus petitũ, tenuẽ subtilemq; eius uirtutem discrimen mẽtis esse dicitans. Atque ideirco non auditu, sed harmonia in rationum pro rata parte comparatione constitutu iudicabat, censebatq; satis esse usq; ad diapason sistere Musicæ cõsiderationem. At uerò Musici nostri temporis pulcherrimum omnium, maximeq; decorum genus, quod ueteres propter maiestatem grauitatemq; ipsius colebant, penitus repudiarunt, adeò ut ne qualiscunque perceptio curaq; sit plerisq; enharmoniorum interuallorum: tantaq; ignauia atque socordia inuasit eos, ut diesin enharmoniam ne speciem quidem omnino cadentium sub sensum præbere putent, easq; de canticis atque modulaminibus exterminent, & ijsse in nugas eos, apud quos in aliqua fuerit existimatione, quiq; hoc genere sint usi, dicere non uereantur. Ad quam eorum confirmandam sententiam ualidißimum esse argumentum stuporem sensuum suorum arbitrantur, quasi quod fugiat eos, id in ratione rerum esse, aut in usum ullum uenire nequeat. Ac si dijs placet, negant magnitudinem illam posse recipi in consonantiam, uti semitonium, & tonus, & reliqua huiusmodi interuallorum recipiũtur. Quæ quum dicunt, non animaduerterunt, tertiam, quintam, ac septimam sese magnitudinem, cæca ignorantia ducti, tollere: quarum alia trium, alia quinque, septem alia sunt diesum, atq; omnino omnia interualla imparia tanquã inutilia deprecãtur, ut quæ sumi

Universidad de Deusto
Biblioteca

in consonantiam nequeant. Ea nanque omnia sunt quæcunque minima diesis impariter metitur. Vnde necessariò consequitur, nullam tetrachordicam partitionem utilem esse præter illam unam, per quam contigit paribus omnibus uti interuallis: ea est syntoni & diatoni, ac toni chromatis. Quæ oratio atq; existimatio hominũ est non modò aduersantium ijs rebus, quæ sensibus sunt perspicuæ, uerumetiam pugnantium secum: quandoquidem talibus ipsi tetrachordorum diuisionibus utuntur, in quibus pars plurima interuallorum aut impar est, aut instar, uicemq; imparis sustinet. Molliunt enim semper lichanos & paranetas. Iã uerò et aliquas de stantibus uoces remittunt temerario quodam & experte rationis interuallo, ad eas relaxantes, ac remittẽtes ipsas tritas, & paranetas. Atq; huiusmodi usum complexionum maximè probari censent, in quo usu pleraque interualla à ratione sunt auersa, uocibus non modò, quas natura moueri uoluit, uerumetiam nonnullis earum, quibus eadem natura motum negauit, lacessiuit, lacessitis. Id quod late patet apud eos, quibus talis existimatio, intelligendiq; facultas est concessa. Vsum autem consentaneum uiro forti bonus Homerus docuit: demõstrans enim multifariã utilem Musicam esse, Achillem fecit digerentem & coquentem Musicam in Agamemnonem conciatam, quam Musicam à sapientissimo Chirone didicerat.

Hunc inuenerunt mulcentem pectora dulci
Formosaq; lyra, multo quæ uincta nitebat
Argento, spolium euersa Heetionos ab urbe.
Hac sese oblectabat, clarorum facta uirorum
Prisca canens, usus iuuenis Chirone magistro.

Disce, inquit Homerus, quo pacto Musica sit utendum:

Decebat

Decebat enim Achillem, iustissimi filium Pelei, clarorum uirorum laudes, & heroum facta canere. Docens præterea utendæ eius opportunum tempus, reperit exercitium utile atq; iucũdum ocioso, & negocijs uacuo uiro. Nam quum bellator Achilles esset, & ad res gerendas natus, obtiam illi cum Agamemnone intercedentem, prælia detrectabat. Igitur Homerus existimauit decere, & consentaneum esse animos herois acui seueris atq; decoris cantibus, ut reuocatis ad memoriam fortibus factis clarorum hominum instructus atq; paratus ad dimicandum cum hostibus fieret, quod mox facturus erat. Talis nanq; erat prisca Musica, & ad id cõferẽs. Audimus ipsum quoq; Herculem usum Musica fuisse, & Achillem, plurimosq; alios, quorum eruditor sapientissimus ille Chirõ traditur fuisse, Musicæ simul & iustitiæ, atq; medicinæ doctor. Summatim autem ut dicam, mẽtis atq; prudẽtiæ uir compos, non scientijs crimini dabit, si quis perperam, nec rite illis utetur, sed fraudi ac uitio malè utentium adscribet. Quare igitur, qui capessendæ Musicæ disciplinæ adhibita decẽti cura & conuenienti studio operam & laborem in puerili ætate consumpserit, is quod decorum honestumq; est laudabit & amplectetur, contrariumq; uituperabit ac fugiet, uacabitq; uir talis omni indecora & turpi actione, & perceptis uberrimis à Musica fructibus, afferet & sibi & Reipublicæ magna commoda: nulla nec actione, nec oratione utetur incomposita & inconcinna, decorum omni tempore & loco, & modestiam atq; uerecundiam seruabit. Quòd igitur in bene constitutis rebuspubli cis ingens cura ac studium generosæ Musicæ tuendæ fuerit, testimonia multa alia afferre possemus, uerum his in præsentia contẽti erimus. Terpãder seditionẽ quæ Lace-

dæmonios uexabat, Musica sustulit. Thaletē Cretēnsem sorte quadam à Pythio edita, adijsse Lacedæmonios, eosq; pestilentia utentem ope musica liberasse, autor est Pratinas. Ipse quoq; Homerus cantu & Musica ui pestilentiæ fuisse leuatos Græcos canit, sic inquiens:

Argiui iuuenes placabant carmine Phœbum,
Per luces totas pulchrum pæana canentes,
Pugnantemq; procul dicebant, pectora diui
Mollibant cantus, & gaudia pertentabant.

Hos uersus, optime magister, tanquam apicem Musicæ laudum, terminumq; orationis meæ, uelut ingentem molem de Musica habitæ, posui. Nam & ipse uires potestatemq; ipsius hisce uersibus demonstrare nobis occupasti. Clarissimum profecto, ac princeps ipsius opus est, gratissima erga deos pensatio. Insequens & secundum, purgatio animi, & concinna, apta & congruens constitutio systemaq;, quam nos complexionem diximus. Hæc satis Soterichus: habes poculares sermones, bone magister, inquit. Admirationi habita est oratio Soterichi, & apparebat in ore ipsius, atque uoce dicentis, Musicæ studium. Tum doctor meus: Cum cætera omnia, inquit, tum illud in primis in utroq; uestrum probo ac laudo, quòd ordinem quisque suum decorumq; seruauit. Nam quæ citharœdum scire manibus utentem & opere consentaneum erat, ijs nobis epulas Lysias condiuit. Quæcunq; uerò ad utilitatem, ac potestatem, usumq; Musicæ spectabant docens Soterichus, apparatissimis instructissimisq; nos dapibus accepit. Illud uerò arbitror eos cōsultò ac sponte reliquisse mihi: neque enim damnabo timiditatis, quasi ueritos, ne Musicam uelut in commessationibus portionem alienam rapere uiderentur. Iam uerò sicubi utilis consentiensq;

rensq; est Musica, in conuiuijs potissimum eius utilitas apparet & existit, bonusq; id Homerus declarauit, cantū quodam loco ac saltationem inquiens conuiuio dicata & consecrata esse. Nemo tamen suspicetur ad oblectandum modò Musicam utilem esse Homerum existimasse: latet enim in carminibus ipsius altior & profunda quædam mens: in occasiones nanque, cœnas inquam, & hilares ueterum consuetudines, pro summo atq; perutili auxilio Musicam recipiebat. Introduci enim Musicam in epulis optimum esse, ut noster Aristoxenus refert, tanquā potentē reuellendi ac mitigādi feruidam uini uim. Dicere enim uir ille solebat, adhiberi eam ad cōuiuia, quòd quum sæpe merum plus æquo haustum mentem & corpus fallere consuescat haurientium, circunstans Musica ordine & mensura rata atque mediocri reuocaret eos ad nisum statumq; contrarium, & adhiberet modum, & in tranquillitate atque constantia pacatum animum contineret. Homerus itaque priscos ad eas occasiones Musica fuisse usos cecinit. Iam uerò amici, quod summū omnium est, quodq; maximè uerendam esse Musicam declarat, prætermissum est à uobis. Rerum enim omnium motiones, astrorumq; conuersiones Pythagoras, Archytas, Plato, & reliqui ueteres philosophantes, nec fieri, nec consistere posse absq; Musica prædicarunt: omnia nanque opificem deum cum harmonia fabricasse contendunt. Sed alieno tempore hæc de re à me prolataretur oratio. Supremum autem, & musicum in primis esto, adhibere cunctis rebus debitam & congruentem mensuram & modum. Hæc quum dixisset, pæanem cecinit, & Saturno liberisq; ipsius, & Musis operatus, conuiuas dimisit.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER DE DIFFERENTIA INTER ODIVM ET INVIDIAM.

Incerto interprete.

NIHIL ferè ab odio differre inuidia, sed idem esse planè uidetur. Vitia enim multitudini hamorum simulia sunt: quæ si cum pendentibus ex ipsis affectibus huc atque illuc moueantur, pluribus inter se nodis atq; implicationibus connectuntur. Ipsæ uerò quemodum in ægritudinibus accidit, aliæ ob aliarum dolorē cruciantur. Felix enim tam eum qui odia gerit, quàm inuidum torquet. Idcirco beneuolentiam utriq; oppositam putamus: nihil enim est aliud, quàm bonorum erga proximum uoluntas. Odiū uerò atque inuidiam eosdem animi affectus esse, quippe qui contrariam beneuolentiæ optionem habent. Sed quando non æquè idem simulitudines ut differentiæ diuersum faciunt, per has perscrutemur indagenusq;, ab ipso horum affectuū genere exordium sumētes. Nascitur itaque odium ex opinione quam habemus, quòd is quem odimus, malus sit aut in uniuersum, aut quantum ad nos attinet. Quum enim fieri sibi iniuriam nonnulli putant, ad gerenda odia promptiores reddūtur. Afferentes igitur iniuriam, & malos homines oderūt, & iniquo animo ferūt. Inuidēt uerò his dūtaxat, qui feliciter uiuere uidentur. Quapropter inuidia quidem indeterminata

nata est, perinde atq; ægritudo oculorum, quæ ad omnem splendorem turbatur. Odium uerò certis clauditur terminis, quam semper in aliquibus subiectis permaneat. Præterea odium est etiam erga animalia ratione carentia. Feles enim cantharidesq; nonnulli oderunt, & rubetas, & serpentes. Germanicus uerò neque gallum aspicere poterat. At Persarum Magi mures interficiebant, tum quia illos oderant, tum quòd dijs immortalibus eius generis animal molestū esse arbitrabātur: quod Arabes quoq; & Aethiopes faciunt. Inuidia uerò duntaxat hominis, & erga hominem est: Neq; enim inuidere inter se feræ possunt, quum nullum de felicitate alterius iudicium habeant, neq; gloria aut dedecore moueantur, quibus rebus inuidia augeri maximè solet. Odium uerò & inimicitias inuicem exercent, pugnantq; inter sese, quasi aduersus quosdam infidos. Aquilæ enim dracones q; inter se pugnant, cornices & noctuæ, ægitalli & achantyllides, quorum nec cruor quidem, quum interfecti fuerint, commisceri potest: quòd si forte miscueris, rursus fluit separaturq;. Credibile uerò est, & maximum illud, tam leonis in gallum, quàm elephanti in aprum odium, ex timore natum esse. Quod enim timent, facilè oderunt omnes. Hoc igitur inter odium inuidiamq; uidetur interesse, quòd illud in brutorum etiam natura comperiatur, hæc humanum genus non excedat. Ad id accedit, quòd iustè inuidere nemo quis quam potest. Neq; enim ad felicitatem suam quispiam inuarius, & tamen inuidiosus est. Odio uerò complures iustè habentur, sicut hi quos odio dignos appellamus, qui neq; malorum consuetudinem fugiunt, neq; abominantur, neq; iniquo animo ferunt. Magnum uerò huius rei argumentum est, quòd nonnulli odio se habere quamplurimos fatentur,

tentur, inuidere se alicui negarent. Odium enim malorum laudabile est. Idcirco fratris Lycurgi filium Charillum, Spartæ præfectum, probum & clementem uirum laudantibus quibusdam, collega eius: Et quo modo, inquit, probus est Charillus, quum ne in malos quidem sit acerbus? Thersitæ quidem turpitudinem corporis uariè ac multifariam poëta descripsit, peruersitatem uerò morum breuiter, & ferè uno uerbo concluſit:

Odit & hunc magnus Pelides, odit Vlyſſes.

Maximus enim peruersitatis cumulus est, optimis uiris inimicum esse. Atqui inuidere se omnes negant. Quòd si quis id eis ostendere conetur, mille excusationes adferunt, iratos se esse, aut metuere hominem, aut odisse dicentes, aut alia quauis ratione huius affectionis nomen obumbrantes ac tegentes, quasi hæc sola animi ægritudo execranda sit. Necesse est igitur huiusmodi ægritudines, sicuti plantas, ijsdem & nutriri & coalescere: & aliæ quippe alijs facillimè accedunt. Oderunt itaq; quenq; maximè, ut maximè proficere in uitijs cernunt. His uerò magis inuidebunt, quos ad uirtutem rectiore tramite prodeũtes intuebitur. Quocirca Themistocles quum adhuc adolescens esset, nihil splendidum à se fieri dicebat: neminem enim adhuc se inuidum habere. Et enim quemadmodum cantharides lætioribus frumentis, & uiridioribus rosis maximè innascũtur, ita inuidia eos præcipue tangit qui boni sunt, quiq; ad uirtutem gloriamq; grassari uidentur. Rursus magnitudo uitiorum odium auget. Idcirco calumniatores Socratis, utpote qui ad uitiorum culmen peruenerãt, adeò oderunt uiri Athenienses auersatiq; sunt, ut neq; eis ignem accendere, nec quærentibus respondere, nec qua illi sese abluissent aqua uti uoluerint, sed eam perinde ac sceleratam

leratam effundi iusserint, donec illi, quum perpeti odium amplius non possent, suspendio uitam amiserunt. Felicitatis uerò magnitudo ac splendor sæpenumero inuidiam extinguit. Neque enim credibile est, Alexandro aut Cyro inuidere quempiam imperitantibus, & cunctorum iam dominis. Sed quemadmodum sol eius umbram, supra cuius caput astiterit, suis aspergens radijs, aut prorsus extinguit, aut longè minorem reddit, ita felicitas, quum magnã nacta altitudinem fuerit, & supra inuidiæ caput splendorem suum sparserit, eam attenuat expellitq;. Inimicorum autem amplitudo ac potentia odium haudquaquam minuit. Ideoq; Alexãder inuidum quidem habuit neminem, exosos uerò complures, à quibus tandem per insidias interfectus est. Simili modo infelicitas inuidos quidem cõpescit, inimicitias uerò non tollit. Oderunt enim etiam hostes ad extremam redactos calamitatem. At nemo est qui miseris inuideat. Idcirco illud à quodam è nostris Sophistis non sine ratione dictum: Inuidos homines libenter commiserari. Qua propter hanc quoq; non paruam horum affectuum differentiam esse arbitramur, quòd odium neque felices, neq; fortunatos deserit: inuidia ob utrunq; excessum facilè comminuitur. Iam uerò ex contrarijs potius idipsum cõsideremus. Dissoluunt profecto inimicitias, odiumq;, si aut sibi persuaserint, nulla sese iniuria affectos esse, aut quos uti malos oderant, bonos compererint, aut tertio beneficijs placati fuerint. Extrema enim gratia, ut Thucydides inquit, etsi minor sit, opportunum tamẽ nacta tempus, maiorem interdum iniuriam dissoluit. Horum uerò primum inuidiam certè nõ minuit: Quamlibet enim à principio sibi persuadeant, nullam sibi iniuriam inferri, non tamen à liuore abstinent: nam reliqua augent potius

inuidiam.

inuidiam. His enim inuident magis qui boni uidentur, tanquam summum bonum uirtutem consecutis. Quòd si quos felicibus beneficia accipiant, dolent, illis tum ob uoluntatem, tum ob potentiam inuidentes: illud enim uirtutis est, hoc felicitatis, utrunque bonum. Quapropter odium & inuidia omnino diuersi affectus sunt: Siquidem his rebus illud cessat, hæc autem torquetur & crescit. Iam uerò ipsam utriusq; affectus electionem consideremus. Habentis enim odium est, obesse uelle: Etenim potentiam eius id definiunt, dispositionē quandam, ac curiosam malè agendi uoluntatem. Ab inuidia uerò hoc abest: Neque enim inuidi multos è propinquis ac domesticis suis perire uelle, neque ad extremam miseriam redigi, sed felicitatem eorum graui animo ferunt, prohibentq;, si possunt, eorum gloriam ac splendorem: extremam uerò calamitatem non optant, sed si perinde ac ex altissimis ædibus, eam partem quæ suas obscuriores reddit, deposuerint, bene secum agi existimant.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI, LIBER

DE VIRTVTIBVS MVLIERVM.

Alamano Ranutino Florentino interprete.

COGITANTI mihi de mulierū uirtutibus, longè ab opinione Thucydidis est aliena sententia. Is enim optimā esse censet, de cuius laude aut uituperatione quāminimus apud exteros sermo habeatur, existimās probæ mulieris nomē itidē atq; corpus domesticis parietibus contineri oportere. Mihi uerò probabilius dixisse uisus est Leontinus Gorgias, qui putat mulieris non formam, sed egregium nomen atq; famam debere apud quamplurimos esse uulgatam. Quocirca peregrè apud quamplurimos esse uulgatam. Quocirca peregrè lex apud Romanos institutā sese habere uidetur, quæ non minus probarum mulierū, quàm uirorum funera publicè ab earum propinquis meritis laudationibus celebrari permittit. Hanc nos ferè consuetudinem nuper imitati, post Leontidis præstantissimæ mulieris interitum de uirtutibus eius longā sanè tecum orationē habuimus, non expertē, ut mihi tūc uisum est, philosophicæ cōsolationis. Et nunc historiā ad te mittimus, quasi perorationē quandam tecū instituti sermonis futurā, quam cōmode oratio ni illi si libeat, annectere possis: plurimum enim cōfert ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

id,quod ostendere nitebamur probandum, unam scilicet atq; eandem esse uirorũ mulierumq; uirtutem. Non uoluptatis tantum gratia hæc à me excogitata fuisse existimes uelim, quòd si quid etiam probationi uoluptatis aut iucunditatis insit,ab ipsa exemplorũ uarietate proueniens, non minus tamen ob idipsum probationis,quàm ostendimus,uim retinere nostra uideri debebit oratio:præsertim quum ad faciendam fidem non parũ sermonis gratia atq; iucunditas adiumenti afferre soleat. Nec sanè erubescere debet Gratijs Musas cõiungens oratio,quũ & ipsa coniunctio pulcherrima sit,ut inquit Euripides,& facilè audientium animos ob iucunditatem ad credendum alliciat. Si enim eandem in uiro mulereq; pingenda artem esse probare uolens,præclaras ab Apelle,aut Zeusi, aut Nicomacho mulierum depictas imagines proferam,quis iure mihi succenseat,tanquam uoluptatem potius atq; inanẽ gratiam, quàm eius quod instituissem probationẽ inquirenti? Quòd si poëticam facultatem nõ aliam in uiris atq; in mulieribus esse libeat ostendere, atq; ob hoc Sapphos carmina cum Anacreontis uersibus conferam,aut Bacidis rursus atq; Sibyllæ respõsa simul cõparem, iure'ne quisquam hoc demonstrandi genus accusabit, si etiam oblectatione quadam & uoluptate delinitum auditorẽ ad credendum inducat? Atqui non aliter magis muliebris fortitudinis,& eius quæ uirum decet similitudinem differentiamq; internoscere quisquam poterit, quàm si uirorum mulierumq; uitas ac res gestas,tanquam egregiæ cuiusdã artis opera in unum collatas intueatur, eundem'ne characterem & formam habeat, reginæ Semiramidis ac Sesostris regis magnificẽtia, aut Tanaquilis et Seruij astutia, uel Portiæ Brutiq;, aut rursus Pelopidæ Timocliæq; prudentia.

prudentia. Nam uirtutes ipsæ differentias aliquas,ac ueluti colores proprios quosdam ex illorum quibus insunt natura sumere uidẽtur, & eorundẽ corporibus adæquari diuersitatemq; nonnullam pro illorum nutritione atq; exercitatione suscipere. Aliter enim Achillem, aliter Aiacem fortes extitisse putandũ est,neq; eandem Nestoris & Vlyssis fuisse prudentiã,nec pari modo Agesilaũ & Catonem iustos fuisse, sed nec Irenã uiri studiosam ut Alcesten,nec ita Corneliam ut Olympiadẽ magnanimam extitisse credendum. Nec tamen idcirco diuersas esse prudentias,aut iustitias,aut fortitudines dicemus,sed solũ ratione quadam propria,& singulorũ quibus insunt inæqualitate differre ipsas censebimus. Quæ igitur mulierũ gesta uulgatissima sunt, quæq; te ex aliorum libris cognoscere potuisse arbitror,prætermittam,atq; ea dũtaxat referam, quæ quum sint memoratu digna,historiarum scriptores, cõmunia tantũ atq; omnibus manifesta scribentes,latuisse constabit. Sed quoniam multa communiter à mulieribus quibusdã, pleraq; à singulis priuatim egregiè facta fuisse comperimus,non absurdum fore uidetur, prius quæ communiter à nonnullis gesta sunt,literis mandare.

TROADES. I.

CApta atq; euersa iam Troia, quum plurimi hostiles manus, atq; urbis incendium euasissent, pleriq; aduersa tempestate iactati,& ex imperitia nauigãdi cõpulsi,eam Italiæ partem,qua Tyberis fluuius mare ingreditur,tenuere: inde fluminis ostia nauibus ingressi,repente ad commeatus,quorum penuria laborabant,comparãdos passim discurrere. Interea mulieribus apud naues relictis, cogitatio primum, deinde etiam sermo exoritur, fore ut bene rectéq; sibi ac suis uiris consulant,si quem aliquãdo

longis erroribus nauigationiq; finẽ posuerint, & patriã sibi tandem aliquam constituerint: quandoquidẽ propriã semel amissam non iam amplius ualeant recuperare. His inter se non longè admodum pertractatis, una omnes cõspirationè facta nauigia cuncta incẽderunt, principio ab earum una exorto, cui Rhomæ nomen fuisse perhibetur. His peractis quum uiri auxilij ferendi causa citato cursu ad naues cõtenderent, mulieres uenientibus obuiam processere, atq; illorum fòrmidãtes iracundiam aliæ parẽtes, aliæ uiros osculabantur. Itaq; nouo insuetoq; humanitatis genere facilè uirorum iracundiam placauerunt. Atq; inde ad hodiernum usque diem apud Romanos mulieres permanet consuetudo, ut osculando salutent eos qui sibi aliquo affinitatis gradu coniuncti sunt. Nam Troiani manendi necessitatem cõspicati, & simul indigenarũ erga se beneuolentia commoti, libenti animo quod à mulieribus gestum fuerat exceperunt, ibiq; errandi fine constituto, unà cum Latinis habitauere.

PHOCENSES. II.

AT uerò Phocensium mulierum facinus quanquã hactenus satis digno scriptore caruerit, nescio tamẽ an muliebris uirtutis testimonium aliorum omnium præclarissimum sit existimandum, cuius cum in sacris, quæ ad hodiernum etiam diem apud Hyampolin Phocenses peragunt, tum etiam publicis literarum monumentis memòria celebratur, ut plenius est in Daiphanti uita explicatũ. Quod uerò ad mulieres attinet, huiusmodi fuisse perhibetur. Odium erat bellumq; inter Phocenses ac Thessalos inexpiabile, quum Phocenses Thessalorum magistratus ac præfectos omnes, qui in suis urbibus erant, statuta die ad unum interfecissent. Qua indignatione cõmoti Thessali,

sali, CCL. Phocensium obsides, quos apud se habebãt, iugulauerunt. Deinde coacto exercitu aduersus eosdem profecturi publicè decreuerunt, ut capta urbe nemini omnino puberi parceretur, mulieres autẽ puerique omnes uenundarentur. Daiphantus autem Barilli filius, qui cum duobus collegis summæ rei Phocensium præerat, suis ciuibus persuasit, ut ipsi quidem copijs quàm possent maximis in hostes proficiscerentur, mulieres autẽ atq; omnẽ puerorum imbellem turbam è tota ciuitate in unum coactam, in secretiorem quandam ciuitatis partem deducerent, eodemq; loco multum lignorum stipulæq; congererent, & aliquot apud eas relictis custodibus iuberent, ut si se bello superatos ab hostibus audissent, tum subito incensa materia mulieres omnes pueros q; cremarẽt. Quum cæteri Daiphanto assentirentur, quidam è media concione assurgens, placere sibi consilium inquit: attamen æquum esse censere, mulierum quoq; super ea re sententiam sciscitari, atq; ita consilio huiusmodi utẽdum, si ipsæ quoque decretum illud comprobassent: sin minus, incolumes illas, & sui iuris dimittendas, neq; ullam omnino uim moriendi afferendam esse censere. Hac itaq; oratione apud mulieres uulgata, ipsæ prius inter se conuentu peracto, Daiphanti sententiam comprobarunt, illius uirtutem ac prudentiam laudantes, quòd omnium optimè & ciuitati, & earum saluti consuluisset. Hoc idem quoque pueros seorsum congregatos decreuisse tradunt. His peractis Phocenses apud Cleonas Hyampolis ciuitatẽ Thessalis congressi, illos ingenti pugna superarunt, atque in eius uictoriæ gratiam Dianæ sacra omnium maxima in hodiernum usque diem faciunt, ipsa Elaphebolia nuncupantes.

CHIAE. III.

LEuconiam urbem Chios incoluisse ob huiusmodi casum traditum est. Nam quum è prima Chiorum nobilitate adolescēs acceptam uxorē domum, ut moris erat, curru traduceret, Ippoclus rex summa familiaritate sponso coniunctus, unà cum cæteris adolescētibus pompæ celebritatiq; intererat. Quumq; uino ac iocis incaluisset, in currum quo sponsa uehebatur insiluit, nullam sanè uim allaturus, sed ludendi tanquam licentia immoderatius abutens. Tum qui aderant sponsi familiares atq; affines, ne qua uirgini afferretur contumelia metuentes, facto impetu regem obtruncarunt. Post hæc deorum ira uarijs pestibus agitati, quum ex oraculis finem malorum implorarent, non aliter quàm Ippocli interfectoribus occisis placari deos posse responsum accepere. Quo audito ciues ferè uniuersi regem à se interfectum esse conclamarunt. Rursus igitur omnes ex urbe migrare Deus iussit, qui facto assentiētes eius cædis fuisse participes fatērētur. Aeq; enim facinori uidetur obnoxius, qui auxiliū præstat agēti, & qui perpetratum facinus quasi iure factum collaudat. Igitur qui urbe excedere cogebantur, quum & uiribus & multitudine plurimum possent, Leuconiam occuparunt, quam sibi dudum per uim ablatam, per id tēporis Erythrensium opera & auxilio recuperatam, Coronenses possidebant. Verum nō multò pòst Coronēses iterum auxilio Erythrensium implorato, qui plurimum inter omnes Iones uiribus poterant, ob recuperandam Leuconiam Chijs, qui eam occupauerant, bellū intulere. Quorū uiribus quum obsistere Chij nequaquam possent, his conditionibus deditionem fecere, ut sibi cum chlamyde & singulis tantum uestimentis urbem egredi liceret. Quo audito,

audito, Chiorum mulieres grauissimè uiros accusabant, quòd relictis armis nudos sese armatis hostibus credere statuissent. Quumq; illi iureiurando obstrictos non amplius decernendi compotes esse dicerent, mulieres arma nequaquam esse dimittenda suaserunt, præsertim quū & datæ fidei, & saluti suæ rectè consulere possent, si dicant hostibus, hastam pro tunica, & clypeum pro chlamide uiris fortibus esse. Harum consilijs uiri assentientes, statuta ad profectionem die armati subito in medios Erythrenses prodiere: quorum illi audacia perterriti, quū egregiè instructos, atq; ad omnia paratos cōspicerēt, neq; illorum iter demorari, nec aduersus eos procedere ausi sunt, bene secum agi putantes, si illi cætera omnia relinquentes discederent. Ita mulierum præceptis uiri audaciam edocti, salutem sibi suisq; pepererunt. Nec sanè minoris uirtutis argumentū posteris temporibus Chiæ mulieres præbuerunt. Quum enim Philippus Demetrij filius Chiorū urbe obsessa, ut famulos qui intus erant, ad defectionem compelleret, edictum barbarum sanè, atq; omni superbia plenum, præcones suos pronunciare iussisset, quo famulis omnibus, quicūq; ad se defecissent, libertatem, ac matronæ, quam sibi quisq; delegisset, coniugium daturum pollicebatur, existimans singulos eam quæ domini fuerat uxor expetituros: hoc audito mulieres ira atq; indignatione commotæ, unà cum famulis, qui & ipsi grauiter eiusmodi edictum tulerāt, promptissimè ad tutanda mœnia procurrerunt, lapides & omne telorum genus pugnantibus uiris summo studio ministrantes, eosq; adhortationibus atq; opere quoad poterant adiuuantes, effecere, ut irrito incepto Philippus tandem obsidione soluta discedere cogeretur, quum ex famulis ne unus quidē ad eū defecisset.

ARGIVAE. IIII.

NEque uerò inter ea, quæ communiter à mulieribus gesta sunt, minore laude atq; admiratione dignã contentionem uisum iri censeo, qua contra Cleomenem Argiuorum regem, Teleßilidis ductu auspicioq;, mulieres Argiuæ certarunt. Eam uerò mulierem poëticæ disciplinæ fuisse peritam memoriæ proditum est: nanq; parẽtibus nobilißimis orta, quum ualetudine aduersa laboraret, ab oraculo responsum accepit, studiosè Musas à se colendas esse, si amissam ualetudinem recipere uellet. Quapropter ipsa deorum præceptis obtemperans, omne studium operamq; ad musicos cantus atq; harmonias conuertẽs, breui tempore amissam ualetudinẽ recepit, atq; ob artis poëticæ disciplinam plurimum apud cæteras mulieres famæ ac ludis est consecuta. Postmodum uerò quum Cleomenes Spartiatum rex, multis Argiuorum ciuium interfectis, quippe quos septingentos & septuaginta supra septem millia fuiße quidam affirment, Argos ad occupandam ciuitatem contenderet, tum mulieres in ætatis flore constitutas animus subijt ciuitatis aduersus hostes tutãdæ. Itaq; duce Teleßilide celeriter armis assumptis, subita corona ciuitatis mœnia conpleuere. Quæ res non parum admirationis hostibus præbuit: Et Cleomenem expugnatione sæpius nequicquã tẽtata, pluribusq; militibus amißis, ad extremum retrocedere coëgerunt. Alterum uerò regem Demaratum, ut Socrates inquit, quum iam partem ciuitatis, quæ Pamphylia dicitur, occupaßet, ejecerunt. Ita mulierum cõsilio atq; uirtute liberata ciuitate, mulieres omnes quæ in pugna cecidißent, in uia quæ Argia dicitur, sepeliri decreuerunt. His autem quæ pugnæ superfuerant permißum est, ut Marti simulachrum suæ uirtutis monumentum

mentum statuerent. Hanc uerò pugnam nonnulli sextodecimo die, alij autem calendis gestam fuisse tradunt eius mensis, qui nunc quartus apud Argiuos habetur, quondã uerò postremus numerabatur, quo nostram ad ætatem sacra quædam apud Argiuos celebrantur, in quibus mulieres chlamydem ac utrilem uestem indutæ, uiri autẽ peplum gestantes, & muliebribus uelamentis capita obuoluti uersantur. Vt autem interfectorum ciuium iacturam instaurarent, non seruis, ut Herodotus inquit, sed accolis, qui circa urbem habitabant, ut quisq; alios excellere uidebatur, in ciues electis sese in matrimonium sociarunt.

PERSIDES. V.

QVum Cyrus aduersis Medos, atque eorum regem Astyagem, bellum gerens ingenti pugna superatus fuisset, mulites effusa fuga urbem repetebant: Quumq; iam iam haud procul abeßent, tanta erat insequentium hostium celeritas, ut palam cõstaret, eodem impetu uictores uictosq; urbem intraturos. Fugientibus itaq; mulieres facto agmine extra urbem obuiam procedentes, ac uestibus ex inferiori parte sublatis, nudos uteros ostentantes: quonam ignauißimi ruitis? clamitabant: an uos latet, non iterum uobis huc intrare licere, unde semel naturæ lege egreßi estis? His castigationibus accensi Persæ, & simul spectaculi pudore commoti, mutuo sese accusantes, instaurata acie in hostes impetum fecere, eosq; incompositos adorti non multo labore fuderunt fugarunt q;. Quapropter lege apud eos cautum est, ut quum primũ Persarum rex aliquis urbem ingreditur, mulieres quotquot in urbe sunt, singulos auri nummos à rege accipiant: cuius legis autorem Cyrum fuisse constat. Idcirco Ochus Persarum rex cum uitijs alijs, tum præcipue auaritia præ cæteris

insignis, urbem sæpius circunuectus, nũquam intrare eandem uoluit, mulieres debito sibi ex lege munere defraudans. At Alexander bis eam ciuitatem ingressus, toties quoq; nummos dari mulieribus iussit, prægnantibus duplicem mercedem dari præcipiens.

CELTAE. VI.

CEltæ priusquam superatis alpibus in Italiam trajicerent, cuius hodie non paruam incolunt partem, seditionibus domesticis agitati, eousq; discordiæ processere, ut ciuile inter se bellum consererent. Quumq; armati iam utrinque in acie constitissent, mulieres per media arma progressæ, multis precibus lacrymisq; illorum animos adeò flexere, ut omissa discordia in pacem ac beneuolentiam reuersi, ad proprias domos omnes discederent. Ex quo nata apud eos consuetudo posteris etiam temporibus mansit, ut quoties de bello sit eis aut pace consultandum, mulieres quoq; eiusmodi consultationibus adhibeantur. Præterea si qua aduersus socios inciderit controuersia, ex mulierum sententia eandẽ componere soliti sunt. Itaq; inter conditiones, quas cum Hannibale pepigerunt, hoc etiam scriptum, atque his ferè uersibus reperitur: Si quis Celtarum iniuria se à Carthaginensium aliquo affectum queretur, eius rei Carthaginensium magistratus, aut imperatores qui in Hispania fuerint, iudices sunto: Sin Carthaginensium quisquam ab ullo Celtarum iniusti quippiam passus fuerit, Celtarum mulieres de ea re iudicium faciunto.

MELIAE. VII.

MElij quum propter finium angustias annonæ penuria laborarent, Nymphæon quendam, egregia forma adolescentem, deducendæ coloniæ principem constituere.

Quumq; illos consultum oraculum nouas terras nauibus quærere iuberet, atq; ubicunq; naues amissent consistere, forte accidit, ut ad Cariæ littora appulsis, atq; è nauibus in terram digressis, naues tempestatibus agitatæ ad unum omnes in littore frangerentur. Igitur Cares, qui Cryassam urbem incolebant, siue illorum sortem miserati, seu uires atque potentiam ueriti, benignè susceptos, ut apud se manerent, hortati sunt, & colendorum agrorum partem ipsis diuisere. Inde quum breui tempore plurimum illos incremenți sumpsisse animaduerterẽt, omnes in epulis atque conuiuio trucidare statuerunt. Forte super hac re consultantes illos uirgo quædam Caphena nomine, quæ summo amore Nymphæon adamabat, clanculum ut à nemine uideretur delitescens audiuit. Quumq; eum, quem tantopere deperibat, interfectum iri sustinere non posset, Carum omne consilium Nymphæo patefecit. Igitur postridie Caribus ad cœnam Melios inuitãtibus, ut est Græcis hominibus cõsuetudo, Nymphæus inquit: absque mulieribus inite cõuiuia. Quumq; illi mulieres etiam secum ducere hortarentur, Nymphæus conuocatos Melios, & rem omnem ut acta erat admonitos, iubet ipsos quidem inermes ad cœnam proficisci, uerum singulos uxori suæ intra uestem occultum gladium tradere, & quenque iuxta propriam uxorem accumbere. Media igitur cœna iam peracta, Cares, ut inter eos conuenerat, inuadendi dant signum, quod præmonitos iam antea Græcos minimè latuit. Itaq; mulieres patefacto repente sinu gladios protulerunt: Quibus arreptis Græci aduersus Barbaros ruentes, una strage omnes interfecere, atque ita regione potiti: & urbe quæ illorum fuerat deiecta, alteram sibi condidere ciuitatem, eamq; Cryassam appella-

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellarũt. Caphena autem Nymphæo in matrimonium sociata, dignum suis meritis honorem retulit. Admirabilem itaque, & omni laude prosequendam mulierum audaciam atque silentium fuisse, nemo sanæ mẽtis fateri nõ potest, quum nulla penitus in tam multis inuenta sit quæ, uel audita patefecerit, uel timore deiecta sit, quo minus omnia, ut sibi mandatum fuerat, studio semper ageret.

TYRRHENAE. VIII.

QVum Tyrrhenorum quidam Lemnũ atq; Ymbrũ insulas occupassent, ex Athenienſis agri mulieribus aliquot liberos procrearunt, quos posmodum Athenienses eò quòd pro semibarbaris haberentur, ex insulis pepulere. Verum hi in Tænarum profecti Spartiatis in seruili bello egregiam operã præstiterunt. Ij igitur in ciuitatis partem adsciti, connubiorum quoq; iungendorum ueniam meruere, ad magistratus uero atq; consilia eosdẽ admittere haudquaquam dignum censuerunt. Nec multò pòst apud Lacedæmonios suspicio increbuit, eos in ciuitate res nouas moliri. Quapropter comprehensi omnes diligentissimè seruabantur, quoad manifestis argumentis conuicti supplicio afficerentur. Inter hæc eorum uxores frequenter ad carcerem uenientes, multis precibus custodes orabant, ut salutatum ad uiros ingredi sibi liceret. Quod quũ difficulter tandem impetrassent, ad uiros admissæ illos hortari cœperunt, ut repente secum uestibus permutatis, muliebriq; habitu induti, uelatis, ut carũ mos est, capitibus è carcere se proriperent: Quarum monitis quum uiri obtemperassent, ipsæ quidem in carcere substiterunt, asperrima quæque, ac difficillima subire paratæ. Custodes autem habitus simulatione decepti uiros abire incolumes permiserũt. Qui egressi, Taygeta repentino

tino tumultu occuparũt, inde seruos ad libertatẽ uocãtes, seditione excitare nitebãtur. Quo timore soliciti Spartiatæ, misso ad eos caduceatore pepigerũt, ut uxoribus, sortu nisq; suis omnibus, nauibus præterea atq; pecunijs acceptis, è regione discederent, utq; nouis sedibus, nouaq; ciuitate potiti, Lacedæmoniorum coloni atq; affines appellarentur. His acceptis conditionibus, quũ Pollin & Cratæida Lacedæmonios fratres profectionis duces accepissent, pleriq; in Melo sedes cõstituere, cæteri uerò Pollin ducem secuti, & oraculi fidem experiri cupiẽtes Cretam petierunt. Hoc à dijs responsum acceperant, ut ubicunq; deam & ancoram amisissent, ibi erroribus fine imposito consisterent. Igitur ad Cherronesum, quæ in Creta est, appulsi, relictis in littore nauibus constiterant, uerũ nocturno ac repẽtino tumultu perterriti se in naues receperunt, atq; ob fugiendi celeritatem attoniti Dianæ simulachrum in littore dimisere. Hoc sanè antiquissimũ apud eos permanserat, quippe quod ex Lemno usq; sublatum assiduè secum in omnia loca detulerant. Hoc itaq; inter nauigandũ requirentes, in littore derelictum fuisse percerũt. Et Pollis eorum dux uno unco suæ nauis ancoram diminutam animaduertit. Nam quum locis petrosis adhæsisset, eáq; uiolentius posmodum traheretur, à reliqua uncus auulsus nautas latuerat. Tum Pollis oraculorum dicta iam secutam fidem satis intelligens, conuertendi cursum signum proposuit, & regione occupata quum plurimis prælijs locorum habitatores superasset, Lyctum urbem sibi delegit habitandam, finitimis aliquot ciuitatibus uectigalia sibi præbere coactis, & nunc etiam Athenienſium seſe cognatos dictitantes, quòd materni generis ab ijsdem ducant originem, Spartiatum se colonos

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos esse profitentur.

LYCIAE. IX.

QVod autem in Lycia contigisse ferunt, quanquam fabulæ similius quàm ueri esse uideatur, multorum tamen & sermonibus, & in unum consentiente fama celebratum esse constat. Amisodarus enim, qui & Isaras dictus est, à Zelia Lyciorum colonia ueniens piratarum nõ exiguam multitudinem secum deduxit, cui Chimarrhus præerat, uir quidem bellicæ artis peritißimus, cæterũ immani quadam præditus crudelitate: Hunc nauis uehebat, cuius prora leonem, puppis uerò draconem gestabat insigne: multisq; cladibus Lycios uexans effecerat, ut neque nauigare tutò, nec maritimas ciuitates incolere possent. Hunc fugientem aliquando Bellerophon Pegaso (id est citißima quadam, ut arbitror, naui) assecutus interemit. Idemq; quum aggressas Lyciam Amazonas pepulisset, nullo pro tantis meritis præmio accepto, iniurijs etiam à rege affectus fuerat. Quibus rebus indignatione percitus Bellerophon, ad maris littus accedens Neptunum rogauit, ut oram illam infructuosam atq; ad serendum inutilem redderet. Peractisq; precibus obuersa ad littus facie discedebat, quum subito mare tumescens uniuersa obruere cœpit, spectaculumq; erat horrendum, tam uastè sese attollentes, & Bellerophontem sequentes fluctus intueri, ut omnia circum loca iam occuparent. Igitur delecti è Lyciorum primatibus uiri Bellerophontem adeuntes rogabant, ut tantis malis finem imponeret: qui quũ diu multumq; precati nihil proficerent, mulieres sublatis ab inferiori parte uestibus Bellerophonti obuiam processere. Quumq; ille pudore commotus conuersa rursus ad littus facie pergeret, undas quoq; in solitum locum refluere cœpisse

pisse commemorant. Verum aliqui huiusmodi fabulam interpretantes, non imprecationibus illum tradunt maritimas aquas superinduxisse, sed quum ager totius Lyciæ feracißimus in humili depressóq; loco situs esset, Bellerophontem aggere qui mare distinebat rescisso, aditũ aquis maritimis patefecisse tradũt: cui malo finẽ à Bellerophõte petentes uiri quũ nihil proficerẽt, mulieres illi circunfusæ pudore quodã deiectum finẽ iracũdiæ ponere coẽgerint. Sunt qui appellatam Chimærã montẽ quendã fuisse tradãt, horrendos sonitus atq; incẽdia emittere consuetũ, quibus finitimus ager infestatus, neq; arbores nutrire, neque fruges proferre poterat, uerũ Bellerophõtis prudentia, qui montis partẽ quæ planißima erat, rescindi iußit, fragores fuisse cõpositos, magnumq; malis remediũ allatũ. Verũ quũ sibi debitas gratias minimè referri animaduerteret, indignatione percitus, ingratos homines ulciscì parabat, sed mulierũ precibus uictus ab incepto destitit. Quã uerò Nomphis in quarto Herculeorũ lib. causam refert, haudquaquã esse fabulosa uidetur. Aprũ enim immẽsæ magnitudinis Xanthiorum fines inuasisse tradit, qui fruges fructusq; circunquaq; destruẽs à Bellerophõte occisus fuit. Quumq; nihil gratiæ pro tãto labore meruisset, ultionẽ à Neptuno aduersus ingratos postulauit. Quapropter salsũ quẽdã humorẽ pasim per eorũ agros scaturisse, ut omnia quæ in agris nascebãtur, illo humore corrupta deficerẽt: nec prius tanti mali finẽ affuisse, quàm precantium mulierum pudore uictus Bellerophon, Neptunum ut Xanthijs tandem ignosceret exoraret. Quamobrem lege apud Xanthios cautum est, ut à matribus, nõ à patribus filij generis nomen sortiantur.

SAG

SAGVNTINAE. X.

ROmanis iam bellū inferre meditatus Annibal, priusquam copias in Italiam traijceret, in Hispania bellū gerens urbem Hispaniæ opulentißimam Saguntum obsedit. Ac primò quidem ciues obsidione perterriti, & sese imperata facturos polliciti, argenti trecenta talēta, & totidem obsides dare pepigerunt. Quibus acceptis cōditionibus Annibal quum soluisset obsidionem, Saguntini pœnitentia ducti, nihil eorū quæ pepigerāt præstitere. Rursus igitur ad obsidionem conuersus Annibal, & diripiendam militibus urbem pollicitus, eos ad pugnandum hortabatur: qui summis uiribus inito certamine oppressos malis undiq; Barbaros, tandem ut sese conditionibus huiusmodi dederent perpulere, ut liberis hominibus cum singulis tantum uestimentis ex urbe migrare liceret. Mulieres igitur, id quod tandem euenit, fore suspicatæ, ut scilicet hostes diligentius uiros, ne quis occultum telum efferret intuentes, seipsas egredientes negligerent, atque intectas abire permitterent, gladijs intra sinus occultatis ex urbe digressæ sunt. Quumq; omnes iam ciues urbē exissent, Annibal equitum Massylienſium turmam ad portam ciuitatis in statione collocauit, cæteris incomposito ad urbem diripiendam intrare permißis. Quumq; multi, ut in talibus fieri solet, multa undique asportarent, non se ultra continere Maßylienſes potuerunt, sed portæ statione dimissa indignantes ad prædandum discessere. Interea mulieres clamore sublato, quum gladios quos gestabant uiris tradidissent, simul cum illis impetum in hostes fecerunt, ferturq; earum una ex Hānonis cuiusdā manibus directa hastam in eum ipsum uulnerādum conuertisse: uerum quia thorace indutus erat, occidere minimè ualuit.

ualuit. At uiri multis hostibus interfectis, reliquis uerò qui obuiam uenerant in fugam uersis, una cum mulieribus sese ex urbe incolumes recepere. Quod postquam est Annibali renunciatum, equites repente qui persequerentur dimisit: quumq; ex ipsis aliquot adduxissent captiuos, ultimo supplicio affici iußit. Verum maxima pars in proximos montes dilapsa hostiles manus effugerunt, qui paulò pòst mißo ad Annibalem caduceatore, ueniam atq; in urbem reditum ab eodem impetrarunt.

MILESIAE. XI.

MIlesiæ quandoq; uirgines admirabilis morbus, & immanis quidam furor inuasit, cuius neque causa ulla, neque remedium poterat inueniri: uerum fanaticam quandam contagionem ab aere diffusam arbitrabantur, quæ illarum mentes ad insaniam conuertens repentinæ mortis cupiditate correptas, ut seipsas strangularent, efficiebat. Itaq; permultæ eo mortis genere perierunt: neque uerò parentum lacrymæ, neq; amicorū monitus ac suasiones aliquod huic malo remedium afferre poterant: tātaq; erat furoris immanitas, ut omnem custodientium diligentiam superarent, ut non humano consilio, sed mali cuiusdam dæmonis impulsu accidere uideretur. Itaq; non iam hominum ingenijs, sed deorum quærēdum remedium omnes asserebant: nec ullus tamen antea tanti mali finis inuentus est, quam spectatæ quidā prudētiæ uir ad populū rogatione perlata decreuit, ut uirginū quæ sibijpsis mortem cōsciißent, per mediū forū nuda cadauera efferrentur. Ea res non modo uirginū furorē compreßit, uerū etiam sedauit atq; extinxit. Magnū profectò uirtutis atq; ingenuitatis argumentū, tantū apud illarum animos ignominiæ metū ualuisse, ut quas illa, quæ grauißima humanorū

malorum existimabatur mors, & dolor, ab instituto non auerterat, oblata turpitudinis specie ita commouerit, ut ignominiam perpeti nullo modo possent, satis quam post mortem etiam subituras esse intuebantur.

CIAE. XII.

MOs quondam apud Ciorum uirgines fuerat, ut sacerorum statutis diebus in unum omnes coactæ, per aliquot dies unà uersarentur, quas earum amatores facto etiam agmine sequebantur, ut eas ludentes inter se ac saltantes conspicerent. Noctu autem eodem agmine singularum domos ingredientes, parentibus fratribusq; muto quæcunq; factu opus esset, administrabant. Eueniebat autem plerunq;, ut eandem plures simul amarent adolescentes, amore autem tam sancto atq; modesto, ut quum primum uirgo desponsata esset, repente omnes ab eius amore desisterent. In quo illud uel maximum temperantiæ muliebris argumentum conspici potest, quòd neq; adulterium, neq; illegitimum ullum concubitum apud eos accidisse memoriæ proditum est.

PHOCENSES. XIII.

QVum Phocensium tyranni Delphos occupassent, Thebani aduersus eosdem bellum, quod sacrum appellarunt, suscepere. Interea Bacchi sacerdotes, quas illi Thyadas uocãt, furore correptæ, ut earum moris est, huc atq; illuc sine discrimine errantes uagabantur. Forte accidit, ut nocte quadam in ciuitatem Amphissam imprudentes deuenirent: quumq; adhuc furore percitæ haudquaquam mentis compotes essent, progressæ in forum corporibus humi stratis dormitantes procubuere. Verũ Amphissææ mulieres ueritæ ne Thyades uiolarentur à militibus tyrãnorum, qui frequentes in ea urbe uersabãtur, quòd

quòd esset ea ciuitas fœdere Phocensibus iuncta, facto agmine in forum decurrẽtes, sopitas Thyadas tacitæ circunstetere, nec eas tamẽ à somno excitarũt. At postquã illæ spõte sua experrectæ sunt, aliæ alias domũ deducẽtes, quæ reficiẽdis corporibus opus erant, liberalissimè præbuerũt. Inde à uiris licẽtia impetrata Thyadas usq; ad mõtes prosequutæ sunt, unde tutus iã reditus illis patebat in patriã.

LVCRETIA, VALERIA, CLOELIA. XIIII.

TArquinium Superbum, qui à Romulo septimus apud Romanos regnauit, Lucretiæ uirtus, eidemq; illata contumelia, ex urbe pepulerunt. Hanc uerò in primis nobili quique reges coniunctione sanguinis attingebant: nuptum unus è Tarquinij filijs ad eam ueniens uitiauit, quæ cognatis amicisq; omnibus conuocatis rem omnem quo gesta fuerat ordine quum enarrasset, repente sese in eorum conspectu iugulauit. Hac de causa expulsus urbe Tarquinius, multis aduersus Romanos hostibus concitatis, tandem Porsenam Hetruscorum regem bellum aduersus eosdem suscipere compulit, qui magnis copijs Romanos fines ingressus ciuitatem obsedit. Quumq; bello simul & fame laborantes Romani, Porsenam haud minus iustitia & humanitate quàm belli artibus ualere cõperissent, illũ inter se Tarquiniũq; controuersiæ discẽptatorẽ elegerunt, liberã sibi de hac re iudicandi licentiã permittentes. Verum Tarquinius haudquaquã conditionibus huiusmodi assentiẽs, minimè uisum in serenda sentẽtia æquũ dictitabat, q parũ fidus in bello socius extitisset. Itaq; Tarquinio dimisso Porsena cum Romanis amicitiã inire summo studio cõtẽdit. Igitur, agro quẽ ex Hetruscis Romani occupauerant, et captiuis oĩbus receptis, uiginti

præterea acceptis obsidibus, decem uidelicet maribus adolescentibus, ac uirginibus totidem, obsidionē soluit. Forte inter uirgines, quæ pro obsidibus datæ sunt, Valeria Publicolæ Consulis filia extitit. Interea quum nondum rebus ad integrum compositis circa Romā Porsena etiam uersaretur, uirgines quas pro obsidibus in castra deductas antea memorauimus, tanquam sese loturæ parumper ab exercitu secedentes ad Tyberim deuenere: ibi unius Clœliæ nomine adhortationibus impulsæ, paulatim fluuium ingredientes obuolutis ad capita uestibus, & gurgitum profunditate deterritæ, mutuoq; sese, ut poterant, subleuantes, uix tandem magno labore fluuium trāsmisere. Sunt qui Clœliam equo transuectam, cohortatione pariter atq; auxilio nantes alias adiuuisse tradunt, eiusq; rei quod paulò infra narrabimus utuntur argumēto. Quum enim Romani transuectas illas incolumes uehementius admirarentur, sicut illarum uirtutem audaciamq; laudandam censebant, ita in seruanda fide ab uno rege uinci minimè conuenire arbitrabantur. Igitur datis ducibus, puellas iterum ad Porsenam deduci curauerunt. Reductis uerò, Tarquinij ad fluminis transitum locatis insidijs, parum quin illas raperent abfuit. Ex eo tumultu Valeria Publicolæ Consulis filia cum tribus familiaribus in Porsenæ castra confugit, reliquas uerò Porsenæ filius Aruns, cum equitatu auxilium ferens, è manibus hostium liberauit. Quumq; omnes in conspectum regis deductæ fuissent, admiratus earum audaciam Porsena, quænam ex ipsis migrationis autor fuisset percontabatur. Tum cæteræ timore perculsæ tacitæ in Clœliam oculos cōiecerunt, mali aliquid illi à rege impendere metuentes. Verum ipsa nihil omnino deiecta, seipsam extitisse professa est. At Porsena

Porsena eius uirtute commotus, egregiè phaleris instratum equum Clœliæ dari iussit, cæteras quoq; uirgines benignè alloquutus, omnes Romam ad parentes redire permisit. Ex hoc pleriq; arguunt Clœliam equo uectam fluuium transmisisse. Quidam uerò non ea de causa donatam equo Clœliam autumant, sed uirginis fortitudinem atq; audaciam admiratum regem eo munere dignam existimasse, quod maximè uirum strenuum bellicosumq; deceret. Positum certè huius facinoris monumentum uirginis habitu statua equestris, in uia quæ sacra nuncupatur, quā aliqui Clœliæ, aliqui Valeriæ nomine dicatā asserūt.

MICCA ET MEGISTONA. XV.

Aristotimus Eliensium tyrannide occupata, uiribus fretus Antigoni regis principatum tenebat, atq; intemperanter potentia abutens, nouis quotidie iniurijs miseros uexabat ciues, quū esset & suapte natura ferus atq; immanis, tum Barbarorum hominum consilijs uteretur, quibus totius regni administrationem & corporis insuper custodiā cōmiserat. Vnum tamen egregiæ præ cæteris memoratur crudelitatis exemplum aduersus Philodemum perpetratum. Is filiam habuit & moribus & forma præstantem, nomine Miccam, quam Lucius quidam tyranni satelles adamauit, si id amorem potius, & non efferatam immanemq; libidinem oporteat appellare. Igitur misso nuntio uirginē statuto tempore ad se uenire iubet, idemq; parentes necessitate compulsi uirginem ut faceret hortabantur: uerum ipsa, ut erat natura prudens, tum ingenuè liberaliterq; educata, paternis genibus aduoluta rogabat, ne se in turpissimum flagitium proficisci pateretur, utq; mortuam potius quam amissa uirginitate turpiter uiuentē aspicere uellet. Longior itaq; mora quum traheretur, libi-

dine simul atq; ebrietate furens Lucius, ipse domum uirginis proficiscitur, camq; paternis genibus apposito capite hærentem offendēs, se statim ut sequeretur minitabundus imperabat. Quod illa quum facere cunctaretur, laceratis uestibus Lucius nudatam grauissimis plagis cecidit: quæ tam forti animo dolorem perferebat, ut ne gemitum quidem ad plagas ullum omnino ederet. At parentes tam acerbo spectaculo grauiter commoti flentesq;, postquam nihil orando se proficere animaduerterūt, hominum deorumq; auxilium clamoribus implorantes, indignis se contumelijs affici querebātur. Tunc ira uinoq; percitus Barbarus, uirginem, ut forte in paterno sinu posito capite cōstiterat, iugulauit. Nihil tamen est immanitate tam atroci permotus tyrannus, sed in ciues, qui admissum facinus criminabantur, sæuior effectus, eorum aliquot morte, plurimos uerò exilio damnauit, è quibus octingenti forte in Aetoliam confugerunt. Qui quum summis precibus tyrannum rogarent, ut uxores paruosq; natos ad se proficisci permitteret, nihil ab eo penitus impetrare potuerūt, uerum ipse non ita multò pòst palàm nuntiari per præconem iubet, licere mulieribus exulum cum filijs omnifq; ornatu ac supellectile ad uiros proficisci. Id omnes quarum uiri exulabant, læto animo mulieres exceperūt, quas ad sexcentas fuisse memoriæ proditum est. Quo maior illis proficiscendi spes esset, omnes die statuta proficisci iubet. Ea igitur postquam aduenit, cunctæ ad ciuitatis portam, quà exeundū erat, cōuenere, quæ secū delaturæ erant summo studio comparabant, & paruos filios aliæ in sinu gestātes, aliæ curribus impositos trahētes cæterarū aduentum præstolabantur. Iamq; omnibus quæ ad profectionem opus erāt cōstitutis, procedere agmē inceperat, quū repēte missi

missi à tyrāno satellites, antequam agmen assequerentur, magno clamore consistere mulieres, nec ulterius quicquā progredi iubent: inde quū ad eas peruentū esset, retrocedere omnes præcipiunt, arreptisq; quos illæ parauerant curribus, eosq; medium per agmen agitantes, nec manere tutò, nec regredi patiebantur. Quod uerò acerbissimum erat, tantis angustijs pressæ mulieres, periclitantibus aut moriētibus filijs auxilium ferre non poterant: multi enim quū è curribus cecidissent rotarū impulsu conterebantur, cæteros uerò simul cum matribus satellites non secus atq; ouium gregem in unum globū stipatas fustibus lorisq; cædentes gradū properare cogebant, quoad omnes in carcerem deductas intrusere, res uerò earū omnes ad tyrannum delatæ sunt. Tam scelestū facinus quū grauiter Eliēses perferrent, Dionysio sacratæ mulieres, quas illi Sedem uocant, sacerdotij ornatibus insignes, ac dei sacra manibus gestantes, ad Aristotimum, qui tum in foro obuersabatur, deuenere: quarum reuerentia permoti satellites, qui tyrannū circūstabant retrocedentes, aditū illis ad tyrannum patefecere. Venientes primo tyrānus, & manibus sacra prætendentes, conspicatus, cum silentio audiuit. Sed postquā pro captis mulieribus deprecaturas aduenisse cognouit, ueluti quodam furore correptus, magno clamore satellites, q. eas ad se uenire permiserant obiurgauit, eas uerò militū concursu detrusas, partim etiā uerberibus cæsas, quāprimum è foro depelli præcepit, & earū singulas duobus mulctauit talētis. His tam atrociter gestis Hellanicus, quanquàm propemodū senio cōfectus, ulciscēdi tyranni negociū in ciuitate suscepit: is propter ætatis imbecillitatē, & duorum filiorū interitū minimè apud tyrannum suspectus habebatur. Interea ciues, quos in Aetoliā fugisse

memorauimus, coactis quibus poterant copijs agri partem quandam urbi finitimam occuparunt, ubi & tutò consistere, & ciuitati bellum itidem cõmodißimè inferre poterant. Eò multi ex Elide ciues quotidie confluentes, iam ferè iusti exercitus speciem cõfecerant. His rebus perculsus tyrãnus, ad mulieres, quas in carcere clausas antè diximus proficiscitur, utq; erat ingenio ferox, minis potius metuq;, quam gratia aut precibus cum his agendũ arbitratus, iubet eas nuncios cum literis ad uiros mittere, eosq; ut ab obsidione desistant rogare, alioqui se paruos natos in eorum conspectu prius, ipsas deinde omnes uerberibus cæsas interfecturum minitatur. Ad hæc silentium tenentibus mulieribus, quũ tyrannus acriter instaret, ut quidnam facturæ essent responderent, uerbum quidẽ nullum proferre audebant, uerũ tacitæ sese mutuò conspicientes, nihil se illius minis terreri significabãt. Tum Megistona Timoleontis uxor, quæ cũ uiri nobilitate, tum etiã propria uirtute princeps inter mulieres habebatur, & ipsa uenienti tyrãno assurgere dedignata est, cæteras etiã assurgere prohibuerat. Hæc igitur ut erat humi sedens, talibus uerbis ad tyranni dicta respondit: Si quid in te uirilis prudentiæ aut consilij resideret, non utique mulieres iuberes, quæ facto opus essent, suis uiris præscribere, sed nos ad ipsos tanquam ad dominos nostros permisisses proficisci, melioribus utens & sermonibus & consilijs, quàm quibus nos paulò antè delusas fraudasti. Quòd si nunc omni spe destitutus ipsos quoq; uerbis deludere per nos arbitraris, uehementer erras, neq; nos iterũ abs te decipi sustinebimus, neq; ipsos tã demẽtes fore arbitreris uelimus, ut dum infantũ, aut uxorũ uitæ cõsulunt, libertatem patriæ neglectã patiantur. Neq; enim tantum ipsis

affert mali, si nos ac paruos liberos amittãt, quippe quos ne nunc quidem habere possunt, quantum assequentur boni, si tuis crudelitatibus ciues suos ac patriã liberauerint. Talia adhuc loquente Megistona nõ ultra compos iracundiæ tyrãnus, paruũ eius filium quasi mox illũ interfecturus in conspectũ deduci iubet: quẽ quum ministri inter cæteros ludentẽ requirerent, mater ipsum nomine cõpellans: huc ad me, inquit, accede nate, ut antea uitæ finẽ sortiaris, quàm sæuißimæ tyrãnidis experientiã, aut ullũ omnino sensum per ætatẽ posßis accipere: mihi enim lõgè gratius est, te præter cõditionis tuæ dignitatem seruientem, quàm mortuũ intueri. Quũ talia cõstanter atq; intrepidè Megistona loqueretur, iracundia fiens tyrannus districto gladio in ipsam ferebatur. Verũ è familiaribus quidã, nomine Cylon, obuiam ueniens, tam atrox facinus ipsum perpetrare prohibuit. Hic sanè amicitiã erga tyrannum simulans, unà cum cæteris familiaribus apud eũ uersabatur, sed extremo odio in eum affectus: unus erat ex eorum numero, qui Hellanico principe aduersus tyrannum coniurauerant. Is igitur ruentem Aristotimum comprehendens, turpe degenerisq; animi esse dicebat, minimeq; uirũ principem decere, muliebri sanguine manus cõmaculare. His admonitionibus uix menti redditus Aristotimus, relictis mulieribus illinc discessit. Neq; ita multò pòst prodigium accidisse huiusmodi fertur. Nam dum Aristotimo cum uxore in thalamo quiescente famuli cœnã præpararent, repente sublimem aquilam supra tyranni domũ uolitantem conspexere, quæ paulatim declinans, magnum lapidem quasi dedita opera demisit in eam tecti partẽ, quæ thalamo, in quo tyrannum cum uxore quiescere diximus, supposita erat, indeq; magno strepitu & clãgore sublata

ex aſpicientium oculis ſeſe proripuit. Clamore igitur eorum, qui auem uiderant, excitatus Ariſtotimus, auditáq; re perterritus, uatem quo plurimũ utebatur, ad ſe uocari iubet, quidq; hoc augurio portendi arbitraretur, animo nõ mediocriter pturbatus ſciſcitabatur. At uates bono ipſum animo eſſe cohortatus, hoc ſigno portendi dixit, ipſum Ioui curæ eſſe, atq; auxilium in omnibus præſtaturum. Et hæc quidem tyranno reſpondit, uerum ciuibus, quos ſibi fidos atq; amicos expertus erat, magnum periculum inquit, & quantum antea nunquam, tyranni capiti immineret. Igitur qui cum Hellanico coniurauerant, non ultrà cunctandum eſſe arbitrati, poſtridie tyrannum inuadere ſtatuerunt. Nocte autem, quæ deſtinatam ſicinori diem præceſſit, dormienti Hellanico uiſum eſt alterum ex iis, quos ſuprà occiſos memorauimus, filium ſupra dormientis caput aſtare, ac magna uoce obteſtari: quid pater dormis, an te craſtina die ignoras totius ciuitatis imperatoré fore? Hoc uiſu confirmatus Hellanicus, primo mane ſocios ad perpetrandum negociũ adhortatur. At uerò Ariſtotimus quum nuncium accepiſſet, Craterum magnis copijs auxilium ſibi ferentem aduentare, iamq; in Olympiã cum exercitu conſedíſſe, eò uſq; fiducia proceſſerat, ut in fórum ſine cuſtodibus cum Cylone prodire ſit auſus. Igitur agendæ rei occaſionem oblatam conſpicatus Hellanicus, ſignum quod dare coniuratis ſtatuerat, non dedit, ſed manus ad cœlum tollens clara uoce: Quid cunctamini, inquit, ò uiri, pulcherrimum ſpectaculum in medio ueſtræ ciuitatis ædere? Tunc primus Cylon diſtricto gladio unum ex his qui tyrannum comitabantur occidit. Thraſybulus uerò Lampiduſq; quum properato gradu tyrãnum peterent, ipſe illorũ impetum fugiens in proximam

mam Iouis ædem ſeſe recepit, ibiq; à perſequentibus conſóſſus occubuit. Coniurati poſt hæc, cadauere in medio fóro protracto, ciues ad libertatẽ conuocabant. Quumq; frequentes undiq; conuenirent, pauci tamen præuenire mulieres potuerunt, quæ ſtatim ad primum nuntium excitatæ ſummo clamore gaudioq; decurrentes in forũ, uiris qui illis aderant congratulabantur. Interea quum frequens turba in tyrãni regiam prorumperet, uxor eius unà cum duabus filijs thalamũ ingreſſa, obſeratiſq; foribus ſeſe inſerto circa collũ laqueo peremit. Erant, ut antea diximus, tyranno duæ filiæ inſignes forma, atq; ætate iam nubiles, has è thalamo, in quẽ confugerant, per uim detractas quidam ut uitiatas occiderent deducebant. His fórte obuiam facta cum mulierũ turba Megiſtona, perindigna illos ac nefaria moliri exclamat, ſi populares uitam agere uelle profitentes, ea tamen facere aggrediantur, quæ uix etiam tyrannorum ſeuiſſimi facere auderent. Ad huius uocem quum omnes propter mulieris reuerentiam ſubſtitiſſent, optimũ illi conſilium uiſum eſt, ex eorum manibus puellas eripere, ijſq; ſeipſas interimendi facere poteſtatẽ. Reductis igitur in thalamũ, præcepit, ut quo eis magis placeret moriẽdi genere optato ſeſe perimerent. Tunc earum quæ natu maior erat, zonam qua cincta erat diſſoluens, laqueum quo ſe perimeret innectebat, & germanam hortabatur, ut quæ ſe facientem uidiſſet, eadem ipſa quoque perageret, utq; humile quicquam, aut eorum genere indignum facere caueret. Tum iunior zonam manibus apprehendens orabat, ut ſibi priorem moriendi locum concederet. Adhæc illa: neque aliquid omnino, inquit, dum uiuere licuit, negatura tibi ſoror fueram, & nunc quãdo ita uis, extremam hanc ex me gratiam accipe. Ego autem,

quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

quãdo tibi ita placet, superuiuam, & quod mihi ipsa morte grauius est, charissima soror, te prius morientem intuebor. Hæc dicens zonam sorori tradens admonebat, ut nodum spinæ propius admoueret, quò citius faciliusq; suffocaretur. Inde ubi illam iam expirasse animaduertit, solutum cadauer quoad poterat uestibus circuntexit. Tunc ad Megistonam conuersa rogabat, ne se post mortẽ turpiter nudatum iacere pateretur: atq; his dictis eodem innexa laqueo uitam finiuit. Ita nemunem tam inhumanum atq; infensum tyrãno fuisse arbitror, qui tali uirginum ingenio, tantaq; animi ingenuitate non flecteretur. Verum hactenus, quum penè innumera alia supersint, cõmuni plurium mulierum gesta consilio dixisse sufficiat. Deinceps singularum uirtutes sparsim, ut quanque sors obtulerit, perscribemus, minimè opus esse arbitrantes, in hac historia temporum ordinem rationem'ue seruare.

PIERIA. XVI.

EX Ionibus qui Miletum habitabant, nõnulli aduersus Nilei filios facta seditione in Myuntem discessere, ibiq; sedibus constitutis habitabant. Verum crebris Milesiorum incursionibus agitati, continenter aduersus illos pugnare cogebantur. Sed quum ex eadem ciuitate essent utriq; oriundi, & seditionis tantum gratia factæ aduersus ipsos Milesij pugnarent, non extremis odijs inter se dissidere satis constabat, quippe quum festis quibusdam sacratisq; diebus mulieres ex Myunte Miletum proficisci paterentur. Erat inter eos qui in Myunte habitabãt, uir & diuitijs & nobilitate excellens, nomine Pythes: is uxorem Iapygiam, filiam uerò Pieriã habebat, quæ quum tempus aduenisset, quo Dianæ sacra peragebantur, Miletum ut sacris interessent proficiscuntur. Ibi Phrygius ex Nilei

Nilei filijs maior natu uehemẽti Pieriæ amore correptus, interrogauit, quidnam illi gratissimum à se præstari posset: quæ id sibi longè omnium gratissimum fore respondit, si det operam ut quàm sæpissime multisq; socijs comitata Miletum sibi uenire liceat. Quo dicto facilè Phrygius animaduertit, amicitiam pacemq; ab illa exposci. Itaque cõuocatis in unum ciuibus, pacẽ cum his qui in Myunte habitabant composuit. Ex hoc magnũ apud utranq; partem Pieriæ nomen habitũ est, magnoq; ab omnibus honore beneuolentiaq; colebatur, ut etiam uulgo inter mulieres optaretur, quod in hunc etiam diem permansit, ut sic se amari uelle dicant, sicut Pieriam Phrygius adamauit.

POLYCRITA. XVII.

BEllum inter Naxi habitatores, ac Milesios, ob Hypsicreontis uxorem Neæram ita exortum esse perhibetur. Quum Promedontem ex Naxo oriundum, Hypsicreontis autem uiri sui hospitem adamaret, clanculum illi quum in uiri domo uersaretur se cõmiscuit. Posthac amore ardens, & uiri iracundiam formidans, unà cum Promedonte in Naxum abijt, ibiq; se Vestæ addixit obsequio. Hanc igitur à uiro sæpius repetitam, quum reddere Promedontis gratia Naxij recusarent, & religionis occasionem iniuriæ prætenderent, repente bellum inter utrosque est excitatum. Quumq; Ionum plurimi sese Milesijs socios addidissent, tum præcipuè Erythræi egregiè operam nauarunt. Ita multis utrinque acceptis atque illatis calamitatibus, bellum iam diutius protractum, unius tandem mulieris opera finem accepit, quod mulieris itidem peruersitate fuerat institutum. Diognetus Erythræorum imperator, quum uallo munitionibusq; Naxiorum urbem clausisset, ad populandos agros conuersus

ingentem

ingentem omnifariam rerum generis prædam abegit, inter quæ mulieres liberæ, uirgines q; complures extiterũt. Ex ijs unam ipse ante alias forma præstantem, nomine Polycritam, sibi delegit, ciusq; amore incensus non quasi captiuam seruam, sed ueluti legitimam uxorem tenebat domi. Interea quum solẽnis sacrorum dies Milesijs aduenisset, militibus ducibusq;, quòd nihil penitus hostẽ timerent, in Venerem potumq; profusis, Polycrita Diognetum rogauit, an sibi per eum liceret sacrorum libaminum partem ad fratres mittere, qui in ciuitate obsidebantur. Quumq; id sibi permussisset Diognetus, ipsa plumbeam laminam placentæ insertam unà cum alijs quibusdam cibarijs seruo ad fratres tradidit deferendam, ac simul nuntiare iubet, ut soli ijs quæ à se missa essent uescerentur. Ii quum inter edendũ plumbeã laminam offendissent, quæ in ea cõscripta erant perlegerunt: Monebat autem ipsos Polycrita, ut proxima nocte totis uiribus hostes adoriretur, haud dubie uictoria potituri, quòd omnes diurna crapula uinoq; confecti negligenter incompositeq; iacerent. Ea quum Polycritæ fratres animaduertissent, rem omnem ad imperatores quamprimum deferunt, qui illorum adhortationibus compulsi, eductis ex urbe copijs hostium castra inuadentes, multisq; interfectis, nullo labore ipsa ceperunt: inde ad perquirẽdos Diognetum Polycritamq; sunt conuersi, quæ suos ciues pro illius salute deprecata, ut incolumi abire liceret, impetrauit. Ipsa uerò cum fratribus in urbem reuertebatur: cui ciues uniuersi obuiam prodeuntes gratulabãtur, eius uirtutem ac prudentiã admirantes summis laudibus efferebant. Verum ipsa tantæ lætitiæ magnitudinẽ nõ sustinens, in omniũ conspectu ad ciuitatis portam repente expirauit, ubi etiam sepulchrum illi

illi publico sumptu cõstitutum est, quod fascinationis sepulchrum nuncupatur, quòd tanquam inuidi cuiusp iã fascinatione cõcessis honoribus Polycrita prohibita fuerit. Atq; hæc ita ut enarrata sunt gesta fuisse, Naxiorũ quidã scriptores tradiderunt. Verum Aristoteles non captam à Diogneto Polycritam, sed quum illam forte uidisset, ingẽti amore correptum scribit ultro se omnia fãcturum esse pollicitũ, si ad eum Polycrita accedere uellet. Cuius ipsa petitionibus ita se assensum ire dixit, si sibi unum duntaxat concederet, atq; id iureiurando præstito se fãcturum confirmaret. Quæ omnia ut petebantur futura quũ spopondisset Diognetus, ipsa Delium liberũ sibi dare postulauit: sic enim ager urbi adiacẽs uocabatur, in quo hostes castra collocauerant: aliter se nullis conditionibus unquã ad eum uenturã. Tum Diognetus & amore ardẽs, & iuramenti insuper religione obstrictus, motis ex eo loco castris retrocedens liberum Polycritæ agrum cõcessit, quæ illum suis ciuibus dono dedit. Ex quo Naxij rursus Milesijs æquales facti inducias primo, mox etiã pacem quibus uoluere conditionibus pepigerunt.

LAMPSACE. XVIII.

PHocẽses erãt ex Codri progenie gemini fratres Phobus & Blepsus, quorum Phobus primus omnium è petra Leucadia sese in mare præcipitare est ausus, ut Charon Lampsacenus in historijs retulit. Is quũ esset & uirtute præstans, & regia quadam dignitate ornatus, ad insulam Parum aliquando negociorum priuatorum gratia nauigauit, ubi à Mandrone Bebriciorum, qui & Pityocẽsseni dicũtur, rege & hospitio et amicitia susceptus, in bello, quod is tum forte cũ finitimis gerebat, socius fuit. Hoc igitur officio permotus Mandron, quum plurima abeunti

abeunti Phobo beneuolentiæ argumenta dedisset, tum in agri ac ciuitatis partem asciuit socium, si ex Phocide colonos adducens Pityoëssam incolere uellet. Egressus igitur in patriam Phobus ciuibus aliquot persuasit, ut habitatum secum in Pityoëssam concederent, fratrem qui coloniam deduceret simul cum ipsis eôdem mittens. Nec sanè Mandron illos promissis defraudauit. Igitur in Pityoëssa cõstituti Phocẽses, quũ bella assidua contra finitimos Barbaros gererent, atq; ex eorum præda spolijsq; ditati, inuisi primo, mox etiam suspecti Bebricijs esse cœperunt. Igitur ex urbe illos pellere cupientes, primum aduersus eos Mandronem uarijs iniectis suspicionibus irritare tentabant: qui quum esset ingenio mitis atq; perfacilis, eorũ dicta aspernabatur: uerũ Mandrone ipso peregre profecto, Bebrycij dolis inuadere Phocenses cõstituerũt. Quod quum Lampsace Mandronis filia adhuc innupta comperisset, primò quidem amicos ac familiares ab incepto deterrere conata est, admonens rem scelestam atq; nefariam ipsos aggredi, quũ in socios belli ac beneficos uiros, nunc uerò conciues etiam suos tantum facinus moliantur. Vbi uerò nihil eos suis uerbis moueri sensit, rem omnem clanculum ad Phocenses detulit, qui celebritate quadam & solenni epularũ apparatu simulato, Pityoëssenos ad conuiuia extra ciuitatem uocauerunt. Ipsi uerò bifariam diuisis copijs, partim ad occupanda ciuitatis mœnia, partim captis antea uictisq; Pityoëssenis, ad reliquam ciuitatem capiendam discurrerunt. Atq; per hunc modum ciuitate potiti, Mandronẽ qui rebus consuleret reuocarunt, Lampsacen uerò morbo defunctã in ciuitate sepelientes egregio funere decorarunt, atq; urbem ex eius nomine Lampsacum appellarunt. Sed postquã Mandron proditionis suspicionem

suspicionem deuitans unà cum illis habitare noluit, interfectorum filios atq; uxores ad se mutti iussit: quod illi sine fraude facientes nulla penitus allata iniuria præstiterunt, & Lampsacæ primò heroicos honores tribuentes, ad extremum inter deos referri, eiq; tanquã deæ sacra fieri publico decreto statuerunt, eumq; sacrificandi morem in posterum semper fixum immobilemq; seruarunt.

ARETAPHILA. XIX.

ARetaphila Cyrenæa ipsa quidem, non multum à nostra ætate remota, quippe quæ Mithridatis tempore claruerit, sed uirtute & rerũ gestarum gloria priscis heroum filiabus omni ex parte extitit conferenda. Hæc Aeglatore patre nata Phedimo nupsit adolescenti, nobilitate ac diuitijs inter conciues suos facilè principi. Quumq; forma corporis, & aspectu pulcherrima esset, prudentia tamen & uirtute animi corporis pulchritudinẽ superabat, neq; ciuilis facundiæ atq; eloquentiæ expers habebatur. Hanc etiam patriæ calamitates illustriorem effecerũt. Nicocrates enim Cyrenis occupata tyrannide, quum ciues permultos morte damnasset, Menalippo Apollinis sacerdote propria manu interempto, sibi sacerdotij ius autoritatemq; usurpauit. Phedimo quoque Aretaphilæ uiro perdolum necato, Aretaphilam quãuis inuitam reluctantemq; duxit uxorem. Is igitur quum multa in ciues crudeliter superbeq; quotidie faceret, tum illud uel in primis sæuissimum apparuit, quòd ad portas ciuitatis custodes apposuit, qui clam cadauera pugionibus fodientes perscrutarentur, aut cãdentibus ferri laminis urerent, ne quis ciuiũ pro cadauere extra ciuitatem deportatus ipsum lateret. Erant hæc præter domestica mala Aretaphilæ molestissima, quanquã eius amore deperiens tyrannus ipsi plurimũ

indulgeret. Quumq; erga omnes immanis atq; intractabilis esset, solam ipsam mansuetum facilemq; illum habere constabat. Plus tamen, ingentis spiritus mulierem dolor ex patriæ uexatione susceptus, quàm uiri erga se indulgētia commouebat, ciuitatemq; tam inhumaniter ab eo uexari tacita indignabatur: præsertim quum nouæ quotidie cædes uarijs in ciues confictis criminibus à tyranno fierēt, omnesq; penitus tanta scelera ulcisci posse desperarent: Exules enim, & alioqui impotentes, & tyranni etiam timore perculsi uariè sese disperserant, sola autem Aretaphila publicis rebus spem aliquam afferre, & communium iniuriarum ultionem tentare ausa est, Pheræa Thebanæ multorum laudibus celebratam audaciam ad imitandum sibi proponens. Sed quum sibi non æquè atq; illi socij atq; adiutores facinoris adessent, ueneno hominem aggredi meditatur, in quo multa sibi aduersa cōtigerunt: quumq; plurimi peragendi propositum tentati modi eam defecissent, ad extremum in crimine deprehensa, non ultra ualuit mentem suam, qualis esset erga uirum, dissimulare, quum certissimis argumentis conuicta teneretur. Igitur Caluia Nicocratis mater, & alioqui garrula atq; inexorabilis mulier, grauibus supplicijs affectum Aretaphilam quamprimum interficiendam censebat, sed Nicocratis iracundiam leniorem faciebat amoris erga Aretaphilam magnitudo, tum quòd ipsa constanter sanè accusatoribus respōdebat, alias quasdam causas ueneni, quod apud ipsam compertum fuerat, prætendens. Quum uerò manifestis indicijs argueretur, ut ueneni præparationē diffiteri se minimè posse conspiceret: Fateor, inquit, à me medicamentum, non tamen ad mortem fuisse paratum. Sed quum scirem, mi uir, multis propter summam in me benevo-

benevolētiam tuam peruersis mulieribus odiosam esse & inuisam, quòd tantum gloria potentiaq; excellerem, contra earum artes atq; dolos aliquo mansuri in me amoris poculo tanquā præsidio muniendā statuerā. Ob id igitur talia à me quæsita fuisse nō diffiteor, quæ forte leuioris ac muliebris ingenij uideri, nō tamen mortis supplicio digna existimari debent, nisi tu uir, huius causæ iudex constitutus, medicaminum & incantationum causa necandā uxorem esse censueris, quòd te forte magis quàm uelles adamauerit. Talia constanter dicente Aretaphila, Nicocrati placuit, tormētis adhibitis huius facinoris quæstionē haberi, eiq; Caluiam matrem præfecit: quæ nulli tormentorū generi parcens, quoad potuit, diligētissimè omnia exquisiuit: quæ omnia admodum cōstanter Aretaphila pertulit, ut ipsa etiam Caluia quærendo sit fatigata. Tum Nicocrates quæstionē dimitti iubēs, innoxiā esse Aretaphilam sibi persuasit, quodq; ipsam torqueri passus esset pœnituit. Nec multò pòst amoris magnitudine superatus, itē rum Aretaphilæ pristino more cōciliatus, summis honoribus atq; omni comitate illius beneuolentiam recuperare nitebatur: uerum ipsa suppliciorum & calamitatū, quas perpessa fuerat, haudquaquā immemor, nulla aut gratia, aut beneficentia flectebat animum. Sed quum ad honestum erga patriam amorem, qui illam ad facinus tentandū compulerat, noua insuper accessisset indignatio, aliā perdendi tyranni rationem ingreditur. Erat Aretaphilæ ex priore uiro filia, ætate iam nubilis: hac uelut esca ad alliciendum tyranni fratrem utebatur, uirum suapte natura ad uoluptates proclinem: præterea medicamentis & incantationibus nonnullis usam ad capiendum iuuenem, cui Leandro nomen erat, nonnulli perhibēt. Hanc igitur exo-

rato fratre uxorem acciperet summo studio contendens effecit. Inde ubi primum simul congressi sunt, puella sicut a matre fuerat instituta, uirũ multis uerbis ad liberandam patriam exhortatur, asserens ne ipsum quidem sub tyranno uiuentem liberum esse, quum nec accipiendi pro suo arbitrio uxorẽ, nec accepta retinendi ius haberet, nouas quotidie a tyranno calumnias & suspiciones adijciens contra fratrem irritabat, gratum id quoq; Aretaphilæ futurum ostendens. Quod ubi Leander intellexit, maiorem animo rem aggressus, Daphnidis familiaris sui opera, quẽ consilij participem fecerat, tyrannum interficit: uerum non ultra Aretaphilæ obsequutus, re ipsa atque operibus patefecit, se fratricidam potius quam tyrannicidam extitisse: omni enim imperij iure in se translato, iniuste imprudenterq; damnabatur, honore tamen aliquo & reuerẽtia Aretaphilam obseruans. Quæ quum illi clanculũ aduersaretur, clandestinas meliebatur insidias: ac primo quidem Libycum bellum aduersus eum concitauit, Anabo cuidam ex Libya oriundo persuadens, ut Leandri finibus uastatis exercitũ urbi admoueret. Post hæc amicos Leandri, atq; exercitus ductores tanquã desides, minimeq; ad gerendũ bellum idoneos criminabatur, ocij ac pacis quam belli cupidiores affirmans. Quapropter quiete sibi opus esse, si stabilire tyrãnidẽ, & liberè suis ciuibus cuperet dominari. Itaq; inducias, si ita uelit, cum hoste facturam, & Anabum in colloquiũ adductura pollicetur. Sic enim facilius inter eos res posse cõponi, priusquam cœptũ nuper inter utrosq; bellum mutuis damnis inferendis crudesceret. His ubi Leandrum adnuere animaduertit, priusquam destinatus colloquio dies adesset, per occultos nuntios Anabum rogat, ut inter colloquia Leandrum interficiat,

magnum

magnum auri pondus, si id effecerit, illi se daturam promittens. Quibus conditionibus, quam Libycus assensus esset, & instaret colloquijs dies, Leander alias ex alijs causas proferens colloquium abnuebat. Attamen Aretaphilæ uerecundia permotus, quæ ultro se illi comitem affuturam pollicebatur, tandem inermis ex urbe, ac sine custodibus ullis processit. At quum iam Anabo propinquans, illum contrauenientem aspexisset, permotus animo custodes corporis expectare uelle dicebat. At præsens Aretaphila partim hortando, partim accusando formidinem, tandem uerò cunctantem ex manu trahens, constanter sanè atq; audacter ad Barbarum perduxit, atq; in eius manus captiuum tradidit, quẽ uinctũ Libyci carcerique inclusum seruarũt, quoad Aretaphilæ amici promissam Anabo pecuniam attulerũt, quibus cum magna ciuiũ profecta multitudo est, atque omnes re ut gesta fuerat intellecta, currisim ad Aretaphilam gratulatum atq; cœptum opus perficere hortatum processerant. Ipsa enim conceptæ aduersus tyrannum iracundiæ iam ferme oblita, ad supplicium de eo sumendũ languidior uidebatur, ciues autẽ de recuperanda libertate in primis erant solliciti. Igitur Aretaphilam summa cum lætitia adeuntes, quasi diuinum aliquod numẽ effusis lacrymis & prostratis humi corporibus uenerabantur. Alijs itaq; super alios frequenter aduenientibus, uix tandem ut eis Leandrum traderet impetrauere: unde uesperi simul omnes in urbẽ redeunt, ac debitis laudibus honoribusq; Aretaphilæ persolutis ad supplicium de tyranno sumendum animos conuertere. Et Caluiam quidem tyranni matrem uiuentem cremauerunt, Leandrũ uerò culeo insutum in mare proiecere. Demum Reipublicæ instituendæ intenti Aretaphilam ut unà cum ciuitatis

optimatibus Rempublicam gubernandam capesseret hortabantur. Quæ tanquam in dubio difficilique certamine, utque ad præmiorum distributionem uersata, ubi liberam ciuitatem suique iuris factam conspexit, in sacrarum uirginum domum secedens, negotiorum omnium, ac ciuilium rerum cura posthabita, quod reliquum fuit uitæ inter amicas sociasque mulieres placidè tranquilleque peregit.

CAMMA. XIX.

GAlatæ duo quidem fuere Sinatus & Synorix, cum potentia apud suos clari, tum familiaritate inter se, & generis propinquitate coniuncti. E' quibus Sinatus uxorem duxit uirginem, nomine Cammam, corporis forma & pulchritudine claram. Neque enim solum uirtutibus quæ à muliere exiguntur, modestia & erga uirum obseruantia, sed prudentia quoque & ingenua quadam animi magnitudine excellebat. Humanitas præterea, atque erga inferiores præcipua comitas amabilem gratumque omnibus ipsam reddebant. Accedebat ad hæc non parui apud eas gentes habitum ornamentum, Dianæ sacratam esse, quæ apud Galatas religiosissimè colitur, cuius festis sacrisque celebrandis tanta obseruantia & cultus magnificentia præerat, ut omnes in sui admirationem conuerteret. Huius igitur captus amore Synorix, quum neque precibus ipsam flectere, neque ulla ui cogere uiuente Sinato posse animaduerteret, scelestissimum fuit cinus ausus, dolo Sinatum interemit. Nec ita multò post missis ad Cammam nuntijs, in Dianæ templo degentem, connubium eius petebat: quæ non humiliter aut abiecto animo indignam uiri mortem ferens, diligentissimè quonam pacto de Synorige supplicium sumeret, obseruabat. Qui maiore indies studio petitionem urgens,

rationes haud multũ à ueritate alienas afferebat, neque genere, aut alia quapiam re Sinato inferiorem seſe esse præ dicans, perpetratæ uerò cædis non odium aut auaritiam, aut aliam omnino causam, præter nimium amorem Cammæ fuisse testabatur, cui facilè ueniam ab ea tribui censebat oportere. Quum iugiter Camma fatigaretur, primo non admodum aspere aut inhumaniter petentibus aduersata, paulatim deinde mollescere, ac uerbis animum flecti simulauit, quum præsertim affines amicique omnes Synorigis gratia commoti, eius uoluntati ut acquiesceret hortarẽtur, uim quoque ad extremum illaturum illum minitantes. Quibus tot rebus tandem Camma permota Synorigem ad se in templum uocari iubet, quasi deam huius autorem connubij factura: uenientem deinde benignè atque humaniter excipiens ad aram perduxit, & phialam tanquam deæ libamen tenens ipsa primo partem ebibit, reliquum deinde Synorigi bibendum porrexit: erat autẽ uenenatum mulsum quod phiala cõtinebatur. Id dum postquã ebibisse illum animaduertit, clara uoce exclamãs, & deæ simulachrũ uenerata: Te, inquit, dearũ præclarissima obtestor, me huius tantũ diei gratia Sinato superstitẽ hactenus fuisse. Quid enim illo mortuo tanti temporis usus asserre poterat præter huiusce ultionis spem? cuius iam cõpos tuo numine effecta libens uolensque ad uirum descendo. Tibi uerò omnium scelestissime sepulchrum pro thalamo, & pro nuptijs funus amici familiaresque parabunt. Ea quum Synorix audisset, & iam uisceribus inhærẽs uenenum sentiret, primo quidem currum conscendit, agitatione atque concussu uenenum è corpore depulsurum existimans, uerum ibi diutius consistere ob dolorem non potens lectica se circunferri iussit, neque ita multò pòst è uita

Universidad de Deusto
Biblioteca

migrauit. At Camma magnam noctis partem contra uenenum uim reluctata, ubi defunctum Synorigem audiuit, prompto atq; alacri animo deceßit.

STRATONICA. XX.

PRæbuit insuper Galatia Stratonicam Deiotari, & Chiomarā Ortiagontis uxores, memoratu sanè dignas mulieres. Quarū Stratonica quum se filijs, qui uiro succederent, carere, idq; nō uiri, sed sui uitio euenire animaduerteret, persuasit uiro, ut ex quacūq; posset muliere procreatos filios sibi supponeret. Tum Deiotarus mulieris prudentiā admiratus, eius cōsilijs obtēperare non recusauit. Ipsa igitur ex ancillis uirginē præstāti forma Electram nomine deligēs, ut Deiotaro cōiungeretur effecit, atq; ex ea progenitos filios suscipiēs tanquam legitimos, ingenuè liberaliterq; summa cum beneuolentia educauit.

CHIOMARA. XXI.

EX eadē quoq; Galatia & Chiomara orta est, Ortiagontis uxor, per id temporis capta, quo Romani Galatas, qui in Asia sunt, bello superauere. Hanc Tribunus quidam in diuidenda præda sortitus, ut plerunque militarium hominū fert consuetudo, uitiauit. Is erat cum propensus ad libidinem, tum uerò pecuniæ auidißimus, ut facilè auaritia libidinem superaret. Igitur quū Chiomaræ affines multum auri pro ipsa redimenda pollicerētur, Tribunus diligentißimè mulierem obseruabat. Forte autem fluuius locum, in quo Chiomaræ cognati habitabant, & Romanorum castra medius interfluebat: hunc postquam illi promissum redemptionis præmiū afferentes trāsgreßi sunt, iamq; ea recepta domum remearēt, ipsa seruorum cuidam iubet, ut Romanum, qui eam salutandi grātia usq; ad fluuium prosequebatur, interficeret. Quumq; eius

eius mandatis seruus obtemperans captata opportunitate Tribunum occidißet, ipsa desectum à cadauere caput proprijs uestibus inuoluens unà cum suis domum remeauit: utq; primum in uiri conspectum peruenit, laxato sinu caput quod gestabat, ante illius pedes effudit. Quumq; ille rei nouitate ac magnitudine perculsus mulierem interrogaret, num fidem seruare præclarum arbitraretur: Sanè, inquit illa, uerum hoc longè, ut opinor, præclarius est, unum duntaxat ex his qui mecum concubuerint uiuere. Hoc se Polybius quum Sardis uersaretur, multorū sermonibus celebratum audisse testatur, mulieris cōstantiam atq; prudentiam admirans. Sed aliud quoq; eadem prouincia scribendi præstat argumentum. Nam quum Mithridates ad LX. ex Galatarum optimatibus, simulata amicitiæ causa, Pergamum accersisset, aspere deinde superbeq; illos exagitans, uehementer eorum contra se animos irritauit, regis iniurias haudquaquam æquo animo tolerantium. Erat inter Galatas Toredorax, uir & procero robustoq; corpore, & animi audacia ac fortitudine præstans, qui negociū concedentibus reliquis susceperat, ut Mithridatem ex gymnasio, ubi iuri dicendo consistere consueuerat, abreptū in fossam, quæ non procul inde aberat, præcipitaret. Forte eo die quū Mithridates ad gymnasium uenire nollet, Galatas domum ad se uenire iubet, eos Toredorax hortatur, ut quum in unum congreßi fuerint, omnes impetu facto regem trucident. Verum id cōsilium Mithridatem minimè latuit, quum ex eorum numero quidam rem omnem ad regem detulisset. Quapropter ingenti iracundia percitus rex, singulos Galatas singulis lictoribus mactandos tradidit. Nec ita multò pòst sibi uenit in mentem, esse in illorum numero adolescen-

tem cum nobilitate insignem, tum forma & ætatis flore omnium qui apud se essent præstantißimum. Eius igitur miseratione commotus ægre admodũ ferebat, quòd ipsum quoque iußisset interfici. Et quanquam de eo iam sumptum supplicium arbitrabatur, aliquos tamẽ diuisit, qui, si uiuentem adhuc nacti essent, eum morti subtraherent: Huic Vepolitano nomen erat, & casu quodam euenerat, ut is, quando comprehensus fuit, egregiam uestem miroq; opere elaboratam indutus esset. Hanc igitur puram atq; inculpatam uictor habere cupiens, quum in spoliando iuuene esset occupatus, nuncios procul à rege missos effuso cursu ad se uenientes, & nomine Vepolitanum appellantes, est conspicatus. Itaq; quæ pluribus exitij causa solet esse auaritia, Vepolitano insperatam salutem attulit. Inter hæc Toredorax occisus regis iussu inhumatus iacebat, neq; ad eum sepeliendum amicorum quisquam audebat accedere, uerum Pergamena mulier, quam ob exiniam pulchritudinem Toredorax adamauerat, summum discrimen subire ausa, acceptum corpus, & quibuscunq; poterat ornamentis decoratum sepelire parabat. Quod ubi regij custodes animaduertere, comprehensam mulierem ad regem adducunt: qui eius pulchritudine nonnihil commotus, eiusq; simplicitatem ac fidem admirans, ubi amorem huius rei causam esse comperit, eam omni reatu absoluens incolumem abire iußit, eidemq; amati corpus ad sepulturam concedens, uestes aliosq; funere dignos ornatus ex propria supellectile largitus est.

TIMOCLIA. XXII.

THeagenes Thebanus eadẽ cum Epaminonda & Pelopida, cæterisq; optimatibus, sentiens de republica, in ea pugna, qua pro communibus Græciæ fortunis apud

apud Chæroneam pugnatum est, cecidit, quum iam hostilem aciem quæ contra se steterat, profligatam uictor insequeretur: is præcipuum quempiam ex hostibus persequẽs, quum ille, quonam usq; nos tandem persequeris? clamitaret: Macedoniam usque, respondit. Huic mortuo soror superstes relicta fratris uirtutem & propinquitatẽ egregijs operibus est testata, quanquam uirtute alibi haud multum uti licuit, quàm ut communes calamitates æquo animo toleraret. Nam postquam Thebis potitus est Alexander, milites per omnem urbem prædabundi discurrentes, alius aliam, ut cuiq; sors obtulerat, partem diripiebat: forte euenit, ut Timocliæ domum uir quidam impius atq; inhumanus, Thracum equitum præfectus, occuparet, qui regi & nomine & genere cõueniens, moribus ab eodem uehementer dißidebat. Is Timocliæ neq; genus, neq; anteactæ uitæ pudicitiam ueritus, ubi cœnatus multo se uino ingurgitauit, Timoeliam secum dormitum accersiri iubet: neq; illata iniuria contentus, inter loquendum diligentißimè, nunquid auri aut argenti defodißet, aut uspiã occuluißet, scisciabatur: ac partim minitando, partim uxoris loco eam se habiturum pollicendo, quod cupiebat, extorquere conabatur. Illa uerò, ut erat ingenio prompta, oblatam ab aduersario occasionem libenter arripiens: Vtinam, inquit, mori potius, quàm uiuere mihi ante hanc noctem contigißet: corpus enim ab omni contumelia intactum inuiolatumq; seruaßem: uerum te unum tutorem dominum uirum, ubi ita dijs uisum est, habitura, quæ tua iam sunt, amplius te celare non debeo: Mihi enim iam nihil aliud, quàm quod tibi libuerit, accidere posse conspicio: quo pacto igitur se res habeat, accipe. Ego quum multum haberem cælati argẽti, mundũ quoq; muliebrem maximi

maximi precij, auri quoq; signati non parum, ubi urbem iam propemodum captam animaduerti, omnia proieci, uel ut uerius loquar, in puteo aqua carente deposui, idq; pauci admodum nouere. Est enim puteus opereculo quodam desuper tectus, & multis undique circunseptus uepribus. Tu igitur illa sumens fortunatissimus euades, mihi uerò eadem illa pristinæ fortunæ, & domestici splendoris testimonium afferent. Ea quum Macedo audisset, quoad illucesceret dies, expectare non ualuit, & Timocliæ se ad monstratum locum deducere, atq; horti aditum, ne quis eò peruenire posit, claudere iubet. Ipse post hæc interiore duntaxat tunica indutus descendit in puteum, malo Genio, & illatæ in Timocliam iniuriæ ultricibus eò ducentibus. Nam postquam illum iam ad fundum putei descendisse Timoclia animaduertit, multos & ipsa propriis manibus lapides in puteum deuoluens, plures etiam ancillas eódem deijcere iubens, uirũ tandem nequiequã auxilia implorãtẽ lapidibus obrutũ interemit. Eares postquã Macedonibus comperta est, detracto ex puteo cadauere, quum iam rex per præconẽ edixisset, ne quis Thebanum ciuem auderet occidere, cõprehensam Timocliam ad regẽ ducũt, perpetratæ ab ea cædis accusationem deferentes. Qui cum ex uultu atq; statura corporis, tum & incessus & morum grauitate generosam quandã in ipsa dignitatẽ cõtemplatur, primum quænam esset interrogauit. Ad quẽ ipsa constanter atque interrito uultu respondens: Mihi, inquit, Theagenes frater fuit, qui imperator in Cheronia contra uos pro communi Græcorum salute pugnans occubuit, ne nos ea, quibus nunc premimur, mala sustineremus. Ego uerò postquam nostro genere indigna pati sum coacta, nequaquam iam mortem abnuo: mihi enim morti longè

longè melius est, quam noctem præteritæ similem, nisi tu prohibeas, experiri. His auditis adstantium pleriq; lacrymas continere non potuerunt. At Alexander non se quidem miserari tali animo præditam mulierem inquiens, sed magis uirtutem ac prudentiam admirari, principibus militiæ edixit, ut cauerent, ne qua posthac ingenuæ domui afferretur contumelia. Timocliam uerò, atque omnes generis propinquitate sibi coniunctos, incolumes, atque ab omni clade intactos seruari præcepit.

ERYXONA. XXIIII.

Batti, cognomento Eudæmonis, filius fuit Arcesilaus, uir moribus haudquaquam patri similis: Nam uiuo etiam parente, quum pinnas & propugnacula quædam circa domum suam ædificare cœpisset, à patre prohibitus, ac insuper talento mulctatus est. Is itaq; posti patris mortem, quum & suapte natura ferox esset, & Learcho scelestissimo atq; audacissimo uiro familiariter uteretur, ex rege sese in tyrannũ permutauit. Verum Learchus insidias tyrannidi machinatus, optimum quenque Cyrenensium ciuium aut morte, aut exilio damnabat, eius rei culpam omnem in Arcesilaum transferens. Tandem quum in letalem morbum Arcesilaus incidisset, Learchus marino echino in potione tradito, ipsum ad mortem compulit. Ipse uerò tyrannide occupata, eam Arcesilai filio seruare dictitabat. Verum puer & quia pede altero claudicaret, & ob ætatis etiam imbecillitatem non magni sanè à ciuibus existimabatur. Igitur studium omne in adolescentis matrem uertentes, summa charitate beneuolẽtiáq; ipsam colebant: quæ quum prudentia & amore erga uirum præcipuo haberetur, tum affinium cliẽtumq; multitudine non paruas in ciuitate uires habebat. Quibus de

causis

causis permotus Learchus, eius coniugium exposcens, filium Battum in adoptionem si sibi nupsisset, assumere pollicebatur, successorem post suam mortem in regno futurũ. At Eryxona, id enim mulieri nomen erat, quasi & ipsa coniugium exoptaret, fratres quid sibi esset agendũ, consulere uelle dixit, eamq; ipsum adhortata est, ut rem cum fratribus cõmunicaret. Illi igitur dedita opera rem quãmaximè in longum protrahentes, quòd animo facere destinauerant præparabant. Inter hæc Eryxona missa ad Learchum ancillula, nuntiat fratres neq; connubio multum aduersari, neq; eidem palàm assentiri: quòd si forte mutuò colloquendi facultas detur, fore ut quum nõ ultra iam obsistere possint, facilè ac libẽter assentiantur. Igitur optimũ sibi uideri, ut ipse noctu quãdocunq; placuerit ad se ueniat: principio nanq; peracto reliqua prospere successura existimare. Erant hæc Learcho uehementer grata. Quumq; mulieris amore flagraret, se ubi illa iusserit nẽturum pollicetur. Atq; hæc omnia Polyarcho, qui inter fratres eius maior erat, autore mulier faciebat. Igitur statuto simul congrediendi tempore, Polyarchus adolescentes duos gladijs armatos in fororis cubiculo clanculũ statuit, quorum parens non multò antea fuerat à Learcho interfectus. Inde ibi Learchus, uocante Eryxona domum, sine custodibus ullis ingressus est. Adolescentes impetu facto multis confossum uulneribus interfecere, & cadauer per fenestras domus eijcientes, Battum regijs insignibus ornatum ad populum produxere, eoq; in paterno regno constituto, pristinam Reipublicæ formam Polyarchus Cyrenæis ciuibus reddidit. Erant per ea tempora Cyrenis milites permulti ab Amasíde Aegyptiorum rege missi, quorum fide atq; opera plurimum Learchus utebatur, magnumq;

magnumq; per eos timorem ciuibus incusserat. Hi gestæ rei nuncio ad Amasim misso, grauiter Polyarchum accusabant. Quapropter cõmotus Amasis bellum repẽte Cyrenæis meditabatur, uerum ob matris mortem occupatus, dum iustas illi exequias celebrat, bellum paulisper differre coactus est. Interea legatos ad Polyarchum mittit, quo animo in eum rex esset nunciantes. Quorum uerbis commotus Polyarchus, purgatum sese ad Amasidem statuit proficisci. Eryxona quoque nunquam illum deserturam asserens, atque omne secum discrimen subire uolens, comitem fratri itineris addit. Tum eorum mater Critola, quanquam ætate iam grauis esset, quòd utrunque miro amore diligeret, simul & ipsa itineris laborem suscepit. Erat magna mulieris eius apud omnes dignitas atq; existimatio, cum propter egregias uirtutes suas, tum quòd Batti, q Felix cognominatus est, soror extiterat. Hi postquam in Aegyptum peruenere, omnes perpetratum ab eis facinus admirabantur. Amasis uerò præcipue fortitudinem atq; prudentiam Eryxonæ contemplatus, magnis ornatos muneribus, & regia liberalitate ac magnificẽtia prosequutus, Cyrenas redire permisit.

XENOCRITA. XXIIII.

NEc minus profecto laudis meruisse uidentur, quæ à Cumæa Xenocrita aduersus Aristodemum tyrannum gesta sunt, quem nonnulli ob delitias Battum, id est, mollem cognominatum arbitrantes, procul à rei ueritate discedunt: mollis enim apud Barbaros cognomentum accepit, quod apud eos impuberem designat, eò quòd admodum adolescens unà cum æqualibus comatis adhuc in bello aduersus Barbaros gesto præcipue claruit: nec tantũ audacia & animi uigore in pugnando, quantũ

pruden

prudentia consilioq; excellere uisus est. Itaq; quum ciues omnes in admirationem sui cõuertisset, magnam est apud illos autoritatem consequutus, & ab ijsdem cum exercitu missus, ut Romanis ferret auxilium, quibus Tyrrheni per id temporis ut Tarquinium Superbum in regnum restituerent, bellum intulerant. Ea quum diuturnior militia fuisset, haud facilè dici potest, quantum gratiæ apud eos qui secum militabant sibi comparauerit. Igitur ubi satis eos conciliasse existimauit, persuadet ut senatus autoritate deiecta, optimates ac potentiores omnes ex urbe pellerent: quibus tandem perpetratis, non magno labore ciuitatis tyrannidem occupauit. Erat is libidine in mulieres, atque etiam ingenuos pueros supra quàm dici potest corruptissimus. Fertur enim masculos quidem adolescentes in mulierum morem comatos, & auro, cæteroq; mundo muliebri instructos, apud se habere consuuisse: mulieres uerò & tonderi capita, & epheborum chlamydes, & breuissimas gestare tunicas cogebat: earumq; multis quum deditus esset, unam tamen præ cæteris amabat Xenocritam, quam exulante patre domi relictam nullis neque nuncijs, neque uerbis antea tentatam, repente ad se deduci iubet, magni ipsam muneris loco habituram existimans, si apud eum quocunq; modo uersari posset. Verum hæc ingenuum puellæ animum haudquaquam fregerunt, grauiterq; ferebat, quòd insponsata indotataq; apud illum pro pellice uersaretur. Non minus præterea quàm qui tyranno infensissimi erant, patriæ libertatem exoptabat. Forte euenit, ut per id temporis Aristodemus opus arduum sanè maximiq; laboris, uerum nullius usus aut commoditatis futurum aggrederetur: Ingenti enim fossa Cumæorum agrum circundare statuit: quod non utilitatis cuiusquam, ut diximus, aut necessitatis gratia excogitarat, sed ut assiduo labore fatigatis ciuibus, nullius ocij, aut cessationis occasionem daret: Erat enim singulis certa in mensura agri spatium definitum, quod effodere, atque indigestam humum asportare cogebantur. Consueuerat autem Xenocrita quandocunque domo abesset Aristodemus, uelato capite in secretiorem domus partem secedere. Talia igitur facientem adolescentium aliqui ex his qui simul uersabantur, per iocum interrogarunt, cur unum duntaxat Aristodemum tantopere coleret, ut alios ne colloquio quidem dignaretur. Quibus illa serio, non ioco respondens inquit, quia solus ex Cumæis Aristodemus uir est. Hoc dictum animos omnium qui audierant pupugit: generosiores uerò ad libertatis curam recuperandæ erexit. Fertur quoq;, Xenocritam id contemplatam grauiter ingemuscentem subiecisse: quàm mallem & ipsa cum patre simul terram effodere atque asportare, quàm in huiusmodi delitijs summaq; potentia apud Aristodemum uersari. Quæres magnopere coniuratorum animos confirmauit, quorum princeps Thymocles erat. Igitur Xenocrita in regiam aditum præbente, inermem atque omni custodia uacuum tyrannum aggressi nullo prohibẽte interfecerunt. Ita duplici mulieris uirtute Cumæorum ciuitas libertatem accepit: Nam & prima eius recuperandæ curam cogitationemq; iniecit, & ad opus perpetrandum contulit auxilium. Quumq; Cumæi ciues maximos honores afferre Xenocritæ pararent, illa omnibus neglectis unum duntaxat ab eis postulauit, ut sibi Aristodemi corpus liceret sepelire. Quo facile perlibenterq; concesso, ciues sacerdotem Cereris ipsam constituêre, non minus deæ sacerdotem, quàm mulieri sacerdotij honorem gra-

tum futurum arbitrantes.

PYTHEI VXOR. XXV.

PYthei quoque uxorem, quæ Xerxis temporibus claruit, prudentia probitateq; insignem fuisse perhibent. Eius uir Pytheus, aurifodina inuenta, cupidè nimus, ac superflua quadam curiositate eiusmodi operi intentus, omnes in eo ciues occupatos habebat, quam alijs ad fodiendum uteretur, alios constando purgandoq; fatigaret, quosdam uerò ei quod iam paratum esset custodiendo præficeret. Omnibus igitur circa auri comparationem occupatis, quum aliud nihil agere possent, multiq; ob laboris magnitudinem perirent, cuncti uerò tum multum in ea re studium improbarent, mulieres facto agmine ad Pythei uxorem uenerunt, orantes, ut huic malo aliquod remedium imponeret. Ipsa mulieres benignè alloquuta, discedere, ac bono animo esse iubet. Inde fabris, quibus ciuitas ob auri multitudinem abundabat, adhibitis, aureos panes, atque omnis generis cibaria ex auro fabrefieri mandauit, & ea præcipuè quibus Pytheum delectari cognouerat. His diligenter studioseq; confectis, Pytheus, qui dies aliquot ab urbe abfuerat, domum redijt. Venienti itaque, & parari coenam postulanti, mulier auream mensam afferri iussit, in qua nihil quod esui esset appositum, erat: sed omnia ex auro, ut antea diximus, fabrefacta. Ac primo quidem aspectu gauisus est Pytheus, mira arte singula elaborata conspiciens. Inde aspectu iam abunde satiatus, quicquam cibi afferre præcipiebat: uerum mulier cuncta quæ postulasset ex auro composita iubebat apponi. Quumq; ille ira cundia percitus esse ire se uociferaretur, neque se aurum per id temporis amplius exposcere: Tu uerò, inquit mu-

lier,

lier, nullius rei præter hanc unam habendæ facultatem præbes: omnis enim uirorum cura, omnisq; ars tuo iussu in parando auro uersatur, ut nemo iam agros colat, omnisq; serendi, plantandi, ac nutriendi arbores diligentia periit, dum in his fodiendis ac perquirendis, quæ minime usui esse possunt, tuo iussu omnes sunt occupati, nec pauci etiam eiusdem rei causa moriantur. Hac oratione non mediocriter commotus Pytheus fodiendi negocium haudquaquam penitus omittens, quintam dūtaxat ciuium partem in opere continuit, reliquos cum agricultura, tum cæteris artibus operam dare præcepit. Post hæc quū Xerxes in Græciam trāsire pararet, Pytheus egregie instructum exercitum mittēs petebat à rege, ut ex pluribus quos habebat filijs, uni saltem uacationem militiæ concederet, qui eius sustentare senectutem, & quæ domi agenda essent, administrare posset. Verum indignatione atque iracundia percitus Xerxes, filium quem domi remanere petierat Pytheus, interfectum, ac membratim concisum, per castra iussit circunferri, & reliquos secum proficisci coëgit. Quamobrem dolore confectus Pytheus, quod plerisque timidis & insanis euenire consueuit, quum & mortem formidaret, & uitæ satietate atque odio teneretur, ut neque iam ultrà uiuere uelliet, nec tamen uitam auderet abijcere, miseram sane delegit uiuendi rationem. Erat in ciuitate tumulus ingens, à quo nō procul fluuius, quem Pythopolitam incolæ appellant, præterfluebat: in eo quum Pytheus monumentum ædificasset, fluuij cursum ita ut tumuli radices attingeret deriuauit. Quibus peractis ipse monumentum ingressus, curaq; omni & gubernatione ciuitatis penes uxorem relicta, eidem ne quis monumentum ingrederetur cauere præcepit, utq; singulis

diebus paratam cœnam ad monumenti ostium poni curaret, quoad priorem intra monumentum protractum conspexisset. Quòd si illam eodem loco positam offenderet, tunc se iam mortuum arbitrarctur. Et is quidem eo pacto, quod uitæ reliquum fuit, miserabiliter duxit. Mulier uerò, egregiè admodum regni cura suscepta, malorũ finem ciuibus suis imposuit.

FINIS.

GVARINVS VERONENSIS
Ornatißimo uiro Iacobo
Lauagnolo S.

QVVM te Polianum, suauißime Iacobe, me uerò Polizeanus ager in præsentia teneat, non indignari, & temporis succensere acerbitati non possum, quæ nostram interrumpat consuetudinẽ, tanta studiorum suauitate conditam. Eam ut instauremus aliqua ex parte, faciet crebra literarum legatio, & mutua scriptorum nostrorum concursio, quibus absentes præsentes simus, & ipsa omnino Musarum non mutescat humanitas. Et ut ocium tuum uel meo exemplo iners perire non sinas, cuius rationem fructumq; tibi reddere ac impertire instituisti, accipe breues clarorum hominũ inter se contentiones, à Plutarcho nostro collectas, & à me nuper in Latinum conuersas. In quibus facti nouitate mouebere, quòd tanta rerum gestarum, quòd sanè dissimillimarum similitudo plerunque deprehensa est, ut uix ea duntaxat nominũ iudicetur facta mutatio. Gratißima certè nobis hæc erit lucubratiuncula, si ea tuo nomini, & nostræ familiaritatis memoriæ dedicata fuerit, cæteraq; iuuentus

iuuentus historiarum capta dulcedine in ea conquiescet, & uehementer fuerit oblectata. Quas quidem ad res tuipsum & animi nobilitas inuitat, & aui tui splendor accendit, qui ingenio, bonis artibus, sapientia, & uirtute insignis, nõ modò familiam uestram ornat, sed etiam ciuitatẽ uniuersam. Sis omnis & uirtutis hæres præclarè facies, quum per obseruata uestigia & exempla domestica ad laudem, ad decus, ad dignitatem plenis anhelas gradibus. Vnde acceptam ab alio lucẽ dissemines, & Veronã illustres. De ipso aliâs. Plutarchum, uel me in Plutarcho potius, audi.

PLVTARCHI
CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, PARALLELA.

Guarino Veronensi interprete.

COMPLVRIMI sunt, qui uetustissimas historias ob rerum gestarum admirationem, fictiones, & fabulamenta esse existimẽt. Quamobrem quum multa posterioris temporis facinora rebus Romanæ ætatis simulia obtigisse comperirem, ea ipsa delegi, & priscis par nouum adieci, eorumq; nomina, qui literis illa memoriæ prodiderunt, scripta subiunxi.

DE DATI, CYNEGIRO, &c. 1.

PErsarum præfectus, Datis nomine, cum tricies centenis millibus militum Marathonem, qui in Attica

campus est, irrumpens, quum ibi castra locasset, indigenis bellum indixit. Quocirca spreta Barbarorum multitudine, Athenienses quatuor creatis ducibus, Cynegyro, Polyzelo, Callimacho, & Miltiade, nouem milium mille eò mittunt. Collatis deinde signis quum Polyzelus quendam humana specie augustiorem conspexisset, cæcus amisso uisu factus est. Callimachus complurimis transfixus hastilibus, quanquam uitam efflasset, stetit. Cynegyrus inuectam Persarum nauim detinens utraque manu, obtruncatur.

DE HASDRVBALE & Glauco. II.

HAsdrubal capta Sicilia Romanis bellum indixit. Sed natus itaq; Metellum imperatorem creat qui victorem inde reportauit exercitum. In eo bello L. Glaucus, ùr præcipua nobilitatè, quum Hasdrubalis nauem detineret, utranque manum amisit, uti scriptum reliquit Aristides Milesius primo rerum Siculorum, à quo materiam Dionysius Siculus accepit.

DE XERXE ET AGESILAO. III.

XErxes bellum Græciæ illaturus, cum quinque myriadibus militum penes Artemisium ancoras iecerat. Qua re perturbati Atheniēses Themistoclis fratrē, Agesilaū nomine, speculatorē miserūt, tametsi pater Neocles eum utranq; manum amisisse per quietem uidisset. Is itaq; inter Barbaros habitu Persico constitutus, quendam ex Xerxis stipatoribus, nomine Mardonium, interfecit: existimauerat enim eum Xerxem esse. Quum igitur à circūstantibus captus ligatus ad regem deductus esset, eum ad Solis aram immolaturum offendit: in qua dexteram imponens, quum aliquandiu uim suppliciorum ne ullo quidem

quidem emisso suspirio toleraſſet, è uinculis liberatus est, hac adiecta uoce: Huius generis Atheniēses uniuersi sunt: quòd si fidem non habes, læuam quoque injiciam. Ea res quum Xerxi pauorem incussisset, seruari Agesilaum imperauit, quemadmodum in secundo rerum Persicarum Agathærcides Samius tradit.

DE MVTIO. IIII.

POrsena rex Tuscorum aduersus Romanos bellaturus trans Tyberim castra habebat, interceptáq; quæ Romam ferebatur annona, eos fame urgebat. Eam ob rem confusis Patribus, Mutius ordinis patritij homo, quadringentos æquales à Consulibus accipiens, fluuium priuato traiecit habitu. Vbi quum stipatorem quendam necessaria ducis dispartientem uidisset, Porsenam ratus, hominem occidit. Ductus deinde ad regem, dexteram igni manum imposuit, doloresq; animosè dissimulans, ac ridens, inquit: Solutus sum, tametsi nolis, Barbare. Nos quadringentos esse scito, qui tuo in exercitu obuersamur, ut te neci tradamus. Tum rex terrore confectus pacem Romanis fecit: sicut quarto historiarum Aristides Milesius memoriæ mandauit.

DE ARGIVIS ET LACEDÆMONIJS. V.

ARgiuis ac Lacedæmonijs de Thyreate agro disceptantibus, Amphictyones ut utrique pugnam committerent iudicarunt, & victori ager adiudicaretur. Itaque Lacedæmonij Othryadem, Argiui autem Thersandrum imperatores creant. His deinde pugnantibus duo ex Argiuis, Agenor & Chromius, superstites victoriam in urbem renunciant. Per summam postea quietem Orthryades, qui superuixerat, semifractis innitēs hastis,

ex cæsis scuta corripiens trophæum erexit, ex proprio inscribens cruore: Ioui, in cuius potestate sunt trophæa. Dehinc orta utrinque discordia, Amphictyones quum rei spectatores aduentassent, palmam Lacedæmonijs adiudicant. Hæc ita gesta Chrysermus in tertio rerum Peloponnesiacarum commemorat.

DE ROMANIS ET Samnitibus. VI.

ROmani contra Samnites bellum gerentes Posthumium Albinum imperatorem faciunt, qui ad Caudinas furcas (is enim angustissimus locus est) insidijs circumuentus tres legiones amisit. Ipse etiam letali uulnere accepto cecidit. Nocte deinde concubia paululum recepto spiritu, raptis ex interfectis hostibus clypeis trophæum erexit, tinctaq; cruore dextera titulum inscripsit: Romani de Sanitibus Ioui, in cuius potestate sunt trophæa. C. Marius deinde, cognomento Læmargus, imperator eò missus, quum ad locum aduentasset, uiso trophæo optimum cepit augurium, & Marte collato regem captum Romam uictor transmisit: ut tertio Italicarum rerum Aristides Milesius scripsit.

DE LEONIDA. VII.

PErsis in terram Græciã cum myriadibus quingentis aduentantibus, Leonidas unà cum quingentis à Lacedæmonijs eò missus est. Et quum epularetur, multitudo Barbarorum incumbit: quos ut Leonidas conspexit: Prædete, inquit, commilitones tanquam apud inferos cœnaturi. Dehinc facto in Barbaros impetu, multis confossus telis peruenit ad Xerxem, eiq; coronam abstulit. Quo mortuo Xerxes cor eius excidens pilosum inuenit. Hæc Aristides primo rerum Persicarum libro.

DE

DE FABIO MAXIMO. VIII.

ROmani bello, quod contra Pœnos gerebant, quingentos duce Fabio Maximo miserunt. Collatis manibus cunctos amisit. Ipse mortifero accepto uulnere, in Annibalẽ uehemẽti cursu cõcitatus, ablato ei diademate propecum oppetijt. Aristides Milesius ita factum esse testis est.

DE MIDA ET ANCHVRO. IX.

CIrca Celænon, Phrygiæ oppidum, terræ hiatus cum aqua domos complures ipsis cum mortalibus absorpsit in profundum. Midas res oraculo monitus, ut res eò preciosissimas conijceret, ita enim futurum ut terra coiret, auro & argento iniecto, nihil opis attulit. Anchurus regis filius, quum nihil in uita humana preciosius anima secum ipse uersasset, datis genitori complexibus, & Timotheæ uxori, equum ascendit, inq; hiantem locum concitatus est. Postquam in unum terra redijt, auream Iouis Idæi aram eo in loco dedicauit. Huius rei testis est Callisthenes secundo Metamorphoseon.

DE CVRTIO. X.

TYberis per medium fluens forum ob Iouis iram magno dirupto aggere, permultas demersit ædes. Accepto mox oraculo id desinere posse didicerunt, si preciosissimum quiddam illuc inijcerent. Cæteris aurum atq; argentum inijcientibus, Curtius insignis adolescens quum preciosissimam hominis animam intelligeret, sese in hiantem terrã coniecit eques, suosq; ex calamitate saluos reddidit. Aristides in undecimo Italicarum rerum refert.

DE AMPHIARAO. XI.

QVum duces, qui Polynicem sequuti sunt, conuiuium agerent, quædam aquila descendens telum Amphiarai in sublime tulit, moxq; demisit: id autem hu-

mi fixum in laurum uersum est. Quo in loco quū postridie dimicarent, Amphiaraus unà cum curru absorptus est. Ibiq; oppidum hac etiam ætate uocatur Harma, id est curru. Id apud Thrisimachum tertio ædificiorum libro scriptum est.

DE PAVLO AEMILIO, ET Valerio Torquato. XII.

Romani aduersus Pyrrhum Epirotarum regem bellum gerebant. Tum Paulus Aemilius responsum accepit ex oraculo, uictoriam reportaturum, si aram eo in loco ædificaret, ubi insignem cum curru hominem demersum aspiceret. Post tres demum dies Valerius Torquatus (sic enim in somnis fuerat admonitus) sumptis sacerdotis insignibus (nam augurali scientia præditus erat) educto exercitu, & multis antè à se interfectis, à terra absorptus est. Tum Aemilius structa ibidem ara uictor euasit: ex qua uictoria centum sexaginta turres gestantes elephantos Romam misit. Quo autem tempore superatus est Pyrrhus, ex ara ipsa æduntur oracula. Ita Critolaus tertio rerum Epiroticarum meminit.

DE HERCVLE. XIII.

Hercules florenti adhuc ætate regem Eubœæ Pyrachmen bellum Bœotijs inferentem uicit, uictumq; pullis equinis ita alligauit, ut in duas dispertiretur partes, insepultusq; iaceret. Locus adhuc Pyrachmæ pulli uocatur. Est auten penes Heraclium fluuium, ubi potum tibus equis hinnitus emittitur. Quemadmodum tertio de fluminibus libro traditum est.

DE TVLLO HOSTILIO, ET Metio Suffetio. XIIII.

Tvllus Hostilius rex Romanorum cum Metio Suffetio

tio, Albanorum rege bellum habebat, in quo prælium sæpenumero distulit, eoq; aliquando superato Albani ad epulas sese conuertunt. Epulantes adoritur, captumq; regem duobus alligans pullis discerpsit, ut Alexarchus tertio rerum Italicarum autor est.

DE PHILIPPO LVSCO effecto. XV.

Philippus quum Methonem & Olynthum diripere cuperet, summis uiribus Sandanum fluuium traijcere conabatur. Qua in re Aster Olynthius telum Philippo immisit in oculum, his uerbis inscriptum: Aster Philippo mortiferum mittit telum. Philippus amisso oculo saluus ad suos rediens enatat. Hæc quidem Callisthenes tertio rerum Macedonicarum tradit.

DE COCLITE. XVI.

Porsena rex Thuscorum bellum Romanis inferens trans Tyberim metatus est castra, ubi intercepta annona Romanos fame domabat. Horatius Cocles imperator creatus pontem sublicium occupat, ut Barbarorum copijs transitum inhiberet. Quam autem à Barbarorum multitudine premeretur, militibus quos secum habebat, ut pontem sublicium inciderent imperauit. Quæ res transire uolentes Tuscos cohibuit. Quumq; se in fluuium deiecisset, oculum telo saucius enatauit ad suos. Hæc quidem Theotimus secundo rerum Italicarum refert.

DE ALTHEA ET SYLVIA. XVII.

Mars cum Althea concubuit, genuitq; Meleagrum, ut Euripides in Meleagro scripsit. Hoc solum Plutarchi extat. Cæterū Ouidius Metamorphoseon octauo scripsit tres Parcas matri partu leuatæ uisas imposuisse igni stipitē, dixisseq; natum tantisper uicturū, dum stipes duraret,

duraret, eoq; dicto abisse, matrem autem stipitem extraxisse, & conseruasse, donec iratus filio quòd fratri præripuisset honorem interfecti apri Calydonij, cum ipso simul filium exusit, dicente Ouidio primo Tristium:

Vtq; cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, & melior matre fuisse soror.

DE MARCELLO ET Mamerco. XVIII.

SEptimius Marcellus Syluia sibi matrimonio copulata, uenationi non infrequens incumbebat. Illam autem recens nuptam Mars in pastoris habitu uiolenter grauidam effecit, ac seipse quinam foret patefecit. Deditq; hastam, in qua eius qui nasceretur inesse genesim asseueret. Tuscum autem occidit Septimius. Cæterum Mamercus dijs ob fructuũ ubertatem sacrificans, unam neglexit Cererem. Quæ ob id aprum immisit. Venatorum igitur collecta manu hunc leto dedit Mamercus, caputq; & exuias missum iri desponsatæ uxori curauit. Scimbrates autem & Muthias uterini fratres puellam interemerunt. Indignatus ille, infensèq; ferens cognatos occidit. Mater uerò hastam cremauit.

DE TELAMONE ET AIACE. XIX.

TElamon Aeaci ex Endeide filius profectus in Euboeam etiam noctu abierat. Quumq; sensisset pater, ciuium aliquem suspicatus, puellam in mare deijciendam stipatorum cuidam mandat. Hic misertus uendidit. Salamina autem naue appulsa puellam sibi Telamon comparauit, ex qua suscipitur Aiax: ut Aretades Cnidius in secundo Insulanorum scriptum reliquit.

DE L. TROSCIO, ET FLORentia Contrusci matre. XX.

LVcius Troscius ex Patride filiam, nomine Florentiam, sustulit, quam Romanus Calpurnius compressisse fertur. Hanc autem pater cuidam de satellitio suo submergendam tradidit. Verum puella quum misericordiam à stipatore sibi promeruisset, Calpurnio forte fortuna in Italiam naue appulso uenditur nõ adeò pòst Contruscon enixa.

DE PAVSANIA ET Agesilao. XXI.

PErsis Græciam discursationibus, ac prælijs infestantibus, Pausanias Lacedæmoniorum imperator, quinquaginta auri talẽta, ut Spartam proderet, à Xerxe acceperat. Quod ubi deprehensum est, pater Agesilaus usque ad Chalciœcæ Palladis templum filium insectatus, cocto latere ita templi fores obstruxit, ut cum inedia consumpserit. Mater autem insepultum eiecit. Quemadmodum Chrysermus historiarum secundo refert.

DE P. DECIO ET CASSIO Bruto. XXII.

BEllum Romanis aduersus Latinos erat. In eo ducem P. Decium creant. Quidam patritio genere, cæterum inops adolescens, Cassius Brutus nomine, dicta mercede portas aperire uolebat. Verum deprehensus ad auxiliare Palladis templum confugit. Eius pater Cassius signifer, occlusis foribus necatum fame iuuenem insepultum eiecit. Quemadmodum Clytonymus in rerum Italicarum libro nono tradit.

DE DARIO ET ARIObarzane. XXIII.

DArius rex Persarum apud fluuium Granicum cum Alexandro confligens, amissis Satrapis, & falcatis

tis curribus duobus & quingentis, alterum prælium initurus erat. Ariobarzanes autem filius, Alexandri misericordia commotus, patrem interficere pollicitus est. Qua re indignatus Darius filio caput abscidit. Quod Aretades Cnidius in tertio rerum Macedonicarum testatur.

DE IVNIO BRVTO & filijs eius. XXIIII.

BRutus electo Tarquinio Superbo, Cõsul una omnium uoce creatus est. Ille enim imperiosè nimis ac tyrannicè in regno uersabatur. Expulsus itaque sese recepit ad Tuscos, quorum ope quum bellum Romanis inferret, filij Brutum prodere uoluerũt. Qua ex re Brutus natis caput abscidit. Id Aristides Milesius in rebus Italicis testatur.

DE EPAMINONDA, ET Stesibroto eius filio. XXV.

THebanorum dux Epaminondas aduersus Lacedæmonios belligerabat. Instante igitur deligendorum magistratuũ die, relicto in exercitu filio Stesibroto, quum ei ne pugnaret imperasset, uenit in patriam. Lacedæmonij ut absentem Epaminondam intelligunt, adolescẽtem conuicijs, ut imbellem & effœminatum, lacessunt. At ille grauiter ferens, paternorum immemor præceptorum Martem contulit, uictoriamq; reportauit. Quod ubi pater accepit, indignatus corona imposita ceruicem secari iussit: sicuti in tertio rerum Thebanarum Ctesiphon scribit.

DE MANLIO ET eius filio. XXVI.

ROmani bellum aduersus Samnites habentes, Manlium, cognomento Imperiosum, imperatorem creant. Qui postmodum comitijs Consularibus profectus in urbem, filio ne manum conserat imperat. Id ubi Samnites perdidicere, iuuenem contumelijs adorti nihili pendũt. Quibus commotus adolescens fuso hoste uictor in castra redijt. Quare Manlius natum securi percuti iussit: sicut Aristides Milesius scribit.

DE HERCVLE & Iole. XXVII.

HErcules ab Iole connubio reiectus Oechaliam diripuit, Iole sese è muro dejecit. Contigit autem, ut quiẽ uehemens uentus anũctum quasi sinum inflasset, illæsa descenderit. Ita scriptum est à Nicia Maleota.

DE TORQVATO ET Clusia. XXVIII.

IN bello, quod cum Tusco gerebatur à Romanis, Valerius Torquatus imperator quum regis filiam, Clusiam nomine, uidisset, uxorem à Tusco petijt, quam nunquàm consecutus oppidum diripuit. Clusia sese è turri dejiciens, tumefactis uestibus uento (ita enim suggerente Venere factum esse creditur) sospes ad terram delata est. Eam quum postmodum imperator uiolasset, publico decreto, refragante nemine, in Corsicam in exilium missus est. Ea est adiacens Italiæ insula. Ita scriptum est à Theophilo, libro Italicarum rerum tertio.

DE METELLO ET METELLA eius filia, item de Iphigenia. XXIX.

POenis ac Siculis socia aduersus Romanos arma parantibus, Metellus imperator omnibus dijs, exceptis duntaxat Vesta, sacrificium fecit. Quæ quum aduersos classi uentos immisisset, C. Iulius uates eos cessaturos dixit, si antea filiam immolasset. Ille urgentibus rebus filiam Metellam immolaturus adduxit. Dea uerò adolescẽtem miseratа, bucculam supposuit, puellam'que ad Lamusium

sium deferens sacerdotem eius, qui in eo loco colitur, dra-
conis fecit. Sic in tertio rerũ Italicarum à Pythocle pro-
ditum est. Idem de Iphigenia in Aulide Bœotiæ factũ esse
Meryllus primo Bœotiorum gestorum commemorat.

DE BRENNO, ET
puella plebeia. XXX.

BRennus rex Gallorum Asiam diripiens quum Ephe-
sum aduentasset, plebeiam uirginem adamauit, quæ
& concubitum, & Ephesi proditionem pollicita est, si
mundum sibi muliebrem, & manuum ornamẽta traderet.
Orans igitur mulites, ut in auariſsimæ uirginis sinum au-
rum quod gestabant immitterent, fecit ut sub magna ui
auri uiua obrueretur. Sicuti primo rerum Gallicarum Cli
tophon scriptum reliquit.

DE TARPEIA VIRGINE. XXXI.

ROmanis bellum contra Albanos gerentibus Tarpeia
uirgo nobilis, Capitolij custos, sese in Tarpeium col
lem aditum traditurã esse promisit, si quæ ornatus gra-
tia ferebant monilia mercedis loco sibi tradidissent. Id ubi
decreuerunt, uiuentem obruerunt. Sic Aristides Milesius
in libro rerum Italicarum factum affirmat.

DE TERGEMINIS TEGEA-
tis & Pheneatis. XXXII.

TEgeatæ ac Pheneatæ quum diutino sese bello affli-
xissent, demum se, uti pro summa rei tergemini fra-
tres prælium inituri utrinque mitterentur, decernunt. Ita-
que Tegeatæ Rheximachi filios, Pheneatæ uerò Demo-
strati promuserunt. Collato Marte duo ex Rheximachi
liberis interfecti, tertius, nomine Critolaus, duos militari
quadam astutia superauit. Nam quum fugam simularet
insectantes singulatim occidit. Eius aduentu quũ populus
uniuer-

uniuersus gratularetur, sola quidẽ soror Demodica nul-
lam cepit lætitiam: perierat nanq; in eo prælio sponsus
ipsius Demodicus. Quo indignatus Critolaus sororem
interfecit. Qui quum homicidij accerseretur, matris in-
teruentu à crimine liber euasit. Hæc quidem Demaratus
in secundo rerum Arcadicarum libro tradit.

DE CVRIATIIS
& Horatijs. XXXIII.

BElligerantibus aduersus Albanos Romanis tergemi-
ni delecti propugnatores. Ex Albanis quidem Cu-
riatij, ex Romanis autem Horatij. Collato Marte Curia-
tij ex aduersarijs duos interficiunt. Qui superstes erat,
simulatæ fugæ auxilio usus insectantes singulos necat.
Quæ uictoria quum omnibus lætitiã attulisset, sola qui-
dem soror minimè congratulata est Horatio: Is enim Cu-
riatium eius sponsum neci dederat. Quocirca sororem oc-
cidit. Reus deinde cædis factus, patris precibus absolutus
est. Hæc Aristides Milesius in Italicarum rerum libro.

DE ILO ET PALLADIO. XXXIIII.

QVum in Ilio Mineruæ templum arderet, Ilus cur-
su conditus, demissum cœlo palladium eripuit, sta-
timq; oculis captus est: haud enim mortalium lumine cer-
ni licet. Postmodum placata ira deæ pristinum recupera-
uit aspectum, ut Dercyllus in ædificiorum libro refert.

DE METELLO
& palladio. XXXV.

METellus homo patritius, suburbanum suum petens,
quum cædentes seinuicẽ alis coruos uidisset, au-
gurij religione deterritus Romam reuertit. Vbi Vestæ
templũ incensum conspicatus palladium eripuit, statimq;
oculis captus est. Postmodũ deæ ira placata uisũ recupe-

rauit, ut refert Aristides Milesius in rerũ Italicarũ libro.

DE CODRO
Athenienſe. XXXVI.

IN eo bello quod aduerſus Athenienſes Thraces gerebant, datum eſt eis oraculum, ſeſe victores fore, modò à Codri cæde abſtinerent. Codrus autem ſumpto mendici habitu falcem tenens peruenit ad hoſtes: Vbi quum quendam mactaſſet, ab altero interficitur. Quæ res Athenienſibus victoriam reportauit. Huius rei autor eſt Socrates libro de Thracibus ſecundo.

DE PVBLIO DECIO,
& eius filio. XXXVII.

PVblius Decius contra Albanos belligerãs, in ſomnis monitus eſt, ſeſe Romã Romanis adepturum, ſi mortem oppeteret. In medios igitur hoſtes irrumpens, hoſtes quum multos leto dediſſet, interficitur. Itidem filius Decius in bello Gallico pro ſalute publica occiſus eſt. Huius rei autor eſt Aristides Mileſius.

DE CYANIPPO ET
Cyane eius filia. XXXVIII.

CYanippus, natione Syracuſanus, ſoli Baccho ſacra facere neglexit. Iratus Deus ebrietatem incuſſit: quæ tanta extitit, ut occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanquam reluctantem uiolarit. Ea uerò anulum ſurripiens nutrici commendauit, ut uiolatoris indicium eſſet. Poſtmodum quum peſtilentia urbem inuaſiſſet, ex Pythio delatum eſt oraculum, ut impietatis autor liberatoribus dijs immolaretur. Ignorantibus cunctis quid portenderet oraculum, conſcia rerum Cyane tractum capillis patrem mactauit, ſeq; ſuper aram necãdam iniecit. Ita factum eſſe Doſitheus ſcribit tertio rerum Siculorum.

DE

DE ARVNTIO HYDROPOTA,
& Medullina filia. XXXIX.

QVum Bacchanalia Romæ fierent, Aruntius à natiuitate hydropota, dei uires floccifaciens, illius ira ebrietate captus filiã Medullinam corrupit obſcuro quodam in loco. Ea uerò dempto uiolatori anulo parentem agnouit. Quum maior annis facta eſſet, intellecto flagitio patrem inebriat, & coronatum ad fulguris aram ducit, ubiq; fuſis lachrymis uirginitatis inſidiatorem mactauit. Ita factum ſcribit Aristides tertio rerum Italicarum.

DE ERECHTHEO,
& eius filia. XL.

ERechtheus bellum cum Eumolpo faciens, accepto reſponſo ſeſe uictorem futurum didicit, ſi filiam uictimam dijs faceret. Qua re uxori Praxitheæ communicata, puellam cecîdit. Cuius rei Euripides in Erechtheo meminit.

DE MARIO, ET CALpurnia eius filia. XLI.

MArius Cimbrico bello profligatus, inſomnio prædictum eſt, uictoriam conſecuturum, ſi prius dijs uictimam filiam, Calpurniam nomine, faceret. Patriæ igitur charitati natura poſtpoſita, eo facto uictoriam comparauit. Duæ adhuc hiſce temporibus in Germania aræ ſunt, quæ uictoriæ tempore tubarum clangorem edunt. Cuius rei Dorotheus quarto rerum Italicarum meminit.

DE CYANIPPO, ET
eius uxore. XLII.

CYanippus natione Theſſalus frequentiſſimè uenatum ire conſueuerat. Noua uerò nupta ob magnam in ſyluis conſuetudinem alterius mulieris concubitum

P 2 ſuſpica

suspicata, euntem Cyanippum pedetentim subsequuta est. Quumq; inter densa delituisset arbusta, rerum præstolabatur euentum. At ramis forte commotis feram adesse canes suspicantes, impetu facto amantissimam uiri puellam, ut brutum animal dilaniarunt. Id uerò insperatum adeò facinus quum Cyanippus inspexisset, mortem sibi conscuit. Hæc Parthenius poëta.

DE AEMYLIO ET eius uxore. XLIII.

APud Sybarim, Italiæ oppidum, spectatæ uenustatis adolescens Aemylius erat mirum in modum uenandi studiosus. Vxor autem nouella, quũ in alterius puellæ complexus ipsum ire opinaretur, in saltus egressa delitescebat. Conquassatis autem arbusculis canes accursant, & ut feram discerpunt: Adolescens sese ipse interfecit. Hæc Clytonymus secundo rerum Sybariticarum.

DE MYRRHA CYnaræ filia. XLIIII.

MYrrha Cynaræ filia ob iram Veneris patris amore capta, amoris uim nutrici detexit. Ea dominũ fraudibus induxit. Vicinam enim quandam uirginem ipsius amoribus incensam esse inquit, cæterum uerecundia potiri accedere non audere. Quocirca Cynaras clandestinos habebat cõgressus. Olim autẽ quænam ea foret amatiola discere concupiscens, quæsito lumine quum eam uidisset, accepto ense procacissimam insectatur. At ea Veneris miseratione in sui nominis arborem mutata est, ut Theodorus in libro Metamorphoseon ait.

DE VALERIA ET VAlerio eius patre. XLV.

VAleria Tusculanaria ob iram Veneris Valerii patrem

trem deperibat, remq; nutrici communicat: quæ dolis subiens herum, puellam quandam ex uicinis eum adamare inquit, quæ aspectum eius apertumq; concubitum uereatur. Aliquando pater postmodũ debacchatus lumẽ petijt. Nutrix uerò præueniens fugiensq; sese præcipitauit. Filia quoq; inde euadens peperit Syluanum, quem Græci Aegipanem uocant. Pater quoq; Valerius dolore affectus sese dedit in præcipitium, ut Aristides Milesius tertio rerum Italicarum ait.

DE DIOMEDE, ET CALlirhoë Lyci filia. XLVI.

DIrepta Troia Diomedes in Libyam tempestate deiectus est, ubi Lycus rex hospites Marti patri immolare consueuerat. Callirhoë uerò filia illius amore capta patrem prodidit, Diomedemq; è uinculis saluum emisit. At ille spreto salutis autore enauigat. Ea uitam laqueo finiuit. Id Iubas rerum Africanarum libro tertio scriptum reliquit.

DE CALPVRNIO CRASSO, ET Bysaltia Maßyli regis filia. XLVII.

CAlpurnius Crassus, patritij generis homo, in expeditionem Reguli socius in Maßylos, ut munitissimum castellum Garætium diriperet, missus est: ubi in hostium potestatem redactus Saturno immolãdus destinatur, Bysaltia regis filia iuuenem adamatum patris à se proditi uictorem fecit. Eo autem retro abeunte puella sibi ferro iugulum transuerberat. Ita Hesianax tertio rerum Libycarum scriptum reliquit.

DE PRIAMO, POLYDOro, & Polymnestore. XLVIII.

PRiamus filium Polydorum cum magno auri pondere ad

re ad generum Polymnestorem Thraciæ regem emisit. Hic autem quum capiundæ, ac diripiendæ urbis periculum instaret, necato puero aurũ sibi adiudicat. Quæ quidem in loca quum aduentasset Hecuba, accitum uersutiss atq; artibus Polymnestorem, quasi aurum homini commendaturæ, suis & captiuarum manibus occæcauit. Hæc apud Euripidem tragicum scripta reperies.

DE L. IMBRICO, RVscio, & Val. Bestio. XLIX.

SPoliante Campanos Annibale, L. Imbricius filiũ Ruscium magnis cum pecunijs penes Valerium Bestium eius generum deposuit. Tandem quum in manus uictoris Capuam peruenisse accepisset, Campanus ille auaritiæ stimulante naturæ iura transgressus, adolescentulum mactat. Postea quum Imbricus per suburbanum deambularet, filij cadauer offendit. Quocirca accitum generum, ut occultos à se thesauros perdisceret, effossis oculis cruci affixit. Hoc apud Aristidem tertio rerum Italicarum inuenitur.

DE AEACO, PHOCO, & Telamone. L.

AEacus filium ex Psamatha, Phocum nomine, habebat, quem mirificè diligebat. In eum Telamon quũ simultatem gereret, uenatum educit. Comparente deinde apro Telamon misso in eum uenabulo confodit. Ob eius cædem à patre in exilium missum scribit Dorotheus primo Metamorphoseon.

DE MAXIMO ET eius filijs. LI.

MAximus duos habuit filios, Similium & Rhesum, ex quibus Rhesum Hameria enixa erat. Hic inter uenandum

uenandum sponte occiso fratre domum reuersus fortuitũ fuisse euentum inquit, quod consilio perpetrarat. Pater ubi facti ueritatem agnouit, filium fecisse extorrem, Aristocles tertio rerum Italicarum scribit.

DE AEOLO, ET MACAreo filio, & filia. LII.

AEolus rex Tuscorũ ex Amphithea filias sex, & mares totidem suscepit. Macareus omnium ætate minimus, unius amore incensus eam uiolauit. Qua ex re conceptus infans rem prodidit. Pater itaq; filiæ mittit ensem, quo accepto ea rem flagitiosam intelligens necẽ sibi conscisciuit, idemq; paulò pòst Macareus fecit. Huius rei testis est Sostratus secundo rerum Tuscanicarum.

DE PAPYRIO PATRE, ET filio, ac Canulia filia. LIII.

PApyrius Tolucer ducta in matrimonium Iulia Pulchra, sex liberos, totidemq; fœminini sexus filias ex ea genuit. Ex his qui natu maior erat Papyrius Romanus nomine, Canuliam nomine sororem adamatum grauidam fecit. Id ubi pater intellexit, filiæ misit ensem, quo se puella trãsuerberans exiuit è uita. Idem Romanus factitauit. Huius facti testis est Chrysippus primo rerũ Italicarũ.

DE ARISTONE ET ONOsceli ex asina filia. LIIII.

ARiston Aristonymus Ephesius, Demostrati filius, genus muliebre perosus, cuidam se immiscuit asinæ, quæ suo deinde tempore puellam specie honestissimam peperit, cui Onoscelis nomen fuit. Hæc Aristoteles secundo mirabilium tradit.

DE FVLVIO STELLO, ET Epona eius ex equa filia. LV.

FVluius Stellus mulierum odio equæ seſe immiſcuit, quæ deinde formoſam admodum peperit puellam, & tempeſtiue quidem Eponam appellarunt. Hoc Ageſilaus tertio rerum Italicarum tradit.

DE SARDIANIS ET SMYRnæis, & ancillis Sardianis. LVI.

SArdiani Smyrnæis belligerantes caſtris circa mœnia poſitis legatos mittunt, ſe non antè diſceſſuros, quàm uxores ad coitum conceſſiſſent. Quum igitur Smyrnæi magnum ex neceſſitate probrum perpeſſuri forent, ancilla quædam honeſta facie ad herum Philarchum accurrēs: Mittite, inquit, ancillas ornatu liberali. Quo facto, cæci defatigati coitu capti ſunt. Quamobrem etiam hoc tempore apud Smyrnæos feſtum Dioni agitant, quem liberalem uocāt, in quo ancillæ dominarum ornamēta geſtant, quēadmodum Doſitheus tertio rerū Lybicarū perhibet.

DE ATEPOMARO, ET Romanorum ancillis. LVII.

ATepomarus Gallorum regulus Romanis belligerās, non antè ſe ceſſurum inquit, quàm coniuges ſuas ad coitum expoſuiſſent. Cæterum uero conſilio ancillarum ſeruas mittētes, ut barbaros laſſos incredibili ſopore captos accipiunt, erumpentes in Gallos victoriam reportarunt. Retana ſiquidem (hæc enim conſilij autor extitit) per caprificum muros aſcendens Conſulibus ſignum dederat. Ex eo autem facto dies feſtus inſtitutus ancillarum appellatur, ut perhibet Ariſtides Mileſius primo rerum Italicarum.

DE BELLO ATHENIENSIVM contra Eumolpum, & Pyrandro. LVIII.

ATheniēſes bellū contra Eumolpū gerebant. Quum autem

autem annonæ futura inopia uideretur, Pyrander Quæſtor urbanus triticum parcè ſuppeditans largitionem ſurripiebat. Populus igitur eum in proditionis ſuſpicionem deuocatum ſaxis obruerunt: ſicuti rerum Thraciæ tertio Calliſthenes commemorat.

DE CINNA. LIX.

QVum aduerſus Gallos Romani bellum gererent, annonæq; caritas inualeſceret, Cinna tritici largitionem ſurripiens regnum affectaſſe creditur, quocirca ſaxis obrutus eſt: ſicuti tertio rerum Italicarum Ariſtides commemorat.

DE PISISTRATO, ET eius filio Tleſimacho. LX.

BEllo Peloponneſiaco Piſiſtratus Orchomeniorum rex, quum nobilitatem odio inſectaretur, plebis ſtudioſus erat, quare in ſenatu eum necare decreuerunt. Diſcerptum igitur intra ſinus cōdunt, ac ſolum emundant. Plebea dehinc multitudo concepta ſuſpicione in curiam aduolat. Regis filius ætate minor, nomine Tleſimachus, conſcius cōſpirationis, ex curia turbam retraxit. Patrem enim ſupra mortalem ſpeciem ad Piſæum montem magna uelocitate deferri commentus eſt. Eaq; fraude plebem abduxit. Hæc in ſecundo rerū Peloponneſiacarum à Theophilo memoriæ prodita ſunt.

DE ROMVLO, ET EIVS nece, ac Procli figmento. LXI.

SEnatus finitimis bellis implicitus conſuetam annonæ largitionem plebi ſubtraxit. Romulus indignatus plebi reſtituit, complures ex primoribus ſupplicio afficiens. Hi poſtmodum in ſenatu minutim obtruncatum intra ſinum cōdunt. Plebs igitur cum facibus ad curiam diſcur-

sans ab Aetio Proclo reuocata est, quum eius orationi fidem habuisset. Is enim primarius in ciuitate uir, se Romulum in monte aspexisse dixit, qui humana augustior forma diuinitatem assecutus erat. Hæc secundo rerum Italicarum ab Aristobolo memoriæ prodita sunt.

DE PELOPE, EIVS PROLE, ET uxore, quæ Chrysippum interemit. LXII.

PElops Tantali & Euryanassæ filius, ducta in matrimonium Hippodamia, duos ex ea liberos suscepit, Atreum & Thyestem, ex Danaide puella Chrysippum. Hunc longè magis quàm legitimos charum habebat Pelops. Hunc aliquando Laius Thebanus adamatũ rapuit. Quocirca captus à Thyeste & Atreo Laius, benignè à Pelope tractatus est, quòd filium amoris causa corripuerat. Hippodamia Thyestem Atreumq; inducere conabatur, ut hi Chrysippum perinde ac regnum insidijs appeteret, macta rent, quibus negantibus Hippodamia manus cæde contaminat. Multa enim nocte sopito Laio, ensilio eius ense Chrysippum consauciat, gladiumque configit. Quo deuocatus in suspicionem Laius, à Chrysippo seminuo quidem & uera fatẽti est periculo liberatus. Pelops eo sepulturæ mandato, Hippodamiam fecit extorrem, uelut apud Dositheum in Pelopidarum libro scribitur.

DE HEBIO, EIVS PROLE, & coniuge Nuceria. LXIII.

HEbius ex uxore Nuceria duos creauit filios, quum spectata pulchritudine Firmum nomine ex libertina haberet, quem supra legitimos pater diligebat. Nuceria in priuignum maligno commota odio, in eius necem filios incendebat. Quod quum hi per pietatem abnuerent, ea cædem perpetrat. Multa enim nocte surrepto à stipatore gladio

gladio dormientem adolescentem letali uulnere adoritur. Relicto ibidem ense, stipatori cædis suspicio iniecta est. Iuuenis autem prodita ueritate hominem saluum reddidit. Tum pater humato filio mulierem in exilium eiecit, uelut apud Dositheum tertio rerum Italicarum scribitur.

DE THESEO HIPPOlyto, & Phædra. LXIIII.

THeseus uerus Neptuni filius quũ ex Amazone Hippolyta filium haberet Hippolytum, nouercam subinduxit Phædram, Minois regis filiã, quæ priuigni amore affecta conciliatricem misit nutricem. Ille uerò relictis Athenis Trœzena profectus uenationibus omne tempus consumebat. Procacissima fœmina uoti compos minimè facta, contra pudicissimum adolescentem cõmentitias conficit literas, tum laqueo uitam finit. Re credita, Theseus ex Neptuno, filio necem exorat. Id enim erat ex paternis uotis tertium. Dehinc quum in littore obuersaretur, taurus immissus à patre, equos adeò reddidit attonitos, ut Hippolytum discerpserint.

DE COMMINIO, GIDICA, & Comminij priuigni nece. LXV.

COmminius frater Laurẽtinus quũ ex Aegeria nympha filium Comminium haberet, Gidicam nouercam superinduxit, quæ quum priuignum deperiret, ab eo reiecta suspendio sibi spiritũ intercepit, confictis à se prius relictis epistolis. Comminius perlectis calumnijs fidẽ ob mulieris amorem adhibens, in deuectum in curru filium Neptunum inuocat. Is autem taurum equis ostentat, qui terrore concussi iuuenem distractum interemerunt. Dositheus tertio rerum Italicarum autor est.

DE PESTILENTIA LACEDÆMONIS, & Helenæ liberatione. LXVI.

QVum pestilētia Lacedæmonem uexaret, ex Apolline relatum est oraculum, finem mali fore, si quotannis generosam quampiam uirginem immolarent. Dum sors Helenæ obtigisset, & ducta esset ad aram, aquila quædam subito uolatu descendens correptum ensem ad armenta detulit, & supra iuuencam posuit. Quæ res ut à uirginis cæde abstineretur, causa fuit. Ita factum Aristodemus ait tertio collectarum fabularum.

DE PESTE VALERIORVM, & Valeria eius liberatrice. LXVII.

PEstis Valerios inuaserat: quibus ex oraculo commonefactis, cessaturum id malum, si quotannis Iunoni uirginem immolarent, eadem semper religione manente, in sortem uocata Valeria, Luperca ensem corripuit, & impositā foco uirgula cum malleo ensem iuuencæ penes templum pascēti imposuit. Virgo igitur re intellecta immolata iuuenca malleum arripuit, domumq; & ægrotos circunlustrans parcente ictu feriebat: quumq; unicuiq; uale dixisset, eos excitauit incolumes. Quocirca & hoc tempore mysterium illud fieri constat. Ita factum Aristides decimonono rerum Italicarum ait.

DE PHILONOMIA MARTE GRAUIDA, Lycasti & Parrhasij matre. LXVIII.

PHilonomia Nyctimi & Arcadiæ filia, dum in uenationibus cum Diana uersaretur, in Martem incidit, qui sumpta pastoris forma grauidam mulierem fecit. Ea uerò gemellos enixa patris metu in Erymanthum eiecit infantes, qui deorum prouidentia illæsi delati ad cauam quandam quercum aguntur: ubi quum lupa quædam lustrum

strum haberet, proprijs abiectis in fluentum catulis, infantibus ubera præbuit. Quod quidem Tyliphus pastor conspicatus, susceptos pueros educauit ut suos, alterum quidem Lycastum, alterum uerò Parrhasium appellans. Hi deinde Arcadiæ regnum successione consecuti sunt. Quorū autor est Zopyrus Byzantius tertio historiarū.

DE AMVLIO, ILIA, Remo, & Romulo. LXIX.

AMulius in fratrem Numitorem tyrannicè affectus, filium Aenitum quum in uenatione occidisset, filiam Iliam Syluiam Iunoni dedicauit, grauidaq; ex Marte facta gemellos ædidit. Re postmodum tyranno patefacta, is solicitus utrunq; in Tyberis ripam demergendum abiecit. Hi casu ad locum quempiam deferuntur, ubi nuper lupa partum ædiderat, quæ proprios abijciens catulos, infantes educauit. Id Faustulus pastor conspicatus puellos enutriuit, alterum quidem Remum, alterum uerò Romulum appellās, qui postea Romam condiderunt. Quorum autor est Aristides Milesius in rerū Italicarū libro.

DE AGAMEMNONIS ET CASSANDRÆ cæde, & Oreste ultore. LXX.

ILio capta Agamemnon unà cū Cassādra mactati sunt. Filius autem Orestes apud Strophiū enutritus, postea patris interfectores supplicio affecit: ut à Pyrādro, quarto rerum Peloponnesiacarum scriptum est.

DE FABIO FABRICIANO, eius uxore, & liberis. LXXI.

FAbius Fabricianus ex magni illius Fabij genere, capto Tuscio (ea est primaria inter Samnites ciuitas) uictoriosam Venerem, quæ summo apud illos cultu habebatur, Romam misit. Huius uxor cum speciosissimo adole-

scen

lescentulo, nomine Petronio Valentino, adulterium committebat. Quocirca redeuntem uirum dolosè obtruncat. Fabia uerò Fabricianum fratrem infantem adhuc ex urgenti liberatum periculo clàm emisit alẽdum. At ille quũ ad ætatis uigorem peruenisset, matrem & adulterum obtruncat. Senatus ne res illa Fabriciano fraudi esset decreuit: ut à Dositheo tertio rerum Italicarum scriptũ est.

DE BVSIRI AB
Hercule cæso. LXXII.

BVsiris ex Neptuno & Anippa creatus aduenas festa quadam hospitalitate mactatos immolabat. Occisorum tandem ultio ob deorum iram in autorem rediit. Hercules enim eum clava adortus interemit, ut Agathon Samius tradit.

DE FAVNO AB
Hercule cæso. LXXIII.

HErcules quum Gerionis boues per Italiam duceret, à Fauno rege susceptus est hospitio, qui Mercurio natus patri hospites immolabat. Is igitur Herculem inuadens interemptus est: ut tradit Dercyllus tertio rerum Italicarum.

DE PHALARIDE, ET
Perillo, ac uacca ærea. LXXIIII.

PHalaris impius Agrigentinorum tyrannus aduẽtantes ad se hospites supplicio afficere & torquere solebat. Perillus in laborando ære faber egregius uaccam ex ære construxit, quam ad cõcremandos in ea hospites tyranno donauit. At Phalaris duntaxat pro tempore impius factus in eam coniecit artificem, quæ quoties inclusus gemitum ederet, mugitum referebat. Ita in secundo de causis scriptum comperies.

DE ARVNTIO PATERCVLO,
equo æreo, & Aemilio Censorino. LXXV.

AEgesta Siciliæ oppidum est, ubi Aemilius Cẽsorinus crudelissimus tyrannus erat. Hic si quis noua quædã tormenta, & inusitatum cruciãdi genus extruxisset, præcipuis muneribus prosequebatur. Quidam igitur Aruntius Patereulus nomine, equum ex ære fabricatum, ut in eo excruciandos iniiceret, Aemilio donat. Ille autem tum deniq; ad æquitatis cogitationem conuersus muneris autorem primum intrusit, ut quam cæteris pœnam excogitarat, ipse subiret patereturq;. Dehinc eum ex Tarpeio monte deiecit. Et qui sæua gerunt imperia ab eo cognominati dicuntur Aemilij. Ita quarto rerum Italicarũ apud Aristidem scriptum reperies.

DE EVENO, ET MARpissa, & Apharetro. LXXVI.

EVenus Martis & Steropes filius ex Alcippa Oenomai filia in uxorem ducta Marpissam suscepit filiam, quam uirginem accurate seruabat. Cæterum Apharetus uisam ex chorea rapuit, pater autem fugientem insequẽs quum prehẽdere non posset in Lycormã fluuium se præcipitauit, prout primo rerum Italicarũ Dositheus refert.

DE ANIO, SALIA EIVS
filia, & Catheto &c. LXXVII.

REx Tuscorum Anius egregia forma filiam habuit Saliam nomine, quam uirginem custodia præcipua tenebat. Cathetus nobilissimus adolescens, quum aliquando colludentem puellam aspexisset, adamauit, utq; uim amoris continere non posset, raptam filiam Romam deduxit. Pater insequens quum raptorem prehendere non ualet, Pareusium insiliens fluuium ei nomen dedit. Aniẽnem

nem enim postmodum appellatum constat. Cathetus deinde ex Salia Latinum creauit & Salium, à quibus nobilißimæ ortæ sunt familiæ, prout Aristides Milesius, & Alexander Polyhistor tertio rerum Italicarum tradunt.

DE HEGESISTRATO ET
Eleunte ab eo condita. LXXVIII.

HEgesistratus Ephesius ob tribulis sui cædem exul Delphos peruenies, quemnam locũ incoleret, Deum consuluit. Cui Phœbus respondit, ubi saltantes uideret rusticos oleaginis coronis ornatos. Itaq; profectus in Asiam agricolas Eleos, id est, oleæ ramis coronatos, saltare cernit, ubi condita urbe Eleuntem uocauit, ut Pythocles Samius tertio Georgicorum reliquit.

DE TELEGONO, ET
Prænestæ urbe. LXXIX.

TElegonus Vlyßis & Circes filius ad inuestigandum patrem dimissus deorũ responsis commonefactus est, ut in eo loco urbem conderet, ubi saltantes cum coronis colonos cerneret. Itaq; profectus in Italiam, quodam loco summa cum humanitate rusticos saltare conspexit, pini ramulis coronatos, ubi ædificatum oppidũ ex prædictæ sibi coronæ appellatione Prinistum deriuatum nominauit, à quo Prænestæ Romani uocitãt, ut Aristocles tertio rerũ Italicarum scriptum reliquit.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER DE LIBERIS EDVCANDIS.

Guarino Veronensi interprete.

QVIDNAM est, quod de ingenuorũ educatione liberorum dicere quisquam possit, quarum'ue rerum usu ij ad morũ probitatẽ euasuri sint, eia consideremus. Ante omnia de ipsorũ procreatione fortassis principium fecisse præstabit. Si quis igitur illustriũ esse natorũ pater optat, id ei proponendum arbitror, ut ne uilibus, aut abiectis sese deuinciat mulieribus, quales meretrices sunt, aut pelices. Quibus enim ulla ex patre, uel matre innata est macula, eos quoad uita superstit, indelẽda quædam ignobilitatis conuicia comitantur, quæ increpare, carpereq; uolentibus in promptu magnopere sunt. Sapiẽs nimirũ is extitit poẽta, quisquis infelices ait esse progenatos, quum nequaquã rectè fundamenta sui generis iaciantur. Pulcher igitur libertatis, ac licẽtiæ thesaurus est, bonis procreatũ esse parẽtibus. Quæres his plurimi fieri debet, qui legitimã exoptant sobolem. Atqui simulati, & numorũ instar ficti generis arrogantia falli, deprimiq; natura solet. Quocirca is rectißimè cecinit poeta, qui hunc in modum inquit: Sceleris parentum mens usquam sibi conscia fortißimũ quenq; captiuum trahit uirum: quemad modum iactantia simul & fastu referti sunt, quibus claris nasci parentibus obtigit. Eam ob causam filium Themi-

ſtoclis Diophantum perſæpe in multitudine dixiſſe ferũt, quicquid is expeteret ab Athenienſium populo, mox approbatũ iri. Nam quæ ille uellet, & mater: & quæ mater, & Themiſtocles: quæ uerò Themiſtocles, eadẽ & uniuerſus Athenienſis populus. Digniſſimum eſt eam animi magnitudinẽ collaudare Lacedæmoniorum, qui idcirco regem Archidamum pecunijs mulctauere, quoniam puſilli corporis mulierem matrimonio capere paſſus erat, ſubinde dicentes, quòd ille non reges, ſed reginas eis ædere cogitaſſet. Poſt hæc deinceps dicatur, quod maiores noſtri haud neglexiſſe uidentur. Quidnam illud eſt? Vt qui ſe mulieribus generandæ gratia ſobolis admouent, hi omnino ſobrij, aut uino ſaltem modeſtiſſimè delibato, congreſſum faciant. Quibus enim ex initio ut à genitoribus per ebrietatem ſeminarẽtur accidit, ij uini auidi, ac temulenti nimirum eſſe ſolent. Eapropter quũ Diogenes quendam ex temulentia alienatæ mentis adoleſcentulum deſipere cerneret: Adoleſcentule, inquit, ebrius te ſeminauit pater. Et de genitura quidem hactenus. At uerò de ipſa iam degenda uita uidetur explicandum.

DE VITA INSTITVENDA.

GEneraliter equidem, quod de artibus ac ſcientijs dicere conſueuimus, idem etiam de uirtute dicendum. Tria eſſe quæ ad operis perfectionem rite obeundam concurrere oporteat, naturam, rationem, & conſuetudinem. Rationem diſciplinam uoco, conſuetudinem uerò exercitationem. Initium à diſciplina, uſus ab exercitio ac meditatione fiet. Ex omnibus autem abſolutio comparabitur. Sin iſtorum pars ulla defecerit, neceſſe erit hanc claudam eſſe uirtutem. Cæca enim res eſt ſine diſciplina natura, & abſq; natura diſciplina manca

manca res exiſtit. Imperfectum autem quiddam exiſtit, ſi ambobus his careat exercitatio. Nam ſicut in agrorũ cultura bonam in primis eſſe tellurem oportet, tum ſerendi peritum agricolam, dehinc optima ſemina, eodem modo telluri naturam, agricolæ præceptorẽ, ſeminibus ſtudiorũ inſtitutiones, ac præcepta conferes. Quæ omnia in eorum animos conueniſſe, ac ſpiraſſe cõtenderim, quos uniuerſi decantant, Pythagoram dico, Socratem, Platonẽ, & quiſquis ſempiternã cõſecutus eſt gloriam. Ingentis certè felicitatis & diuini fauoris eſt, ſi cui ſingula hæc dij contulerunt. Quòd ſi quis haud idoneum exiſtimat ingenium, poſteaquam doctrinam, & rectam ad uirtutem nactus eſt exercitationem, ingentes naturæ defectus, ut fieri poteſt, nõ remittere magnum in modum, imò uerò prorſus, erraре ſe ſciat. Socordia enim naturæ uires perimit, doctrina tollit ignauiam. Facilia quoque ipſos fugiunt negligentes. Difficilia uerò cura, & diligentia capeſſuntur. Quàm expeditiſſima, quamq; efficax ſedulitas pariter ac labor exiſtat, compluribus in rebus facilè, ſi conſpexeris, diſces. Aquarum enim guttæ lapides cauant: ferrum & æs manuum tactibus obteruntur: carpentorum rotæ ſummis inflexæ uiribus, haud ullo pacto priſtinam reparare rectitudinem poſſunt: curuatas hiſtrionum uirgas nullo dirigere modo licet: quin factus præter naturam labor naturæ uim ſuperauit. An hæc duntaxat diligentiæ poteſtatem indicant? Minimè, imò uerò & infinita cætera. Si quod fertile natura ſolum incuriæ deditur, ſqualet incultum, quodq; natura præſtantius eſt, eò magis ſi per ocium ac negligentiam omiſſum erit, perditur. Eſt'ne quiſpiam infœcundus, & ſupra modum aſperior ager? At cultus generoſos ædidit fructus. Quænam arbores ſunt, quæ

datæ neglectui non simul & tortæ pupullent, & steriles perstent? quum eædem rectum assecutæ patrocinium fructuosæ sint, & magnopere fertiles. Quæ corporis fortitudo non obtunditur? & propter incuriam, mollitiem, ac malam habitudinem non perit? Quæ autem imbecilla adeò natura, quæ per exercitationes atque certamina ad maximas non augeatur uires? Qui uerò equi à primis bene domiti annis, suis non obsequuntur sessoribus? Qui autem indomiti perstant, non'ne ceruice durissimi, & animis feroces euaserunt? Et quid admirari cætera opus est, quum truculentissimas feras laboribus mitigari, mansuefieriq; plerunq; cernamus? Bene Thessalus ille, qui quum interrogaretur, quinam abiectissimi Thessalorum essent: qui bellicarum quietem rerum agunt, inquit. Ecquid multis opus est uerbis? Consuetudo est, quæ longæua permaneat. Si quis proprias, similiaresq; ex consuetudine uirtutes agat, is nullo aberrare posse modo uidetur. Qua in re unico usus exemplo, amplius de hisce rebus prolixiora enarrare desinam. Lycurgus ille Spartanorum legislator, geminos ex ijsdem parentibus catulos suscipiens, haud simulibus educauit moribus. Alterum enim belluonem luxuriaq; solutũ, alterũ indagine sagacẽ, & uenationibus idoneum reddidit. Postea quum aliquãdo Lacedæmonij unũ in locum cõuenissent: Ad parandam, inquit, uirtutem, uiri Lacedæmonij, ingens est momentum consuetudo, disciplina, doctrina, & uitæ institutio, quæ uobis illico manifesta uehementer esse faciam. Duos subinde catulos adducens, quum ollam in medio, leporemq; coram eis posuisset, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Quum autem Lacedæmonij nõdum quidnam id sibi uellet, coniectarent, aut quamobrem catulos ostentasset: hi ambo, dixit, ijsdem orti parentibus, cæterum diuersam uitæ consuetudinem assecuti, alter gulosus, alter uenator euasere. De uita quidem ac consuetudine satis: consequens est ut de educatione dicatur.

DE EDVCATIONE liberorum.

Oportet, ut mihi profecto uidetur, ut matres filios educent, eisq; ubera porrigant, quoniam maiori cum charitate, & impensa magis diligentia nutrient, ut quæ natos ex intimo, & ut dici solet, ex unguibus ament. Nutrices uerò & alumnæ suppositam quandam, & ascripticiam beneuolentiam habent, utpote mercedis gratia diligentes. Quòd matres eos quos progenuerint, nutrire, alereq; cõueniat, ipsa etiã natura demonstrat, unicuique etiam animantiũ generi quæ pariunt, ideirco simul & lactis alimenta suppeditauit. Eius quoq; sapiẽtem fuisse prouidentiam constat, quæ duplices mulieribus mammas addidit, ut si gemellos peperisse contigerit, duplices ad alendum fontes haberent: præterea ut maiorem in eos quos procreassent, amorem, beneuolentiamq; fouerent. Quod medius fidius haud iniuria factum est: uictus enim cibiq; sodalitium quiddam beneuolentiæ & amoris incrementum existit: nam & belluæ, dum à socijs pastus euellunt, magnum præ se ferre desiderium uidentur: danda proinde opera, ut matres, quemadmodum enarratum est, filios educent, ijsq; ubera porrigant. Sin id facere nequierint, uel propter aduersam corporis ualetudinem (id nanque impedimento esse poterit) uel propter aliorum studium gignendorum, alumnas ac nutrices non uiles equidem, aut aduentitias, uerum quammaximè idoneas, probasq; suscipiendas esse censeo. Primum quidem mo-

ribus instructas patrijs. Sicut enim infantium membra simul ac nati sunt, formari componiq; debent, ut recta, minimeq; obliqua fiant, ita puerorum mores principio aptè concinneq; fingere conueniet. Illa nanque nouella ætas ad fingendum facilis, & tenera est, & ipsorum animis, dum molles adhuc extant, disciplinæ melius instillantur. Difficilius autem quæ dura sunt molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum puerilis adhuc animus est, insculpuntur. Aptißimè igitur diuinus ille Plato nutrices admonuisse uidetur, ut ne friuolas, ac turpes pueris fabellas mandent, ne illorum animos ex initio stultitia, & corruptis imbuãt moribus. Pulchre igitur Phocylides poëta monuit:

Dum tener est gnatus, generosos instrue mores.

Illud etiam ne omittatur dignum est, ut adolescentulos, qui alumnis conuicturi ministraturiq; sint, tales in primis inquiramus, ut bonis ueniant instituti moribus. Debinc ut patrium sermonem, ac expedita pronuntiare uerba sciant, ne barbaris uocibus, aut deprauatis moribus intincti aliquod ex his uitium reportent. Haud est ab re illud usitatum sermone prouerbium: Si claudo uicinus habitaueris, & ipse claudus ambulare disces. Postquam peruentum eò ætatis erit, ut iam pædagogis committi pueri debeant, hic ad eorum institutionem omnis habebitur diligentia, ne mancipijs, aut barbaris, aut perfidis, & inconstantibus filios tradere se nesciant, quum irridenda uehementer hoc tempore multorũ adsit consuetudo. Præstantes siquidem seruos nacti, hos quidem agri cultores designant, illos naucleros, alios mercatores, quosdã et domesticæ rei dispẽsatores. At si quem temulentũ, scurrã, & ad omnem rem gerendã prorsus inutilem seruũ repererint, huius

huius curæ natos cõmittunt. Frugi uerò pædagogum item natura esse oportet, qualis & Achillis pædagogus Phœnix erat, quem idcirco Peleus, ut est apud Homerum, Achillis curæ præfecisse dicitur, ut ei dicendi pariter ac faciendi doctor fòret, atq; magister. Maximum omnium, longeq; primarium dicturus accedo. Inquirẽdi filijs præceptores, quorum uita nullis obnoxia crimunibus, irreprehensi mores, & optimum experimentũ. Honestatis enim fontem simul ac radicem esse liquet, legitimam consequi disciplinam. Ac ueluti coloni sepes arbusculis circumponunt, ita & æquißimi præceptores cõsona pueris institutis & admonitiones inserunt, unde rectißima morum germina pullulent. Nunc uerò respuendi stomachandiq; nõnulli sunt genitores, qui priusquam ullam ex præceptoribus experientiam sumpserint, homũnibus aliquando improbis imperitisq;, ac ignorationis insignis, liberos cõmẽdant. Quod etsi per ignorantiam factum fuerit, ridiculũ tamen est. Illud autem extremæ certè stultitiæ. Quidnam inquies? quidam enim quanquàm quibusdam dicentibus peritis aliquorũ insciti improbitatemq; cognorint, idq; persuaserint, eis tamen suos optimè commendant pueros. Nõnulli placidis eorũ uicti blanditijs. Sunt tamen qui rogantium amicorũ gratiæ tribuant. Qua in re simile quippiam facitant, ut si quis ægroto laborans corpore doctũ ac salutiferum omittens medicum, ut amici gratiam ineat imperitum hominem deligat, à quo fortaßis in pernitiem detur: aut præstantißimo gubernatore dimisso, obsecrantibus amicis probet insipientem & ignarum. Prò Iupiter, dijq; omnes, est'ne paternæ quißpiam appellationis, qui pluris obsecrantium gratiam, quàm liberorum eruditionẽ faciat? Haud ab re, quod antiquus ille Crates dicere sole

re solebat, qui si licuisset, ubi in altissimam urbis partem conscendisset, se uociferaturum aiebat: Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecunijs uestrum studium facitis, filiorum uerò, quibus eas relinquitis, nullam sanè curam suscipitis? Quibus addendum esse cēseo, quòd hi patres haud aliter faciunt, quàm qui magnam calceorum sedulitatem habent, quum interim pedem ipsum parui pendant. Multi uerò sunt parentes, in quibus adeò morum amor pariter & filiorum odium sæpenumero increuit, ut ne maiora impendant salaria, nullius existimationis homines eorum natis deligant, uilissimorū pretiorum disciplinam ipsam insectantes. Ob quam rem Aristippus haud insulse, quin urbano plurimum sermone quendam mentis inopem patrem carpsit. Quopiam enim ex eo percontante, quantam instruendi gratia filij mercedē postularet: mille drachmas, dixit. Ille uerò, hercle, ait, permagnum postulatum. Seruum enim comparare mille drachmis possum. Duos, inquit, habebis seruos, & filium, & quem mercaberis. Et ut summatim dicam, quonam modo absurdum non est, nostros quò dextra cibos capiant, ita assuefeciſſe, ut si læuam protendant, continuò increpemus, nullam autem facere prouidentiam, ut idoneas, atque legitimas audiant disciplinas? Quid autem his admirandis accidat patribus, postquàm filios malè nutrierint, maleq; instruxerint, dicere aggrediar. Nam quum sumpta uirili toga salubrem, ac bene institutum uiuendi ordinem aspernantes, ad immodestas atque seruiles sese præcipitarint uoluptates, tunc ita liberos erudisse pœnitet: quumq; nulla extat utilitas, sese ob illorum peccata discruciant. Hi enim assentatores, parasitosq; recipiunt indecoros, ac execrandos homines, & pernitiosos iuuentutis euersores: illi scor

illi scorta, meretricesq; superbas, atque sumptuosas redimunt. Alij opsonijs & exquisitis ferculis dies peragunt: quidam in alea, procacissimisq; sodalitijs uti naufragi demerguntur: Nonnulli iuuenilibus sese magis applicantes malis, adulteria, libidinesq; complectuntur, & unicam morte uoluptatem existimant. Verum enimuero hi, si cuiuspiam philosophi consuetudinem habuissent, haud talibus profectò rebus animum induxissent: quin id Diogenis præceptum didicissent, qui uerbo quidem grauiter, re autem uerè cōmonefaciens ait: Meretriciam ingredere domum, ut perdiscas quàm uilissimarum rerum precia nullam præ se ferunt excellentiam. Et ut succincte dicam, uaticinari magis quàm admonere iure me existimans, unum in hac re primum, medium, atq; postremum esse uerticem asseuero, ut honesta uitæ regula & legitima sit eruditio. Hæc esse quæ ad uirtutē, ac beatitudinem plurimum ferant adiumenti. Cætera quidem bona humana quædam esse, pusillaq;, & indigna quæ tantis insectemur studijs. Pulchra quidem mediusfidius est nobilitas, sed maiorum illud nostrorum bonum existit. Preciosæ quidem diuitiæ, uerum ea est fortunæ possessio, quum eas & habentibus, ut usu euenit, auferat, & minimè sperantibus afferat. Magnæ insuper opes signum quoddam & facinorosis notæ seruis, & calūniatoribus iacent, quoties loculos sagittare, adoririq; concupiuerint, & quod maximum est, hæ quoq; sceleratissimis communes hominibus sunt. Gloria uenusta quidem res est, sed inconstans minimeq; stabilis. Forma præcipuum quoddam, & pro qua uendicanda magnopere decertetur, at caduca paruoq; durans tempore. Preciosa quippe sanitas, uerum permutationi prorsus obnoxia. Cōcupitæ sanè uires, & in partē beatitudinis col

nis collocãdæ, sed facilè aut ægritudine, aut senectute cõtabescunt. Si quis omnino corporis robore glorietur, sententia falli se discat. Humana siquidem uis præ cæteris pars quota extat animantibus? Elephantes, inquam, tauros, atq; leones. Nostris autem in rebus sola & immortalis, & diuina est eruditio. Ex uniuersis duo humanæ naturæ perquam peculiaria bona sunt, intellectus, & ratio. Et intellectus quidem imperat, ratio autem obsequitur. Hunc nullus fortunæ tollet incursus, nulla calumnia distrahet, non ægritudo corrumpet, neq; senectus ullis afficiet nocumentis. Solus intellectus est, qui uetustate confectus repubescat: & quum reliqua omnia tempore diminuantur, scientia senectute augescit. Bellum singula torrentis instar trahens, & omnia ferens, solam doctrinam nequit eripere. Quocirca philosophum Stilponem illum Megarensem memoratu dignum fecisse responsum autumo. Nã quum Demetrius captam urbem solo æquasset, Stilponem interrogauit, nunquid suorum quicquam amisisset. Cui Stilpo: haud equidem, inquit: bellum enim nulla ex uirtute spolia ducit. Concors huic & consentaneum illud Socratis uidetur esse responsum. Nam quum Gorgias, ut arbitror, percontaretur, an Persarum regem filiæ esse putaret: Nescio, inquit, quantum habeat uirtutis ac disciplinæ: perinde ac in hisce, non autem fortunæ bonis persistat beatitudo. Cæterum quemadmodum nihil filiorum eruditione propensius, & conducibilius faciendum esse moneo, ita incorrupta ac salubri patria insistere oportere dixerim, ita ut liberi à popularibus & laudatiuis quamprocul nugis abducantur. Nam multitudini qui collibuerit, is sapiẽtibus displiceat oportebit. Testimonio est Euripides ita dicitans: Vers ego sum meos in uulgum uersus

uersus dare: Modicis uerò, ac æqualibus sapientior. Et profecto qui peritis contemptui sunt, ij ad perorãdum in multitudine magis idonei habẽtur. Qui enim ad turbulẽtissimæ gratiã et beneuolentiã plebis ineundã sua constituerint exercitia, eos utplurimum prodigos, & uoluptatis auidos intueor, & iure quidem ac meritò. Nam si quis ut uoluptatem alijs comparet, honestatem negligit, is certè rectas ac salubres delectationes suis anteponere, aut pro uoluptuosis modesta sectari nullo modo poterit. Ad hæc, ne pueri dicant ex tempore, cauendũ erit. Quod enim inconsultò ac temere dictum, factum'ue sit, id pulchrum esse nequit, utq; in prouerbio est: Difficilia honesta sunt. Impræmeditati quoque sermones plurima leuitate, incuriaq; referti, neque unde sumendum exordium, neque ubi terminandum, facilè conspicantur. Præter alia delicta, quibus extemporarie dicendum est, hi ad immoderatum quandam incidunt multiloquentiam. Considerata uerò meditatio orationem è congrua uagari mensura non sinit. Periclem, ut accepimus, ad perorandum conuocatum multoties populo nequaquam audiuisse constat, quòd imparatum se esse diceret. Eodem modo & eius in Republica æmulator Demosthenes, quum ad consulendum accerseretur à populo, restitit: Non enim instructus sum, ait. Hanc nullo cum autore, mendacemq; traditionem esse fortasse quis dicet: uerum in oratione contra Midiam cogitationis utilitatem palàm adduxit, hunc in modum inquiens: Ego, uiri Athenienses, considerasse me fateor, & quantum in me situm est, præmeditatum uehementer esse non inficior. Miserandus enim certè forem, si ita dispositus accessissem, ut quæ de hisce rebus oraturus sum, inconsiderata præterijssem. Neque

que uerò id nunc dico, ut sit omnino dicẽdi expedita præparatio reprobanda, aut quò minus ab his, qui eam rem dignè exequi possint, habenda sit exercitatio: sed hoc iuueni parce faciundum, quoad uirilis succedat ætas, ne ue ex incidenti dicat, dignum arbitror. At quum eloquendi uires radicem egerint, tunc ubi tempus aduocarit, orandi ubertatem imparitur cõueniet. Sicut enim qui longo tempore in uincula coniecti fuerint, si posterius soluantur, ob diuturnam uinculorum consuetudinem ambulare nequeunt, quinimo claudis incedunt pedibus, ita & qui sermonem diutius astrinxerint, si quando loquendum extemplo fuerit, nihilominus eundem stylum interpretis obseruant. At si quis pueros ex tempore dicere sinat, extremæ causam garrulitatis instituit. Miser quidam pictor, quum suam Apelli ostenderet imaginem, hanc modò pinxi, dixit. Cui Apelles: & si taceas, inquit, hanc subitò depictam esse intelligo. Demiror autem quonam pacto non plures huiuscemodi depinxeris. Et ut ad priorem materiam referatur oratio, sicuti theatralem ac tragicam, ita & depressam & humilem dicendi orationem euitandam, fugiendamq; prorsus admoneo. Tumidum nanque orationis genus, ciuile nequaquam est: Tenue uerò, nusquam mouet. Quemadmodum enim corpus non solum incolume, uerumetiam bonæ habitudinis esse oportet, ita & orationem non modò non ægram, sed etiam robustam esse conuenit. Nam quicquid tutum est, id solummodo collaudatur. Quod uerò cum periculo fit, id etiam admiratione prosequimur. Eandem quoque de animi dispositione sententiam habeo. Nam neque temerarium, neque audacia prorsus exutum ac timidum esse decebit, quum illud quidem impudentiã, hoc autẽ seruilem afferat

afferat turpitudinẽ. Mediam autem in cunctis secare uiã summæ & artis, & consonantiæ est. Adhuc quũ de disciplina commemorem, de ipsa quid opiner disserendum censeo. Sermonem uno contentum esse membro, non autem uarijs distinctum esse clausulis, non paruum imperitiæ, ac dissonantiæ signum facio. Id præterea ad exercitationem fastidiosum, & passim intolerandum arbitror. Vnicus nãque canendi modus, & inuariatus personis actus, laborẽ simul, ac satietatem gignit. Amœna uerò usquequaq; uarietas cum cæteris in rebus, tum uerò in uocibus, atque spectaculis. Ingenuus igitur adolescentibus nihil uel auditu, uel spectatu debet omitti, imò nec is qui orbis disciplinarum appellatur. Verum hæc perinde ac gustus gratia, uel in transcursu perdiscenda sunt: fieri autem nequit, ut in cunctis perfectionem assequantur. Antiquiorem autem, primari amq; Philosophiam esse ducant. Qua in re, mea coram ex simulitudine quadam constituenda sententia. Nam sicuti cõplures nauigando urbes obire pulchrum est, ita in præstantissima domicilium habere cõmodissimum ac pretiosissimum. Vrbanè profecto * Bian- *Bionem
tem philosophum dicere solitum accepimus: Quemadmodum quum proci Penelopes congressum habere nequirent, eius se ancillis immiscebant, ita & qui philosophiam consequi non ualent, per cæteras nullius sanè existimationis disciplinas aridi semper & tenues intabescunt. Quãobrem aliarum artium & scientiarum, uti principem, cõstituere philosophiam oportebit. Ad corporis quidem curam duplicem scientiam humana excogitauit industria, medicinam dico, atque gymnasticam: quarum altera sanitatem, altera bonam importat habitudinem. Animorum autem ægritudines atque languores sola est quæ curet ac medeatur

medeatur philosophia. Per hanc enim & cum hac scire licet, quid honestum, quid turpe, quid iustũ, quid iniustum, et summatim, quid deligendum, quid fugiendum, quomodo parentibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magistratibus, amicis, uxoribus, ac seruis utendum sit, utq; deos ueneremur, parentes honoremus, seniores ueneamur, legibus obtemperemus, magistratibus cedẽdum sit, amicos diligere oporteat, in mulieres seruare modestiam, charos habere liberos, minimè seruire cum seruus, & quod maximum est, in prosperis fortunæ successibus lætitia non effundi, nec in aduersis casibus tristitia deprimi, nec omnino uoluptatibus esse deditos, nec ita per iracundiam affici, ut belluarum animos induamus, quæ ex omnibus philosophiæ bonis antiquissima iudico. Generosi enim secũdam ferre fortunam uiri officium est: sine inuidia uerò, hominis bene instituti. Voluptates ratione superare, sapientis: iracundiam uincere, non uilis profecto aut abiecti munus est uiri. Cæterum eos perfectos opinor esse homines, qui ciuiles cum philosophia potestates queant immiscere. Hos sibi gemina uendicare bona reor, ut scilicet eorum uita & ad communem omnium utilitatem in Republica duceretur, & summa cum tranquillitate nullis obiecta fluctibus per sapientiæ studia uersaretur. Nam quum triplex uitæ genus existimatum quidem, actiuum, contemplatiuum alterum, tertium uoluptuosum, hoc sanè dissolutum, & uoluptatis mãcipium, belluarum est, & infimorum hominum. Actiuum autem, si philosophia caruerit, ineptum est, & magnis delictis inuoluitur. Speculatiuũ, si ab actiuo seiungitur, prorsus inutile. Experiundum igitur pro uiribus, ut et publica cõficiantur, & philosophia uendicetur, quemadmodum pro

pro temporibus attinere uidebitur. Hunc in modum Pericles ciuilia tractauit officia, hunc in modum Archytas Tarentinus, hunc in modum Dion Syracusanus, & Thebanus Epaminondas, quorum utrunque Platonis constat fuisse discipulum. Circa disciplinam quid amplius immorari deceat, nescio, nisi quòd præter ea quæ dicta sunt, conducibile, imò uerò necessarium existit, ut ad adipiscendos antiquorum codices ne parum diligentes sint. Verum hi pro agricolarum more colligendi. Nam ita disciplinæ instrumentum non librorum possessio, sed usus & exercitatio est, sicut & colendi scientiam à tellure, nõ autem à nomeribus, & reliqua supellectile conseruari contingit. Corporis certamina ut contemnantur, ne digna quidem extant, sed ad eius rei præceptores, ut ad ipsa quantum sat erit elaborent, pueri dimittentur, quò & apta quædam membrorum compositio simul & robur acquiratur. Bona enim in pueris corporis habitudo, bonæ quoque senectutis fundamenta iacit. Sicut hyemi necessaria per serenitatem parare conuenit, ita & boni mores, & optimum ad senectutem uiaticum modestia in ipsa iuuentute reponentur. Adeò autẽ perinde ac in cella quadam reseruandus est corporis labor, ut ne fragiles, leuiterq; cedentes ad doctrinæ studia fatigati succumbant. Hostes enim disciplinarum, ut à Platone dictum est, labores atq; somni. Quid his tantũ insisto, quũ ad id quod dictum longè principalius est explicandũ, summo ducat studio? Militaribus nanq; certaminibus pueros exercere cõueniet, ut in iaciẽdis hastis, tractandis arcubus, uenationibusq; magnopere contendant. Victores eorum quos bello deuicerint, bona sibijpsis præmia esse præponunt. Bellum educatam in umbra corporis habitudinem repudiat.

Macilen

Macilentus autem miles, bellicis assuetus certaminibus, pugiles, & structas prælio propulsat acies. Quid agis? dicet quispiam, tu quum de ingenuorum educatione liberorum daturum te præcepta spoponderis, postmodum inopes, ac populares ita uideris prætermisisse, ut solis institutionem locupletibus exhibere cogites. Quibus occurrere haud certè difficile: Ego nanque hanc ipsam institutionem communem omnibus, ac utilem esse maximè uelim. Verum si propria laborantes indigentia meis uti commonefactionibus nequierint, fortunam, non autem me consulentem accusent. Enitendum itaque pro uiribus, ut optima pueris, uel etiam ipsis pauperibus fiat educatio. Sin minus, possibili saltem utendum erit. Et ista quidem, quæ grauiter in sermone obijci poterant, adduxi, ut quæ ad rectam iuuenum institutionem non ferunt, deinceps adiungam. Illud igitur asserе, ad honesta pueros exercitia non plagis aut uerberibus, sed monitis ac rationibus adduci oportere. Omitto enim eamagis seruos decere, quàm liberos, qui durati rigescunt, & ad labores sustinendos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horrent. Liberalibus autem pueris maiorem laudes ac uituperia, quàm uerbera commoditatem afferunt. Illæ enim ad honesta conciant, hæc à turpitudine cohibent. Mixtim uerò & alternis utendum erit obiurgationibus & laudibus. Postquam uehementer obiurgarint, pudore agendũ erit, rursusq; laudibus reuocabunt, ijsq; instandæ nutrices erunt, quæ ubi infantes lugere coëgerint, ubera denuo ad eos solandos admouent. Cauendum autẽ erit, ne immodicis elati laudationibus intumescant, quoniam nimijs demolliti laudibus franguntur. Plerosq; iam ego patres uidi, quibus amor nimius ne amarẽt causa exti-

titit. Quid enim est quod dicere uelim, ut exemplo lucu-lentior fiat oratio? Nam quum hi festinent, ut filij in cũctis ocyus antecedant, immensos illis labores adijciunt, sub quibus defessi corruant, & alioqui pondere molestiarum oppressi, doctrinam minus mãsuetè percipiunt. Plante enim quum modicis alantur aquis, quammultis suffocantur: Eodem modo animus quum mediocri uegetetur labore, sub nimio demersus opprimitur. A' continuis igitur laboribus danda quædam pueris respiratio. Reminisci enim oportet nostram omnem uitam in remissionem ac studium esse diuisam. Quocirca non uigiliam modò, uerum etiam somnum esse repertum: non bellum solum, sed & pacem: non hyemem, sed & tranquillitatem: non operosos, sed festos etiam dies, & ut generatim eloquar, laboris condimentum est ocium. Idq; non in animantibus modò, sed etiam in his quæ anima carent, fieri conspicies. Arcus enim lyraq; remittimus, ut tendere possimus. Ac summatim, corpus quidem indigentia & replemento, animus uerò remissione atque labore conseruatur. Increpandi plerique meritò sunt genitores, qui pædagogis atq; præceptoribus filios ita committunt, ut quid hi discant neque uideant, neque protinus audiant. Quain re plusquam opus sit delinquunt, quum ipsi paucos intra dies experimenta suscipere ac tentare debeant, non autem in mercenarij dispositione spem suam collocare. Nam & illi maiorẽ puerorum curam ac diligentiam facturi sunt, quum rationem ubique reddituros se fore scient. Hoc in loco generosum illud lepidumq; stabularij dictum, qui nulla alia ex re equum adeò pinguescere, quàm regis oculo, dixit. Super omnia puerorum memoria exercenda consuescendaq;, ea enim disciplinæ quasi quædam

cella penaria est. Quamobrem memoriam esse matrẽ Musarum traditur in fabulis. Quasi uerò insinuẽt atq; demõstrent, nullam à natura rẽ tantũ gignere, ac nutrire, quãtum memoriam possit. Illa igitur in utranq; partem exercenda, siue ij natura memores, siue contrà obliuiosi fuerint. Naturæ siquidem abundantiã corroborabimus, defectum uerò supplebimus, tumq; illis cæteros, istis seipsos uincere continget. Præclarè enim apud Hesiodum:

Paruula si tentes superadiecisse pusillis,
Idq; frequens peragas, magnus cumulatur acerus.

Illud uerò ne parentes lateat, memoratiuã doctrinæ partem non modò ad perdiscendum, uerum & ad cæteras uitæ res non minimam conferre portionem. Nam rerum gestarum memoria ad futurorum cõsultationem exemplum quoddam extat. Præterea filij à uerborum turpitudine retrahendi. Vt enim ait Democritus: actionis umbra existit oratio. Debine ut ipsi colloquio faciles, & in obuijs compellandis suaues fiant, præparandum erit. Nam sicuti graues in colloquio mores digna in se contrahunt odia, ita & pueri chari socijs reddentur, si quæsiti non pertinaces omnino, nulliq; cedentes extiterint. Non solum enim uincere, sed etiam uinci scire speciosum est, in ijs præsertim rebus, in quibus uictoria detrimentum parit. Extat huiusce modi Cadmea certè victoria. Huius rei testem adducendum sapientem habeo Euripidem, qui hunc in modum locutus est: Duobus obloquentibus, quum alter fuerit qui uerba frenat, is longè sapientior. Cæterũ illa non minus quàm superiora, quin longè magis adolescentibus exercenda, ea sunt eiusmodi: Sine mollitie uitam esse degendam, continendam linguam, iram sibi subijcere, manus comprimere. Quale autem horũ unumquodq;

quodq; sit, dispiciendum. Hæc autem ab exemplis notiora fient. Et ut à posteriore prius exordiar: plerique manus ad iniusta submittentes lucra, anteactam effuderunt uitam, ut Gylippus Lacedæmonius, qui quoniam pecuniarum sacculos soluerat, Sparta in exilium expulsus est. Sapientis autem manus est, à nulla unci iracundia. Adolescens quidam temerarius admodum & fastidiosus Socratem calce percussit. Quamobrem quum molestè ferentes comites, adeoq; animi discruciatos aspiceret, ut ipsum persequi uellent: si me asinus, inquit, calce pulsasset, digNum me ut mutuò illi calces inculcarentur existimaretis? Quod tamen haud ille prorsus effecit. At cum quum uniuersi probris insectarentur, calcitronemq; nominarent, suffocatus est. Quum Aristophanes multa in eum conuicia dissipans, eam cui Nebulæ titulus est comœdiam ædidisset, & astantium quidam talia decantans dixisset: Nunquid ista Socrates iniquo pateris animo? Haud equidem mediusfidius, ait, siquidem in theatro perinde ac magno in conuiuio salibus mordeor. Sororia ista & paria Archytas Tarentinus & Plato gessisse uidentur. Ille enim ex bello reuersus, rei nanque militari operam dabat, agrum inculcum ac squalentem offendens, accito illius illico, nisi iratus forem lugeres, ait. Plato uerò aduersus deditum uentri seruum fastidiendumq; ira percitus, uocato sororis filio Speusippo, Abi dixit, hunc uerberato, nam ego nimia exagitor ira. Ardua hæc & imitatu difficilia, dicet sanè quispiam, nec ego sum nescius. Verumenimuero totis enitendum est uiribus, ut istis utentes exemplis, ab inconuenienti & sæua nimirum ira magnam saltem auferamus partem. Nam quum alias quidem ad res, nec cum eorum doctrina, nec cum uirtute certare

possumus, suæ nihilominus sapientiæ perinde ac deorum antistes, sacrorũ expositores, tædasq; gestãtes, hæc imitari pro uiribus & aliquid deradere conamur. De continẽda uerò lingua, ut proposui, explicare restat. Si quis paruum aut contemptibile suspicatur, à ueritate uehementer errat. Magnæ enim sapientiæ tẽpestiuũ est silentiũ, & omni certè sermone præstantius. Idcirco maiores nostri mysticas designasse ceremonias uidentur, ut ex illis capta silendi consuetudine, deorum metum ad humanorum fidem arcanorum transferamus. Nam quum neminem tacuisse pigueret, dixisse certè complures: præterea quod silentio retentum est, efferetur perfacilè: quòd autem ædideris, nullo modo reuocari potest: scio innumerabiles ob linguæ intemperantiam ad maximas incidisse calamitates, ex quibus relictis cæteris, unũ aut duos admonitionis gratia meminisse sat erit. Quum Philadelphus sororem Arsinoẽ cepisset uxorem, Sotades inquit: In sanctam minimè rimulam trudis aculeum. Quo dicto in uincula coniectus, multo tempore putridus intabuit, & intempestiuæ dicacitatis haud increpandas utique pœnas dedit. Qui ut alijs risum exhiberet, in diuturnos collapsus est luctus. Paria & cum his contendentia Theocritus philosophus dixit, sustinuitq; & grauiora nonnihil. Alexander Græcis ut purpureas pararent uestes, edixerat: ut quum rediret, belli contra Barbaros à se confecti uictoriam solennibus celebrarent sacrificijs. Tum nationibus argentũ per capita conferentibus, Theocritus inquit: Prius quidem subdubitabam, nunc uerò perspicuè sentio, hanc tibi secundum Homerum necem fore purpuream. Quibus ex rebus magnam Alexandro conflauit inimicitiam, Regi Macedonum Antigono, qui

qui altero carebat oculo, quum cæcitatẽ obiecisset, haud mediocrem suscitauit iram. Magistrum enim coquorum Eutropionem in centuria quadam constitutum, ut rationem redderet acciperetq;, ad se uenire iusserat: quæ quum ille ad eum multoties aduenies retulisset: Scio, inquit Theocritus, quòd Cyclopi me crudum appones. Quo dicto illi quidem cæcitatem, huic uerò coquinariam obiectauit artem. Tunc Eutropion, capite igitur carebis, respondit, & huius dicacitatis, insaniæq; pœnas lues. Debine dicta renuntiauit ad regem. At ille qui Theocritum interficerent statim misit. Præter hæc omnia, id quod sanctissimum est, pueri uera proferre consuefiant. Mentiri enim seruile est uitium, & à cunctis mortalibus odio insectandum, nec quod apud mediocres etiam ser uos ueniam promereatur. Ista quidem de puerorum ornamentis atq; modestia, nullam per ambiguitatem aut segnitiem disputaturus accessi: de his autem quæ deinceps discurrus sum, dubius persto, & ancipiti magis trahor sententia, hac illac ue in trutinæ modum uergens in neutram certus inducor partem. Permultus uerò de introducenda, aut re aduertenda me torpor habet, ut illam tamen expromam, prorsus audiendum est. Quid illud est? Vtrum qui puerorum amore tenentur, eorum societatem & consuetudinem habere sinendi, aut contrà prohibendi, & ab ipsorum conuersatione procul arcendi. Quum enim plerosq; rigidos patres, moribus acerbos, immitesq; respicio, qui filiorum dedecus esse arbitrantur, si cum eorum amatoribus obseruentur, hanc rem meis introducere consilijs uereor. Quum autem ex altera parte animaduerto Socratem, Platonem, Xenophontem, Aeschinem, Cebetẽ, & uniuersum illum uirorũ cœtũ, qui marium commendat

amores, quiq; adolescentes ad eruditionē populārē, principatū, & ad morū deniq; probitatē peruexerunt, subinde alter existo, & ad illorum æmulationem uirorum ipse deflector. Harū etiam rerū testimonio est Euripides, hoc inquiēs pacto: Sed est amor mortalibus quidā insitus, animi moderata iustaq; seruantis. Simul id Platonis institutum ingenti studio & urbanitate temperatū haud prætermittendum. Licere inquit ijs, qui optimè de republica meriti sunt, ut quem ex honestis forma maluerint, iusto sibi deuinctū amore media fronte dissauiēt. Quod si quos pulchritudinis libido ceperit, eos fugare propellereq; conueniet. Qui autem animum dilectione ac beneuolentia complectentur, ij penitus comprobandi, quales Atheniensium amores, & Lacedæmoniorum existūt. De his, prout unusquisque sibi persuadet, ita etiam suspicatur. Ego uerò postquam de puerili iam institutione ac ornamento disserui, ad adolescentium ætatem transeundum puteis esse censeo. Sæpenumero improborum duces morum incusaui, qui quum puerili adhuc ætati pædagogos magistrosq; præficiant, iuuenilem impetum solutum uagari sinunt, quum è contrario maior his annis, quàm puerilibus cautio & obseruantia debeatur. Nam quis ignorat, puerorum delicta parua esse, ac medicatu facilia? fortassis enim aut pædagogorum incuria, aut præceptorum in ludis peragendis inobedientia. At iuuenum peccata immensa plerunque sunt, & miseriarum plena, uentris immodestia, paternorum bonorum expilatio, aleæ, saltandi proteruia, ebrietates, amores uirginum, mulierum corruptiones, adulteria. Horum igitur impetus omni cura & diligētia coērcendi, reprimendiq; fuerant. Petulantē enim uigorē ætatis nō facilè à uoluptatū obseruabis incursu.

incursu. Quocirca illi freno uehementer opus existit. Ea propter qui huic ætati summopere non resistunt, haud intelligere uidentur, se illorum cogitationibus magnam ad perpetranda facinora licentiam exhibere. Prudentes itaq; patres hoc potissimum tempore summa custodire uigilantia oportebit, ut adolescentulos ad modestiam induceant, instruant, minentur, rogent, consulant, pollicentur, nunc eorum exempla demonstrent, qui ob suas libidines ad magnas peruenerunt ærumnas, aut qui per tolerantiam laudes, & præclaram sunt gloriam assecuti. Hæc enim duo perinde ac uirtutis elementa sunt, spes honoris, ac formido pœnæ. Nam quum ille ad egregia honestatis opera promptiores efficiat, hæc ad perpetranda utilissima segniores reddit. Generatim autē liberos nostros flagitiosorum hominum consortio segregare decebit: eorum enim malignitatem reportant. Hæc & Pythagoras obscuris quibusdam præcepit sermonibus, quos hoc in loco positos explanabo, quoniam ad conquirendam uirtutem non minimum uidentur afferre momentum, quale illud: Quæ nigrantes habent caudas, gustari non oportere: hoc est, cum hominibus consuetudinem non esse habendam, quos morum depranatio ipsa denigrat. Iugum, stateramq; ne transcendere: id est, plurimi facere iustitiam oportere, nec eam ullo modo transcendere. Nec in ocio insidere: hoc est, fugiendum esse ocium, prouidendumq; ut necessariam præparemus alimoniam. Haud injiciendam unicuiq; dexterā: id est, non promptè aut inconsultò conciliari oportere. Anguſtum ne gestabis anulum: quoniam ita uitam, ut eam nō uinculo distringas, exercere debebis. Ignem ferro cædi minimè debere: hoc est, irritandum non esse furentē. haud enim conuenit, quin potius

quum intumescit, iræ cedendum. Cor neq; manducabis, quid aliud insinuat, quàm ne animum offendas sollicitudinibus, eum'ue curis conficias? Abstinendum à fabis: quòd in re ciuili uersari non oporteat. Fabis enim priscorum suffragia ferebãtur, quæ finem principatibus attulerunt. Cibos in scaphio non esse ponendos: significat autem in improbum animum urbanos immitti non oportere sermones, aut ulla uirtutis studia. Cogitationis namque cibus est, cum ratione studium, ac sermo frugi, quem impurum ac sordidum humana reddit improbitas. Haud retrouerti ad contermina proficiscentes: id est, quibus moriendum est, quum proximum uitæ terminum intueantur, facile ferant, neq; mœrore deprimantur. Ad priorem denuo materiam flectetur oratio: & quod prius agebam, à prauis hominibus, sed assentatoribus præsertim, liberos abducamus. Complurib⁹ id patribus præsertim non desino, ac impræsentiarum rursus dico, nullum animantium genus assentatoribus esse pernitiosius, nullum quod citius in præcipitia iuuentutem deducat, qui patres ac filios radicitus obtriuerunt, illorũ senectutem, & horum adolescentiam tristitia & magnis affligentes malis, & quæ ipsorũ consilijs clandestina quædam iacet esca uoluptatem prætendunt. Opulentos filios patres ut sobrietatem conseruent monent, assentatores ebrietatem: illi temperantiam, isti lasciuiam: illi parsimoniam, isti sumptus & expensas: illi labores appetendos, isti socordiam. Vniuscuiusque uitæ punctum esse temporis asseuerant. Quocirca uiuendum, non autem diminute uiuendum esse. Et quæ uobis paternarum cura minarum? iam pater uti Saturnus quidam ætate delirat, iam capularis est dæmon. Sublimem hunc attollamus, eumq; cumprimum efferamus.

mus. Plerique ad scortandum accedunt, & intempestiuas ducunt uxores, paternaq; ad senectutem uiatica corradunt, atque surripiunt. Sceleſtissimum hominum genus amicitiæ simulatores, nullam prorsus eloquendi libertatem degustantes. Ii locupletum quidem assentatores, pauperum contemptores, aduersus iuuentutem perinde ac ex arte lyrica deducti, quum suos ridere nutritores cernũt, ultro arrident. Ex omni uitæ parte nothi atq; degeneres ad diuitum nutum uitam agunt, fortuna liberi, electione serui. Tum magnas se pati contumelias opinantur, quum nullis afficiantur contumelijs, quoniam alienum frustra cibum capiant. Quocirca si quis pater est, qui de bene instruendis natis curam gerat, has primum fastidiosas propulset pecudes. Condiscipulorum etiam flagitia repellantur, quoniã ij ad mansuetissimas etiã naturas corrumpendas satis possunt. Ista quidem honesta & perutilia sunt, quæ uerò dicam humana. Haud enim uolo parẽtes omnino asperos, & natura esse durissimos. At præteritorũ nõnullis peccatorum concedendam interdũ esse ueniam ducant, seq; iuuenes aliquando fuisse meminerint. Quemadmodum medici amara quædam uenena dulcibus immiscentes succis, comitem utilitatis amœnitatem inuenerũt, ita & patres increpationum rigorem mansuetudine temperent est necesse. Puerorum nanque desiderijs remittendæ interdum habenæ, nonq; nihil laxandæ, quandoque rursus intendendæ. Leuia præsertim delicta molli ferant animo. Sin aduersus ipsos ira excanduerint, illico tumorem animi deponant. Parentem enim celeres, quàm graues suscipere iras præstat. Nam quum quispiam ita difficiles induit animos, ut non nisi summo cum labore redire in gratiam possit, profecto filiorum odiũ contraxisse non

paruo patefecit indicio. Vt aliqua etiam nouisse peccata dissimulent satius erit, uerum surditatem & obtusos senectutis sensus ad filiorum commissa transferant, ut pleraq; uidentes non uideant, audientesq; nõ audiant. Amicorum errata perferimus, quidnam ergo mirum si & natorum? Crapulantium multoties seruorum ebrietatẽ minimè redarguimus. Interdum pepercisti, insuper suppeditato. Molestè aliquando pertulisti, ultro ueniam adhibe. Per seruuli quandoq; fraudes demulsisti, cohibe prorsus iracundiam. Ex agro iuuencos abstulit, redijt hesternum nonnunquam exhalans temetum, inscius esto. Vnguenta redolet, tacitus sis. Hunc in modum petulca iuuẽtus equini instar pulli domita, mitisq; redditur. Enitendum est, ut qui libidinibus succumbunt, & increpationibus omnino rebelles existunt, cõnubio subiungentur. Hoc siquidem tutissimum iuuentutis est uinculum. Eas autem despondere filijs uxores conueniet, quæ nec multò nobiliores, nec ditiores sint. Sapientia utiq; refertum prouerbium: Aequalem tibi mulierẽ inquire. Nam qui seipsis longè ampliores capiunt uxores, non earum maritos, uerum dotis mancipia fecisse se nesciunt. Cæterum hisce rebus breuia quædam apponens confestim præcepta circunscribam. Ante omnia opus est, ut patres non solum nihil peccando, uerumetiam honesta singula peragendo manifestum sese filijs exemplar exhibeant, ut in eorum uitam quasi quoddam speculum intuentes, ab operum simul & sermonum turpitudine se penitus uertant. Nam si quis delinquentes acriter obiurget filios, tum is in eosdem illabatur errores, hic nempe ignorare uidetur, sub illorũ nomine sua se incusare crimina. Et ut succinctè dicam: qui uitã improbè degunt, ij nullam seruos aut liberos increpandi licentiam

licentiam agunt. Præterea in eorum commissis nunc consulendo, nunc instituendo iuuent. Vbi enim impudens est senectus, ibi & inuerecundos esse iuuenes est necesse. Ad comparandam filijs modestiam danda opera est, ut omnia pro rerum conuenientia perficiantur. Imitemur autem potissimum Eurydicen, quæ quamuis Illyrica & barbarissima foret mulierum, ad erudiendos tamen liberos, quãquam in ætate iam prouecta, studium ac disciplinam attigit. Quantam uerò in eius filios indulgentiam habuerit, uel illud abunde, quod Musis dedicauit epigramma, declarat. Hyropolitana Eurydice postquam doctrinæ ac eruditionis desiderium cepisset, hunc Musis titulum consecrauit. Pubescentibus enim liberis mater iam grandæua studiorum atque uirtutis monumenta literas ingenti cum labore perdidicit. Vniuersa quæ in superioribus exposita sunt præcepta complecti, uoti magis quàm admonitionis opus esse forte censebitur. Vt autem plura per imitationem assequamur, & hoc ipsum quadam sortis ac naturæ bonitate, permulcq; insuper diligentia indigebit. At humano effici posse constat ingenio.

FINIS.

RAPHAEL REGIVS IOANNI Lubrancio Posnanienſi epiſcopo, Regis Poloniæ conſiliario felicitatem.

DIONYSIVS ille maior Syracuſanorum tyrannus, benignißime Pontifex, quum in filij adhuc adoleſcentis cubiculum aliquando ingreſſus, multa pocula & argentea & aurea uidiſſet, exclamaſſe fertur: Indignus es fili principatu, qui tot poculis à me acceptis, neminẽ tibi cõciliaris. Dictum profecto ſapienti rege digniſſimũ. Nihil enim principem uirũ magis decet, quàm diuitias & opes, ut uerbis Ciceronis utar, ad benignitatem liberalitatemq; conferre. Id uerò tibi ſic eſt ingenitum, ut illa Dionyſij indignatio nequaquam in mores tuos uerè iactari poſſit. Nihil enim præclarius eſſe ducis, quàm ut quum omnes alios quapiam uirtute inſignes, tum præſtantes doctrina uiros honeſtiſſimis muneribus proſequaris. Ex quo ſanè factum eſt, ut non ſolum opulento Posnanienſi Episcopatu, ſed etiam Romano Pontificatu digniſſimus doctiſſimi cuiuſque iudicio eſſe cenſearis. Nam ut de alijs eminentiſſimis uirtutibus tuis nihil dicam, prudentia, fortitudine, iuſtitia, grauitate, humanitate, in egenos benignitate, in patriam pietate, uitæ integritate, quis in literis uir eminet, quem tibi nuper quum in Italiam deſcendiſti, ſingulari comitate beneficentiaq; tibi nõ obligaris? Hinc uerò ſummus quidam literarum, ac potius immortalitatis, quæ ſolis literis continetur, amor maximis quibuſq; animis ingenitus apertiſſimè demonſtratur. Imagines enim, coloſſi, ſtatuæ, pyramides, arcus triumphales, aliaq; ſumptuoſa hoc genus

genus monumenta, quæ tua eſt prudentia, nõn ignoras & uarijs caſibus ac ruinis obnoxia eſſe, neque ſibi perpetuitatem, nedum alijs tribuere poſſe. Vna uerò eloquentia homines alioqui mortales, hominumq; geſta non ſolum celebria, ſed etiam immortalia fieri, ex aſſidua cum aliorum ſcriptorum, tum hiſtoricorum lectione facilè percepiſti. Illa nanque tantopere delectaris, ut quicquid temporis à regijs conſultationibus officijſq; pontificalibus tibi ſupereſt, id omne ad hiſtoriam conferas perlegendam. Nec profectò iniuria, quum hiſtoria ex Ciceronis ſententia, ſit teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuntia uetuſtatis. Sæpe igitur, nec immerito, nuper ſuſpirabas, quum Padoæ Alexandri Macedonis illius Magni geſta, à Q. Curtio elegantiſſimè deſcripta, percurrentes, multis in locis dimidiata deprauataq; eſſe deprehenderemus, meq; ſimul cum Nicolao Iudæco, non philoſophiæ ſolam & medicinæ, ſed etiam utriuſq; linguæ doctiſſimo cohortabaris, ut ſi quo modo poſſemus, illum in priſtinum candorem uindicaremus. Quum autem Plutarchi Apophthegmata inter prandendum (neque enim, quo plus temporis lectioni poſtis impertiri, cœnare ſolitus es) ferè legenda curares, multaq; uiderentur & perceptu difficiliora, & ſenſibus ineptiora, quàm ut Plutarcho ipſi conuenirent, mirabaris unde id accidiſſet, quum præſertim paucis antè annis è Græca lingua in Latinam à Francisco Philelpho, uiro noſtra ætate comprimis facundo, trãſlata fuiſſent, ut ex archetypis, & manu ipſius ſcriptis exẽplaribus librarij iſti, qui impreſſores uocari cœperũt, illa forſitan deſcripſerint. Sed quum omnem ego culpam in librarios ipſos reijcerem, à me petijſti, ut cum Latino Græcum exemplar conferrem, & quoad poſſem, tibi caſtigarem

rem. Ego uerò ex accurata utriusque exemplaris collatione facilè perspexi, multa quidem librariorum imperitia fuisse depravata, sed interpretis incuria pleraque uideri & ineptiora & obscuriora, quæ Plutarchus elegantissimè lucidissimeq; descripsisset. Ea uerò quum emendari citra multas non possent lituras atque mutationes, plus quàm iniunxeras oneris sponte susceperi, Apophthegmataq; ipsa ex integro sic in Latinum sermonem uerti, ut ijs quæ iam pridem interpretata fuerant, multò perceptu facciliora esse uideantur. Quod quidem si utranque translationem tibi conferre uacabit, facilè dijudicabis. Illud autem mihi gratissimum erit, si hanc lucubrationem nostram honestissimis studijs tuis aliquid cognouero profuisse. Hæc nanque potissimum de causa hunc laborem suscepi, quòd Apophthegmatum lectione haud immerito te maximè delectari sciebam. Quum enim Apophthegmata ipsa nihil aliud sint, quàm acuta quædam & brevia non cuiuslibet quidem dicta, sed oratorum, ducum, legislatorum, imperatorum, regum, ac ut semel dicam, illustrium uirorum, cum omnes alios, tum principes & antistites, non inter legendum modò iuuare, uerum inter loquendum quoque & consultandum oppidò quàm commendare possunt. Quis enim magni excellentisq; sapientia uiri autoritate atque sententia non moueatur? Huc accedit multarum historiarum cognitio, quas apud alios scriptores haud facilè inuenias. Tametsi nanque Apophthegmata ab historia semota esse uidẽtur, citra historiã tamen minimè describi possunt. Sed quum hoc pulcherrimè tibi sit notum, nihil longiore præfatione opus esse uidetur. Ac illud potius excusandũ foret, quòd serius fortan quàm optabas, Apophthegmata ipsa ad te peruenerint.

Id uerò

Id uerò tametsi nulla mea factum est culpa, nisi cũ aliqua tamen adeò longi temporis usura ad te illa proficisci non potui sustinere. Nam unà cum illis lepidissimum quoque Plutarchi ipsius dialogũ, quem Ioannes Regius mihi frater castissimus, utriusq; linguæ comprimis doctus, paucis antè annis, quàm in flore ætatis suæ (nondum enim duodetriginta annos excesserat) dira peste in Romana aula raperetur, latinitate donauit, curaui describendum, simul ut fratris optimi, quem ipse institueram, qui me ueluti patrem semper coluerat, memoria diuturnior efficeretur, simul quòd dialogus ipse & lectu pulcherrimus, & cognitu dignissimus esse uidetur. Nam Grillus quidam Circes ueneficijs in suem mutatus, contra philosophorum omnium sententiam atq; definitionem ualidissimis colligit argumentis, brutas animantes non minus quàm homines ratione uti, facundissimumq; Vlyssem illum contrà disputantem ita conuincit, ut in suam trahat opinionem. Accedit & Apologia mea, in qua Pliniani prologi quidam loci & corriguntur & exponuntur. Sed ne longiore quàm par est epistola detineare, iam Plutarchum uerba Latinè facientem abs te audiri sinamus. Vale maximum studiorum decus. Ex Academia Patauina, III. Calendas Septembres.

M. D. VII.

PLVTARCHI CHAERONEI REGVM ET IMPERATORVM APOPHTHEGMATA.

Raphaële Regio interprete.

PLVTARCHVS CHAERONEVS Traiano Imperatori felicitatem.

ARTAXERXES Persarum rex, maxime Imperator Traiane Cæsar, non minus regium & humanum existimans, parua libēter promptéq; accipere, quàm magna tribuere, quum sibi in uia obequitanti pauper quidā & operarius homo nihil aliud habens, ambabus aquam manibus è proximo flumine haustum obtulisset, iucundè & susceptt & arrisit, non rei quæ donabatur utilitate, sed prompta eius qui largiebatur, uoluntate gratiā metitus. Lycurgus uerò tenuissima Lacedæmonijs sacrificia instituit, quò semper ex ijs rebus quæ adessent, deos frugaliter facileq; colere possent. Huiusce modi igitur tu quoq; mēte, licet parua tibi munuscula xeniaq;, ac uulgares ex philosophia primitias offerā, simul cum animi promptitudine cōmentariorū quoq; utilitatem suscipe, si quid commodi habent ad mores institutaq; imperatorū cognoscenda, quæ ex dictis quidē melius quàm factis sese ostendunt. Tametsi uitas quoq; illustrū tam apud Romanos, quàm apud Græcos ducum, & legumlatorum, ac imperatorum nostra

nostra historia complectatur. Sed gestorum pleraq; fortunam habent permixtam. Quæ uerò in negocijs & perturbationibus, ac utraq; fortuna emittuntur dicta atque responsa, tanquam in speculis uniuscuiusq; mentem perspicuè exhibent contemplandam. Quare Syrannes Persa quibusdam admirantibus, quòd sapientibus ipsius uerbis facta non responderent: Verborum, inquit, ipse quidem sum dominus, factorum autem simul cum rege fortuna. Illic igitur dicta quidem uirorum quæ gesta quoq; admixta continent, ociosas aures poscunt: hic uerò dicta ipsa nuda tanquā uitæ uniuscuiusq; indicia & semina quæ collegimus, nihil tibi puto impedimēti allatura, quò minus publicæ consulas utilitati, quum breui multos uiros memoria dignos perspicere & contemplari possis. Vale.

PERSAE adunco homines naso & amant, & pulcherrimos putant, quòd Cyrus, qui maximè regum omnium fuit amatus, aduncum habuit nasum. Dictitabat autem Cyrus, eos qui sibijpsis benefacere nolint, alijs cogi bona suppeditare. Ac imperium nemini conuenire, qui quibus imperat, melior non sit. Persas autem cupientes pro sua mōtana, & aspera planam & molliem regionem occupare nō permisit, quòd diceret, ut plārum semina, sic hominum uitas regionibus simules fieri.

DARIVS Xerxis pater seipsum laudans aiebat, se in prælijs & periculis euadere prudentiorem. Quum autem subditis sibi populis tributa statuisset, principes prouinciarū ad se accersiuit, & an grauia essent tributa percontatus est: quumq; illi respondissent, mediocriter se habere, dimidium unicuiq; remitti iussit. Ingens uerò malum granatum quum aperuisset, cuidam roganti, cuiusnam rei

tantum habere uellet numerũ, quantũ granorum illorum esset multitudo, respondit, tot Zopyros. Fuit autem Zopyrus uir probus, & illi amicus, qui posteaquam seipsum uerberibus fœdauit, naresq; sibi & aures amputauit, itaq; Babylonios decepit, ac sibi creditam ab ipsis urbem Dario tradidit, sæpenumero Darius ipse dixit, se malle Zopyrum illius fœditatis expertem esse, quàm centum Babylonas ad eam quam posideret, acquirere.

SEMIRAMIS quum ipsa sibi sepulchrum struere ret, inscripsit: Quisquis regum pecunijs egueris, demoliens monumentum, quotquot uolet sumito. Darius igitur quum sepulchrum aperuisset, pecunias quidem nullas inuenit, sed in alias incidit literas hoc indicantes: Nisi malus, & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquam mouisses.

XERXES Darij filius quum accepisset, Arimenẽ fratrẽ secũ de regno contendentẽ ex Bactriana descẽdisse, donum ei misit, & ijs qui munus ferebant, mandauit ut dicerent: His quidem nunc te Xerxes frater honorat, sed si rex declaratus fuerit, omniũ maximus apud ipsum eris. Quum igitur Xerxes delectus rex fuisset, è uestigio quidem Arimenes illum & adorauit, & eius capiti diadema imposuit. At Xerxes secundũ à se locum ei assignauit. Babylonijs autẽ iratus quòd defecissent, quũ illos recepisset, ne arma ferrent, sed ut cantarẽt, ac tibicines forent, lenocinia q; & cauponas exercerent, ac tunicas sinus habentes gestarent, imperauit. Atticas uerò ficus uenales in Persida inuectas nõ antè se esurũ affirmauit, quàm regionem illas strẽtem subiugasset. Idem Græcos exploratores quum in castris deprehendisset, nulla prorsus eos iniuria affecit, sed hortatus ut intrepidè exercitum specularẽtur, dimisit.

ARTA

ARTAXERXES filius Xerxis, cognomento Longimanus, quòd manum alteram haberet longiorẽ, dictitabat, multò regalius esse addere quàm auferre. Primus autem permisit eos qui secũ unà uenarentur, dum possent & uellent, se priores in feras iaculari. Primus quoque ijs ducibus qui deliquissent, has pœnas statuit, ut pro flagellandis corporibus detracta flagellarentur uestimenta, & pro uellendis capillis depilandoq; capite, deposita tiara depilaretur. Satibarzanem uerò cubiculariũ quiddam minus iustum à se petentem, quum animaduertisset illud triginta millibus Daricorum æstimare, Quæstorem iussit ad se triginta millia Daricorum asserre. Ac quũ illi traderet: Accipe, ô Satibarzane, inquit: hæc enim quũ tibi dedero, pauperior non ero: at si quæ petieras fecissem, iniustior.

CYRVS iunior quum Lacedæmonios ut secum sobrietatem inirent inuitaret, atebat cor se grauius habere quàm frater, plusq; meri bibere, ac melius ferre. Illũ enim in uenationibus uix in equo, at in rebus aduersis in solio difficulter sedere. Hortabatur autem uiros ad se mitterẽt, pollicens se peditibus equos daturum, equitibus currus: quibus prædia essent, uicos: qui uicos possiderent, eos urbium dominos effecturum. Argenti uerò & auri non numerum, sed pondus illis fore.

ARTAXERXES Cyri frater, cognomẽto Memor, occurrentibus non modò abunde se exhibebat, uerũ legitimam quoq; uxorem iussit currus aulæa undique tolere, quo ij quibus erat opus, uel in itinere se adire possent. Pauperiore autem homine pomum egregiæ magnitudinis ipsi offerente, quum iucunde accepisset: Per solem, inquit, hic mihi uidetur urbem, si credatur, ex parua magnã efficere posse. In fuga uerò quadã quũ sua ipsius impedimenta

pedimẽta fuiſſẽt directa, ſiccisq; ficubus & pane hordeaceo uescerẽtur: Qualis, inquit, uoluptatis inexpertus erã.

PARYSATIS Cyri et Artaxerxis mater iubebat cũ q regẽ alloquturus eſſet, byßinis et mollibus uti uerbis.

ORONTES regis Artaxerxis gener, quũ ob iram inhonoratus, & condẽnatus foret: Vt computatorum, inquit, digiti nunc decem millia, nunc unum ſignificant, ita regũ quoq; amici interim totum, interim minimũ poßunt.

MEMNON pro Dario rege aduerſus Alexandrũ bellum gerens, quum militem quendam mercede conductum multa de Alexãdro ipſo nefaria turpiaq; iactantem lancea percußiſſet: Ego, inquit, te poſco ut pugnes contra Alexandrum, non ut illi maledicas.

AEGYPTIORVM reges ex ſua ipſorum lege iudices adiurabãt, ne quid iniuſtè, etiam ſi rex imperaret, iudicarent.

POLTIS Thracum rex quum Troiano bello & Troiani & Græci ad eum oratores eodem tempore miſſi eſſent, Alexandrum & Helenam reddere, & duas à ſe formoſas uxores accipere iußit.

TERES Sitalci pater dictitare ſolebat, quũ ociosus eſſet neq; militaret, nihil ſe putare ab agaſonibus differre.

COTYS ei qui ſibi pardalim largitus erat, leonem cõtrà dono dedit. Sed quũ natura foret iracũdior, & aſperorũ qui in miniſterijs deliquißẽt caſtigator, uaſa ficilia tenuia quidẽ & fragilia, ſed cælaturis quibuſdã & ſculpturis politè eleganterq; laborata, ſibi ab hoſpite allata, quũ hoſpiti ipſi dona dediſſet, ſimul omnia cõfregit, ne in eos ut dixit, qui illa fregiſſent, aſperius animaduerteret.

IDATHYRSVS Scytharũ rex, aduerſus quem Darius expeditionem fecit, ſuadebat Ionum principibus, ut ſoluto Iſtri põte, ſeſe in libertatem uindicarent. Quod quidem quum ipſi ob ſuam in Darium fidem facere noluiſſent, eos mancipia frugi à fugaq; aliena uocabat.

ANTEAS ad Philippum hæc ſcripſit: Tu quidem uiris Macedonibus, qui bella gerere didicerunt, imperas: ego uerò Scythis, qui cum fame & ſiti pugnare poſſunt. Quum autem equum fricaret, Philippi oratores interrogauit, num id Philippus faceret. Illis uerò reſpondentibus, minimè: Et quo, inquit, modo contra me bellum mouere poteſt? Ismeniam uerò tibicinem optimum quum cepiſſet, tibiam inflare iußit. Et quum alij admirarentur, iurauit ſe hinnientem equum libentius auditurum.

SCILVRVS quum relictis octoginta maribus filijs obiturus eſſet, iaculorum faſciculum unicuiq; proponens, confringere iubebat. Verum ſingulis ſe id poſſe negantibus, ipſe cum ſingula iacula excepiſſet, facilè omnia perfregit: ſic illos docens, ſi unà perſeuerarent eſſe, firmos ualidosq; fore: Sin diſſoluti diſſidentesq; forent, infirmos ac debiles futuros.

GELON Siciliæ tyrannus, quo tempore Carthaginenſes apud Imeram debellauit, quum pacem faceret, fœderibus inſcribere coẽgit, quòd ab immolandis Saturno filijs deſiſterent. Sæpius autem Syracuſanos ad agriculturam tanquam in expeditionem eduxit, ſimul ut ager melior efficeretur excultus, ſimul ne ipſi per ocium deteriores fierent. Quum uerò pecunias à ciuibus peteret, ac illi propterea tumultuarẽtur, ſe petere dixit tanquam redditurus, atq; poſt bellum reddidit. Cæterũ in cõuiuio quũ lyra circũferretur, & alij deinceps aptè et pulsarẽt & canerẽt, ipſe in equũ introduci iußũ facilè agiliterq; inſiluit.

HIERON poſt Gelonẽ tyrãnus dictitabat, neminẽ

quidem eorum, qui loquendi libertate apud se uterentur, esse importunum, sed qui sermonem arcanum efferret, iniuria afficere putabat etiam eos, quibus reuelassent. Odio nanq; habemus non eos solum qui efferunt, sed etiam eos, qui quæ nolumus audierint. Conuitio autem propter oris fœtorem à quodam affectus, reprehendit uxorem, ut quæ nihil ipsum de illo unquam monuisset. Verum ea: Putabam quidem, ait, omnes uiros istiusmodi odorem olere. Ad Xenophanem uerò Colophonium, conquerentem uix duos à se famulos nutriri posse: At Homerus, inquit, cui tu detrahis, plus quàm decem millia hominum alit uel mortuus. Idem Epicharmũ comœdiarum poetam, quòd præsente sua uxore quiddam tacendum dixisset, mulctauit.

DIONYSIVS senior quum sorte secundũ literarum ordinẽ populi principes eligerẽtur, M literã sortitus est. Atq; ad eum qui dixerat, Morio es, ô Dionysi, Monarchæ erimus, inquit. Quumq; populi princeps electus concionem habuisset, à Syracusanis imperator statim fuit designatus. Sed in tyrannidis initio quum obsideretur, concitatis aduersus ipsam ciuibus, amici quidem consulebant, ut se principatu abdicaret, nisi mallet superatus mori. At is quum uidisset, boucm à coquo iugulari citoq; mori: Ergo non iniucundum est, inquit, nos morte adeò breui perterritos tantũ relinquere principatũ? Filium uerò, cui principatum relicturus erat, quum accepisset, ingenui hominis uxori uim attulisse, iratus interrogauit, nunquid tale in se deprehendisset? Cæterum adolescens quum respõdisset: Tu nanque patrem tyrannum non habuisti: Ne tu quidem filium, inquit, es habiturus, nisi ab istorum perpetratione desliteris. Ad eundem uerò filium in cubiculum ingressus, quum uidisset poculorum & argenteorum & aureo

reorum multitudinem, exclamauit: Non es principatui aptus, qui tot poculis à me acceptis neminem tibi amicum effeceris. Idem quum pecunias à Syracusanis exigeret, uideretq; eos & conquerentes, & precantes, & dicentes, se non habere, alias quoq; exigi iussit, ac bis terue id fecit. Verum posteaquam plures imperauit, ipsosq; in foro & ridere & cauillari circũeuntes audiuit, quiescere iussit: Nunc enim, inquit, nihil habent quando nos contemnunt. Matri uerò suæ, quæ licet iam cõsenuisset, uiro tamẽ tradi uellet: Ciuilia quidem iura, inquit, uiolari possunt, naturæ non possunt. Quũ autem maleficos aliarumq; rerum fures aspere coërceret ac puniret, uestium raptoribus ignoscebat, quò Syracusanos à cœnis mutuis ac ebrietatibus deterreret. Peregrinũ autem quendam, qui diceret se cum ipso priuatim loqui uelle, ac docere quo modo insidiantes cognoscere posset, eloqui iussit. Quumq; is accessisset, ac dixisset: Da mihi talentum, ut insidiarum indicia audisse uidearis, dedit, se audisse simulans, hominisq; cõmentum & artem admiratus est. Idem cuidam roganti an esset ociosus: nunquàm hoc mihi, inquit, eueniat. Duos uerò iuuenes quum audisset multa de se atq; tyrannide turpia detestandaq; inter potãdum locutos, utrosq; ad cœnã inuitauit: & quum alterũ quidẽ ebriosum multaq; nugãtem animaduertisset, alterũ autem rarò & caute bibentẽ, illum quidem ut natura & uino furentem dimisit: hunc uerò ut consultò maleuolũ & hostem interfecit. Sed quibusdam ipsum accusantibus, quòd hominem improbum ac ciuibus odiosum honoraret atq; produceret: At uolo, inquit, aliquem esse quem maiore quàm me odio prosequãtur. Quum autem oratores Corinthiorum munera sibi ab illo data aspernarentur, ob legẽ qua legati dona accipere

prohibentur, eos rem indignam facere dixit, ut qui quod solum boni tyrannides habeant, tollerent, docerentq; uel beneficium à tyranno accipere formidandum esse. Quum uerò quendam è ciuibus accepisset aurum domi defossum habere, ad se deferri iussit. Sed quum is exigua parte subtracta in alienam migrasset urbem, agrumq; emisset, illum ad se accersiuit, totumq; accipere iussit, utpote qui diutijs uti didicisset, neq; utile inutile redderet.

DIONYSIVS iunior dictitabat, se multos quidem alere liberalium artium doctores, non quòd illos admiraretur, sed quia per illos ipse alijs admirationi esse uellet. Polyxeno autem dialectico asserente, se illum redarguturum: uerbis quidem, inquit, sed egò te rebus ipsis redarguo: Tuis enim relictis me meaq; colis. Tyrānide uerò quum excidisset, interrogatus à quodam, quid sibi Plato philosophiaq; profuisset: ut tantum, inquit, fortunæ mutationem æquo animo feram. Interrogatus item, quo modo pater suus quum pauper esset ac priuatus, Syracusanorū dominatum acquisiuisset, ipse uerò quum haberet, ac tyranni filius esset, amisisset: Pater quidem, ait, quum popularis dominatus odio haberetur, tyrannidem occupauit: ego uerò, quum iam tyrannis inuidiosa foret. Sed quum ab alio idem rursus esset rogatus: Pater, inquit, suam mihi reliquit tyrannidem, non fortunam.

AGATHOCLES figuli filius, Siciliæ dominus effectus, rexq; declaratus, fictilia pocula cōsueuerat inter aurea collocare, ac iuuenibus ostentans dictitare: Ego quū prius talia facerem, nunc ob diligentiam & fortitudinem talia facio. Sed obsidente ipso urbem, quum quidam è muris conuiciarentur clamantes: O figule, unde stipendium militibus solues? blandè, ac subridens: si quando hanc ce-

pero,

pero, inquit. Quumq; illam cepisset, captiuos uendens dicebat: Si me iterum conuicio affeceritis, aduersus dominos uestros mihi sermo erit. Ithacesijs uerò nautas eius accusantibus, quòd ad insulā appulsi pecora aliquot abegissent: Atqui rex uester, inquit, quum ad nos uenisset, non ouibus modò abactis, uerum pastore quoq; ad hæc exæcato receßit.

DION qui Dionysium è tyrannide exegit, quum insidias sibi à Calippo, cui maximè & amicorum & hospitum fidebat, strui accepisset, illum redarguere non sustinuit, quòd diceret satius esse mori quàm uiuere, cui non hostes modò, uerum amici quoq; sint cauendi.

ARCHELAVS quum in conuiuio quidam improborum familiarium aureum poculum à se peteret, puerum iußit Euripidi tradere. Quod sanè quum homo miraretur: Tu quidē, ait, qui petas, hic uerò qui accipiat uel non petens dignus. Sed à tonsore loquaci rogatus: Quomodo te tondeo rex? Silens, inquit. Quum autem Euripides pulchrum Agathonem in conuiuio amplecteretur, ac iam pubescentem oscularetur, ad amicos conuersus: Ne admiremini, inquit: nā pulchrorū autumnus quoq; pulcher est. Timotheus uerò citharœdus, quum paucioribus quàm sperarat acceptis, illum palàm accusaret, atq; hanc uersus particulam aliquando canens: At tu argentum terra genitum Laudas, illum taxaret, succinuit ipsi Archelaus: Tu uerò postulas. Idem aqua respersus à quodam, quum ab amicis aduersus hominem incitaretur: Atqui, ait, non me respersit, sed quem esse putauit.

PHILIPPVM Alexandri patrem Theophrastus memoriæ prodidit non solum dignitate, sed etiam prudētia, & moribus multò alijs regibus præstitisse. Athenien-

ſes igitur beatos eſſe dictitabat, ut qui ſingulis quibuſque annis decem inuenirent, quos imperatores eligerent: Senanque unum duntaxat imperatorem permultos annos inueniſſe Parmenionem. Sed quam multi ſucceſſus præclari uno die ſibi nunciati forent: O fortuna, inquit, pro tot tantisq; bonis exiguo me aliquo malo affice. Deuictis autem Græcis quum quidam ipſi conſulerent, ut præſidijs urbes contineret: Malo, inquit, diu benignus, quam breui tempore dominus appellari. Maledicum uerò ut expelleret quum hortarentur amici: Non faciam, inquit, ne circumiens inter plures maledicat. Idem Smicytho Nicanorem calumniante, quòd ſemper Philippo detraheret, ſodalibusq; cenſentibus illum eſſe aduocandum & puniendum: At Nicanor, inquit, non eſt Macedonum uiliſſimus. Conſiderandum eſt igitur nunquid illum offendamus. Poſteaquàm igitur ſenſit Nicanorem egeſtate uehementer oppreſſum, à ſeque neglectum, iuſſit munus quamprimum illi dari. Smicytho itaque rurſus aſſerente, Nicanorem admirandas palàm omnibus laudes Philippi ipſius referre, Videtis ne ergo, inquit, in nobis eſſe & bene & malè audire? Populi autem Athenienſis principibus ſe gratiam habere dicebat, utpote qui ſuis conuicijs ipſum & moribus & ſermone indies efficerent meliorẽ. Nam illos & uerbis & rebus mendaces coarguere nitor. Quotquot uerò Athenienſes apud Chæroneam fuerant capti, quum gratis dimiſiſſet, ac ipſi ueſtimenta ſtrataq; repoſcerent Macedonas criminantes, ridens inquit: Non ne uobis uidentur Athenienſes putare ſe in talorum ludo à nobis ſuperatos fuiſſe? In pugna uerò fracta illi clauicula, quum medicus, qui illum curabat, quotidie prorſus aliquid peteret: ſume, ait,

ait, quoteunq; uis: nam clauem habes. Sed è duobus fratribus Amphotero & Hecatero, quum Hecaterum quidem prudentem & ſtrenuum, Amphoterum uerò hebetem & ignauum uideret, Hecaterum quidem Amphoterum & utrunque eſſe dixit, Amphoterum autem neutrum. Qui autem ipſi conſulebant, ut ſe cum Athenienſibus aſpere gereret, eos ineptos eſſe aiebat, ut qui hominem omnia gloriæ cauſa & facientem & patientem, gloriæ ipſius theatrum abijcere iuberent. Idem quum duorum ſceleſtorum iudex eſſet, alterum quidem ex Macedonia fugere, alterum uerò perſequi iuſſit. Quum autem in loco amœno caſtrametaturus audiſſet pabulum illic iumentis non eſſe: Qualis, inquit, noſtra eſt uita, ſi ad aſinorum commodum nobis eſt uiuendum? Munitum uerò quoddam caſtellum quum capere uellet, exploratoresq; renunciaſſent, undique aditu eſſe difficile, neq; capi poſſe, interrogauit: An ita difficile acceſſu foret, ut ne aſinus quidem auro onuſtus adire poſſet. Idem quum ij qui circa Laſthenem Olynthium quererentur atque ægrè ferrent, ſe à quibuſdam Philippi ipſius familiaribus proditores appellari: Inepti, inquit, natura & agreſtes ſunt Macedones, utpote qui Scapham Scapham uocent. Filium autem monebat, ut blandè manſueteq; cum Macedonibus conuerſaretur, quo ſibi multitudinis potẽtiam compararet, donec alio regnante ipſi humano eſſe liceret. Ad hoc conſulebat quoq;, ut eos qui potẽtes in ciuitatibus forent, & bonos & malos ſibi conciliaret, ac opus quum eſſet, bonis quidem uteretur, malis uerò abuteretur. Sed Philoni Thebano, à quo & beneficijs affectus, & hoſpitio ſuſceptus fuerat, quando Thebis obſes erat, quum nullum poſtea munus ab eo accipere uellet: Ne me, inquit, beneficẽtia

Ἀμφότερον ἑκάτερον, id eſt, utercq;.

tia & gratia superatum ingenita mihi uincendi bene faciendo præstantia priues. Idē quum multos captiuos uenderet, indecorè tunica cōtracta sedens, unus ex ijs qui uēdebātur clamauit: Parce mihi Philippe: nam paternus tibi sum amicus. Et perconitante Philippo: Vnde ô homo, & quo modo? propè, inquit, accedēs tibi dicam. Quum igitur propius adductus esset: Paulò, inquit, inferius chlamydem demitte: sic enim sedens indecore te habes. Tum philippus: Ipsum dimittite, inquit: nam uerè beneuolus & amicus mihi esse ignorabatur. Ad cœnam uerò ab hospite quodam in itinere inuitatus, quum multos secum adduceret, ac hospitem perturbatū uideret: neq; enim satis erant, quæ fuerāt præparata: nuncium unicuiq; amicorum præmittens monuit, placentæ locum relinquerent. Illi uerò sic esse sibi persuadentes atq; expectantes, non multum comederunt. Itaq; omnibus quæ parata erant sufficere. Idem Hipparchi Eubœensis mortem planè grauiter tulit, ac quodam dicente: Attamen ille maturus deceßit: Sibi quidē ipsi, inquit, sed mihi cito. Ante namq; mori properauit, quàm dignam nostra amicitia gratiam à me receperit. Ab Alexandro autem quū se criminari accepisset, quòd filios ex multis mulieribus tolleret: Ergo quum multos, inquit, habeas regni æmulos, & bonus cuade & probus, ut non mea, sed tua gratia regnum adipiscaris. Hortabatur quoque eum, ut Aristoteli operam daret ac philosophiæ: ne multa, inquit, eiusmodi agas, qualia me fecisse pœnitet. Quum uerò quendā ex Antipatri amicis iudicū numero adscripsisset, posteaquàm & barbā & capillos eum sibi inficere sensit, removit, quòd diceret eum qui in capillis infidus esset, dignum non esse cui in negocijs fides haberetur. Quādam autem Machetæ causam quum ipse iudicaret,

caret, ac dormitans parū iuribus intendisset, ipsum condēnauit. Sed Macheta reclamante, se prouocare, indignatus, ad quem, ait? Et Machetas: At teipsum ô rex, inquit, si uigilans attendens q; audieris. Tunc quidē Philippus surrexit. Sed quum ad se magis redisset, nosset q; iniuria Machetam affectum, iudicium quidem non rescidit, sed litis æstimationē ipsi persoluit. Harpalus uerò procognato & familiari Cratere iniuriarum accusato, quum dignum esse censeret, ut mulctam quidem persolueret, sed à iudicio liberaretur, ne conuicijs afficeretur: Melius est, inquit, istū ipsum, quàm nos propter istum male audire. Sed amicis ægrè ferētibus, quòd ipse à Peloponnēsibus beneficio affectus in olympicis ludis exhilaretur: Quid igitur, inquit, si malo afficiātur? Diutiuscule uerò quū in castris dormisset, ac deinde surrexisset: Securè, inquit, dormiui: nam Antipater uigilabat. Rursus quū interdiu dormiret, ac Græci qui ad fores cōuenerant, moleste ferrent atq; criminarentur: Ne admiremini, Parmenio inquit, si nunc Philippus dormit: Nam quando uos dormiebatis, ille uigilabat. Quendam uerò cantorem quum inter cœnandum emendare uellet, ac de sonis loqui: Ne tibi tantum mali, cantor inquit, eueniat ô rex, ut me ista melius scias. Sed quo tempore ab Olympiade uxore filioq; Alexandro dissidebat, Demaratus Corinthius ad ipsum uenit, à quo rogatus, quo modo Græci mutuò se haberent: Nimium, inquit, Græcorum concordia tibi est curæ, quum proximi familiarissimiq; aduersus te ita habeant. Quare prudentior factus & ab ira cessauit, & illos sibi reconciliauit. Anus uerò paupercula quum dignum esse putaret se ab illo iudicari, & sæpenumero importuna esset, ocium sibi non esse dixit. Vetula uerò clamans: ergo ne rex quidem sis,

sis, inquit. Sed ipse dictum admiratus, non illam modò, uerum alios quoq; è uestigio audiuit.

ALEXANDER adhuc puer, patre multa prospere gerente, minimè quidem lætabatur, sed ad pueros qui secum educabantur aiebat: Nimirum pater nihil mihi relinquet agendum. Pueris autem dicentibus: hæc nempe tibi acquirit. At quid prodest, inquit, si multa quidem habeamus, & ego faciam nihil? Agilis uerò & pedibus uelox quum esset, hortaretur q; à patre, ut in Olympijs stadium curreret: Siquidem, ait, reges mecum sint certaturi. Puellam autem ad se sub intempestam noctem adductam, ut unà cubaret, interrogauit, cur tam sero? Ac illa quum respondisset, se tantisper expectasse, dum maritus cubitum iret, grauiter seruos increpuit, quòd ferè ipsorum opera adulterium perpetrasset. Quum autem diis sacrificaret, ac citra parsimoniam thura in ignes sæpius iniceret, Leonides pædagogus: Tam sumptuosè, inquit, ô fili sacrificato, quum thuriferam subiugaueris regionem. Potitus igitur illa, hanc ad ipsum epistolam dedit: Misi tibi thuris & casiæ talenta centum, ne posthac in deos sis auarus, sciens nos etiam aromatifera potitos esse regione. Apud Granicum uerò pugnaturus, Macedonas hortabatur ut abunde cœnarent, omniaq; in medium conferrent, tanquam postridie quæ hostium essent, cœnaturi. Perillus autem quidam ex amicorum numero quum filiabus dotem petisset, quinquaginta quidem talenta illum accipere iussit. Sed quum ille dixisset, decem satis esse: Tibi quidem, inquit, accipere, sed mihi nequaquam satis est dare. Anaxarcho autem philosopho dispensatorem iussit quantum peteret dare. Sed quum dispensator dixisset, illum talenta centum petere: Bene, inquit, facit, quum sciat se amicum habere qui tot elargiri & possit & uelit. Mileti uerò quum multas athletarum statuas uidisset, qui in Olympijs Pythijsq; uicissent: Et ubinam, inquit, tantæ istæ erant corpora, quando Barbari uestram urbem obsidebant? Idem quum Ada, Cariæ regina, bellaria & opsonia, à structoribus & coquis impēdio elaborata ad ipsum quotidie mittere amaret, meliores aiebat sibi esse coquos & opsonatores, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam uerò prandij mediocritatem. Omnibus autem ad pugnam instructis quum duces rogassent: Num quidnam ad hæc? nihil, inquit, nisi ut barbæ Macedonibus radantur. Sed Parmenione admirāte: An ignoras, inquit, in pugna nullum esse quàm barbæ meliorem captum? Quum uerò Darius innumera ei uellet dare talenta, Asiamq; ex æquo diuidere, dixissetq; Parmenio: Ego quidem accepissem, si Alexander essem: Et ego, inquit, per Iouem, si Parmenio. Sed Dario respondit: Neq; terram duos soles, neq; Asiam duos reges tolerare. Apud Arbella uerò quum aduersus centena hominum millia de rerum summa periclitaturus esset, amici ipsum adiere ac milites accusauere, quòd in tentorijs colloquerentur, statuerentq; se nihil poliorum in regium tabernaculum relaturos, sed sibijpsis lucraturos. Tum ille ridens, bona, inquit, nunciatis: nam uerū ad uincendū, non fugiendum præparatorum collocationes audio. Ac multi quidem militum ad ipsum accedentes dicebāt: O rex confide, neq; hostium multitudinē time: neq; enim pedorem nostrum tolerabunt. Sed instructio iam exercitu quum militem quendam uidisset iaculum amento religantem, ex acie ut inutilem expulit, quippe qui tunc se instrueret, quum armis utendum esset. A matre uerò epistolam, accusationes secretas in Antipatrum calumniaq;

calumniasq; continentem, una cum Hephæstione, ut consueuerat, legens, nihil quidem illum prohibuit, sed posteaquam perlegit, anulum sibi detraxit, ac illius ori sigillum imposuit. Iouis autem filius in Ammonis templo quum à sacerdote foret appellatus: Nihil, inquit, est mirandum: nam Iupiter omnium natura pater est, qui optimũ quenque sibi adoptat. Sed quum sagittæ ictu crus ipsi foret uulneratum, multiq; eorum qui illum sæpenumero deum appellare consueuerant, accurrissent: Serena fronte, hic quidem, inquit, sanguis est, ut uidetis, & non liquor, ut canit Homerus,

Qualem cœlicolæ diui misere fluentem.

Quibusdam uerò Antipatri frugalitatẽ laudantibus, quippe qui durè asperéq; uiueret: Antipater, inquit, albis quidem extrinsecus indutus est, intus autem purpureus est totus. Idem per hyemem & frigus quum in conuiuio apud amicum esset, focusq; paruus ac parum ignis foret illatum, uel ligna uel thus inijci iussit. Antipatrides uerò quum formosam psaltriam adduxisset ad cœnam, commotus facie in eam Alexander Antipatridem ipsum interrogauit, an mulieris amore teneretur. Isq; confessus quum esset: O scelestè, inquit, non è conuiuio statim abduces mulierem? Sed Pythonem Euij tibicinis concubinum quum Casander ui conaretur osculari, idq; Alexander animaduerteret ægre ferentem Euium, indignatus in Casandrum exiliuit clamans: Ergo'ne amari quidem per uos quenquam licet? Dimittente autem ipso ex Macedonibus ualetudinarios & mutilatos ad mare, delatus est quidam qui seipsum inter ægrotos scripserat, non ægrotans. In Alexandri conspectũ igitur quum uenisset, ac examinatus, se ob amorem Telesippæ ad mare abeuntis simulasse confessus esset,

esset, interrogauit Alexander, quicum de Telesippa loquendum foret. Sed cum accepisset illam esse liberã: Ergo o Antigene, dixit, suadeamus Telesippæ ut nobiscũ maneat: nam cogere quum libera sit, nostrum non est. Græcos uerò mercede ab hostibus conductos quum cepisset, Athenienses quidem & Thessalos in compedibus seruari iussit, ut qui mercede militarent, quum & illi ex publico uictum haberẽt, & hi terrã, quam fertilissimã possiderẽt, non colerent. Dimisit uerò Thebanos, inquiens: Solis his neq; urbs, neque ager à nobis relictus est. Sed Indum qui optimè sagittare uidebatur, iactabatq;, uel per anulũ sagittas esse missurus, quum cepisset, artem ostentare iussit: quod quũ ille nollet, indignatus ut necaretur imperauit. Quum igitur ad supplicium is duceretur, ad lictores conuersus dixit: se permultos dies non exercuisse, ac ne abreraret timuisse. Id uerò quum Alexander accepisset, miratus est, ac datis muneribus eum liberauit, quia mori maluisset, quàm gloria indignus uideri. Taxiles autem unus ex Indorum regibus quũ obuiam Alexãdro factus ipsum præmoneret, ne secum pugnaret bellumue gereret, sed si inferior esset, beneficium acciperet: sin melior, conferret: Imò uerò, inquit, de hoc pugnandum est, uter benefaciẽs superior sit. De petra uerò quæ in Indis Aornus uocatur, quum audisset locum captu difficilem esse, sed eum qui teneret timidũ: Nunc, inquit, locus captu est facilis. Idem posteaquam alius petram tenens quæ minimè capi posse uidebatur, seipsum ei tradidit, non solum suæ regioni illũ dominari, sed alia quoq; loca adiecit, inquiens: Homo hic nubi sapere uidetur, qui se probo uiro quam munito loco credere maluerit. Sed post captam petram, amicis dicentibus: Herculem rebus gestis ab ipso superatum: At ego,

inquit, mea gesta cum imperio ne uno quidem uerbo cum Herculis gestis arbitror cõferẽda. Idem amicorũ quosdã, quos in tessararum ludo senserat non iocari, mulctauit. Ac ex primis quidem potentissimisq; amicis Craterũ maxime honorare, Hephæstionem uerò amare uidebatur. Nam Craterus quidem, aiebat, regis amicus est, sed Hephæstion Alexandri. Xenocrati autem philosopho quinquaginta quum misisset talenta, isq; non accepisset, quòd diceret se illis non indigere, percõtatus est, an ne amicum quidem Xenocrates haberet: nam mihi, inquit, Darij diuitiæ uix satis in amicos fuere. Posteaquam autem Porus ab ipso rogatus post pugnam: quomodo te utar? regiè, respondit: Ac iterum percontatus: nunquid aliud? Omnia, dixit, in ipso Regiè insunt: admiratus hominis & prudentiam & fortitudinem, maiorem illi regionem ea quam prius tenuerat, adiecit. Idem à quodam se uituperari audiens: Regium est, inquit, quum benefeceris, malè audire. Moriens autem quum ad amicos respexisset: Magnum, inquit, mihi epitaphium uideo futurum. Posteaquam uerò mortuus est Alexander, Demades orator dicebat se uidere Macedonum exercitum duce fraudatum Cyclopi similem excæcato.

PTOLEMAEVS Lagi sæpenumero apud amicos & cœnabat & dormiebat: ac si quando cœnam ipse præberet, illorum utebatur rebus, commodato accipiens pocula, lectos, mensas: nam ipse plura non posse sibi dicebat, quàm quæ necessaria forent, quum ditare, quàm ditescere magis regium esse diceret.

ANTIGONVS pecunias acriter exigens, quũ quidam dixisset: At Alexander talis non erat: Et merito, inquit: nam ille Asiam demetebat, ego uerò spicas lego.

Quosdam

Quosdam uerò militum thoracatos & galeatos quũ pila ludentes uidisset, perquam lætatus est, ac illorum duces ad se uocauit laudaturus. Sed quum ipsos bibere accepisset, eorum ducatus militibus ipsis tradidit. Admirantibus autem omnibus, quòd senex effectus bene ac mansuetè rebus uteretur: Prius, inquit, potentia mihi opus erat, nunc uerò gloria & beneuolentia. Idem Philippo filio multis præsentibus rogante, quando castra moturus esset: Ecquid times, inquit, ne solus tubã non audias? Quum uerò adolescens ipse instaret, ut ad uiduam tres formosas habentem filias diuerteret, præfecto hospitijs ad se uocato: filium, inquit, meum ex locorum angustijs non exiges? Morbo autem diuturno quũ laborasset, conualuissetq; : nihil, inquit, peius: hæc enim ægrotatio nos admonuit, ne multum efferamur quum mortales simus. Hermodotus uerò quum in poematis ipsum Solis filium scripsisset: In hoc [a] Lasa- [a] Al. Hollifer
nifer, inquit, tibi non astipulatur. Quidam autem quum [b] Λασσιφέρ Ro.
dixisset, omnia regibus & honesta & iusta esse: Per Iouẽ, inquit, regibus Barbarorũ, sed nobis sola honesta sunt honesta, & iusta sola iusta. Marsias uerò frater quũ litem ageret, censeretq; sibi domi iudicium instituì: Melius, inquit, in foro quidẽ erit, si nihil iniustè agimus. Per hyemẽ uerò in locis rerum necessariarum penuria laborantibus aliquando castra ponere coactus est. Vbi quum è militibus quidam in ipsum conuicia iactarent, ignorãtes illum propè esse, tentorio uirga patefacto: Flebitis, inquit, nisi longius remoti malè nobis dicetis. Idem Aristodemo quodam ex amicis, qui natus è coquo putabatur, consulente sibi, ut sumptus muneraq; diminueret: Verba tua, inquit, Aristodeme ius olent. Quum uero Athenienses ipsius seruum honorantes tanquam liberũ ciuitate donassent: Non

t 2 tuum,

unum, inquit, solum Athenienſem uelim à me uerberari. Quidam autem adoleſcens Anaximenis rhetoris diſcipulus, quum orationem præmeditatam cum apparatu coram eo haberet, neſcio quid intelligere uolens percontatus eſt. Sed quum adoleſcens reticuiſſet: quid ais, inquit: hæc'ne ſunt in tabulis ſcripta? Sed alterum audiens rhetorem dicentem: Anni tempus niuem iaciens aduentu ſuo efficiſſe, ut herba regio uacaret: Non, inquit, me ut turba uti ceſſabis? Thraſylus uerò Cynicus quum ab eo drachmam petiſſet: At regi, inquit, hoc dare non conuenit. Sed illo ſubjiciente: Da igitur mihi talentum: Atqui Cynicum, inquit, hoc accipere non decet. Demetrium autem filium magna cum claſſe ac exercitu mittens ad Græcos liberandos aiebat: Gloriam à ſpecula Græciæ ueluti faculam in totum terrarum orbem accēdi. Sed Antagoras poëta cum elixaret congrum, ipſe'que patellam quateret, poſt illum ſtans Antigonus: Putas'ne, inquit, Homerum, ô Antagora, quum Agamemnonis geſta ſcriberet, congrum elixaſſe? Tum Antagoras: Et tu, inquit, ô rex, putas'ne Agamemnonem talia gerentem curaſſe, num quis in exercitu congrum coqueret? Mithridatem uerò auream meſſem demetere quum per ſomnium uidiſſet, eum interficere decreuit. Et quum id Demetrio filio aperuiſſet, iureiurando ut taceret adegit. Sed Demetrius apud mare cum Mithridate unà deambulans, haſtæ cuſpide in littore ſcripſit: Fuge Mithridates. Quod planè quum is percepiſſet, in Pontum fugit, ibiq; regnauit.

Ialyſon, id eſt, imaginem Liberi patris.

DEMETRIVS Rhodios obſidens, Protogenis picturis tabulam, in qua Ialyſon pingebat, quodam in ſuburbio cepit. Rhodijs igitur per præconem repetentibus, ut'que tabulæ parceret deprecantibus, reſpondit ſe potius

potius paternas imagines, quàm illam picturam eſſe corrupturum. Quum autem fœdera cum Rhodijs ipſis percuſſiſſet, machinam Helepolin, à capiēdis urbibus dictam, apud illos reliquit, quæ & ſuæ magnificētiæ, & illorum fortitudinis monumentum eſſet. Poſt Athenienſium uerò defectionem quum urbem cepiſſet, quæ tam propter annonæ penuriam male habebat, & uestigio concione aduocata frumentum ipſis dedit. Sed quum in concione uerba faceret, in barbariſmum incidit. Quumq; eorum quidam qui ſedebant acclamaſſet, quo modo uerbū illud erat pronunciandum: Igitur huius quoq; emendationis gratia, inquit, uobis alia quinq; modiorum millia dono.

ANTIGONVS ſecundus capto patre Demetrio, quum ab eo iuſſus eſſet amicorum quodam muſſo, neque obedire, neq; urbibus cedere, ſi quid à Seleuco actus ſcripſiſſet, ad Seleucum ipſum ſcripſit, ſe ipſi & toto regno ceſſurum, & ſeipſum obſidem traditurum, ſi Demetrium patrem liberaret. Pugnaturus autem contrà Ptolemæi duces, quum dixiſſet gubernator, multò plures hoſtium eſſe naues: Me ipſum præſentem, inquit, contrà quot naues opponis? Inuadentibus uerò hoſtibus quum aliquando cederet: Non equidem, inquit, fugio, ſed utile quod retro ſitum eſt ſequor. Quum autem adoleſcēs fortis quidem patris filius, ſed qui non ualde bonus ipſe miles uideretur eſſe, patris ſtipendia rogaret: At ego, inquit, adoleſcens propter cuiuſque utilitatem, non propter paternam fortitudinem ſtipendia ac munera trado. Zenone autem Citieo mortuo, quem maximè philoſophorum admirabatur, theatrum ſuorum geſtorum ſublatum eſſe aiebat.

LYSIMACHVS in Thracia à Dromachete ſuperatus,

peratus, quum seipsum exercitumq; propter sitim tradidisset, posteaquam bibit captiuus iam effectus: O dij, inquit, quàm paruæ uoluptatis causa meipsum ex rege seruum effeci? Philippidi autẽ Comico poëtæ, amico & familiari suo quum dixisset: cuius te rerũ mearũ participem facio? Ille cuiuslibet respondit, præterquam secretarum.

ANTIPATER quum Parmenioni mortem ab Alexandro illatam accepisset: Siquidẽ Alexandro, inquit, Parmento insidiatus est, cui fidendũ? sin minus, quid agẽdum? Demade autem iam seniore facto: uelut, inquit, ex immolata uictima uenter solus & lingua supereſt.

ANTIOCHVS tertius ad ciuitates scripsit, si qd contra leges per literas facere iusserit, ne sibi tanquam ignaro parerent. Dianæ uerò sacerdotem intuitus, quum formosissima fuisset uisa, statim Epheso receßit, ne præter animi sentẽtiam aliquid impij perpetrare cogeretur.

ANTIOCHVS cognomẽto Hierax aduersus Seleucum fratrem de regno bellum gerebat. Sed quum Seleucus à Gallogræcis uictus nusquam appareret, ac trucidatus putaretur, deposita purpura Antiochus pullum sumpsit amictum. Paulò pòst uerò audiẽs fratrem saluum esse, & dijs supplicationes fecit, & sibi subditas ciuitates coronari iußit.

EVMENES à Perseo insidijs petitus periisse uisus est. Ea uerò fama Pergamum perlata, Attalus eius frater sumpto diademate, ac eiusdem accepta uxore cœpit regnare. Sed quũ fratrẽ aduẽtare audisset, depositio diademate, sumptoq; iaculo cũ alijs satellitibus obuiã illi, ut solebat, processit. Eũ uerò Eumenes iucũde amplexus, in auré illi dixit: Ne properes meam antè uxorem ducere, quàm me mortuum uideas. Neque aliud per totam uitam suspectum

ctum aut dixit, aut fecit. Quin etiam moriens & uxorem & regnum illi reliquit. Quapropter ille quidem ex suis ipsius liberis nullum educauit, quum multos sustulisset, sed Eumenis filio, quum ad ætatem peruenisset, regnum adhuc uiuens tradidit.

PYRRHVS Epirotarum rex à filijs adhuc pueris interrogatus, cuinam regnũ esset relicturus: Quicunq; è uobis, inquit, acutiorem habuerit gladiũ. Rogatus autem, utrum Python, an Caphisius melior tibicen esset: Polyperches, inquit, imperator. Cum Romanis uerò congressus, bis quidẽ uictoria parta, sed multis & amicorum & ducum amißis: Si uno, inquit, prælio Romanos iterum uicerimus, peribimus. Siciliæ autem potiũdæ spe frustratus, quum illinc soluisset, ad amicos retro cõuersus: Qualem, inquit, Romanis & Carthaginensibus palæstram relinquimus? Militibus uerò aquilam cum appellantibus: Ecquid non debeo uestris armis, inquit, ut uelocibus alis in altum tolli? Idem quum audisset à quibusdam iuuenibus se inter compotandum multis conuicijs maledictisq; lacerarum, iußit omnes ad se per diem adduci. Quumq; adducti forent primum interrogauit, an illa de se dixissent. Tum ex illis unus: Hæc, inquit, ô rex, sed multa plura his dixissemus, si plus uini habuissemus.

ANTIOCHVS, qui secundò aduersus Parthos exercitum duxit, quum in uenatione quadam studio persequendi feram ab amicis & seruis aberrasset, in casam pauperiorum hominum ignotus intrauit. Ac inter cœnandum quum de rege sermonem iniecisset, audiuit, aliàs bonum quidem esse, sed amicis flagitiosis utentem plurima negligere, sæpeq; illa quæ sint necessaria nihil curare, quòd uenationis nimium esset studiosus. Ac tunc quidem

tacuit, sed posteaquam satellites simul cum die ad casam illam uenerunt, cognitus allata purpura & Diademate: Nimirum, inquit, ex quo die uos sumpsi, heri primũ uera de meipso uerba audiui. Hierosolyma uerò obsidens quũ Iudæi maximo illi festo septem dierum inducias petisset, non illas modò concessit, uerum tauros quoque cornibus auratis instructos, odorumq; & aromatum copiam usq; ad portas cum pompa egit, ac uictimis illorum sacerdotibus traditis, in castra reuersus est. Quapropter Iudæi admiratione tantæ liberalitatis ducti, statim post festum seipsos illi dediderunt.

GRAECORVM APOPHTHEGMATA.

THemistocles adhuc adolescens in compotationibus & cum mulieribus uersabatur, sed posteaquã Miltiades Imperator in Marathone Barbaros debellauit, nõ erat Themistoclem deprehẽdere quicquã indecorè agentem. Admirantibus uerò mutationem dicebat: Non sinit me dormire torpescere ue Miltiadis trophæum. Interrogatus autem, utrum potius Achilles, an Homerus esse uelet: Tu uerò, inquit, utrũ esse malles uictor in Olympijs, an uictorum præco? Xerxe autem magna cum classe contra Græciã descendente, ueritus ne populi princeps Epicydes, quæstuosus homo & timidus, imperator creatus urbem perderet, argento persuasit, ut prætura abstineret. Idem quum Adimantus prælio nauali decernere non auderet, ac Themistocli ad hoc Græcos inuitanti inciteq; diceret, O Themistocles, qui in certaminibus antè insurgunt, semper uincuntur: Etiam, inquit, ô Adimante, sed ne ij quidem qui posteriores sunt coronantur. Verum Eurybia

Eurybiades quum baculum sustulisset tanquam percussurus: Percute quidem, inquit, sed audi. Eurybiadi non autẽ persuadens, ut in locorum angustijs pugnã nauale committeret, ad Barbarum clàm misit monens, ne Græcos timeret fugientes. Sed posteaquam persuasus ille uictus est, quòd illic pugna nauali decertasset, ubi Græcis expedie-bat, rursus ad ipsum misit, hortatus, ut ad Hellespontum quamuelocissimè recurreret: Græcos enim de soluendo ponte cogitare, ut Græciam seruans illum seruare uideretur. Seriphius autẽ quidam quum in eum dixisset non uirtute sua, sed propter urbis gloriam clarum esse: Vera, inquit, narras: nam neq; ego Seriphius si forẽ, clarus euasissem, neq; tu si Athenienſis. Antiphate autem illo pulchro antea quidem Themistoclem auersante ac contemnente, sed posteaquam magnam adeptus est gloriam, accedente & adulante: O adolescens, inquit, sero quidem utriq;, sed tamen resipuimus. Ad Simonidem uerò quoddã iudicium minus iustum efflagitantem dixit, neq; illum esse bonum poëtam posse, si præter numerum caneret, neq; se bonum principem, si præter legem iudicaret. Filiũ autem qui matri in delitijs erat, plurimum Græcorum omnium posse colligebat. Nam Græcorum imperio Athenienses potiri aiebat, se Athenienſium, sui matrem illius, at illum matris. Idem quum ex ijs qui filiam suam uxorem petebant, diuiti probum prætulisset: Virum dicebat se malle pecuniarum indigentem, quam pecunias uiri. Prædium autem uendens proclamari iussit, bonum quoq; uicinum habere. Athenienſibus uerò eum uituperãtibus: Quid tumultuamini, inquit, ab ijsdem beneficio sæpius affectis? Ac platanis quidem se simulem esse dicebat, ad quas tempestate deprehenſi confugiunt, sed aduenient serenitate il-

las prætereuntes uellicant atque discerpunt, necnon con uicijs prosequuntur. Eretrienses autem irridens aiebat, gladium quidem sicut Teuthidas habere, sed cor non habere. Posteaquam uerò Athenis primum, deinde ex Græcia quoque pulsus fuit, quum ad Persarum regem ascendisset, ac loqui iussus esset, orationem uarijs pictisq; strangulis simulem esse dixit: Vt enim illa, sic hanc extentam ostentare imagines & figuras, contractam uerò occultare atque delere. Itaq; & annum petijt, quo Persica lingua percepta, per seipsum, & non per alium cum rege ipso colloqui posset. Multis autem muneribus à rege honestatus, & cito locupletatus, ad seruos: O pueri, inquit, perditi eramus, nisi perissemus.

MYRONIDES aduersus Bœotios exercitum ducens, nunciauit Athenienſibus egrediendum esse. Sed quum hora instaret, ac turmarũ præfecti dicerent, omnes nõdum adesse: Adsunt, inquit, qui sunt pugnaturi. Vsusq; illis promptis hostes superauit.

ARISTIDES, cognomento Iustus, opinione sua rempublicam semper administrabat, sodalitatesq; fugiebat, ueluti potentia ex amicis parta ad iniquè agendum instigante. Sed quum Athenienses in ipsum testaceis suffragijs ex urbe pellendum concitati forent, ac illiteratus homo & agrestis testam gerens ad ipsum accessisset, rogans ut nomen Aristidis in testa ipsa describeret: Cognoscis nempe Aristidem inquit. Et quum homo dixisset, se quidem non cognoscere, sed Iusti cognomen molestè ferre, tacens nomen testæ inscripsit ac reddidit. Cum Themistocle autẽ cui inimicus erat, orator missus: Vis ne, inquit, ô Themistocles, in finibus inimicitias relinquamus? Nam si uidebitur, quum reuersi fuerimus, illas re-

sumemus.

sumemus. Quum uerò tributa Græcis statuisset, tanto paulo prior rediit, quantum in ipsam peregrinationem impendit. Sed quum ij uersus, quos Aeschylus de Amphiarao fecerat, in theatro canerentur:

Nam uult uir esse, non uideri, hic optimus,
Qui mentis altæ fructiferam sulcans segetem,
Consulta callens germinat grauissima,

omnes in Aristidem oculos coniecerunt.

PERICLES quotiescunque exercitus dux creatus esset, paludamentum assumens hæc sibijpsi dicebat: Pericles animaduerte, liberis es imperaturus & Græcis, & Athenienſibus. Iubebat autem Athenienses Aeginam tollere, tanquam Pyræi lippitudinem. Ad amicum uerò quendam testimonium falsum, cui & iusiurandum inesset, rogantem: Vsque ad aras, inquit, mihi amico esse licet. Idem moriturus quum esset, seipsum beatum esse aiebat, quòd Athenienſium nemo sua causa pullam uestem induisset.

ALCIBIADES adhuc puer, quum in palæstra to captu comprehensus esset, quem effugere nequiret, momordit colluctantis manum. Sed quum ille dixisset, mordes ut fœminæ: Minime, inquit, sed ut leones. Habẽs autem quampulcherrimũ canem, quẽ septẽ millibus drachmarum emerat, caudam illi recidit, ut Athenienses, inquit, hoc de me loquãtur, & aliud nihil curiosius inuestigent. Idem ad literarum ludũ quum accessisset, Iliada postulauit. At magistro se nihil Homeri habere dicẽte, illi incusso pugno recessit. Ad Periclis autẽ fores quum uenisset, audiens illum non esse ociosum, sed considerare, quonam modo Athenienſibus rationes reddat: Non melius erat, inquit, considerare, quo modo nõ reddat? Quum autẽ ad

iudi

iudicium capitale ab Athenienſibus è Sicilia uocaretur, ſeipſum abſcondit, quòd diceret eum ſtultũ eſſe, qui accuſatus quum liceat fugere, quærat abſolui & liberari. Sed quũ quidam dixiſſet: Nõ credis patriæ de teipſo iudicũ? Ego quidem, ait, ne matri quidem, ne fórte ignorans pro calculo albo nigrum ferat. Idem quum audiſſet, ſe cum ſocijs morti adiudicatum eſſe: At, inquit, declarabimus ipſis nos uiuere. Itaq; ad Lacedæmonios profectus Decelicum in Athenienſes bellum excitauit.

LAMACHVS quendã turmæ ducem in errorem lapſum obiurgabat, qui quũ dixiſſet, ſe poſtea nunquã id eſſe facturum: Atqui non eſt in bello, inquit, bis peccare.

IPHICRATES quum ſutoris filius eſſe putaretur, omnibus quidem contemptui erat, ſed in precio tunc primum eſſe cœpit, quum uulneratus hoſtem ſimul cum armis correptum in triremem ſuam uiuentem tranſtulit. Cæterum in amico & ſocio loco caſtra ponẽs, & uallum iaciens, & fóſſam diligẽter circunducens, ad eum qui dixerat, quid enim timemus? turpiſſimam quidem eſſe dixit imperatoris uocem: Non expectaram. Aciem uerò contra Barbaros inſtruens, ſe uereri aiebat, ne Iphicratem ignorent, qui alios ſtupefaciat hoſtes. Idem iudicium capitis ſubire coactus, ad calumniatorem dixit: Quid facis ô homo, qui bello urbem circunſtante, de me, & non mecum ſuadeas conſultare? In Harmodium uerò, Harmodij illius priſci abnepotem, in generis ignobilitatem conuicia ſibi ingerentem dixit: Meum quidem genus à me incipit, ſed tuum in te deſinit. Oratore autem quodã ipſum in cõcione interrogãte: Quis tu es, qui tantopere ſuperbis? eques an ſagittarius? an pedes? an ſcutifer? Nullus horum, inquit, ſed qui omnibus his imperare ſciam.

TIMO

TIMOTHEVS exiſtimabatur fortunatus eſſe imperator, ac idcirco ei quidam inuidentes pingebant urbes in naſſam illi dormienti ultro ingrediẽtes. Timotheus igitur aiebat: Si tantas urbes dormiens capio, quid me facturum putetis expergefactum? Quodam autem ex temerarijs imperatoribus uulnus Athenienſibus oſtentante: At me, inquit, quum ueſter eſſem contra Samios imperator, puduit catapultæ telum prope me cecidiſſe. Oratoribus uerò Charetẽ extollentibus, dignumq; eſſe Athenienſium imperatorem cenſentibus: Non imperatorem, Timotheus inquit, ſed qui ſtrata imperatori ferat.

CHABRIAS eos dictitabat optimos eſſe Imperatores, qui hoſtium res quamoptimè noſſent. Proditionis autem una cum Iphicrate accuſatus, ab Iphicrate ipſo reprehendebatur, quòd de uita periclitans & in gymnaſiũ iret, & hora conſueta prandéret: Ergo ſi quid Athenienſes, Chabrias inquit, de nobis ſtatuerint, te quidem ſqualidum & ieiunum, me uerò pranſum & perunctum necabunt. Dictitare etiam ſolebat, formidabiliorem eſſe ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum ceruo imperãte. Athenienſes uerò in Philippum ipſo concitante, quidam è concione ſuccelamauit: Bellum inuehes: Etiam, per Iouem, inquit, & nigra ueſtimenta, & publicas funerum elationes, & funebres orationes, ſi liberi ſumus uicturi, neque Macedonum imperata facturi.

PYTHEAS quum adhuc eſſet adoleſcens, in concionem proceſſit, ijs contradicturus decretis, quæ de Alexandro ſcribebantur. Sed quũ quidam dixiſſet: Tu quum adeò iuuenis ſis, de tantis rebus audes loqui? Atqui Alexander, inquit, quem decernitis Deum, me iunior eſt.

PHOCION Athenienſis neq; ridens, neq; lacry-

mans

mans ab ullo unquam est uisus. Sed quum quidam in concione dixisset, Considerantí similis uideris ô Phocion: Rectè, inquit, hoc coniectas: nam considero, siquid eorum quæ sum apud Athenienses dicturus, omittere ac recidere possim. Quum autem oraculum Athenien sibus datum esset, unum in urbe esse qui sententijs omnium aduersaretur, Athenienses q; quisnam esset, quærendum esse iuberent, Phocion se eum esse professus est. Nam soli sibi nihil eorum placere, quæ uulgus & ageret & diceret. Quum uerò apud populum sententiam dicens aliquando approbaretur, uideret q; omnes pariter orationi suæ assentientes, ad amicos conuersus: Num quid mali, inquit, forsitan imprudens dixi? Cæterum Athenien sibus collocationes pecuniæ ad sacrificium quoddam petentibus, quum alij quidem conferrent, sæpe & ipse rogatus: Erubescerem, inquit, si uobis darem, huic autem non rederem, simul indicans fœneratorem. Quum uerò Demosthenes orator dixisset: te Athenienses si insanierint necabunt: Te uerò, inquit, per Iouem, si resipuerint. Sed quum Aristogiton condemnatus in carcere moriturus esset, rogaret que Phocionem, ut ad se ueniret, amicé que ipsum ad improbum hominem ire non permitterent: Et ubinam, inquit, Aristogitonem quispiam iucundius alloquatur? Byzantijs uerò quum Athenienses irascerentur, quòd Charetem non admisissent in urbem, cum copijs auxilio sibi missum aduersus Philippum, dixisset que Phocion, oportere non socijs irasci diffidentibus, sed imperatoribus fide carentibus, imperator ipse fuit delectus. Qui à Byzantijs quidem admissus, effecit ut re infecta Philippus abiret. Idem quum Alexander centum ipsi talenta dono misisset, eos qui attulerant interrogauit: curnam

curnam quum multi alij sint Athenienses, mihi soli hæc donat Alexander? Illis autem respondentibus: quòd solum te bonum esse probumq; existimat: Igitur me, inquit, talem & uideri & esse permittat. Alexandro autem triremes ab Athenien sibus petente, quum populus nominatim Phocionem prodire, atq; sententiam dicere iuberet, posteaquam surrexit: Consulo igitur uobis, inquit, ut uel armis uincatis, uel uictoribus amici sitis. Sed quum de morte Alexandri uerba iacturentur, oratores q; è uestigio in suggestum prosilirent, neque morari, sed quamprimum bellum gerere suaderent, Phocion differendum ac iustè decernendum esse censebat: Si nanq; aiebat, hodie mortuus est, cras quoq; & semper mortuus erit. Verum Leosthene ciuitatem in bellum inijciente, quòd illam nosset spe præclara ad nomen libertatis imperij que elatam, illius uerba cupressis similia esse dicebat: Nam pulchræ & sublimes quum sint, fructum non habent. Sed prima quum ad uota successissent, ac ciuitas ob nuncios rerum bene gestarum dijs supplicaret, interrogatus an ea sic gesta esse uellet: hæc quidem esse gesta inquit, illa uerò consulatu. Cæterum Macedonibus Atticam ingressis, maritimamq; deprædantibus, eduxit iuuentutem: & quum multi ad ipsum concurrerent, hortantes ut collem occuparet, aciem que illic instrueret: O Hercules, inquit, quàm multos uideo imperatores, milites autem paucos. Ste tamen congressus uicit, ac Nicionem Macedonũ ducem interemit. Verũ haud multò pòst Athenienses bello superati, præsidiũ Antipatri admiserunt. Quum uero Menillus præsidij princeps Phocioni pecunias dono daret, indignatus dixit, neq; illũ Alexãdro meliorem esse, & causa qua nũc accipiat, quũ tũc nõ acceperit, peiorẽ esse.

Ac

Ac Antipater quidem aiebat, se ex duobus amicis quos Athenis haberet, neque Phocionem persuasisse ut acciperet, neq; Demadem satiasse quum daret. Antipater uerò quum ipsum rogaret, ut nescio quid iniusti faceret: non potes, inquit, ô Antipater, Phocione & amico & assentatore uti. Sed post Antipatri mortem quum Athenienses democratiam renouassent, Phocion cum amicis in concione morti fuit adiudicatus. Alij igitur flentes quidem ducebantur, Phocioni uerò qui cum silentio procedebat, quidam ex inimicis obuiam factus in os expuit. Tum ipse ad magistratus respiciens: Non aliquis istum, ait, indecorè se gerentem coercebit? Quum autem unus eorum qui cum ipso erant morituri, lamentaretur, atq; indignaretur: non amas, inquit, ô Euippe, cum Phocione mori? Sed quum cicutæ calix iam allatus esset, interrogatus, num quid ad filium diceret: Ego tibi, inquit, mando rogóq;, ne quid Atheniẽsibus harũ rerũ memoria trascaris.

PISISTRATVS Athenienſium tyrannus, quum ex amicis quidam ab ipso defeciſſent, ac Phylen occupaſſent, ad illos uenit ſtratum colligatum ipſe portans. Sed illis interrogantibus quid uellet: ſi uobis, inquit, perſuaſero, ut abducam: ſin minus, ut uobiſcum maneam: propter hoc enim cum ſarcinis ueni. Calumniata uerò apud ipſum matre, quòd adoleſcentem quendam adamaret, qui cum timente ac multum renuente clàm conſuetudinem haberet, uocauit ad cœnam adoleſcentem, cœnatamq; interrogauit, quomodo fuiſſet exceptus. Illo autem opipare dicente: Talia, inquit, quotidie tibi erunt, ſi matri meæ rẽ gratã feceris. Thraſibulus uerò ipſius filiã amans, quum obuiã factus oſculatus foret, ac ipſe in illum ab uxore concitaretur: Si qui nos amant, inquit, adio proſe

proſequemur, quid ijs qui oderunt faciemus? Ac Thraſibulo quidem uirginem dedit uxorem. Comeſſatores autem quidam in ipſius uxorem quum incidiſſent, multaq; laſciuè ac petulanter & feciſſent & dixiſſent, ac poſtridie Piſiſtratum flentes deprecarentur, ut ſibi ignoſceret: Vos quidem, inquit, ut modeſti ſitis curate: ſed uxor mea prorſus domo nuſquam heri profecta eſt. Idem rogantibus filijs, quum ipſe aliam ducturus eſſet uxorem, nunquid ſe accuſaret: Minimè quidem, ait, ſed laudo uoloq; & alios mihi tales filios naſci.

DEMETRIVS Phalereus Ptolemæum regem admonebat, ut cõſcriptos de regno imperioq; libros compararet atq; lectitaret: Nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris deſcripta eſſe.

LYCVRGVS Lacedæmonius ciues nutriendæ comæ aſſuefecit, quòd diceret pulchros quidem coma fieri decentiores, deformes autem formidabiliores. Ad eum uerò, qui ad Democratian in urbe conſtituendam hortabatur: Tu igitur primus, inquit, in domo tua ſtatue Democratian. Cæterum domos humiles ſerra tantum & ſecuri ſtruere iubebat. Pudere nanq; in humiles caſas pocula lectoſq; ac menſas precioſas inferre. Pugnis autem & pancratio certare prohibuit, ut ne ludentes quidem defatigari conſueſcerent. Sæpius quoq; aduerſus eoſdem militare uetuit, ne hoſtes efficerẽtur bellicoſiores. Quare uulnerato poſtea Ageſilao Antalcidas dixit, præclaræ diſciplinæ præmia ipſum à Thebanis accipere, qui illos bellum inuitos gerere docuiſſet.

CHARILLVS rex interrogatus, cur tam paucas leges Lycurgus tuliſſet, reſpondit, eos qui paucis uerbis utãtur, haudquaquam multis legibus indigere. Heloti-

Helotes ſeruí Lacedæmoniorum.

uerò quidam quũ audacius asperiusq; se cum illo gereret: per deos, inquit, te interfecissem, nisi iratus essem. Ad eum autem qui percontatus est, cur comam Lacedæmonij gestent: Quia ex omnibus, inquit, ornatibus hic est minimè sumptuosus.

TELECLVS rex ad fratrem ciues criminantẽ, quòd asperius secum quàm cum illo se gereret: Tu nãq; ait, iniurias pati nescis.

THEOPOMPVS in quadam urbe ad eum qui sibi murum ostentabat, & interrogabat, num pulcher & altus uideretur: Minimè, si mulierum est, inquit.

ARCHIDAMVS in Peloponnesiaco bello rogantibus socijs, ut sibi tributa determinarentur, respondit bellum non pasci determinatis.

BRASIDAS quũ in caricis murẽ cepisset, morsus dimisit. Deinde ad eos qui aderant: Nihil est, inquit, tam paruum, quod se non seruet, dum audeat ulcisci aggredientes. Sed in pugna per scutum iaculo percussus, quum è uulnere hastam extraxisset, illa ipsa hostem uulneratũ interemit. Sed rogatus quomodo uulneratus fuisset: Scuto, inquit, me prodente. Posteaquam uerò liberatis ijs Græcis, qui in Thracia erant, cecidit, legati Lacedæmonem missi, ad Brasidæ quoq; ipsius matrem accesserũt. Quæ primum quidem eos interrogauit, an bene Brasidas obisset. Ac laudantibus quidem illum Thracibus, diecentibusq;, nullum alium talem fore: Ignoratis, inquit, ô hospites: nã Brasidas quidem fortis erat, sed Lacedæmon multos habet illo fortiores.

AGIS rex dictitabat, Lacedæmonios interrogare non quot sunt, sed ubi sunt hostes. Apud Mantineam uerò dum pugnare cum hostibus, qui plures erant, prohiberetur

hiberetur: necesse est, inquit, cum multis pugnare, qui multis uelit imperare. Quum autem Elei laudarentur, quòd in Olympijs præclarè se gererent: Quid mirum, inquit, faciunt, si quarto quoque anno per unum diem iustitia utuntur? Sed illis in laudando perseuerantibus: Quid mirandum, inquit, si in re bona bene utuntur iustitia? In hominem uerò improbum sæpe interrogantem, quis Spartiata optimus esset: qui tui dissimillimus est, inquit. Sed alio interrogante, quot essent Lacedæmonij: Quot, inquit, ad malos arcendos satis sunt. Quum autem ab alio idem quæreretur: Multi, inquit, tibi uidebuntur, si pugnantes ipsos spectaueris.

LYSANDER uestes pretiosas, quas Dionysius Siciliæ tyrannus suis filiabus miserat, non accepit, quòd diceret se uereri, ne illis indutæ deformiores uiderentur. In eos autẽ à quibus uituperabatur, ut Hercule indignus, quòd dolo pleraque ageret, dicebat: Quò leonina pellis non peruenit, uulpinam esse assuendam. Sed aduersus Argiuos, qui iustiora quàm Lacedæmonij de quo contendebant loco, dicere uidebantur, districto gladio inquit: Qui huius est dominus, optimè de finibus disserit. Lacedæmonios uerò Corinthiorum murum segnius oppugnare animaduertens, quum leporem è fossa exilientem uidisset: Eos, inquit, timetis hostes, quorum inertia lepores in muris dormiunt? Quum autem Megarensis quidam in cõmuni conuentu aduersus ipsum dicendi licentia usus esset: Tua, inquit, uerba ciuitatis egent.

AGESILAVS dictitabat eos qui Asiam incolerent, liberos quidem esse malos, bonos autem seruos. Sed assuetis illis regem Persarum magnum appellare: Equid ille inquit, me est maior, nisi & iustior, & modestior?

De fortitudine uerò atq; iustitia percontatus, utra sit melior: Nihil, inquit, fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus. Noctu autem quum è terra hostili repente castra moturus esset, uidēs puerum quem amabat lachrymantem propter imbecillitatem relinqui: Difficile est, inquit, simul & misereri & sapere. Menecrates uerò, cognomento Iupiter, quum ad ipsum epistolam ita scripsisset: Menecrates Iupiter regi Agesilao felicitatem, rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. Lacedæmonij autem quum Athenienses ac socios apud Corinthum debellassent, audita cadauerum hostilium multitudine: Heu miseram, inquit, Græciam, quæ tot in seipsam uiros peredidit, quot satis essent ad Barbaros omnes debellandos. Oraculum uerò quod uolebat quum à Ioue in Olympia accepisset, Ephoris iubentibus, ut Pythium quoq; de iisdem consuleret, Delphos profectus deum rogauit: an quæ patri, eadem ipsi quoque uiderentur. Quendam autem ex amicis ab Icarieo Care petens, ad eum ita scripsit: Nisi eas si te iniuria non afficit, dimitte: si iniustè agit, nihil dimitte: omnino autem dimitte. Idem ad eum audiendum inuitatus, qui luscinię uocem imitabatur: ipsam, inquit, sæpe audiui. Post Leuctricam uerò pugnam Ephori animaduertentes urbem uiris uacuam esse, quòd lex iuberet omnes eos qui territi fugissent, ignominiosos esse, uolebant infamiæ notam soluere, propterea q; legislatorem Agesilaum declarārunt. Is autem quum in medium prodiisset, censuit leges postridie ratas fore. Aegyptiorum autem regi auxilio missus, una cum eo ab hostibus obsidebatur, quum multò plures hostes ipsi forent, castris q; fossam circunducerent. Sed quum rex erumpere ac dimicare iussisset: Hostes, inquit, uolentes nobis esse pares, impediendi

impediendi non sunt. Et quum spacij parum adhuc superesset ad fossam cōiungendam, in eo quod relictum erat spatio acie instructa, quum totidem utrinque pugnarent, uictores euaserunt. Idem moriens amicos nullam sibi neque fictam, neque pictam imaginem ponere iussit: Si quod enim opus, inquit, bonum feci, hoc meum monumentum erit: sin nullum, ne omnes quidem statuæ.

ARCHIDAMVS Agesilai filius, quum catapultæ iaculum tunc primum ex Sicilia aduectum uidisset, exclamauit: O Hercules, uiri perit uirtus.

AGIS iunior Demade dicēte, Laconicos enses propter breuitatem à præstigiatoribus deuorari: Atqui Lacedæmonij, inquit, his ipsis ensibus hostes assequuntur. Quum autem Ephori milites proditori committi iubērent: Alieni, inquit, ei fidem habere non debent, qui suorum proditor fuerit.

CLEOMENES ei qui se gallos, qui pugnando interirēt, ipsi daturum pollicebatur: Minimè, inquit, istis egeo, sed ijs potius qui pugnando interficiant.

PAEDARETVS inter trecentos non delectus, qui in ciuitate quidem ordine primus erat honor, hilaris acridens abibat, se gaudere dicens, si trecentos Sparta haberet ciues se meliores.

DAMONIDAS in ultimum chori ordinem à chori magistro collocatus: Euge, inquit, excogitasti, quomodo hic quoque in honore sit locus.

NICOSTRATVS Argiuorum imperator multis pecunijs et nuptijs Lacænæ quam uellet, præter regias oblatis, ad prodendum quendam locū ab Archidamo exhortatus, respondit Archidamū ab Hercule genus non ducere: Herculē enim circumeuntem malos pœna affecisse,

Archidamum uerò eos qui sunt probi, malos efficere.

EVDEMONIDAS quum in Academia Xenocratem uidisset iam seniorẽ cum discipulis philosophantẽ, audissetq; uirtutem ab ipso inquiri: Quando, inquit, illa utetur? Rursus quum alium audisset philosophum disserentem, quòd solus sapiens est bonus imperator: Sermo quidem admirandus est, inquit: sed qui loquitur, nunquam tubæ sonitu fuit excitatus.

ANTIOCHVS quum Ephorus esset, posteaquã accepit agrum Messenijs à Philippo datũ, interrogauit, num etiã illis de agro pugnãtibus, ut uincerent dedisset.

ANTALCIDAS in Athenienſem, qui Lacedæmonios imperitos uocabat: Soli uidelicet nos, inquit, nihil mali à uobis didicimus. Sed quum alius Athenienſis in ipsum dixisset: At enim sæpe uos à Cephiso fugauimus: Nos uerò, inquit, nunquam uos ab Eurota. Rhetore autem Herculis laudationem lecturo: Quis nempe illum uituperat? inquit.

EPAMINONDAS Thebano exercitum ducente nunquam Panicus & repentinus terror in castra incidit. Dicebat autem, in acie mori pulcherrimum esse. Armatorum uerò corpus non solum athletice, sed etiam militariter exercitatum esse oportere censebat. Eoq; corpulentis infensus erat, ac talem quendam exercitu expulit dicens: Vix tribus quatuor'ue scutis uentrem illius tegi posse, propter quem ne sua quidem pudenda unquam uidisset. Sic autem frugalis in uictu erat, ut à uicino ad cœnam inuitatus, quum bellariorum opsoniorumq;, ac unguentorum apparatum inuenisset, è uestigio abierit dicens: Ego te sacrificare, non lasciuire putabam. Quum uerò coquus dierum quorundam impensæ rationem collegis

legis redderet, nimium olei sumptum duntaxat ægrè tulit. Sed collegis admirantibus, impensam quidem sibi non esse molestam dixit, sed si tantum olei intra corpus ille excepisset. Quum autem festum diem urbs celebraret, ac omnes compotationibus & sodalitatibus dediti essent, familiarium cuidam squalidus & cogitabundus inter ambulandum occurrit. Ac illo mirante atque percontante, cur nam solus ita affectus circumiret: Vt uobis, inquit, omnibus ebrietati ac desidiæ liceat indulgere. Hominem uerò nequam qui mediocre quoddam scelus admiserat, Pelopidæ quidem roganti non dimisit, sed amicæ supplicanti concessit, dicens scorta decere, nõ imperatores eiusmodi accipere dona. Quũ uerò Lacedæmonij copias educerent, oraculaq; Thebanis ferrentur, alia quidem eos uictum iri, alia uictores fore significantia, hæc ad dexteram tribunalis partem, illa ad sinistram poni iussit, omnibusq; ita positis surrexit, & dixit: Si imperatoribus quidem parere uolueritis, ac simul inuadere hostes, hæc uobis sunt oracula, indicans meliora: Sin autem aduersus pericula timidi fueritis, illa, respicĩens ad peiora. Idem contra hostes exercitum educens, tonitru facto, ac ijs qui circa ipsum erant interrogãtibus, quid deum significare putaret, attonitos esse hostes dixit: quippe qui quum talia adsint loca, in talibus castrametẽtur. Suauissimum ac omnũ bene fortiterq; sibi gestorum illud esse dicebat, quòd suis adhuc uiuis parentibus apud Leuctra Lacedæmonios superasset. Cæterũ postridie illius pugnæ quum alio tempore solitus esset uncto corpore, serenoq; uultu in publicũ prodire, squalidus & humilis, ac sordidus processit. Interrogantibus igitur amicis, nũ quid sibi triste accidisset:

nihil, inquit: sed heri sensi me animo fuisse quam par sit elatiore: quocirca hesternæ lætitiæ intemperantiam hodierna tristitia castigo. Quum autem Spartiatas suam calamitatem abscondere sensisset, uolens illius magnitudinẽ declarare, nõ simul omnes, sed singulas ciuitates cadauera colligere permisit. Itaq; plura quam mille Lacedæmoniorũ cadauera fuere numerata. Iason uerò Thessalorum princeps quum socius Thebas uenisset, ac duo millia aureorum Epaminondæ uehementer indigenti misisset, aurum quidem non accepit, sed quum primum Iasonem uidit: Iniustis, inquit, manibus imperas. Ac quinquaginta drachmis à quodam ciuium acceptis exercitus uiatico in Peloponnesum irrupit. Rursus quum rex Persarum trida Daricorũ millia ei nusisset, Diomedontẽ aspere obiurgauit, quòd tantum nauigationẽ nauigasset, ut corrumperet Epaminondã. Sed regi renunciari iussit, si quæ Thebanis conferant sentiat, gratis amicum Epaminondam esse habiturum: sin quæ minus utilia sint, hostem. Argiui autem quũ Thebanorum socij essent, Athenienſiumq; legati in Arcadiam profecti utrosq; accusarent, atque Callistratus orator Oedipum & Orestẽ ciuitatibus exprobraret: Cõfitemur, inquit Epaminondas, & apud nos patricidam fuisse, & apud Argiuos matricidam. Sed qui ista perpetrarunt nos quidem expulimus, Athenienses uerò susceperunt. In Spartiatas autẽ, qui multis & magnis in rebus Thebanos accusauerant: Hi nempe uos, inquit, à breuilo quio desistere coëgerunt. Sed posteaquam Alexandrum Pheræorum tyrannum, Thebanorum hostem Athenienses sibi amicum effecerunt & socium, qui promittebat se uenalem carnis libram ipsis semiobolo præbiturum: At nos, Epaminondas inquit, Athenienſibus ligna gratis ad illas

illas carnes coquẽdas præstabimus: Nam nisi quieuerint, eorum agrum succidemus. Bœotios autem ocio dissolutos uolens in armis semper continere, quum electus esset imperator, admonens dicebat: Adhuc cõsilio polletis Thebani: nam si ego sum imperator, uobis est militandum. Ac regionem supinam & patentem belli orchestram appellabat, quòd illam obtinere non possent, nisi manum in scuti loro habeant. Chabrias uerò quum prope Corinthum perquam paucos Thebanorum quosdam auidius sub muris pugnantes interfeciſſet, ac trophæum erexisset, Epaminondas irridens: Hic decebat, inquit, non trophæum, sed Hæcatesium erexisse. Nam humilia Hecate sacella in triuijs ante portas dedicabant. Quum autem quidam nunciasset, exercitum nouis ornatum armis in Peloponnesum ab Athenienſibus missum: Quid igitur, inquit, Antigenidas gemit, quum Tellen nouas tibias habeat? Tellen uerò pessimus quidã erat tibicen, ut Antigenidas optimus. Idem quum accepisset, scutiferũ multas ab homine captiuo pecunias sumpsisse: Redde, inquit, mihi quidem scutum, tibi uerò ipsi patriq; cauponam redime, in qua reliquum temporis uiuas: neque enim posthac te periculis itidem exponere uoles: quippe qui è diuitibus & beatis unus sis factus. Interrogatus autem, utrum se meliorem duceret imperatorem, an Chabriam, an Iphicratem: Difficile id est, inquit, donec uiuimus, iudicare. Posteaquam uerò ex Laconica reuersus capitis causam cum collegis dicere coactus est, quòd menses quatuor imperium Bœotiæ contra legem retinuisset, collegas quidem in seipsum crimen remouere iussit, tanquam ui coactos, ipse autem se dixit non habere uerba rebus meliora. Sed si quid omnino apud iudices dicẽdum esset, cẽsere se,

si ab ipsis necandus iudicetur, ut columnæ condemnationem inscribant, quò Græci omnes sciant, Thebanos uel nolentes ab Epaminonda fuisse coactos igne Laconicam deuastare, quæ per quingentos annos nunquã antea fuerat deprædata: & Messenen componere, quæ triginta & ducentos annos seditionibus uexata sit: & conciliare inter se, ac in unum Arcades redigere, Græciq; restituere libertatem: nam hæc in illo imperio fuerant gesta. Quare multo cum risu iudices egressi sunt, quum ne suffragia quidem in illum sumpsissent. Cæterum in ultima uulneratus pugna, & in tentorium relatus uocabat Daiphantum, & post eum Hyolidam. Quos uiros quum periisse audisset, bellum cum hostibus dissolui iussit, ut quibus imperator non esset. Ac res uerba eius, qui optimè ciues noßet, comprobauit.

PELOPIDAS Epaminondæ in prætura collega, dicentibus amicis, pecuniæ collectionem rem uade necessariam ab ipso nihil curari: Per Iouem, inquit, huic Nicomedi, hominem claudum ac mutilatum indicans. Sed uxore ipsum ad pugnam exeuntem rogante, ut se custodiret, alios dixit hoc esse monendos: ducem uerò & imperatorem, ut ciues conseruet. Quum autem quidam è militibus dixisset: In hostes incidimus: Cur magis, inquit, quam illi in nos? Cæterum ab Alexandro Pheræorum tyranno fractis fœderibus quum captus & ligatus malè ei diceret, atque ille subiecisset: mori properas: Etiam per Iouem, inquit, ut magis in te excandescant Thebani, citiusq; perdarus. Thebe uerò, tyranni uxor, ad Pelopidam egressa quum se mirari dixisset, quòd ligatus tam hilaris esset, magis dixit se illam mirari, quòd non ligata toleret Alexandrum. Sed ab Epaminonda liberatus

liberatus, dicebat se gratiam Alexandro habere: Nam se ipsum expertum esse, non ad bellum modò, uerum ad mortem quoque audacter habere.

ROMANORVM APOPHTHEGMATA.

MArcus Curius à quibusdam criminatus, quòd agri bello parti exiguam cuique partem distribuisset, ac magnam publicam fecisset, precatus est, neminem è Romanorum numero fieri, qui quod agri ad alendum satis foret, parum putaret. Samnites uerò ab ipso debellati quum ad eum uenissent aurum dono daturi, in olla forte rapula coquebat. Samnitibus itaque respondit, & auro nihil tale prãdium indigere, et sibi melius esse, quàm habere, aurum poßidentibus imperare.

CAIVS Fabricius audiens Romanos à Pyrrho uictos, ad Labienum conuersus: Pyrrhus, inquit, non Epirotæ Romanos uicerunt. Ad redimendos autem captiuos ad Pyrrhum profectus, quum auri multum Pyrrhus ipsi daret, nihil accepit. Postridie uero maximum elephantem Pyrrhus ipse instrui iußit, qui Fabricio ignoranti post tergã maximo cum stridore uocem repente emisit. Quo quidem facto, conuersus Fabricius & ridens: Me, inquit, neq; aurum heri, neq; hodie bellua stupefecit. Sed Pyrrho ipsum rogante, ut secum esset, ac post se primum locum haberet: Ne hoc quidem tibi expedit, inquit: nam si Epirotæ nostrum utrunque nouerint, magis à me regi, quàm abs te uolent. Fabricio autem Consulatum gerenti Pyrrhi medicus epistolam misit, qua polliceba tur, se Pyrrhum ueneno, si iusserit, necaturum. Sed eam Fabricius epistolam remisit ad Pyrrhũ, animaduer-

tere

tere iubens, quàm malus & amicorum esset iudex, & hostium. Posteaquam uerò Pyrrhus insidijs deprehensis medicum quidem suspẽdit, Fabricioq; captiuos absq; redẽptionis precio reddidit, gratis Fabricius non accepit, sed totidem illi restituit, ne mercedẽ recepisse uideretur: Neq; enim insidias Pyrrhi gratia indicasse, sed ne uiderentur Romani dolo necare, perinde atq; si aperte non possent.

FABIVS Maximus cum Annibale pugnare nolens, sed tempore illius exercitum & pecuniarum & annonæ indigentẽ dissoluere quærens, per aspera & mõtosa loca persequebatur, sese illi subinde opponens. Quòd autem uulgo derideretur, Annibalisq; pædagogus uocaretur, paruipendens suis consilijs utebatur, anucisq; dicebat: Qui derisiones conuiciaq; metuat, eum sibi timidiorem uideri, quàm qui hostes fugiat. Posteaquam uerò de Minutio equitum magistro, qui hostium nonnullos debellauerat, sermo cœpit esse multus, tanquam digno Roma uiro, magis se dixit secundam Minutij fortunam timere quàm aduersam. Igitur paulò pòst quum Annibalis insidijs circunuentus cum exercitu suo Minutius de uita periclitaretur, Fabius opem ferens & multos hostium cecîdit, & illum seruauit. Annibal itaque ad amicos: Non'ne sæpe uobis, inquit, prædixi, montanam illam nebulam imbrem in nos aliquando emissuram? Post Cannensem uerò cladem imperator creatus cum Claudio Marcello, audaci & forti uiro, & qui cum Annibale semper pugnare amaret, in eam spem ipse adductus erat, si nemo pugnaret, fessum Annibalis exercitum breui esse defecturũ. Quare dictitabat Annibal, se magis Fabium non pugnantem, quàm Marcellum pugnantem formidare. Quum autem Lucanus quidam mules accusaretur,

retur, quòd amore mulierculæ captus noctu sæpenumero longè à castris uagaretur, quem alioqui admirandum in armis esse audiret, illo ignaro comprehendi amicam, & ad se duci iussit. Adducta igitur illa quum hominem accersisset: Nos inquit, non latuisti, contra legem extra castra pernoctans. Sed neque antea strenuus esse nobis ignorabaris. Quare fortiter ac rectè factis errata condonentur. Cæterum posthac nobiscum eris. Habeo nanque fideiussorem. Adductamq; mulierculam illi commendauit. Quum uerò Annibal Tarentum præter arcem præsidio teneret, adducto clàm quamlongissimè exercitu, Fabius urbem cepit atq; diripuit. Sed quum scriba percontaretur: Quid de simulachris deorum decernimus? Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos. M. autem Liuio, qui præsidio Tarentinam arcem tenebat, iactante, illum opera sua urbem cepisse, alijs quidem ridentibus: Vera, inquit Fabius, narras: nam nisi tu urbem amisisses, ego nunquam recepissem. Idem à senatu iam senior legatus ad filium Consulem Suessam missus, ut animaduertit neminem ex lictoribus ut equo descenderet fiusse missum, indignatus sedere perseuerauit. Sed quum iuuenis lictorem misisset, ac ex equo descendere iussisset, alij quidem se auerterunt, ipse uerò quum equo desiluisset, præter ætatem accurrit, & filium complexus: Euge, inquit, fili sapis, intelligens & quibus imperes, & quanti imperij magnitudinem sustineas.

SCIPIO maior à re militari, & Reipublicæ administratione ocium ad literarum studia conuertens, dictitabat se quando ociosus esset plura facere. Posteaquam autem ui Carthaginem cepit, quum quidam milites uirginem formosam de multis selectam captiuis adduxissent illi

traditurí: Libenter, inquit, accepissem, si priuatus, & non imperator essem. Obsidens autem munitam fossis profundis urbem, in qua Veneris templum eminebat, illic edicit uadimonia in tertium diem iussit, uelut illo die in Veneris templo litigantium causas auditurus. Idq; ut prædixerat urbe capta effecit. Idem à quodam in Sicilia rogatus, qua re fretus contra Carthaginem traiecturus classem foret, indicatis illi & armatis tercentum uiris, qui se exercebant, & alta turri, quæ mari immunebat: nemo, inquit, horum est, qui quum hanc ascenderit turrim, non se inde, si iussero, præcipitem iaciat. Posteaquam uerò traiectis copijs & terra potitus est, & hostium castra combussit, Carthaginenses missa legatione pacti sunt, se elephantes naues q; ac pecunias esse tradituros. Sed quum Annibal ex Italia nauibus Carthaginem redisset, conuentorumq; Carthaginenses pœniteret, quòd Annibali confiderent, ea re audita Scipio dixit, ne uolentibus quidem ipsis se fœdera seruaturum, nisi talentorum quinq; millia prius exposuissent, quòd Annibalem accersissent. Posteaquam uerò Carthaginenses uicti de pace & fœderibus legatos ad eum miserunt, è uestigio iussit eos qui uenerant abire, perinde atq; illos non antè auditurus, quàm L. Terentium adduxissent. Romanus autem erat L. Terētius Probus, qui à Carthaginēsibus fuerat captus. Sed quum hominē adduxissent, & illū pro tribunali iuxta se in consilio sedere iussit, & Carthaginensibus auditis bellum dissoluit. Terentius autem ipsum triumphantem subsecutus est pileatus ueluti libertus, ac post illius mortem ijs qui ad efferendum funus conuenerant, mulsum exhibuit bibendum, aliaq; ad sepulturam pertinentia quamdiligentissimè procurauit. Sed hæc posterius.

Antiochus

Antiochus autem rex, postquàm Romani aduersus eum traiecerant, quum de bello soluendo legatos ad Scipionem misisset: prius, inquit, oportebat, non nunc, quando & frenum & sessorem accepit. Quum uerò senatus decreuisset, ut pecunias ex ærario sumeret, nolentibus illo die Quæstoribus ærarium aperire, se aperturum esse dixit: si quidem opera sua claudi, qui tot illud pecunijs repleuisset. Pætilius uerò & Quintus Tribuni plebis, quum apud populum multa in ipsum crimina intulissent: Hodie, Quirites, inquit, Carthaginenses & Annibalem uici, eoq; coronatus in Capitolium ascendo sacrificaturus. Quisquis autem uellet, de se ferre suffragium iussit. Et quum hæc dixisset ascēdit, populusq; subsecutus, accusatores uerba facientes reliquit.

T. QVINTIVS adeò fuit statim ab initio clarus, ut ante tribunatū militum ædilitatemq; Consul fuerit designatus. Imperator autem contra Philippum missus, ut secum in colloquium ueniret persuasit. Et quū Philippus obsides postularet, quòd diceret ipsum multosq; alios Romanis esse duces, se uerò Macedonibus solum: Tu nempe, Quintius ait, solum teipsum effecisti, quippe qui & amicos & cognatos interemisti. Posteaquàm Philippum acie uicit, se permittere edixit, ut Græci legibus quisq; suis uterētur, ac liberi essent. Quā quidē ob libertatē quotquot Romanorum etiam Annibalis temporibus captiui facti apud Græcos seruiebant, drachmis quingentis redempti dono ipsi dati sunt, qui uelut liberti triumphantem illum pileati in urbē subsecuti sunt. Achæos uerò de facienda contra Zacynthiorum insulam expeditione cogitantes monuit, cauerēt ne tanquam testudines capite extra Peloponnesum extenso periclitarentur. Idem

Antiocho

Antiocho rege ingentem exercitum contra Græciam ducente, quum omnes perterriti forent, & propter multitudinẽ, & propter armorũ uarietatem, huiusmodi Achæis fecit sermonem. Se enim quum in Chalcide apud hospitem cœnaret, miratum esse carnium uarietatem copiamq; dixit: hospitem uerò affirmasse illas omnes suillas esse, condimentis & præparationibus differẽtes. Ne igitur uos quoque regium exercitum admiremini, hastatos & cataphractos, & pedites, & equestres sagittarios audientes, isti omnes Syri sunt, armis quibusdam à sese inuicem differentes. Philopœmeni autẽ Achæorum duci multos quidem & equites & armatos habenti, sed pecunijs indigenti, iocabundus dicebat, Philopœmenem & manus & crura habere, sed uentrem non habere. Et sanè Philopœmen natura talis erat.

C. DOMITIVS quem Scipio maior loco fili Lucio fratri legatum dedit, in bello aduersus Antiochum hostium aciem conspicatus, præfectis hortantibus, ut è uestigio aggrederetur: Hora, inquit, non sufficit, ut tot hominum milibus trucidatis, & impedimentis direptis, in castra redeuntes corpora curare possimus. Sed hoc ipsum cras, inquit, opportunè fiet. Itaq; postridie congressus hostium quinquaginta milia cecidit.

P. LICINIVS Consul à Perseo Macedonum rege equestri prælio uictus, milites ad duo millia octingẽtos amisit, partim cæsos, partim captos. Sed post pugnam quum Perseus legatos de fœderibus & pace misisset, uictus uictorem iussit se ac sua Romanis committere.

PAVLVS Aemilius secundum consulatum petens, repulsam tulit. Sed quum bellum aduersus Perseum & Macedones imperatorũ mollitie ac imperitia in longum duce-

gum duceretur, & idcirco ipsum Romani Consulem designassent, se gratiam illis nullam habere dixit: Se enim non quòd imperio indigeret, sed quia ipsi imperatore, delectum fuisse. Quum autem è foro domũ reuenisset, Terentiamq; filiolam lacrymantem conspicatus causam rogasset, ac puella respondisset: Quia nobis Perseus mortuus est (catellus autem erat illo nomine, quem puella in deliciis habebat) Bona cum fortuna omen accipio filia, inquit. Sed quum multam in castris temeritatem loquacitatemq; deprehendisset eorum, qui & imperatoribus adhærent, & earum curiosi rerum sunt, quæ nihil ad se spectant, omnes quietẽ agere, ac solum gladios acuere iussit: sibi nanq; rerum aliarum curam fore. Nocturnas autem excubias sine lancea atque ense seruare iubebat, ut desperantes se ab hostibus defendere posse, magis aduersus somnum pugnarent. Quum uerò per montium uertices Macedoniam innasisset, ac instructos hostes aspexisset, hortãte ipsum Nasica, ut è uestigio aggrederetur: si quidem tuam, inquit, agerem ætatem, sed multa me experiẽtia uetat aduersus instructam aciem ex itinere decertare. Perseo autem debellato, quum ob partam uictoriam conuiuia exhiberet, dicebat eiusdem peritiæ esse, & terribiliorem hostibus exercitum ostentare, & conuiuũ amicis suauissimum exhibere. Idem Perseo ne in triumphum duceretur deprecante: in te, inquit, hoc est: perinde ac si diceret, in te facultas est teipsum perimendi. Quum autem pecunias in thesauris innumerabiles inuenisset, ipse quidem nihil accepit, sed genero Tuberoni phialam argenteam librarum trium militiæ præmium dedit. Ac illam aiunt primum argenteã supellectilem in domũ Aemiliam intrasse. Quatuor uerò filios mares quũ sustulisset,

duos quidem antea in adoptionem alijs dederat, è duobus autem qui domi erant, alter quatuordecim annos natus quinto ante triumphum die mortuus est, alter quinto post triumphum duodecimum agēs annum. Sed quum in publicum prodisset, populusq; dolorem ac mœrorem præ se ferret: Nunc, inquit, de patriæ periculo desino sollicitus esse, quando successuum inuidiam, quam in domum meam fortuna euomuit, pro omnibus tulerim.

CATO senior quum apud populum in prodigalitatem & immodicos sumptus inueheretur: quàm difficile, inquit, est uerba facere uentri aures non habenti. Se uerò mirari dictitabat, quomodo salua esse ciuitas posit, in qua pluris quàm bos piscis uendatur. Quum autem nimiam mulierum potentiam aliquando uituperaret: Omnes, inquit, uiri uxoribus imperāt, nos omnibus uiris, nobis uxores. Aiebat quoque se pro beneficio collato malle gratiam non accipere, quàm pro illata iniuria pœnam non subire, ac ijs omnibus qui peccarēt præterquàm sibi uenia dare. Idem magistratus incitans in eos qui delinquerent puniendos, dictitabat, eos qui possent, nec propulsarent iniuriam, lapidibus esse obruendos. Aiebat præterea, se iuuenibus magis delectari qui erubescerent, quàm qui pallescerent. Se quoq; cum militem odio habere dicebat, qui inter ambulandum manus, ac inter pugnandum pedes moueret, magisq; sterteret, quàm clamaret. Pessimum autem imperatorem esse dictitabat, qui sibijpsi non posset imperare. Maximè uerò quemq; existimabat operæ esse seipsum uereri: Nam neminem à seipso unquam separatū esse. Multorū autem statuas quū uideret positas: malo, inquit, homines de me quærere, cur statua nō est posita Catoni, quàm cur posita est. Idem hortabatur potētes, ut parce-

rent potentiæ, quò semper licētia uti possent. Qui autē à uirtute honorē auferrēt, eos aiebat à iuuētute uirtutem auferre. Magistratū uerò iudicemq; neq; pro iustis orandū, neq; pro iniustis exorandū esse dictitabat. Cæterū iniuriā asserebat, quātis inferētibus nō uideatur, omnibus tamen esse periculosam. Senēcluti uerò quum multa turpia adsint, censebat malitiæ turpitudinem non esse addendam. Irascentem à furioso tēpore solum distare sentiebat. Idem ijs minimè inuideri dicebat, qui fortuna frugaliter modesteq; uterentur. Neq; enim nobis, uerum bonis quæ nobis adsunt inuideri. Qui autem ridiculis studerent, eos in seriys deridendos uideri aiebat. Præclara item gesta præclaris orationibus indigere, ne gloria defraudarētur, censebat. Sed ciues increpabat, quòd eosdem semper eligerent magistratus: Videmini siquidem, aiebat, aut non multi facere magistratum, aut non multos magistratu dignos existimare. Qui uerò maritimos agros uendidisset, eum se admirari simulabat, uelut mari ualentiorem: Nam quæ illud uix diluit, hunc ea facilè absorbuisse. Censuram autem petens, quum supplicantes multitudini competitores adulantesq; uideret, ipse clamabat, populum indigere & seuero medico & magna purgatione, eoq; non suauissimum, sed inexorabilem eligendum. Atque hæc dicens, ante omnes Censor fuit designatus. Quum uerò iuuenes fortiter pugnare doceret, sæpenumero dicebat, sermone magis quàm ense, ac uoce potius quàm manu conuerti hostes atq; terreri. Idem bellum aduersus eos qui circa Bætim fluuium habitant gerens, quum in discrimen propter hostium multitudinem deductus esset, atque Celtiberi ducentis talentis opitulari uellent, neque Romani sinerent Bærbaris paciscī mercedem, illos errare dixit:

Vincētes enim nō ex suis, sed ex hostibus reddituros esse: uictis autē nec à quibus petantur, nec qui petant esse futuros. Sed quāuis, ut ipse ait, plures urbes ijs diebus, quibus inter hostes commoratus est, ceperit, nihil tamen ipse plus sumpsit, quàm quæ ex hostili terra & comedit & bibit. Quum autem militum unicuiq; argenti libram distribuisset, melius esse dixit, multos argentum habentes quàm paucos aurum ex militia reuenire. Imperatoribus enim nihil aliud conuenire, quàm ex prouincijs gloriam augere. Cæterum quinq; seruos in militia habebat, quorū unus tres captiuos emit. Quod quidem ut Catonem rescisse cognouit, antequam in eius conspectum ueniret, seipsum strangulauit. Rogatus autem à Scipione Aphricano, ut Achæorum exulibus opem ferret, quò in patriam quisq; suam redirent, nullam illius negocij curam sibi esse simulabat, sed in senatu quum multa uerba fierent, assurgens: Perinde ac si nihil, inquit, habeamus quod agamus, sedemus, de Græculis decrepitis quærentes, utrum à nostris, an ab illorum pollinctoribus efferantur. Posthumus uerò Labienus quum Romanas historias Græcè scripsisset, ab auditoribusq; ueniam peteret, illudens Cato dixit: Veniam quidem dandam esse, si Amphictyonum decreto coactus Græcè scripsisset.

SCIPIONEM minorem ferunt, annis quatuor & quinquaginta quibus uixit nihil emisse, nihil alienasse, nihil ædificasse: ac tres & triginta argenti libras & auri duas, ut magnas diuitias reliquisse, quum præsertim Carthaginis dominus fuisset, ac milites maximè imperatorum omnium locupletasset. Polybij autem præceptum obseruans, nō antè è foro descendere studebat, quam ex ijs aliquē, qui quoquo modo occurrissent, sibi familiarem & amicū sibi

fecisset. Quum uerò iuuenis adhuc esset, tanta fuit in existimatione & fortitudinis & prudentiæ, ut Cato maior de ijs interrogatus, qui apud Carthaginem militarent, inter quos & Scipio erat, dixerit:

Soli sensus ineſt, umbris par cætera turba.

Eoq; Romani ipsum ab exercitu in urbem reuocarunt, nequaquam ei gratificantes, sed per illū cito ac facilè se Carthaginē capturos esse sperātes. Cæterū posteaquā intra murum penetrauit, quum Carthaginenses ex arce repugnarēt, Polybiusq; ipsi consuleret, ut in mare, quod in medio erat non ualde profundum, aut muricēs ferreos spargeret, aut tabulas clauis præfixas inijceret, ne trānseuntes hostes pro aggeribus pugnarent, ridiculum esse dixit, quum iam muros cepissent, ac intra urbem essent, quærere ne cum hostibus pugnent. Quum uerò inuenisset urbem & statuis Græcis, & deorum donarijs ex Sicilia asportatis refertam, edixit, ut quisquis ex ciuitatibus adesset, sua agnosceret, ac reportaret. Sed ex præda neque seruum neq; libertum sumere quicquam permisit, ac ne emere quidem, quum omnes diriperent atq; prædarētur. Idem C. Lælio sodalium amicissimo Consulatum petenti suffragans, Pompeium interrogauit, an & ipse Cōsulatū peteret. Pompeius autem tibicinis filius putabatur. Is igitur quum se petere negasset, ac pollicitus esset se Lælium deducturū & pro illo ambiturū, crediderunt quidem, sed illum expectantes decepti sunt: Nam ipse in fōro ambire, ac ciues prehensare nuntiatus est. Quam quidem rem alijs ægrè ferentibus, Scipio ridens: Stultitia, inquit, nostra tanquam nō homines, sed deos simus precaturi, iandiu tempus terimus, tibicinem expectantes. Appio autē Claudio ipsius in censura cōpetitore iactāte,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanos omnes à se nominatim salutari, quos ferè Scipio ignoraret: Vera narras, inquit: nam mihi nō ut multos nosse, sed ut à nullo ignorarer, curæ fuit. Iubebatq; ciues, à quibus utriq; ad exercitū missi fuerāt, uel legatos uel tribunos militū utriusq; uirtutis testes ac iudices eos sumere, qui bello illi interfuissent, quod cum Celtiberis gerebāt. Sed Censor declaratus iuuenem quendā equo priuauit, quòd sumptuosè cœnās quo tēpore Carthago oppugnabatur, placentā ex melle in urbis similitudinē compactam, Carthaginemq; appellatam proposuisset conuiuis diripiendam. Ac rogante causam iuuene propter quam equo priuatus fuisset: Quia me prior, inquit, Carthaginem diripuisti. C. autem Liciniam quum prætereuntē uidisset: istum, inquit, hominem ego peierasse scio: sed quum illum nemo accuset, non possum ipse & accusator esse & iudex. A senatu uerò tertium emissus gentium ac regum speculator, & ut Clitomachus canit, inspecturus

Queis urbes hominesq; animis, qua lege tenentur:

quum Alexandriā uenisset, nauiq; egressus capite penula tecto procederet, Alexandrini undiq; cōcurrentes ipsum rogabant, ut & caput detegeret, & sibi exoptantibus facilè exhiberet. Quod quidem quum facilè impetrassent, illum clamore ac plausu prosecuti sunt. Sed rege utx eam alijs propter desidiam & corporis mollitiem incedente, Scipio uoce summissa murmurās ad Panætiū inquit: Iam Alexandrini aliquid uoluptatis fructuq; ex nostra peregrinatione perceperunt: Nostra nanque causa regem suum ambulantē uiderunt. Comitabantur autē ipsum amicus quidem unus Panætius Philosophus, & serui quinque. quorū uno in peregrina terra defuncto, alium ne emeret, Roma accersiuit. Numantini uerò quum inexpugnabiles uiderentur

uiderentur, multosq; Romanorum imperatores uicissent, Consulem ad id bellum Scipionem populus iterum declarauit. Sed quum in militiam multi certatim irent, senatus non id solum prohibuit, quòd Italia tanquā deserta futura esset, sed etiam pecunias ex præparatis sumere non permisit. Cæterum uectigales prouentus, quorum nondum tempus aderat, assignauit. Ac Scipio quidem pecuniis se non indigere dixit: suas enim ipsius & amicorum satis esse futuras: sed de militibus incusauit: difficile nanque bellum esse. Nam si propter hostium fortitudinem toties uicti sunt, strenuis sibi opus esse militibus, quoniā aduersus tales: Sin propter ciuium ignauiam, quoniam cum talibus mittatur. Posteaquam autem in castra uenit, multumq; & proteruitatem, & licentiam, & superstitionem, & delitias deprehendit, uates quidem & ariolos, & lixas, & lenones statim eiecit, ac uasa omnia præter ollam & uericulum, & calicem fictilem amandari iussit. Argenteum quoque poculum non maius duabus libris habere uolentibus permisit. Lauari autem prohibuit, necnon unumquenq; eorum qui se ungerent, ipsum se fricare iussit. Nam iumenta manus non habentia alio fricante indigere. Vt stantes quoque incoctum opsonium pranderent edixit, sed discumbentes panem uel pultem, & carnem tostam aut elixatam cœnarent. Verum ipse nigro circundatus sago circumibat, lugere se turpitudinem exercitus dicens. Quum autem Memmij cuiusdam tribuni militum iumenta pelues ad refrigerandum ex lapide factas, patinas Thericlias portantia deprehendisset: mihi quidem, inquit, & patriæ dies triginta, sed tibi per totam uitam quum talis sis, teipsum inutilem reddidisti. Alter uerò quidam quū scutum pulcherrimè ornatum ostē-

taret: Scutum quidem ò adolescens, inquit, pulchrum, sed Romanum uirum decet magis, in dextra spem habere, quàm in sinistra. Sublato autem uallo quum quidam se ualde premi diceret: Meritò, inquit: huic enim ligno magis, quàm gladio fidis. Cæterum desperationem hostium uidens dicebat se tempore securitatem emere. Nam bonum imperatorem ut medicum, ultima uti per ferrum curatione. Sed tamen Numantinos opportunè inuadens in fugam uertit. Quorum seniores quidem quum suos uictos uituperarent, quia quos toties fugassent, eos tum fugissent, quendam ex Numantinis iuuenibus dixisse ferũt: Pecora quidem & etiamnum eadem sunt, sed mutatus est pastor. Posteaquàm uerò capta Numantia, iterum triumphauit, in contentionem cum C. Graccho pro senatu & socijs uenit. Quumq; plebs dolore affecta ipsum pro rostris tumultu terreret: Me castrorum, inquit, uociferatio nunquam perturbauit, nedum hominum cõflictatio, quibus non matrem Italiam esse scio, sed nouercam. Quũ autem ij qui circa Gracchum erant, clamarent, tyrannum esse interficiẽdum: Meritò patriæ oppugnatores, inquit, me antè uolunt interficere: neq; enim uiuo Scipione Romam cadere posse putant: neq; si Roma ceciderit, uicturum Scipionem.

CAECILIVS Metellus munito loco exercitũ admouere uolens, quum Centurio dixisset, si solos decem uiros perdiderit, locum esse capturum, interrogauit eũ, an unus ex decẽ illis esse uellet. Quodam autem ex iunioribus Tribunis militũ percontante, quid acturus esset: Si hanc, inquit, tuniculam mihi conscian esse putarem, ipsam exutus in ignem inijcerem. Sed uiuẽti Scipioni inimicus, mortuum ægrè tulit, filiosq; subire feretrum ac gestare iussit.

Se quoq;

Se quoq; dijs gratiam habere pro salute urbis Romæ dixit, quoniam Scipio apud alios non fuerat natus.

C. MARIVS ex humili genere quũ ad Rempub. accessisset, ob præclara militiæ gesta ædilitatem maiorem petijt. Sed quum sensisset se præteriri, eodẽ die minorem ambijt. Et quamuis in illa quoq; repulsam tulerit, non tamen se Romanorum principẽ fore desperauit. Varices autẽ quum in utroq; haberet crure, solutus præbuit medico excidendos, ac neq; gemitu emisso, neq; cõtractis supercilijs sectionẽ tolerauit. Sed medico ad crus alterum transeunte noluit, quòd diceret illo dolore dignã non esse curationem. Quum uerò Lucius fororis ipsius filius, quo tempore secundum consulatum gerebat, cuidam militi, nomine Trebonio, uim attulisset, isq; illum occidisset, ac multis accusantibus non negasset se Tribunum nullũ interfecisse, causamq; exposuisset atq; comprobasset, coronam quæ ob fortiter facta datur, ad se ferri Marius iussit, illaq; Trebonium coronauit. Idem prope Teutonas castrametatus in loco parũ aquæ habenti, quum milites dicerent se sitire, indicato illis flumine iuxta uallum hostium labẽte: Illinc uobis est, inquit, potus sanguine emendus. Ipsi uerò uti se abduceret orabãt, donec sibi humidus sanguis, neq; dum propter sitim coagulatus foret. Cimbricis autẽ bellis quum mille ex Camertibus uiros fortes secundum nullam legem ciues Romanos effeciisset, aduersus accusantes dicebat se legẽ inter armorum strepitum non exaudisse. Verum ciuili bello fossa circundatus & obsessus, tolerabat, æquo animo expectans occasionem. Sed quum Pompeius Silo ipsi dixisset: Si magnus es imperator, ò Mari, descẽde in certamen: Tu igitur inquit, si magnus es imperator, coge me uel inuitum decertare.

CATVLVS Luctatius bello Cimbrico apud Athesim fluuium castrametatus, quũ Romani milites, quoniam Barbaros transire conãtes uidebant, retrocedentes cõtineri nõ possent, ad primos eorũ qui fugiebãt, cucurrit, ut non hostes fugere, sed imperatorem sequi uiderentur.

SYLLA cognomento Felix maximas suarum felicitatum duas existimabat, & Pij Metelli amicitiam, & quòd Athenas non euertisset, sed urbi pepercisset.

C. POPILIVS ad Antiochum Syriæ regẽ à senatu missus est epistolã ferens, qua iubebatur & ex Aegypto exercitum abducere, neq; filiorum Ptolemæi pupillorum regnum occupare. Accedẽtem uerò ipsum per castra quũ ex longinquo Antiochus benignè saluasset, ipse nec regem resalutauit, & literas illi reddidit. Quibus lectis quum rex se consulturum & responsurum dixisset, circulum illi uirga circunduxit Popilius, ac dixit: Hic igitur stans consulta & responde. Cunctis autem uiri grauitatẽ animiq; elationem admirantibus, Antiochoq; facturum se cõsentiente quæ Romanis uiderẽtur, Popilius tunc ipsum & salutauit & amplexus est.

LVCVLLVS in Armenia cum decẽ millibus peditum & mille equitibus aduersus Tigranem, centum & quinquaginta millia hominum in exercitu habentem pridie nonas Octobres properabat, quo die Scipionis copiæ à Cimbris antea fuerant deletæ. Quare quum quidam dixisset, diem illum Romanis nefastũ esse ac religiosum: Ergo, inquit, hodie promptè fortiterq; pugnemus, ut hunc quoque diem ex nefasto & tristi hilarem & iucundum Romanis faciamus. Sed militibus Romanis cataphractos maximè timentibus, bono illos animo esse iussit: Plus enim laboris in illis spoliandis, quàm debellandis futurum.

futurum. Quum uerò primus in montem ascendisset, motumq; Barbarorum inspexisset, exclamauit: Vicimus ô commilitones. Ac nullo subsistente persequens, Romanorum quidem solum quinq; interemptos amisit, sed hostiũ supra centum millia cecidit.

MAGNVS Pompeius à Romanis tantopere fuit amatus, quanto pater odio habitus est. Is quum iuuenis esset, Syllæ factioni sese penitus addixit, & quum neque imperator, neq; senator esset, magnum ex Italia exercitum collegit. Quumq; à Sylla accerseretur: non sine spolijs, inquit, nec absq; sanguine imperatori copias ostentabo. Neque prius iuit, quàm multis prælijs duces hostium superasset. Posteaquam autem in Siciliam à Sylla missus, accepit in uijs milites uiolare ac rapere, uagantes quidem frustra & circuncurrentes castigauit. Qui uerò à se præmittebantur, eorum gladijs anulorum signa impressit. Idem Mamertinos, qui aduersæ factionis erant, uniuersos occidere decreuerat. Sed quum Sthenius populi princeps ipsum non iusta agere dixisset, qui pro unius culpa multos insontes puniret, atq; se eum esse, qui & amicos persuasisset, & inimicos Marij partes sequi coëgisset, Pompeius uiri fortitudinem admiratus, se Mamertinis ueniam dare dixit, ab eo uiro persuasis, qui patriam suæ ipsius animæ præponeret, sicq; & ciuitatem & Sthenium seruauit. Quum uerò in Libyam aduersus Domitium traiecisset, ac magna pugna uicisset, salutantibus se imperatorem militibus dixit, se honorem illum non admissurum, donec hostium uallum staret. Tunc milites quamuis magna pluuia detinente, impetum fecerunt, & castra diripuerunt. Ac redeuntem quidẽ ipsum & alijs honoribus Sylla iucundè excepit, & Magnũ ipse primus appellauit,

appellauit, sed triũphare uolẽtem nõ permisit, quòd nondum senator esset. Quũ uerò Pompeius ad eos qui aderãt dixisset, Syllam ignorare, uel plures orientem solem quàm occidentem adorare, tum Sylla exclamauit: Triumphet. Cæterum Seruilius uir senatorius ægrè ferebat, multiq; militum triumpho resistebant, munera quædam reposcentes. Quibus quum Pompeius dixisset, se potius triumphum esse dimissurum, quàm illis adulaturum: Nunc uerè, Seruilius, inquit, & magnum & dignum triumpho Pompeium censeo. Quum autem Romæ consuetudo fõret, ut equites quandocunque militaria munera legitimo tempore obissent, equum in fõrum ducerent ad duos uiros quos Censores uocant, enumeratisq; stipendijs ac imperatoribus sub quibus militassent, congruas uel laudes uel uituperationes acciperent, Consulem gerens Pompeius ad Censores Gellium & Lentulum ipse equum deduxit. Quibus quidem, ut mos est, percontantibus, an omnia stipendia fecisset: omnia, inquit, sub meipso imperatore. Sertorij autem literis in Hispania potitus, inter quas multorum ducum erant epistolæ, quibus ad res innouandas mutandasq; remp. Sertorium Romam uocabant, omnes combussit, ut permitteret malos & pœnitere, & fieri meliores. Posteaquam uerò Phraates rex Parthorum misit ad eum rogans, ut Euphrate fluuio termino uteretur: imò uerò iustitia, inquit, Romani ergà Parthos termino potius utantur. L. autem Lucullus militia functus quum sese uoluptatibus dedisset, sumptuosèq; ac delicatè uiueret, atq; Pompeiũ uituperaret, quòd præter ætatem multa gerere affectaret: Magis est præter ætatem, inquit Pompeius, senem delitijs indulgere, quàm cum imperio esse. Sed quum ægrotaret, turdum quidem

quidẽ sumere medicus iusserat, qui quum ab ijs qui quærebant non inueniretur, quòd eo tam tempore aues illæ auolassent, quidamq; dixisset, apud Lucullum inuentum iri, qui illos per totum aleret annũ: Ergo nisi Lucullus delicatus esset, inquit, Pompeius non uiueret? Ac medico ualere iusso, quiddam inuentu facile sumpsit. Quum uerò magna annonæ penuria Roma laboraret, uerbo quidem fori curator declaratus, sed re ipsa terræ mariq; dominus, in Libyam, Sardiniam, & Siciliam nauigauit. Vbi quum magnam frumenti uim congregasset, Romamq; rediens nauigaret, ac magna tempestate orta gubernatores morarentur, primus nauem ingressus ancoram tolli iussit clamans: Nauigare necesse est, uiuere non est necesse. Detecta autem aduersus Cæsarem discordia, ac Marcellino quodam ex ijs qui à Pompeio prouecti uidebãtur ad Cæsarẽ inclinato, & contra Pompeium ipsum in senatu dicente: Non pudet Marcelline, inquit, malè mihi dicere, per quem è muto eloquens, è famelico uomens factus es? Ad Catonem uerò, à quo acerbè taxabatur, quòd quum ipse sæpius prædixisset, potentiam Cæsaris & incrementum nequaquam è republica esse, Pompeius uerò illam contra iuuisset: Tua, inquit, uerba diuinationem magis sapiunt, sed mea sunt auuciora. De seipso autem liberè loquens dictitabat, se omne imperium & accepisse citius quàm expectarit, & citius deposuisse quàm fuerit expectatus. Cæterum post Pharsalicam pugnam fugiens in Aegyptum, quum è triremi foret egressurus in piscatorium nauigium à rege missum, ad uxorem & filium conuersus, nihil aliud quàm hanc Sophoclis sententiam dixit: Quisquis ad tyrannum uadit, illius est seruus, quamuis liber uenerit.

Sed

Sed quum in nauigium transisset, ense percussus, gemitu semel emisso, ac nihil locutus, seipsum tegens cecidit.

CICERO orator, quum iocis & cauillationibus nomen ipsius pateret, amicique suaderent, ut illud deponeret, dixit se effecturum Ciceronem & Catonibus, & Catulis, & Scauris clariorem. Ac poculum argenteum dijs dicaturus, prima quidem nomina literis notauit, sed Ciceronis loco cicer insculpsit. Qui autem oratores ualde clamarent, eos propter infirmitatem in clamorem, ut claudi in equum, ascendere dictitabat. Idem quum Verres filium habens, qui in adolescentia corpore abutebatur, in Ciceronem ut mollem conuicia ingereret, cinædumque uocaret: Ignoras, inquit, liberos intra fores increpandos esse. Quum uerò Metellus Nepos ipsum dixisset, plures testimonio peremisti, quam patrocinio seruasti: Nempe mihi, inquit, plus est fidei, quam eloquentiæ. Interrogante præterea Metello, quis ei pater esset: Hoc, inquit, responsum mater tua difficilius effecit. Nam Metelli mater impudica habebatur, Metellusque ipse & leuis & incõstans, et libidini deditus erat. Is uerò quum lapideum eorum Diodori rhetoris uita functi sepulchro insculpi curasset: Iusta, inquit, retributio facta est: Iustum enim uiolare, non orare docuit. Idem Vatinium sibi inimicum, & alioqui perditissimum hominem, quum periisse, ac paulò pòst uiuere audisset: Malè, inquit, pereat, qui malè mentitus est. In eum uerò qui quum Libs genere esse uideretur, diceret se non audire ipsum orantem: Atqui aures, inquit, tuæ perforatas non habes. Caium autem Pompilium, qui iuris peritus haberi nolebat, quũ esset imperitus ac ingenio tardus, ad causam quandam testem aduocauit, qui quum dixisset

dixisset se nihil scire: Nimirum, inquit, te de iure forsitan puras interrogari. Quum uerò Hortensius orator argenteam Sphingem à Verre mercedem accepisset, ac in Ciceronem oblique nescio quid elocutum dixisset, se ænigmatum soluendorum imperitum esse: Atqui Sphinx, inquit, penes te est. Voconio autem cum tribus filiabus peraquam deformi facie obuiam factus, submissa uoce ad amicos: Hic, inquit, Phœbo non permittente liberos seminauit. Idem quũ Faustus Syllæ filius supellectilem propter aris alieni magnitudinẽ proscripsisset: Hanc, inquit, magis amo, quàm patris eius proscriptionem. Sed Pompeio & Cæsare dissidentibus: Quem fugiam, inquit, noui, ad quem fugiam non noui. Ac Pompeium quidem accusabat, quòd urbem deseruisset, Themistoclem magis quàm Periclem imitatus, quum res illis minimè similes forent. Quum igitur ad Pompeium uenisset, ac rursus percontaretur, ab illo interrogatus, ubinam Pisonem generum reliquisset: Apud tuum socerum, respondit. Sed quum quidam à Cæsare ad Pompeium transfugisset, diceretque se propter celeritatem ac promptitudinem equum reliquisse, melius equo consuluisse, dixit. Nunciante autem quodam Cæsaris amicos tristes esse: Atsi, inquit, ipsos Cæsari maleuolos esse. Post pugnam uerò Pharsalicam quum Pompeius quidem tam fugisset, Nonio quodam dicente, adhuc aquilas septem apud se esse, ac ideirco bono esse animo hortante: Bene, inquit, moneres, si cum graculis bellum nobis foret. Sed posteaquàm Cæsar uictoria potitus, deiectas Pompeij statuas honorificè restitueret, loquens de illo Cicero dixit, Cæsarem in erigendis Pompeij statuis suas firmare. Bene autem dicere tanti faciebat, atque in id tantopere intentus erat, ut die ad

causam

Universidad de Deusto Biblioteca

causam apud Centumuiros agendam constituto, Erotem seruum, qui nunciarat in posterum diem iudicium fuisse dilatum, libertate donarit.

C. IVLIVS Cæsar, quum Syllam fugeret adhuc adolescens, in prædones incidit, qui quũ pecuniæ petitæ summam audissent, ipsos irrisit, uelut ignorantes quẽ tenerent, seq; duplum daturum pactus est. Itaq; asseruatus donec pecuniæ colligerentur, ne sibi dormienti obstreperent, utq; silerent imperabat, quasq; orationes atque poëmata scripsissent, ipsis legebat, & qui ea minus laudassent, fatuos barbarosq; uocitabat, ac per iocum ridens se illos suspensurum minabatur: id quod etiam paulò pòst effecit. Nam pecunijs allatis liberatus, collectis ex Asia uiris, & classe deducta, prædones ipsos & cepit & suspendit. Romæ uerò quum Pontificatum peteret, ac competitorem Q. Catulum, Romanorum facilè principem, haberet, à matre osculatus, & ad ianuam deductus: Hodie, inquit, mater filium uel Pontificem, uel exulem habebis. Idem Pompeiam quidem uxorem, quæ à Clodio adulterata ferebatur, repudiauit, sed postea Clodio propter id accusato citatus testis, nihil mali de uxore dixit. Verum accusatore interrogante: Cur ergo illam dimisisti? quia Cæsaris uxorem, inquit, etiam à calumnia puram esse oportet. Alexandri uerò titulis apud Gades lectis illacrymauit, & ad amicos: Is, inquit, quum ætate hac esset, Darium superauit: at mihi in hunc usque diem gestum est nihil. Castellum autem sterile in Alpibus prætergrediens, amicis dubitantibus an & illic de principatu contentiones æmulationesq; essent, quum cogitabundus restitisset: Mallem, inquit, hic esse primus, quam Romæ secundus. Cæterum ex audacibus facinoribus periculosa & magna

& magna aggredienda esse dicebat, sed citra cõsultationem. Ac Rubiconem quidem fluuium ex Gallia prouincia aduersus Pompeium transgressus: Omnis, inquit, iacta est alea. Sed posteaquam Pompeius Roma profugit ad matre, Metello ærarij præfecto ipsum pecunias sumere uolentem ærario clauso impedienti mortem minatus est. Quare Metello perterrito: O adolescens, inquit, difficilius id mihi dictu quàm facto erat. Quũ uerò milites Brũdusio ad eum Dyrrhachium serius adueherentur, clam omnibus in paruum nauigium ingressus, pelagus transire conatus est. Sed fluctuante nauigio quum se gubernatori aperuisset, clamauit: Confide fortunæ, sciens abs te Cæsarem uehi. Tunc igitur & ualida tempestate prohibitus, & à militibus concurrentibus, ac ægrè ferentibus quòd alias copias expectaret, quasi ipsis diffideret, fuit dissuasus. Posteaquam uerò Pompeius commissa pugna superior non est uictoria usus, sed in castra recessit: Hodie, inquit, uictoria penes hostes erat, si peritum uincendi haberent imperatorem. Idem quum apud Pharsalum Pompeius instructam aciem stare, hostesq; expectare, iussisset, illum errasse aiebat, quòd militum ex incursu cum quodam animi furore incitationem & impetum dissoluisset. Posteaquam uerò Ponticum Pharnacem primo impetu uicit, ad amicos scripsit: Veni, Vidi, Vici. Post fugam autem eorum qui in Libya cum Scipione erant factam, quum seipsum Vticæ Cato peremisset: Inuideo, ait, mortem tibi Cato: nam & tu mihi tuam salutem inuidisti. Sed quum quidam ipsum hortarentur, ut sibi ab Antonio Dolobellaq; caueret: non hos, dixit, pingues & unctos timendos esse, uerum illos pallidos & macilentos, Brutum & Cassium indicans. Sermone autem inter cœnandum orto de morte,

quænam sit optima, inexpectatam prætulit.

CAESAR qui primus Augustus fuit cognominatus, quum adhuc adolescens foret, ab Antonio duo millia sestertium & quingenta, quæ ex primi Cæsaris interfecti dono ad se Antonius ipse transtulerat, repetijt, uolens id reddere Romanis, quod illis à Cæsare fuerat legatum, sestertios cuique tricenos. Sed quum Antonius pecunias retineret, ipsumq; ab illis repetendis, si prudens esset, deterreret, paterna bona proscripsit & uendidit. Ac dono reddito, ut sibi ciuium beneuolentiam conciliauit, sic in illum odium concitauit. Quum autem Rhymetales, rex Thracum, qui ab Antonio ad ipsum transfugerat, in cõuiuijs dissolutus esset ac molestus, societatem exprobrans, cuidam aliorum regum propinans Cæsar: Ego, inquit, proditionem quidem amo, sed proditores non laudo. Alexandrinis uerò post captiuitatem extrema se passuros expectantibus, posteaquam cum Ario Alexandrino suggestum ascendit, urbi se parcere dixit primum quidem propter eius & magnitudinem & pulchritudinem, deinde propter conditorem Alexandrum, tertio propter Arium amicum. Idem quum audijsset Erotem, qui res Aegypti curabat, emisse coturnicem, omnes alias pugnando superantem atque inuictam, & comedisse assatam, eum ad se accersiuit, ac iudicio constituto confessum, malo nauis affigi iussit. In Sicilia uerò Arium pro Theodoro constituit gubernatorem. Sed quum ipsi quidam libellum dedisset, in quo scriptum erat: Caluus Theodorus Tarsensis fur erat: quid tibi uidetur? Lecto illo Cæsar subscripsit: Videtur. Idem à Mecœnate conuictore suo per singulos annos suo natali die phialam donum accipiebat. Cæterum Athenodoro Philosopho propter senectutem se domum

domum dimitti precanti concessit. Quum igitur salutato ipso dixisset Athenodorus: Quum iratus fueris Cæsar, nihil neque dixeris, neq; feceris, priusquam quatuor & uiginti literas tecum ipse percurreris, illo manu apprehenso: Adhuc, inquit, mihi te præsente opus est: ac ipsum per totum detinuit annum, asserens etiam taciturnitatis præmium sine periculo esse. Quum uerò Alexãdrum audisset, maxima terrarum parte subacta addubitasse, quidnam per reliquũ uitæ tempus facturus esset, demiratus est, quòd non maius opus Alexander existimasset, partũ gubernare imperiũ, quàm magnum acquisiuisse. De adulteris autem quum legem tulijsset, in qua præfinitũ erat, quo pacto rei iudicandi & condemnati forent puniendi, ac posteà lapsus ira adolescentem propter Iuliam filiã suam calumniatũ manibus ipse uerberaret, ac ille clamasset: legem tulisti Cæsar, adeò ipsum pœnituit, ut illo die cœnã recusarit. Caium uerò sororis filium in Armeniam mittens, à dijs ipsi precibus petebat Pompeij beneuolẽtiam, Alexãdri audaciam, suam ipsius fortunam. Idem Romanis dictitabat, se eum imperij successorem relicturum, qui nunquam eadem de re bis consultasset, Tiberium uidelicet significans. Tumultuantes uerò iuuenes, qui in magistratu erant, quum reprimere uellet, neq; illi attenderent, sed tumultuarẽtur: Audite, inquit, iuuenes senem, quem iuuenem senes audiebant. Dum autem Athenarum populus quiddam uideretur deliquisse, ex Aegina scripsit, putare se suam illos iram non latere: neque enim in Aegina se fuisse hyematurũ. Aliud uerò nihil aduersus eos neq; dixit neq; fecit. Sed quum unus ex Euryclis accusatoribus immodestè & ad facietatẽ dicendi licentia uteretur, ac proiectus tale quid dixisset: Si ista tibi Cæsar magna nõ uidẽ-

tur, iube istum recitare septimum Thucydidis uolumen: Indignatus illum abduci iußit. Sed quum accepisset eũ ex Brasidæ posteris reliquum esse, accersiuit, & modestè castigatum dimisit. Idem quum Piso ædes à fundamentis ad culmen usq; eleganter fabréq; struxisset: bono, inquit, animo me facis Piso, qui perinde ædificas, atq; si Roma æterna sit futura.

FINIS.

RAPHAEL REGIVS ILLVstrißimo Venetiarum Principi Leonardo Lauredano felicitatem.

LYCVRGVS seuerißimarum Lacedæmonijs legũ autor, sapientißime Princeps Leonarde Lauredane, illud quoq; traditur instituisse, ut antequã cum hostibus congrederẽtur, Musis sacrificarent, quò uidelicet strenuè gesta lucubrantis eloquẽtiæ ornamentis illustrarentur, & quoad fieri posset immortalitati consecrarẽtur. Cato quoq; ille Censorius in primis sapientia clarus, fortia facta elegãti indigere oratione, ne sua fraudarẽtur gloria, dictitabat: Nullius enim humanæ rei memoriã diutius posse durare sapientissimi uiri facilè uidebant, quæ facundis literarũ monumẽtis non esset cõmendata. Tua uerò fulgentißima uirtus, tuaq; clarißima in Rempublicam Christianã merita me impulerunt, ut quando illa pro dignitate exiguis ingenij mei uiribus celebrare non possũ, aliquid saltem mearũ lucubratiunclarũ nomini tuo dicarẽ. Ac breuia quidem simul & acuta regum Lacedæmoniorũ dicta, quæ Apophthegmata uocãtur, ex uarijs scriptoribus à Plutarcho philosophorũ disertißimo iam pridẽ collecta, mihi uerò nuper latinitate donata, in primis digna sunt uisa, quæ sublimitati tuæ nuncuparem. Nam & Lacedæmoniorũ institutis Venetiana Respublica, cui tu summa cum felicitate præsides, quamsimillima esse uidetur. Neq; animus tuus circa bonũ commune occupatus, quibuslibet scriptis est detinẽdus, sed ijs duntaxat sententijs permulcendus, quibus & iuuari, & publicis cõsultationibus defessus posßit recreari. Apopthegmata uerò quum aliud nihil sint, quàm quidã historiarũ flosculi, quarũ aßidua lectione nihil ijs qui Rẽpublicam administrant, utilius esse potest, non solum Traiano Cæsari, cui primũ à Plutarcho dicata fuere, sed etiã cum alijs principibus, tum uerò tibi maximè congruere sunt iudicanda. Quippe quæ nec tempora publicæ utilitati debita auferant, & animum tuum non sententiarũ modò grauitate, uerum sapientißimorũ quoq; consiliorũ tuorum approbatione plurimũ delectent. Posteaquã enim principatum inisti, tranquillam pacem populis curæ tuæ cõmißis, ac potius uniuersæ Italiæ singulari prudentia tua peperisti, partam amplificasti, amplificatam ita conseruas, ut aurea secula, poëtis tantopere decantata, nobis reddita esse uideantur. Nã & pestis undiq; fugata est, & bella sedata, & summa rerũ omnium fertilitas diuina benignitate florentißimo celsitudinis tuæ principatui cõcessa. Hinc uerò illud prophetæ oraculum, pijs iustisq; hominibus ac deum diligentibus omnia ex sentẽtia euenire, si cui unquam dubium fuit, tu religiosißime Princeps uerißimum esse comprobasti, atq; omnẽ de medio dubitationem sustulisti. Vt enim alia felicitatis tuæ prætream documenta, florentem adeò liberorũ nepotumq; progeniem sustulisti, ut nõ tuæ modò senectuti ac Lauredanæ genti, uerum patriæ quoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

maxima & certißima præsidia parata esse uideantur. Ita nanq; sunt instituti, ut & uestigijs tuis insistant, & post sacrosanctũ ueri dei cultum Reipublicæ se, uitam quoq;, nedum pecuniam aliaq; omnia debere profiteantur. Hoc autem diuinum munus, quo nullum homini precioſius, nullum melius præstari potest, quis non uideat cum alijs eminentißimis uirtutibus tuis, tum singulari iustitiæ fuisse cõcessum? Nam illi à teneris usq; unguiculis sic assueuisti, ut te sibi & alumnũ & tutorem & propugnatorẽ delegisse uideatur. Fulgentißimo autẽ huiusce uirtutis splendore & aliorum ciuium, & in primis senatorũ animos tibi conciliasti, ut eadem fẽrme hora, qua unus & quadraginta uiri (tot enim ad creandũ ducem electi conueniunt) de ducis ipsius electione agitare cœperunt, una omnium uoce cunctisq; suffragijs citra ullum competitorem Princeps fueris declaratus, tanta cum populorum tuorũ lætitia, ut omnes debitam tuo principatui felicitatem præsagire uiderẽtur. Tu uerò simul atq; ducatum iniisti, omnium non opinioni modò respondisti, uerum expectationem quoq; longè superasti. Tantam enim iustitiæ totiusq; Reipublicæ curam suscepisti commodorũ tuorum oblitus, ut curiæ & tuarũ ædium fores omnibus tam pauperioribus quàm ditioribus æquè pateãt, te adcũtes patientißimè benigniſſimeq; audias, lites & cõtrouersias æquissimè dirimas, neminẽ probum à tuo conspectu tristem dimittas: omnibus deniq; populis regimini tuo creditis, eos magistratus curas mutendos, qui non solum ius suum cuiq; reddant, sed etiam à seditionibus cædibusq; defendãt, & in summa trãquillitate conseruẽt. Id uerò cum alij ciuitatũ ditioni tuæ parentium rectores, tũ integerrimi urbis Paduæ literarũ alũnæ Prætor Andreas Grittus, & præfectus Paulus Pisanus ita cõ-

probãt,

probãt, ut nõ rectores sed parẽtes omnibus esse uideãtur. Tantã enim nõ litium modò priuatarũ, sed publicæ quoq; cõmoditatis & quietis curam susceperẽ, ut uerissimũ illud esse declarent, membra caput imitari solere. Quamobrem haudquaquam mirandũ est, si Fauẽtini & Arimunẽses diu bellis seditionibusq; uexati, iustissimo & integerrimo regimini tuo sese nuper spõte sua tradiderũt. Quis enim uir prudẽs, nedũ populus, si posit, ad eum non cõfugiat principem, à quo nihil nisi æquũ, nihil nisi legitimũ, nihil nisi honestũ se habiturũ esse certò sciat? Sub cuius protectione se tutũ, se quietũ rebus suis frui posse cõfidat? Sed de iustitia alijsq; splẽdidissimis uirtutibus tuis nõ breuis epistola, sed grandis historia conscribenda foret, quæ præclara & tua & maiorũ tuorum gesta felici stylo cõplecteretur. Id uerò quum & longi temporis & facũdissimi oratoris sit opus, haudquaquam ab officio meo alienum esse putaui, si nunc id quod posũ, uel epistolari breuitate inclytũ nomẽ tuum una cum priscis illis & regibus & legumlatoribus, quorum sapientissima quæq; dicta hoc in libello descripta sunt copulare, simul ut ubicũq; Romana est in usu lingua arbitraretur, simul ut pro uirili parte mea immortalitati cõsecraretur. Quod quidẽ etiam si minus forsitan ero assecutus, nihil tamẽ dubito, quin optimã uoluntatem meam erga tuam serenitatem sis accepturus, quum homunis animum potius quàm rerum exitum omnibus in actionibus censeas semper esse spectandum. Sed iam acutissima Lacedæmoniorum dicta, quæ non temporum, sed literarum ordine seruato describũtur, perspicuè interpretemur, quò melius faciliusq; Laconica breuitas & solertia perspiciatur. Vale eximium seculi nostri ornamentum. Ex Academia Patauina, Nonis Maij. M. D. VII.

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, APOPHTHEGMATA LACONICA.

Raphaële Regio interprete.

 GASICLES rex Lacedæmoniorum, admirante quodam, quòd quũ magna discẽdi audiendiq; teneretur cupiditate, Philophane rhetorices doctore non uteretur: eorum, inquit, me discipulum esse oportet, quorum etiam sum filius. Ad eum uerò qui rogarat, quo modo quis absq; satellitibus tutò regnare posset: Si suis, inquit, populis ita imperarit, ut parentes filijs.

AGESILAVS ille magnus quum esset aliquãdo conuiuij princeps sorte ductus, à uini dispensatore rogatus, quantum uini cuiq; daret: Si multum, inquit, paratum est, quãtum quisq; petierit: Sin parum, ex æquo omnibus impertito. Quum uerò maleficus quidam tormenta perquàm patienter toleraret: Quantam, inquit, homo scelestus adres flagitiosas & turpes tolerantiam affert? Quodam autem laudante oratorem quòd parua amplificaret: Ego uerò ne sutorem quidem, ait, puto bonum, qui magnos exiguo pedi calceos inducit. Idem quũ quidam ei aliquando dixisset, promisisti, ac sæpius idem repeteret: Per Iouem, inquit, si quidem iustum est: Sin minus, dixi quidem, sed non promisi. Ac illo subijciente: Atqui oportet reges præstare quicquid uel capite annuerint:

rint: Non magis, inquit, quàm eos qui ad reges accedunt, petere decet iusta & dicere, captantes & opportunitatẽ, & quicquid regibus commodi est. Quum autem aliquos laudantes uituperãtes'ue audiebat, non minus eorum qui dicerent, quàm de quibus diceretur, mores spectandos esse aiebat. Sed quum puer adhuc esset, ac in gymnicorum ludorum celebratione in loco minus honesto à chori magistro collocaretur, obtemperauit quidem, licet iam rex foret declaratus, ac dixit: Euge: Demonstrabo etenim, non locis uiros, sed uiris loca effici honorata. Quodam autem medico difficiliorem ei curationem, ac minimè simplicem imperante: Per gemellos, inquit, non omnino mihi uiuere datum est, ne si omnia quidem sumam. Altari uerò Mineruæ, ab ærea æde cognomento Chalciœcæ, quodam die astans bouem immolaturus, quum à pediculo morderetur, non auersus est quidem, sed illum palàm captum omnium in conspectu necauit, ac dixit: Per deos *lubenter uel in ara insidiatorem. Idem quum uidisset murem à puero trahi defenestra, & conuersum detinentis pueri manum momordisse ac fugisse, ijs qui aderant re ostensa: Quando minimum, inquit, animal se iniuria afficientes sic ulciscitur, quid uiris faciendum sit considerate. Volens autem bellum aduersus regem Persarum mouere, quò Græcos Asiam incolentes in libertatem uindicaret, Iouis Dodonæi oracula consuluit: quod quum educendum esse exercitum respondisset, Ephoris oracula retulit. Ipsi uerò iusserũt eum Delphos proficisci, ac ijsdem de rebus sortes cõsulere. Profectus igitur sic oraculum rogauit: Apollo, uidentur'ne tibi quæ & patri? Eo autem annuẽte, electus ipse imperator exercitum eduxit. Quum uerò Tisaphernes principio quidem territus cum Age-

*iucunde

silao fœdera pereußisset, Græcas ipsi liberas ciuitates se esse dimissurum pollicitus, deinde quammaximo exercitu à rege accersito bellum ei indixisset nisi Asia decederet, libenter fœderum transgreßionem accepit, mouitq; castra, exercitum in Cariam ducturus. Sed quum Tisaphernes illic copias congregaret, inde soluens in Phrygiam impetum fecit, ac pluribus urbibus captis, multaq; pecunia parta, dixit amicis: Fœdera quidem iniustè frangere impium est, sed hostes fallere non iustum est modò & honestum, uerum iucundum quoque ac lucrosum. Cæterum equitatu inferior Ephesum reuersus opulentos iußit equum pro se quenque ac uirum exhibere, si se militia solutos uellent. Ac posteaquàm & equi & uiri idonei pro timidis atque diuitibus cito fuerunt congregati, Agamemnonem se dixit imitari. Nam illum, quum generosam accepisset equam, ignauum diuitemq; hominem militia liberasse. Quum uerò nudos captiuos uendi iussisset, spoliorum quidem mercatores licitabantur: ac uestium sanè multi emptores erant, sed corpora quòd alba & mollia essent propter umbratilem uitam, quum tamquam inutilia nulloq; precio digna irriderẽtur, astans Agesilaus: Hæc sunt, inquit, propter quæ, isti autem quibus cum pugnatis. Idem in Lydia quum Tisaphernem profligasset, plurimosq; interemisset, in agrum regium incursionem fecit: sed rex pecunijs ipsi prænußis quum censeret bellum esse dissoluendum, Agesilaus respondit: pacis quidem ciuitatem dominam esse, se uerò locupletandis militibus quàm seipso magis lætari, pulchrumq; putare, Græcos non munera ab hostibus accipere, sed spolia acquirere. Megabatem uerò Spithridatis filium formosißimum, quum ad eum accessisset salutaturus & osculaturus, quia

quia uehementer amari uidebatur, declinauit Agesilaus. At quum ille adire destitisset, ab Agesilao desiderabatur. Dicentibusq; amicis ipsum in causa esse, qui se ab illius tam formosi osculo auertisset, neque illum præ pudore uenturum, posteaquàm secum tacitus paulisper cogitauit: Nihil est opus, inquit, illum persuadeatis. Nam istiusmodi rebus superior esse malo, quàm præpotentem hostium urbem ui capere. Satius est enim libertatem sibiipsi conseruare, quàm alijs auferre. Sed quum alijs in rebus diligens iustitiæ cultor esset, in amicorum negocijs putabat occasionem iuuandi esse perquam iustam. Epistolium igitur ipsius fertur ad Idrieum Carẽ, quo ex amicis quendam sic petit: Si Nicias nihil iniusti agit, dimitte: Sin agit, mihi dimitte: omnino autem dimitte. Itaque se talem in plerisque Agesilaus pro amicis præstabat. Interdum tamen propter utilitatem occasione potius utebatur. Quare motis tumultuosius castris, quum puerum, cuius amore tenebatur, infirmum reliquisset, ad illum precantem, & cum lacrymis se reuocantem conuersus dixit: Quàm difficile est, nos & misereri simul & sapere. Idem in uictu & ueßitu nihil ijs qui cum ipso erant, melius habebat, à satietate ac ebrietate penitus abstinens, somnoq; non domino, sed rebus agendis seruienti utens. Aduersus calorem autem & frigus ita se habebat, ut solus eadem ueste quatuor anni temporibus semper uteretur, ac in medio castrorum tentorio erecto, lectum nihilo alijs meliorem haberet. Dictitabat autem principi conuenire, non mollitie & delitijs, sed tolerantia & fortitudine priuatis hominibus præstare. Roganti igitur cuidam, quid Spartæ contulissent Lycurgi leges: contemnere, inquit, uoluptates. Ad eum uerò qui cum aliorum Lacedæmo-

niorum

niorum, tum ſuæ ueſtis cibiq; mediocritatem mirabatur: propter hunc, inquit, frugalem ô hoſpes, uiuendi modum metimus libertatem. Idem alio ipſum hortante, ut ſibi pareceret, ac dicente, propter incertum fortunæ, nc quando mutemur: At ego, inquit, meipſum ſic aſſuefacio, ut in nulla mutatione quæram mutationem. Ac eodem uitæ inſtituto etiam ſenex factus utebatur. Quare ad eum à quo interrogatus fuerat, cur uehementi hyeme ſine tunica illa ætate circumiret: Quò, inquit, iuuenes imitentur, exemplum habentes & ſenectute confectos & principes. Thaſij uerò per ſuum agrum ipſi cum exercitu iter facienti farinam & anſeres, & bellaria, & liba ex melle confecta, & alios omnis generis cibos, & uina preciosa miſerunt. Sed farina ſola accepta retro aſportari reliqua abijs, qui illa apportarāt, iuſſit, ut quæ ne ſibi quidem utilia forent. Precantibus autem illis ac ſupplicantibus, ut omnino illa acciperet, mancipijs diſtribui iuſſit. Cæterum illis cauſam rogantibus dixit, eos qui probitati ac fortitudini ſtuderent, non decere iſtiuſmodi ganeis & gulæ irritamentis delectari. Quibus enim ſeruitia capiantur, ea ab ingenuis hominibus eſſe aliena. Rurſus Thaſij, quòd ab ipſo magis affecti beneficijs uiderentur, quum & templis & deificationibus eum honoraſſent, & hac de re legatos ad ipſum miſiſſent, poſtea quam honores legit quos oratores attulerant, interrogauit, an ipſorum patria referendorum in deos hominum facultatem haberet. Quibus affirmantibus: Agite, inquit, uoſipſos prius efficite. Quod quidem ſi effeceritis, tunc credam me quoq; à uobis deum fieri poſſe. Idem quum illæ gentes Græcæ quæ ſunt in Aſia, decreuiſſent ipſi in clariſſimis urbibus ſtatuas ponere, ad eas ſcripſit: Mei ne una quidem ſit imago, neque picta

picta, neque ficta, neque conſtructa. Sed quum in Aſia domus contignationem ex quadratis trabibus factam uidiſſet, dominum ædium interrogauit, an apud ipſos quadrata naſcerentur ligna. Quo negante, ſed rotunda: Quid igitur, inquit, ſi quadrata eſſent, rotunda faceretis? Interrogatus autem olim, quouſq; Laconicæ fines protendantur, concuſſa haſta: quouſq;, inquit, hæc perueniat. Sed alio deinceps rogante, cur Sparta ſine muro eſſet: oſtenſis ciuibus armatis: hi ſunt, inquit, Lacedæmoniorum muri. Cæterum alio idem quærente: non lapidibus, inquit, & lignis, ſed inhabitantium uirtutibus urbes munitas eſſe oportet. Amicos uerò monebat, ut non pecunia, ſed fortitudine & uirtute ditescere ſtuderent. Quando autem uolebat aliquod opus à militibus cito perfici, primus ipſe in omnium conſpectu aggrediebatur. Verum in eo gloriabatur, quòd nemini in labore cederet, quodq; ſibi ipſe magis quam alijs imperaret. Quodam autem admirante Laconem claudum ad bellum exeuntem, ac equum quærente: An ignoras, inquit, non fugientibus, ſed permanentibus in bello opus eſſe? Idem rogatus à quodam, quo modo magnam gloriam acquireret: ſi mortem, inquit, contempſeris. Quærente autem quodam, cur Spartiatæ ad tibias pugnant? Quoniam, inquit, quandocunq; ad numerum modulationemq; inceſſerint, liquidò pateat & qui meticuloſi ſint, & qui fortes. Quum uerò quidam Perſarum regem beatum eſſe diceret, quia perquam iuuenis eſſet: atqui Priamus, inquit, ne id quidem ætatis agens infortunium eſt paſſus. Sed quum magnam Aſiæ partem ſubiugaſſet, aduerſus regem ipſum properare decreuit, quò illum ab ocio, & à corrumpendis Græcorum populorum principibus deterreret. Sed ab Ephoris reuocatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

uocatus propter Græcorum bellum, quo Sparta obsidebatur, ob pecunias à Persa missas, dicens bonum imperatorem oportere legibus parere, ex Asia soluit, multo sui desiderio Græcis Asiaticis relicto. Ac quum unus Persicus sagittarij nota signatus esset, recedēs dicitabat se triginta millibus sagittariorum à rege ex Asia pelli: Tot enim Daricis aureis Athenas Thebasq; à Timocrate allatis, & populorum principibus distributis, populi ipsi ad bellum contra Spartiatas concitati fuerant. Ac Ephoris quidem hanc rescripsit epistolam. Agesilaus Ephoris gaudium. Multas Asiæ partes subiugauimus, Barbarosq; expulimus, ac in Ionia multa arma fecimus. Sed postea quam iubetis me ex lege redire, sequor epistolam, ac ferè ipsum uel præueniam. Nam imperium non mihi, sed ciuitati ac socijs gero. Ac tunc quidem uerè iusteq; dux imperat, quando & legibus & Ephoris paret, uel ubicunque in urbe sint magistratus. Traiecto igitur Hellesponto quum per Thraciam iter faceret, Barbarorū quidem rogauit neminem, sed ad singulos mittens interrogabat, utrum per amicam, an hostilem terram transiret. Ac alij quidem ipsum amicè & excipiebant & deducebant, cæterum qui Troades nominantur, quibus & Xerxes, ut fertur dona dedit transitus mercedem, argenti talenta centū, & totidem mulieres ab Agesilao petiere. Sed illos ipse deludens, ac dicēs: eccur nō statim uenistis accepturi? procedebat. Et quum inuasus ex illis perturbatus multos cecidisset, transiuit. Quū uerò idem à rege Macedonum per nuncios quæsisset, isq; se consulturū dixisset: Consultet igitur, inquit, sed nos interim procedemus. Admiratus itaque uiri audaciam, & ueritus, iussit ut amicè cum progredi. Thessalorum autem, qui hostium socij

erant, deprædatus est agrum. Ac Xenoclem quidem & Scythen de amicitia acturos Larissam misit, quibus comprehensis & asseruatis, alij quidem ægrè ferentes censebant Larissam castris cingendam esse ab Agesilao & obsidendam. Sed asserens ipse, ne alterius quidem illorum utrorum interitu uelle totam capere Thessaliam, eos fœderibus percussis accepit. Audiens autem apud Corinthum fuisse pugnatum, & Spartiatarum quidem perquā paucos cecidisse, Corinthiorum autem & Athenienſium, aliorumq; illis sociorum quamplurimos, neque lætari, neque efferri illa uictoria uisus est, sed perquam graui suspirio emisso: Væ, inquit, Græciæ, quæ tot uiros intestino bello perdidit, quot ad debellandos omnes Barbaros satis fuissent. Pharsalios autem urgentes, latrocinijsq; ipsius exercitum uexantes, quum quingentis equitibus in fugam uertisset, trophæum sub Narthacio erexit. Ac illa quidem uictoria præ omnibus lætatus est, quòd quum per se ipse equitatum instituisset, illo solo eos, qui maximè pugna equestri gloriabantur, superasset. Quum uerò Diphridas domo ueniens ipsi nunciasset, ut continuò prætergrediens, in Bœotiam impetum faceret, quanquam maiore apparatu id postea facturus erat, tamen magistratibus parens, accersitis uiginti millibus ex illo exercitu, qui apud Corinthum erat, Bœotiam ingressus est, & apud Coroneam cum Thebanis & Athenienſibus simul cum Argiuis & Corinthijs congressus, utrosque maxima omnium pugna, quæcunque illo tempore commissæ fuerunt, ut Xenophon scribit, etsi corpore propter uulnerum multitudinem malè affectus, superauit. Idem domum reuersus nihil nec circa uitam, nec circa mores ob tantos successus uictoriasq; mutauit. Cæterum uidens

uidens quosdam ex alendis equis in aliquo precio esse, animoq; efferri & gloriari, Cynicæ sorori persuasit, ut in curru sedens in Olympijs certaret, Græcis ostendere uolens, istiusmodi res nullius esse uirtutis, sed diuitiarum & impensæ. Xenophontem uerò illum sapientem multi faciens, ac secum habens, iussit filios accersere, Spartæq; educare, quò disciplinarum pulcherrimam docerentur, & imperare & imperium ferre. Idem aliquando interrogatus, cur maximè omnium felices sint Spartiatæ: quia, inquit, maximè aliorum se exercent, ut imperent & obtemperent. Lysandro autem uita functo quum multorum sodalitatem constitutam inuenissent, quam ille ex Asia statim reuersus contra Agesilaum instituerat, eum redarguere tentauit, ac ostendere cuiusmodi eius uiuendi fuisset. Quum'que orationem legisset in quodam relictam libro, quam Creon Alicarnassæus scripserat quidem, sed Lysander memoriæ commendatam ad populum de rebus nouis & de rep. mutanda habiturus esset, in publicum illam efferre uolebat. Verum ex senioribus quidam, quum eam orationem percurrisset, ueritusq; illius grauitatem consuluisset, ne Lysandrum effoderet ac suscitaret, persuasus acquieuit. Eos uerò qui sibi occultè aduersarentur, apertè quidem non uexabat, sed exigens ut se sequerentur, ex ipsis aliquos & duces & magistratus designabat, sed in magistratibus improbi deprehensi & auari, ne condemnarentur, rursus auxilio erat, sicq; eos sibi conciliabat, & ad seipsum traducebat, ut neminẽ aduersarium haberet. Quidam autem quum eum rogasset, ut suos ad hospites Asianos literas daret, quò ius suum consequeretur. At mei, inquit, hospites iusta sponte sua, etiam si nihil scribam, faciunt. Cete-

rum

rum quidam illi murum urbis bene munitum & laboriosè admodum exædificatum ostentans rogabat, an pulcher sibi uideretur: Per Iouem, inquit, pulcher, non ut uiri, sed ut fœminæ inhabitent. Quum autem Megarensis quidã aduersus ipsum de ciuitate gloriaretur: adolescẽs, inquit, uerba tua multa ui egent. Quæ uerò alios admirantes uidebat, ea ne nosse quidem uidebatur. Quodam igitur tempore Callipides tragœdiarum actor nomen & gloriã inter Græcos habens, ut qui ab omnibus celebraretur, primum quidem illi occurrit & salutauit, deinde arroganter sese inter inambulantes conijciens, seipsum regi ostentabat, putans fore, ut aliqua comitate exciperetur. Sed quum tandem dixisset: Non me agnoscis, ô rex, neq; audisti qui sim? Agesilaus in ipsum respiciẽs: At an tu es, inquit, Callipides Dicelicta? Sic enim Lacedæmonij histriones uocant. Idem quum à quodam inuitaretur ad cum audiendũ qui luscinię uocem imitabatur, recusauit inquiens: Sæpe illas audiui. Menecrates uerò medicus posteaquam in desperatis quibusdam curationibus fuit fortunatus, Iupiter appellari cœpit. Sed illo cognomẽto importunius utens, quum ad Agesilaũ quoq; sic aliquãdo epistolam scribere ausus foret: Menecrates Iupiter Agesilao regi felicitatem, reliquis non lectis rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. Quũ antẽ Conon & Pharnabazus mari potiti regia classe maritimas Laconiæ oras obsiderent, ac urbs Athenienſium muro cincta foret, pecunijs à Pharnabazo datis pacem cum rege Lacedæmonij fecerunt, miseruntq; Antalcidam ad Teribazum, qui Græcos Asiam incolentes, pro quibus pugnauerat Agesilaus, regi traderent. Qua ex re euenit, ut Agesilaus ipse ignominiæ eius iniquissimè particeps esset: Nam Antalcidas ipsi inimicus

Dicelictæ

erat. Ideoq; pacem quocunq; modo fecit, quòd Agesilaus incrementa ex bello susciperet, ac maximus clarissimusq; euaderet. Ad eum uerò qui dixerat Lacedæmonios Medorum partibus fauere: Imò uerò, inquit, Medi Lacedæmoniorum. Idem aliquando rogatus, utra uirtus melior esset, fortitudo an iustitia, nullam fortitudinis utilitatem esse dixit absente iustitia: Nam si omnes iusti forēt, nihil fortitudine opus esse. Quum autem ij qui Asiam incolunt, ex consuetudine Persarum regem magnum appellarent: Ecquid ille me maior est, inquit, nisi & iustior sit & continentior? Ac eos quidem qui Asiam inhabitarent, ingenuos quidem malos, seruos autem bonos esse dictitabat. Idem interrogatus, quomodo quis maximè apud homines probaretur: si dicat, inquit, optima, & faciat honestissima. Imperatorem uerò dicebat oportère & in hostes audaciam, & in subditos beneuolentiam, & ad occasiones solertiam habere. Cuidam autem quærenti, quænam pueris discenda forent: Ea respōdit, quibus & uiri sint usuri. Verum causæ cuiusdam iudex, quum accusator bene quidem dixisset, reus autem malè, quippe qui ad singula diceret: Agesilae oportet regē legibus opitulari: Et domū, inquit, si quis tibi euerteret, & uestimentum si quis auferret, expectares ne ut architectus, aut qui uestimentū confecit, tibi auxilium ferat? Idem à rege Persarum epistolā pace iam ficta sibi missam, quam unà cum Callia Lacedæmonio uir Persa de hospitalitate & amicitia attulerat, haudquaquam accepit, dicens regi nūciaret minimè opus esse ad se literas priuatim dare. Nam si & amicus Lacedæmoni, & Græciæ beneuolus esse uidebitur, se quoque pro uiribus ipsi amicum esse futurum: Sin autem insidiari deprehendetur, ne si multas quidem acciperem literas, credat

credat me sibi amicum esse futurum. Filiorum autem quū amantissimus esset, fertur unà cum paruis pueris domi colludere solitus, in arundinem ut in equum ascendens. Sed à quodam amicorum uisus rogauit, ne cui prius id diceret, quàm ipse quoq; puerorum pater esset. Cæterum Thebanos assiduis bellis quum infestaret, ac in pugna uulneratus foret, Antalcidam dixisse ferunt: Pulchra disciplinæ præmia à Thebanis accipis, quos nolentes ac nescientes quidem pugnare docueris. Tunc enim Thebanos se ipsis bellicosiores aiunt factos propter assiduas Lacedæmoniorum in ipsos expeditiones. Quare Lycurgus quoque ille antiquus in legibus quæ Rhetræ uocantur, prohibuit aduersus eosdem sæpius militare, ne belli peritiam discerent. Posteaquam uerò audiuit, socios ægrè ferre continuas expeditiones, quia multi pauci Lacedæmonios sequerentur, resellere uolens illorum multitudinem, iussit omnes quidem socios sedere sibi inuicem permixtos, Lacedæmonios autem seorsim solos. Deinde edixit, ut figuli surgerent primi. Qui quum surrexissent, edixit ut secundi surgerent fabri ærarij, deinde architecti & domorum ædificatores, & singulæ aliæ artes. Ita socij ferè omnes quidem surrexerunt, Lacedæmoniorum autem nemo. Ipsis namq; prohibitum est artem sordidam uel exercere uel discere. Itaque ridens Agesilaus: Videte, inquit, uiri quanto plures quàm uos milites nos emittamus. In Leuctrica uerò pugna quum Lacedæmoniorum multi fugissent, qui legitimis pœnis erant obnoxij, uidentes Ephori urbem uiris destitutam militibus indigere, uolebant ignominiam illam soluere ac leges seruare. Agesilaum igitur eligunt legum latorem. Is uerò in concionem quum prodisset: Legum, inquit, lator alia

Rhetræ Lacedæmoniorū leges.

tor aliarum minimè sim, ac ne ijs quidem quæ existunt, adijcerem quicquam uel auferrem, uel mutarem. Sed non ab re erit, leges quæ nobis sunt, à postero die ius suum retinere. Epaminondam uerò tanto cum fluctu ac tempestate Spartam inuadentem, Thebanis & illorum socijs victoria Leuctrica gloriantibus, ab urbe quidem repulit, & quamuis pauci in urbe forent, retrocedere tamen coëgit. Idem in pugna apud Mantineam gesta imperauit Lacedæmonijs, ut alijs omissis unum oppugnarent Epaminondam, solos asserens prudentes & fortes victoriæ autores esse. Nam si istum è medio sustulerimus, facillimè alios captiuos fore, siquidem & amentes & nullo precio dignos esse. Id quod etiam euenit. Quum enim victoria ab Epaminonda foret, iamq; Lacedæmonij fugerent, illum conuersum, ac suos reuocantem quidam ex Lacedæmonijs letaliter percussit. Is uerò quum ceciderisset, à fuga conuersi qui cum Agesilao erant, suam certando uictoriam effecerunt, quum Thebanis Lacedæmonij longè fortiores uisi fuissent. Sparta uerò pecunijs indigente, quippe quæ peregrinos aleret milites, Agesilaus in Aegyptum profectus est, ab Aegyptiorum rege mercede conductus. Sed quum propter uestis tenuitatem indigenis contemptui foret: expectabant enim Spartæ regem ut Persarum decenter ac sumptuosè ornatum uidere: eoq; malè de ipso sentirent, breui declarauit Agesilaus magnificentiam, & dignitatem prudentia parari oportere. Quum autem eos quos instructurus erat, impendenti periculo territos uideret, tum propter hostium multitudinem (ducenta nanq; millia erant) tum propter suorum paucitatem, decreuit prius quàm confligeret, sacrificium facere, ac alijs inscijs in sinistræ manus palma uictoriam descripsit, acceptumq; ab aruspice iecur inscriptæ manui imposuit. Id uerò tantisper tenens, dum literarum notæ iecori imprimerentur, se ambiguum esse simulabat. Postea uerò commilitonibus iecur ipsum ostendit, asserens deos ex scriptis uictoriam demonstrare. Certum igitur id uictoriæ signum rati ad pugnam audacter ineundam sunt confirmati. Sed hostibus multitudine sua Aegyptiorum castra fossa cingentibus, Nectabioq; cui auxilio erat, censente, erumpendum ac decertandum esse: nequaquam impediendi, inquit, sunt hostes, nobis pares esse uolentes. Ac ita quum adhuc spatij parum ad contingendam supereſſet fossam, in illo quod reliquum erat interuallo acie instructa, cum paribus par congressus, eos in fugam uertit, & paucis militum suorum amissis, magna hostium edita cæde ingentem pecuniæ uim in patriam misit. Ex Aegypto autem quum classe rediens in morbum incidisset, ijs qui secum erant mandauit moriens, ne sibi fictam pictam ue aut effigiatam corporis imaginem efficerent. Nam si quid præclari operis, inquit, gesi, id mei monumentum erit: Sin minus, ne omnes quidem statuæ, ut quæ uilium hominum ac nullo precio dignorum opera sint.

AGESIPOLIS Cleombroti quum quidam dixisset, Philippum paucis diebus Olynthum euertisse: Per deos, inquit, talem aliam urbem multò longiori tempore non ædificabit. Alius item quum dixisset, ipsum cũ æqualibus regem obsidem fuisse, non autem filios eorũ & uxores: meritò, inquit: decet enim nos peccata nostra ferre. Sed quum ipse uellet catulos dono sibi mitti, quidamq; dixisset, illorum apud se non esse educationem, ne uirorum quidem antea, inquit, fuit, quæ tamen nunc est.

AGESIPOLIS Pausaniæ, Athenienſibus de mutuis criminibus ad Megarenſium ciuitatẽ prouocãtibus: turpe, inquit, eſt ô Athenienſes, eos qui ſint Græcorum duces, munus quam Megarenſes ius ſcire.

AGIS Archidami, quum olim Ephori dixiſſent: Vade iuuenes tecum ducens in huius patriam: Dux nãq; hic ipſe tibi erit ad arcem occupandam: Et quo, inquit, modo tutũ eſt, ô Ephori, tot iuuenes credere patriæ ſuæ proditori? Interrogatus autem, quæ potiſſimum diſciplina Spartæ exerceretur: ſcire, inquit, & imperare, & obtemperare. Lacedæmonios uerò dicitabat interrogare non quot ſunt hoſtes, ſed ubi ſunt. Verum apud Mantineam quum dimicare cum hoſtibus quòd plures forent prohiberetur: neceſſe eſt, inquit, cum multis pugnare, qui multis uelit imperare. Quodam autem interrogante: Quot ſunt Lacedæmonij? Quot, inquit, ſatis ſunt ad malos arcendos. Quum uerò Corinthiorum muros præteriret, ac illos & altos, & munitos, & in multum ſpatium protenſos uideret: quænam, inquit, ſunt hunc locum habitantes mulieres? Idem, quum rhetor quidam dixiſſet, orationem rerum omnium potentiſſimam eſſe: Igitur ſi tu taces, inquit, nullo precio dignus es. Argiui autem poſtquam fuerant ſuperati, rurſum audacius multò quum ipſi obuiam eſſent facti, ſocios uidens perturbari: Confidite, inquit, ô uiri: nam quando nos uictores timemus, quid putatis eos facere, qui à nobis uicti fuerunt? Idem Abderitarum legato, qui quum multa locutus finem dicendi feciſſet, rogaret quidnam ciuibus ſuis renunciaret: Te, inquit, mihi tacenti tanto tempore auditum fuiſſe, quantum tu dicendo conſumpſiſti. Quibuſdam uerò Eleos laudantibus, quòd in Olympiorum certamine iuſtiſſimi

ſtiſſimi forent: Ecquid magnum, inquit, aut mirandum faciunt, ſi per annos quinque uno duntaxat die iuſtitia utuntur? Quodam autem dicente, nonnullos ex alia domo ipſi inuidere: Igitur & ſua, inquit, mala, & ad hæc tum mea, tum amicorum bona illos cruciabunt. Idem quũ quidam conſuleret tranſitum hoſtibus fugientibus eſſe dandum: & quo, inquit, modo cum ijs qui ob timiditatem fugiunt, non pugnantes, cum ijs qui ob fortitudinem manent, pugnabimus? Quodam autem de Græcorum libertate ſermonem inferẽte non ignobilem quidem, ſed effectu difficilem: Tua, inquit, ô hoſpes, uerba & uirium indigent & pecuniarum. Quum uerò quidam diceret Philippum imperuiam Lacedæmonijs Græciam eſſe facturum: Satis, inquit, nobis eſt in propria terra conuerſari. Legatus autem ex Perintho quum Lacedæmona uenisſet, longiore uſus eſt oratione. Sed poſtquam fine dicendi facto Agin rogauit, quid Perinthijs renunciaturus eſſet: Quid aliud, inquit, quam te uix finem dicendi feciſſe, me uerò tacendi? Cæterum ſolus quum ad Philippum legatus ueniſſet, ac ille dixiſſet: Quid ita unus uenisti? Nempe ad unum, inquit. Idem quum ex ſenioribus quidam, qui uidebat ſolutis ueteribus legitimis alia quædam flagitioſa induci, ei iam ſeneſcenti dixiſſet: quare ſupernæ Spartæ fiunt inferna? iocans ait, ex ratione ſic res procedere, ſi illud fiat: Etenim quum ego puer eſſem, ex patre audiebã. ſuperiora apud ipſos inferiora fuiſſe. Aiebat autem patrem puero ſibi ea dixiſſe. Quare non eſſe mirandum, ſi poſteriora prioribus ſint peiora, ſed ſicubi meliora, & ſimilia. Interrogatus autem, quomodo quis liber permaneat: ſi mortem, inquit, contempſerit.

AGIS iunior dicente Demade, enſes Laconicos

à præstigiatoribus propter breuitatem deuorari: At Lacedæmonij, inquit, huiusce modi ensibus hostes assequuntur. Ad improbum uerò hominẽ sæpe interrogantẽ, quis optimus Spartiata foret: qui tui dissimilimus est, inquit.

AGIS ultimus rex Lacedæmoniorum ex insidijs captus, & indicta causa ab Ephoris condemnatus, quum ad laqueum abduceretur, intuitus quendam ex ministris flentem: Desine, inquit, ô homo, propter me flere: nam adeò iniquè & iniustè moriens *potentior ijs sum, qui me interficiunt. Et quum hæc dixisset, ultro collum laqueo tradidit. Idem quum à parentibus rogaretur, ut sibi ad iniusti quiddam adiutor esset, aliquandiu contradixit, sed quum instarent: Quandiu, inquit, apud uos fui, ne unam quidem iustitiæ cognitionem habui: Posteaquam autem me patriæ tradidistis, legitimisq; ipsius institutis, ac etiam iustitia & probitate erudistis, ut potuistis, hæc potius quàm uos sequi tentabo. Et quoniam uultis me optima facere (optima uerò sunt, cum homini priuato, tum multò magis principi, quæ iusta sunt) faciam quidem quæ uultis, sed quæ dicitis recusabo.

*melior

ALCAMENES Telecri quodam rogante, quo modo regnum quis optimè seruaret: si lucrum, inquit, nõ multi fecerit. Altero autem quærente, cur à Messenijs munera non accepisset: quia si accepissem, inquit, cum legibus pacem agere nequirem. Sed quodam dicente, ipsum parcè uiuere amplas satis diuitias possidentem: Nempe illum qui multa possideat, inquit, non ex libidine, sed ex ratione uiuere decet.

ANAXANDRIDAS Leontis ad eũ qui ægrè ferebat quòd exularet, ô bone, inquit, ne urbem relinquens horreas, sed iustitiam. Dicenti uerò cuidam Ephoris op

ris opportuna quidem, sed pluribus quàm par erat: ô hospes, inquit, non opportune uteris opportuno. Quodam autem percontante, cur agros Helotibus & mancipijs colendos traderent, ac non ipsi colerent: quia illos, inquit, non ut ipsos coleremus, sed ut nos, comparauimus. Quum autem quidam alius diceret, gloriam nocere, atq; felicem esse, qui ab illa sit alienus: Igitur qui iniusta perpetrant, inquit, ex oratione tua essent felices: nam quomodo sacrilegus iniustus'ue gloriam curet? Alio autem interrogante, cur in bellis Spartiatæ audacter periculis se exponunt? quia, inquit, de uita uereri, non ut alij timere studemus. Idem alio quodam percontante, quare capitales causas pluribus diebus seniores audiunt, & si quis est liberatus, nihilominus est reus: Pluribus, inquit, diebus iudicant, quia de morte qui errauerint, ij consilium mutare non possunt. Legibus autem obnoxium esse oportet, quia secundum hanc legem licet etiam melius consultare.

ANAXANDER Eurycratis, quodam rogante, cur Lacedæmonij pecunias in publicum non cõgregent: ne qui custodes illarum sint, inquit, corrumpantur.

ANAXILAS ad eum qui mirabatur, cur Ephori non assurgant regibus, præsertim à regibus ipsis constituti: Eadem, inquit, causa qua Ephori sunt.

ANDROCLIDAS Lacon crure mutilatus inter bellatores seipsum locauit. Sed quum quidam ipsum prohiberent, quia mutilatus erat: Atqui non fugientem, inquit, sed manentem oportet cum hostibus ex oppositio instructis pugnare.

ANTALCIDAS quum in Samothracia initiaretur, à sacerdote rogatus, quid grauissimum in uita perpetrasset: si quid mihi, inquit, tale perpetratum est, dij ipsi

sciunt. Aduersus Athenienſem uerò quendam Lacædemonios indoctos appellantem: nos nimirum, inquit, ſoli nihil mali à uobis didicimus. Sed quum alius Athenienſis aduersus eum dixisset, nos quidē à Cephiſo perſæpe uos fugauimus: At nos, inquit, ab Eurota uos nunquam. Interrogatus autem, quo modo quis maximè hominibus placere posset: ſi cum ipſis, inquit, quamſuauiſſimè conuerſetur, ac utiliſſima afferat. Idem quū declamator quidam Herculis laudationem lecturus esset: quis enim, inquit, illū uituperat? In Ageſilaum uerò à Thebanis in pugna uulneratum: mercedem, inquit, à Thebanis recipis, quos nec uolentes, neque ſcientes pugnare docuiſti. Videbantur enim Thebani aſſiduis Ageſilai contra ipſos expeditionibus pugnaces effecti. Spartæ uerò muros esse iuuenes dicitabat. Fines autē haſtarū cuſpides. Sed ad eū qui quærebat, cur breuibus Spartiatæ pugionibus in bello uterentur: quia cum hoſtibus, inquit, cominus dimicamus.

ANTIOCHVS quum esset Ephorus, poſtquam audiuit Philippum Meſſenijs agrum dediſſe, interrogauit an etiam uim illis tribuiſſet, qua de agro certantes ſuperarent ſuperiores.

ARGEVS quibuſdā laudātibus non ſuas, ſed quaſdā ex uxoribus alienis: Per deos, inquit, de uxoribus aliorum nihil temere dicendum eſt. Ipſas enim prorſus ignorari quales ſint, præterquam ab ijs quibus cum uiuunt. Idem per Siciliæ Selinuntem iter olim faciens, quū in ſepulchro quodam uidiſſet elegiacum hoc inſcriptum,

Hiſce Selinuntos ſub portis, quando tyrannis
Stinguitur, euenit Marte fero cadere:

Iure periſtis, inquit, qui ardentem tyrannidem extinguere conati eſtis: Contrà nanque permittendum fuerat,

rat, totam concremari.

ARISTON laudante quodam Cleomenis reſponſum, quòd interrogatus quid bonum regem facere oporteat, dixerit, amicis quidem benefacere, inimicis autem malè: Et quanto, inquit, melius eſt, ô bone, amicis quidem benefacere, inimicos uerò ſibi conciliare? Id quidem reſponſum etſi omnium confeſſione Socratis eſt in primis, ad Ariſtonem tamen etiam refertur. Quodam autem percontante, quot ſint numero Spartiatæ: quot, inquit, ſatis ſunt ad hoſtes arcendos. Sed quū quidam Athenienſium funebrem eorum laudationem, qui fuerant à Lacedæmonijs interfecti, legeret: Quales igitur noſtros, ait, eſſe censes, qui iſtos deuicerunt?

ARCHIDAMIDAS aduerſus eum qui Charillam laudaret, quòd in omnes ſimiliter mitis foret: Ecquo, inquit, modo iuſtè quis laudetur, ſi in improbos quoq; ſit mitis? Accuſante autem quodam Hecatæum rhetorem, quòd admiſſus ad ipſorum conuiuium nihil dixerat: Ignorare mihi uideris, inquit, eum qui dicendi peritus ſit, dicendi quoq; tempus cognoſcere.

ARCHIDAMVS Zeuxidami, quum à quodam interrogaretur, quænam Spartæ anteponantur: Leges, inquit, & ſecundum leges magiſtratus. Ad eum uerò qui citharœdum laudabat, & eius facultatem admirabatur: O bone, inquit, quod præmium abs te probis uiris ſtatuetur, quando citharœdum tantopere laudas? Idem quodam cantorem commendante ac dicente, hic bonus eſt cantor: At apud nos, inquit, hic bonus eſt coquus: tanquam nihil interesset, ſiue per uocis inſtrumenta, ſiue per obſoniorum & iuris condituram uoluptas efficiatur. Quodam autem ipſi pollicēte uinum ſuaue: Ad quid? ait,

nam

nam & plus absumetur, & quæ ad uirilitatem spectant, inutiliora efficientur. Sed Corinthiorum urbem cum exercitu aliquando aggressus, quum lepus ex loco muris uicino, excitatus esset, ad milites inquit: Faciles captu nostri sunt hostes. Duo autem quidam quum ipsum arbitrum sumpsissent, ductos illos in Chaleiœcæ lucum iurare coegit, se ijs quæ forent iudicata, staturos. Et quũ illi iurassent: iudico, inquit, ne prius ex hoc luco recedatis, quàm quæ inuicem uobis controuersiæ sunt dissolueritis. Filiabus uerò suis quum Dionysius Siciliæ tyrannus preciosa misisset uestimenta, non accepit dicens: Vereor ne puellæ istis indutæ mihi turpes uideantur. Filium autem quum uidisset cum Athenienſibus præcipitanter pugnantem: Vel adde uiribus, inquit, uel magnanimitati detrahe.

ARCHIDAMVS Agesilai, quum à Philippo post pugnam Chæronensem asperiorem accepisset epistolam, rescripsit: Si umbram tuam metitus fueris, nequaquam inuenies ipsam maiorem factam, quàm esset antequam uicisses. Rogatus autem, quantam regionem obtinerent Spartiatæ: quantum, inquit, hasta assequuntur. Quum uerò Periander medicinæ arte clarus maximè quidem laudaretur, sed mala poëmata scriberet: Quidnã, inquit, ô Periander, pro gratioso medico malus poëta uocitari affectas? Idem in bello contra Philippum quibusdã consulentibus, procul à domo esse pugnandum: At hoc, inquit, non est uidendum, sed an pugnantes hostibus superiores futuri simus. Ad eos uerò qui ipsum laudabant, quòd Arcadas pugna superasset: melius, inquit, fuisset, si prudentia illos potius quàm uiribus uicissemus. Sed quando inuasit Arcadiam, audiens Eleos Arcadibus ipsis opitulari,

opitulari, hanc ad illos epistolã dedit. Archidamus Eleis. Quies bonum. Socijs uerò in bello Peloponesiaco quærentibus, quot pecuniæ satis forent, rogantibusque ut tributa determinaret: Bellum, inquit, statuta non quærit. Catapultæ autem iaculum quum uidisset tunc primum ex Sicilia aductum: Hercules, exclamauit, uiri perijt uirtus. Idem quũ Græci nollent ipsi obedire, ac fœdera quæ cũ Antigono & Cratero Macedonibus icta fuerant, soluere, & liberi esse, tanquam Lacedæmonij molestiores futuri essent quàm Macedones: Quis, inquit, semper quidem eandem emittit uocem, sed homo multas & uarias, quousq; id quod uisum est perficiat.

ASTYCRATIDAS posteaquam Agis apud Megalopolin uictus fuit in pugna contra Antigonum, quum ei quidã dixisset: quid nũc facietis, ô Lacedæmonij? an Macedonibus seruietis? Ecquid, ait, posset ne Antigonus pro Sparta nos pugnantes, ne moriamur prohibere?

BIAS insidijs ab Iphicrate Athenienſium imperatore circumuentus, militibus interrogantibus, quidnam esset faciundum: quid aliud, inquit, quàm ut uos seruemini, ego uerò pugnando moriar?

BRASIDAS quum in caricis murem comprehendisset, morsus dimisit. Tum ad eos qui aderant: Nihil, inquit, adeò parvum est, quod seruari non possit, si eos ulcisci audeat, à quibus inuadatur. In quadam uerò pugna iaculo per scutum uulneratus, illa ipsa hasta è uulnere extracta hostem interemit. Sed interrogatus, quo modo fuisset uulneratus, Prodente me scuto, respondit. Ad bellum autem egressus ad Ephoros scripsit. Quæcunq; belli nocumenta aut repellam, aut moriar. Sed posteaquã ipsum cadere cõtigit, Græcis Thraciæ liberatis, qui mũsi

Lacedæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lacedæmonem fuerant legati, ad matrem quoq; eius Archileonidem accesserunt. Quos quidem illa quum interrogasset primum, an Brasidas fortiter diem obiisset, ac Thracibus laudantibus & dicentibus, nullum alium talem esse: Ignoratis, ô hospites, inquit: Nam Brasidas fortis quidem erat, sed multi Spartæ illo sunt fortiores.

CALLICRATIDAS quum esset nauarchus, amicis Lysandri rogantibus, ut sibi unum quendam ex inimicis concederet necandum, acciperetq; talenta quinquaginta, quamuis pecuniarum tunc maximè ad nauium commeatum emendum indigeret, non concessit. Sed quum Cleander consiliarius dixisset: At ego quidem accepissem, si tu fuissem: Et ego, inquit, si tu essem. Ad Cyrum autem iuniorem, qui Lacedæmoniorum socius erat, quum ad accipiendas pecunias classi necessarias Sardis peruenisset, primo quidem die iussit nunciare, se Cyrum conuenire uelle. Sed ubi illum bibere audiuit: Expectabo, inquit, donec bibat. Ac tunc quidem recessit, postquam cognouit illo die se cum eo colloqui non posse, ueritus ne agrestior esse uideretur. Sed postridie quum rursus illum bibere audisset, ac se non admitti, indignatus, sic pecunijs accipiendis studendum esse dixit, ne quid indignum Sparta fiat. Ephesum´que profectus est, multa quidem in eos mala imprecatus, qui primi Barbarorum delitijs pellecti, diuitijs illos ad contumelias abuti docuerant. Iurauit´que ijs qui aderant, se cumprimum Spartam reuenisset, omnia facturum, ut Græcos reconciliaret, quò barbaris sint formidolosiores, ac illorum uiribus contra se inuicem egere cessarent. Rogatus uerò quales uiri sint Iones: Ingenui quidem mali, inquit, serui autem boni. Sed Cyrus quum stipendium militibus

militibus præmisisset, ac ipsi munera, mercedem quidem solam accepit, munera autem remisit, quòd diceret non oportere sibi priuatam cum ipso amicitiam esse. Cæterum quæ cum omnibus Lacedæmonijs communis sit, secum quoq; esse. Pugnam uerò naualem quum apud Arginusas commissurus esset, ac Hermon gubernator dixisset: bene rem habere si inde soluerent: triremes enim Atheniensiũ multò plures esse: Ecquid hoc? inquit, quum fugere & turpe Spartæ sit, & damnosum: manentem uerò uel mori, uel uincere honestissimum. Facto autem sacrificio, quum ex uate audisset, extis uictoriam exercitui quidem portendi, sed imperatori mortem, nihil perterritus: Nõ ab uno, inquit, Sparta: me nanq; mortuo nihil Sparta diminuetur, sed si hostibus cessero, minor fiet. Igitur quum Clearchũ loco sui ducẽ declarasset, nauali prælio cum hostibus congressus fortiter pugnans uitam cum morte commutauit.

CHARILLVS interrogatus, cur Lycurgus tam paucas leges tulisset, quia, inquit, pauca loquentibus, paucis legibus est opus. Sed quodam rogante, cur uirgines aperta quidem facie, uxores autem uelata in publicum prodirent: Quia uirgines, inquit, maritos quidem sibi inuenire oportet: sed qui habent uxores, seruare. Helotum uerò quodam se cum eo audacius gerente: nisi, inquit, iratus essem, te occidissem. Interrogatus autem quam putaret optimam rempublicam: In qua plurimi, inquit, ciues de uirtute sine seditione inter se certẽt. Quodam uerò percontante, cur omnia deorum simulachra apud Lacedæmonios cũ armis posita essent: Vt, inquit, ne quæ in homines propter timiditatem opprobria dicuntur, ea in deos referamus, ac ne iuuenes quidem inermes dij supplicent. Idem aduersus Thebanos de quibusdã contradicentes: Aut

tes: Aut minus, inquit, efferri oportet, aut plus posse.

CLEOMBROTVS Pausaniæ peregrino quodam cum patre de uirtute cõtendente: Tantisper, inquit, solum te pater est melior, donec tu quoq; genueris.

CLEOMENES Anaxandridæ Homerum quidem Lacedæmoniorum poëtam esse aiebat, Hesiodum autem Helotum & agricolarum. Illum enim ut bella sint gerẽda, hunc autem ut colẽdi sint agri præcepisse. Qui uerò septem dierum cum Argiuis inducias feciſſet, capto tempore tertia nocte dormientes (nam fœderibus fidebant) inuasit, ac alios quidem interemit, alios in seruitutem redegit. Sed quum obiurgaretur quòd iusiurandum transgressus esset, dicebat ad dierum iusiurandum noctes additas non fuisse, quum præsertim quicquid malè contra hostes fiat, id apud & deos & homines iustitiæ superius esse putetur. Sed euenit ne Argis, cuius urbis gratia fœdera uiolauerat, potiretur. Nam mulieres quum e templis arma detraxissent, ipsum repulerunt. Ac deinde furiosus effectus, quodam arrepto gladiolo seipsum à capite ad membra usq; letalia trucidauit, sicq; ridens & lætabundus uitam reliquit. Sed quum uates eum deterreret, ne exercitum aduersus Argiuorum urbem duceret, inde enim turpem reditum futurum, quum ad urbem accessisset, ac portas quidem clausas mulieresque in muris uidisset: Hicne tibi, inquit, reditus uidetur esse turpis, quum uxores uiris cæsis portas clauserint? In Argiuos uerò, se ut periurum & impium conuitijs prosequentes: Male, inquit, dicendi uos quidem estis domini, sed malè uobis faciendi ego. Samiorum autem legatis eum rogantibus, ut aduersus Polycratem tyrannum bellum gereret, ac propterea longiore utentibus oratione:

oratione: Quæ, inquit, à principio dixistis, non memini, & idcirco ne media quidem intelligo, sed postrema non probo. Pirata uerò quum in agrum Lacedæmonium incursionem feciſſet, captusq; diceret: Quoniã alimenta quæ militibus præberem, non habebam, idcireo ad eos qui habebant, nec sponte dare uolebant, ui sumpturus accessi: Concisa, inquit, & breuis militia. Quodam autem nequã male ipsi dicente: An propter hoc, inquit, tu omnibus male dicis, ne tempus de tua loquẽdi malignitate habeamus? Ciuium uerò quodam dicente, oportere bonum regẽ omnino mitem esse: Eò usque, inquit, dum contemptui non sit. Cæterum longo morbo uexatus, quum expiatoribus uatibusq; mentem non solitus antea adhiberet, quodam admirante: Quid miraris, inquit? Neque enim nunc idem sum, qui tunc eram: sed quum idem non sim, ne eadem quidem probo. Rhetore autem quodam de fortitudine orationem habente, plurimum ridebat. Sed ille quum dixisset: Quid rides Cleomenes, me de fortitudine uerba facientem audiens, quum præcipue rex sis? Quia, inquit, ò hospes, si & hirundo de ipsa diceret, hoc idem facerem: Sin aquila, magnam agerem quietem. Idem quum Argiui dicerent priorem pugnam, qua fuerunt superati, reficiendebere: miror, inquit, si unius syllabæ additione nunc fortiores facti estis, quàm antea fueritis. Quodã autẽ ipsum conuicijs prosequẽte ac dicente: Delicatus es, ò Cleomenes: At melius est, inquit, quàm iniustum esse. Tu uerò pecuniarum es studiosus, quamuis quæ tibi satis sunt parabas. Sed cantorem quidam quum ipsi cõmendare uellet, ac hominem & ex alijs laudaret, & cantorẽ Græcorum optimum diceret, ostenso quodam ex ijs qui propè aderãt: Per deos, inquit, iste mihi est coquus iuris cõdiendi peritissi

Vnius syllabæ, scilicet, facio & reficio. Sic interpres. Plutarchus autem μάχομαι & ἀναμάχομαι. Ideo, si duarũ syllabarum additione &c. scripsit.

A

ritißimus. Quum uerò Mæander Sami tyrannus propter inuaſionẽ Perſarum Spartam fugiſſet, ac oſtentaſſet quot-quot aurea argenteáq; pocula attuliſſet, donaretq; quotcunq; uellet, nihil quidẽ accepit, ſed ueritus ne alijs ciuiũ quibuſdam diſtribueret, ad Ephoros profectus melius dixit fore Spartæ, ſi Samius hoſpes ſuus ex Peloponneſo recederet, ne quem Spartiatarum ſuis perſuaſionibus malũ efficiat. Ac illi quidẽ obtemperantes illo ipſo die Mæandrum edicto exegerunt. Quidam uerò quum dixiſſet, cur Argiuos, qui ſæpe uobiſcum bellum geſſerunt, parta victoria non deleuiſtis? Si deleuiſſemus, inquit, qui noſtros iuuenes exercerent non haberemus. Rogante autem quodam, cur Spartiatæ dijs non dedicant ſpolia hoſtibus erepta: quia, inquit, à timidis ſunt.

CLEOMENES Cleombroti, quodam ei dante pugnaces gallos gallinaceos, ac dicente, illos certantes pro victoria interire: igitur aliquos, inquit, ex ijs qui illos interimunt, da mihi: nam illis hi ſunt meliores. Quum uerò quidam longa uteretur oratione: quid mihi, inquit, de paruis rebus longa facis prooemia? Nam quãta res eſt, tanta & oratio qua uteris eſſe debet.

DAMONIDAS quum à chori magiſtro in ultima chori parte locatus eſſet: Euge, inquit, ô chori magiſter, excogitaſti quo modo hic quoq; locus, alioqui inhonoratus, fieret honoratus.

DAMIS ad ea quæ ſcripta erant ab Alexandro, ut deus decerneretur, Permittamus, inquit, Alexandro, ſi uelit deus uocari.

DAMIDAS quum Philippus Peloponneſum inuaſiſſet, ac quidam dixiſſet: Periclitantur Lacedæmonij grauia pati, niſi cum Philippo in gratiã redeant: Sentiunt, inquit,

inquit, quidnã graue pati poſſumus mortẽ contemnẽtes?

DERCILLIDAS ad Pyrrhum, caſtra in agro Spartano habentem, legatus, Pyrrho ipſo iubente ut regẽ ſuum Cleonymum reciperent, niſi cognoſcere malint, ſe nullo alio fortiores eſſe, excipiens inquit: Si quidem es deus, nihil timemus: neq; enim iniuſti ſumus: Sin homo, nobis certè melior non es.

DEMARATVS Oronte ipſum aſperius alloquuto, quum quidã dixiſſet: Aſpere ſe tecum geßit Orõtes, ô Demarate: Nihil in me, inquit, peccauit: Qui nanq; ad gratiam loquuntur, nocent, non qui cum odio. Quodam autem percontato, cur qui apud Lacedæmonios ſcutum abijciunt, ignominia afficiuntur, qui uerò galeas thoracaſue, minimè: Quia hæc, inquit, ſuæ ipſorum cauſa induũtur, ſcutum uerò communis aciei gratia. Idem cantorem quum audiſſet: non malè, inquit, mihi nugari uidetur. In quodã autem conſeſſu rogatus, utrum propter ſtultitatem, an propter ſermonis inopiã taceret: Atqui ſatuus, inquit, tacere non poteſt. Sed quodam interrogante, cur rex quum eſſet, Spartam fugeret: quia leges, inquit, ſunt illic potentiores. Quum uerò Perſarum quidam aſſiduis muneribus concubinum ſuum abduxiſſet, ac diceret: ô Lacon, puerum quem amas uenatus ſum: At minimè, inquit, per deos tu quidem, ſed emiſti. Perſarum autem quidam quum à rege defeciſſet, à Demaratoq; perſuaſus rediſſet, ac Perſam ipſum rex occidere uellet: Turpe eſt, inquit, rex quum tibi quidem erat inimicus, tum non potuiſſe ab ipſo defectionis pœnam ſumere, nunc uerò quum factus eſt amicus, necare. Sed ad regis paraſitum ſæpius exilium ſibi exprobrantem: Non pugnabo, inquit, tecum ô hoſpes: nam uitæ ordinem abſumpſi.

EMEREPES Ephorus Phrynidis musici duas è nouē chordis bipēni excîdit dicēs: Musicā ne depraues.

EPAENETVS omnium dictitabat & delictorū, & iniuriarum mendaces esse autores.

EVBOIDAS quosdam audiens uxorē alienā laudantes nō approbabat, quòd diceret, nullū omnino uerbū de muliebri ingenio ab externis esse faciundum.

EVDAEMONIDAS Archidami filius Agisq; frater, quum in Academia Xenocratem iam senem cum familiaribus disputantem audisset, interrogauit quisnam senex esset. Cui quum quidam respondisset, illum sapientem esse uirum, ac ex eorum numero qui uirtutem quærerēt: Et quando illa utetur, inquit, si etiamnū quærit? Audiens uerò Philosophum, qui disserendo colligeret, solum sapientem bonum esse imperatorem: Sermo quidem admirandus est, inquit, sed qui illum facit, fide caret: Neq; enim unquam tubarum clangore fuit excitatus. Idem quum Xenocrates quæstionem iam edisseruisset, ac finem dicendi faceret, forte aduenit. Quumq; eorum quidam qui cum ipso erant, dixisset: posteaquam nos aduenimus, cessauit: Bene, inquit, siquidem iam ea dixerat quæ uolebat. Sed quum ille dixisset: At pulchrum erat audire: An & ad eum qui cœnatus sit uenientes, ut iterum cœnet rogemus? Percontante uerò quodam, cur ciuibus aduersus Macedonas bellum decernentibus ipse quietem agere probet: quia nolo, inquit, ipsos mendacij arguere. Sed alter quum uictorias de Persis partas commemoraret, ad bellumq; exhortaretur: ignorare mihi uideris, inquit, idem non esse, mille pecora superare, & cum quinquaginta lupis pugnare. De cantore autem quodam approbato interrogatus, qualis sibi esse

esse uideretur: Magnus, inquit, in re parua delinitor. Quidam uerò quum Athenas laudaret: Equis, inquit, eam urbem laudet, quam nemo probus unquam dilexit? Quum autem quidā Argiuus dixisset, Laconas peregrinationibus deteriores fieri, quippe qui à patrijs legibus recedant: At non uos, inquit, Spartam uenientes peiores euaditis, sed meliores. Alexander uerò quum in Olympijs edixisset omnibus exulibus in suam cuiq; patriam reditum patere præterquā Thebanis: Aduersum quidem uobis, ô Thebani, inquit, edictum, sed glorioſum: Solos nanq; uos Alexander timet. Idem interrogatus, cuius rei gratia Musis ante pericula immolēt Spartiatæ: Vt præclaris, inquit, gestis præclaræ quoq; orationes contingant.

EVRYCRATIDAS Anaxandridæ, percontante quodam, cur de contractibus Ephori iura quotidie reddant: Vt, inquit, inter hostes quoque fidem mutuam habeamus.

HERONDAS quum Athenis quidā ocij damnatus foret, iussit ostendi sibi cum, qui in causa liberali conuictus foret.

HIPPODAMVS quando Agis contra Archidamum aciem instruebat, quum ab Agide Spartam reuocaretur, ut illic quæ necessaria forent præpararet: At hic, inquit, non'ne præclarius diem obibo, si pro omnibus fortiter fecero? Natus autem erat annos ultra octoginta. Sumptis igitur armis stans ad regis dexteram pugnando fuit interfectus.

HIPPOCRATIDAS ad Cariæ satrapam, à quo literas acceperat de Lacedæmonio uiro, qui insidiātibus quibusdā insidiarū conscius tacuerit, rogatusq; erat, quomodo uti illo deberet, rescripsit: Si quo magno qui-

dem bono ipsum affecisti, occide: sin minus, è regione pelle, ut qui ad uirtutem timidus sit. Quum autem quidam adolescēs, quem amator sequebatur, ipsi occurrisset, ac se auertisset: Cum ijs, inquit, eundum est, quibus cum uisus eundem serues colorem.

LEOTYCHIDAS primus quum à quodā facilè mutari diceretur: propter tempora, inquit, non ut uos propter uestrum ipsorum uitium. Ad eum uerò qui rogabat, quo modo quis maximè præsentia bona tueretur: Si nō omnia, inquit, fortunæ crediderit. Interrogatus quoq; quid ingenuos pueros discere potissimum oporteat: quæcunq;, ait, ipsos quum uiri fuerint, iuuent. Quodam autem rogante, quam ob causam parum bibant Spartiatæ: Ne pro nobis, inquit, alij consultent, sed nos pro alijs.

LEOTYCHIDAS Aristonis ad eum qui dixerat, Demarati filios ipsi malè dicere: Per deos, inquit, nihil miror: neq; enim illorum quisquam bene dicere posset. Quum autem propinquioris portæ claui draco circunuolutus foret, ac uates monstrum esse denuntiarent: Minimè, inquit, mihi quidem uidetur, sed si clauis draconi circunuoluta foret, monstrum esset. Ad Philippum uerò Orphei sacris initiantem prorsus quidem mēdicum, sed asserentem omnes apud seipsum initiatos post uitæ finem felices fore: Cur igitur, inquit, ô stolide, quamprimum non moreris, quò & infelicitatem, & egestatem flere desinas? Quodam autem percontante, cur arma hostibus detracta dijs non dedicant Spartiatæ? Quia, inquit, quæ propter possessorum timiditatem uenati sumus, neq; à iuuenibus uideri, neq; dijs expedit dicari.

LEON Eurycratides interrogatus, quam quis urbem incolens tutus sit: Vbi, inquit, neque plura, neque pauciora

pauciora inhabitantes possideant, & ubi iustitia polleat, & iniustitia iaceat. Cursores autem in Olympijs spectans de emissione sollicitos esse, ut meliore quisq; forent conditione: Quanto, inquit, magis cursores uelocitati student, quàm iustitiæ? Quum uerò quidam intempestiue de rebus non inutilibus deseruisset: Non opportune, inquit, ô hospes, opportuno uteris.

LEONIDAS Anaxandridæ filius, & Cleomenis frater, ad quendam dicentem, Præterquàm quòd rex es, nihilo nobis præstas: Atqui nunquam, ait, nisi uobis melior essem, rex fuissem. Quum autem Gorgo uxor percontaretur, quando ad Thermopylas proficiscebatur cum Persis dimicaturus, nunquid sibi mandaret: Vt, inquit, & probis nubas, & probos liberos parias. Dicētibus uerò Ephoris, paucos ad Thermopylas ab ipso duci: Et ad quod, inquit, uadimus opus? Sed quum illi iterum dixissent, nunquid aliud facere decreuisti? Transitum, inquit, Barbarorum uerbo quidem impedire, sed re ipsa pro Græcis mortem obire. Atqui in Thermopylis quum iam esset, ait ad commilitones: Dicunt Barbarum in proximo esse, quare tempus non est terendum: Iam enim aut uinci à nobis Barbaros, aut nos mori licet. Et quopiam dicente, propter Barbarorum sagittas solem uidere non esse: Ergo cum ipsis, inquit, iucundè in umbra pugnabimus. Quum uerò alius dixisset: Adsunt prope nos: Igitur, inquit, & nos prope illos. Sed quum alius dixisset: Aduersus multos, ô Leonida, cum paucis periclitaturus sic ades? Si me quidem multitudini fidere putatis, ne totā quidē Græcia sufficeret. Nam parua illorum multitudinis pars est. Sin autem uirtutibus, & hic numerus est satis. Alio uerò idem dicēte: Attamen, inquit, multos ut morituros diu

co. Xerxes autem quum ipsi scripsisset: Licet tibi cũ dijs non pugnanti, sed mecum militanti Græciæ principatum obtinere, rescripsit: Si uitæ bona cognosceres, longè ab alienorũ cupiditate abesses. Mihi uerò melius est pro Græcia mori, quàm contribulibus & finitimis imperare. Sed quum Xerxes iterum scripsisset, Mitte arma, rescripsit: Veni & cape. Quum uerò iam hostes aggredi uellet, belli præfecti dixerunt, oportere ipsum alios expectare: neq; enim adesse, qui sunt pugnaturi: An ignoratis, inquit, eos solos contra hostes pugnare, qui reges & uerètur & timent? Militibus autem præcepit, prandèrent tanquam apud inferos cœnaturi. Idem interrogatus, cur fortißimi uiri claram mortem obscuræ uitæ anteponant: Quia, inquit, hoc quidem naturæ proprium, illud uerò suum ipsorum esse putant. * Iuuenes uerò cœlibes uolens seruare, quum sciret eos id aperte non toleraturos, scytalis unicuiq; ipsorum datis ad Ephoros misit. Ac tres quoque ex ijs * qui duxerant uxores, seruare uolebat, sed quum ipsi id animaduertissent, scytalas accipere non sustinuerunt. Ac eorum quidem unus dixit: Non præco, sed pugnator te sum secutus. Alter uerò: Hic manens melior ero. At tertius: Non horum postremus, inquit, sed primus pugnabo.

*ἀπόρρ.

*τιλείαι.

LOCHADVS Polyænidæ filius & Sironis pater, quum quidam ei nunciasset, alterum è filijs mortuum esse: Iampridem, inquit, sciebam illum mori oportere.

LYCVRGVS ille legum lator uolens ex eo uiuendi modo qui antea fuisset, ad temperatiorem uitæ ordinem suos ciues traducere, ac honestos fortesq; efficere (nam delicatiores erant) duos educauit catulos ex ijsdẽ parentibus natos: quorũ alterum quidem gulæ assuefecit, domi

domi esse permittens, alterum autem educens ad uenationem exercuit. Deinde illis in concionem adductis, dispositi & spinas & quædam gulæ irritamenta, posteaq; leporem dimisit. Sed quum ad consueta uterq; cucurrisset, ac leporem alter cepisset: Videte, inquit, ò ciues, quum ex eodem sint genere, quàm dißimiles ob educationem inter se euaserint, quantoq; efficacior quàm natura ad res honestas sit exercitatio. Quidam tamen ferunt ipsum educasse catulos non ex ijsdem ortos, sed alterum ex domesticis, alterum è uenatorijs. Ac peiori quidem ex genere natum ad uenatoria exercuisse: ex meliori autem ganeæ & gulæ solum assuefecisse. At postea quum uterq; ad ea quibus assuetus erat, impetum fecisset, aperteq; pateret quãtum educatio & ad meliora ualeat & ad peiora: Igitur & nos ò ciues, inquit, nihil generositas, quæ uulgo est admirationi, & ab Hercule ductum genus iuuat, nisi ea faciamus, per quæ ille hominum clarißimus fortißimusq; est uisus, per totam uitam honesta discentes ac exercentes. Ac facta agri diuisione, æqualiq; omnibus ciuibus portione distributa, fertur quum aliquando per agrum Laconicum paulò antè demessum peregre ueniens transiret, intuitus aceruos iuxta se inuicem positos ac æquales, gauisus esse, atq; ijs qui aderant dixisse: Quàm tota Laconica uidetur esse multorum fratrum, qui nuper illam inter se diuiserint. Quum autem nouas tabulas & debitorum sublationem inuexisset, omnes quoque res domesticas ex æquo diuidere aggressus est, ut omnẽ & imparitatem & inæqualitatem penitus auferret. Sed quoniam uidebat plerosq; diuitum manifestam priuationem ægrè ferentes, nummum & aureum & argenteum irritum effecit, ferreoq; duntaxat uti iußit. Ac quousq; tota substantia habenda

Universidad de Deusto
Biblioteca

foret, ex illius permutatione definiuit. Quo quidem facto omnis ex Lacedæmone iniustitia excidit. Nam neq; furari, neq; largitionibus corrumpere, neq; auferre aut rapere cuiquam amplius libebat, quod nec abscõdere, nec iucunde possidere, nec sine periculo uti poterat, nec uel exportare uel importare tutum erat. Ad hæc quæcunque peregrina quoq; & superuacanea ex urbe eiecit. Quare neq; mercator, neq; rhetor, neq; uates circulatorue, neq; apparatuum artifex Spartam ingrediebatur. Neque enim numus apud ipsos utilis relictus, sed ferreus solum in usu erat, quæ quidem est mna pondere Aeginetica, ui autem erci quatuor. Quum uerò delitias inuadere, ac diuitiarũ amorem auferre cogitasset, conuiuia publica inuexit. Ad illos autem qui quærebant, cur illa instituisset, atq; ita distinxisset, ut ciues pauci cum armis simul discumberent: Vt, inquit, promptè imperata accipiant, & si quid innouauerint, in paucis sit peccatum. Aequalitas uerò & cibi & potus erat, ac non solum epulis diues pauperi non præcellebat, sed ne strato quidem, aut uasis, aut prorsus ulla alia re superior erat. Sed quum diuitias uiles effecisset, quippe quas nemo uel in usu habere uel ostentare uellet, ad familiares dicebat: Quàm pulchrum est, ò sodales, re ipsa demonstrare, quales omnino sint diuitiæ. Sunt enim cæcæ. Præterea cauit ne ijs qui domi antè cœnassent, liceret ad publica conuiuia ire, alijs epulis potionibusq; repletis. Vituperabant autem reliqui eum qui neq; biberet secum, neque comederet, perinde atque incontinentem, & à communi uictu propter mollitiem alienum. Quicũq; uerò deprehẽsus fuisset mulctabatur. Vnde Agis qui multò pòst tempore fuit rex, ab exercitu reuersus (nam Athenienses debellauerat) quum uellet quodam die apud

apud uxorem cœnare, ac portiunculas posceret, belli præfecti non miserunt. Sed quum postridie id Ephoris innotuisset, mulctatus est. Istiusmodi igitur legum constitutiones quum diuites ægreferrent, in illũ insurrexerunt, conuicijs prosequentes, cædentesq;, & lapidare uolentes. Ac è foro pulsus ab ijs qui eum persequebantur, alios quidem præteriens in templum Chalciœcæ Mineruæ confugit, sed Alcander ipsi respicienti oculum baculo eruit. Quem publico quidem decreto quum ad supplicium postea accepissent, neq; ullo malo affecit, neq; accusauit, sed unà uiuentem secum habens effecit & sui laudatorem, & uictus quo utebatur, et prorsus institutionis illius approbatorẽ. Cæterũ calamitatis illius monumentũ in luco Chalciœcæ Mineruæ sacellum erexit, ac Optiletin appellauit. Nam oculos Dorienses, qui in illa sunt regione, optilos uocant. Interrogatus autẽ cur legibus scriptis nõ sit usus: quia, inquit, rectè eruditi ac bene honesteq; instituti temporis rationẽ habent. Percõtantibus uerò quibusdam, cur tectum à securi domibus imponi iussisset, ianuam autẽ solum à serra nulloq; aliorum instrumentorum: Vt ciues, inquit, omnibus in rebus, quas in domum inferunt, mediocritate utantur, & nihil eorũ quæ alijs cara sunt habeant, qualia sunt pocula & lecti, ac mensæ preciosæ. Ex hac uerò consuetudine ferunt & Leotychiden primum regem apud quendam cœnantẽ, quum sumptuosam cõtignationis domus constructionem & lacunatam spectasset, interrogasse hospitem, an quadrata apud ipsos ligna nascerentur. Interrogatus etiam cur in eosdem hostes uetuisset sæpius expeditionem facere: ne sæpe, inquit, repugnare assueti, bellandi peritiam assequantur. Vnde & Agesilao non paruo crimini datum est, quòd assiduis in Bœotiam incursionibus

incursionibus Thebanos Lacedæmoniorum hostes instruxisset. Vulneratum igitur ipsum quum uidisset Anaxandridas, accusauit, quòd Thebanos ipsos nec uolentes, nec scientes pugnare docuisset. Pulchra uerò, inquit, doctrinæ præmia accipis à Thebanis, quum illos assuefeceris ac docueris uel inuitos pugnare. Alio item quærente, cur uirginum corpora cursibus & luctis, ac iaculorum discorumq; iactibus exercenda censuissent: Vt stirps, inquit, eorũ qui gignerentur, ualidũ in ualẽtibus corporibus principium sumens bene germinaret, ac ipsæ partus robustè perferentes, facile simul & fortiter doloribus resistant: & si qua necessitas coëgerit, possint & pro seipsis, et pro filijs, & pro patria pugnare. Sed uirginũ in pompis denudationẽ quibusdam accusantibus, & causam quærẽtibus: Vt ipsdem, inquit, studijs quibus & uiri exercitatæ, nihil minus neq; circa robur corporis & sanitatem, neque circa animi ambitionẽ ac uirtutẽ habeant, & uulgarẽ gloriam contemnant. Vnde & Gorgo Leonidæ uxor ita respondisse memoratur. Quum enim quædam hospes, ut uidetur, ipsi dixisset: Solæ uos Lacænæ uiris imperatis, respondit: Nempe nos solæ uiros parimus. Cœlibes uerò à spectaculo gymnicorum ludorum prohibendo, ignominiaq; afficiendo, magnam liberos gignendi curam iniecit. Nam honore eo ac reuerentia, quam iuuenes senioribus exhibebant, illos priuauit. Vnde & illud in Dercillidam dictum, quamuis spectatus esset imperator, reprehendit nemo. Illi nanque aduenienti iuniorum nemo sedecessit, quum dicerent pro se quisque: Ne tu quidem, qui mihi cessurus sit, genuisti. Quodam autem percontante, cur uirgines indotatas nubere lege cauisset: Vt neque propter egestatem, inquit, aliquæ relinquantur

tur innuptæ, neq; propter opulentiã colantur, sed unusquisq; puellæ mores spectans ex uirtute faciat electionem. Nam ob id omnem quoque fucatorium ornatum ex urbe eiecit. Quum uerò nuptiarum tempus & maribus & fœminis statuisset, ad eum qui causam quærebat: Vt qui ex perfectis, inquit, generantur robusti sint. Sed ad eum qui mirabatur, quòd sponsum cum sponsa prohibuisset simul dormire, illumq; iussisset maximam diei partem cum æqualibus conuersari, & totas quiescere noctes, & furtim ac pudibundè cum sponsa coire: Vt & corporibus, inquit, sint robusti, & non satiati amando semper sint noui, & liberos ualidiores edant. Vnguentum præterea tanquam olet corruptionem atq; perditionem, ac tingendi artem ut sensus adulationem, expulit. Omnibus autem ornatus corporis artificibus Sparta interdixit, perinde atq; artis prauitate artes inquinantibus. Tanta uerò temporibus illis mulierum pudicitia erat, tantumq; à facilitate, qua postea fuerunt inquinatæ, aberant, ut incredibile in ipsis prius adulterium fuerit. Ac sermo quidem Geradatæ cuiusdam Spartiatæ antiquissimi memoratur, qui ab hospite rogatus, quid adulteri Spartæ patiantur: nam se nullam uidere legem super hoc à Lycurgo latam: Nullus ô hospes, inquit, adulter apud nos est. Sed illo subijciente, si igitur fieret, idem Geradatas: Quonam, inquit, modo adulter Spartæ fiat, ubi & diuitiæ, & delitiæ, & corporis ornamenta in nullo sunt honore, pudicitia autem ac modestia, & magistratuum obseruantia magno æstimantur? Ad eum uerò qui censebat Democratiã in urbe instituendam esse: Tu primus, inquit, in domo tua constitue Democratiã. Quodã autẽ percontãte, cur tam exigua tenuiaq; sacrificia statuisset: Vt deos, inquit,

inquit, uenerari nunquã desinamus. Sola uero certaminum quum ea permisisset ciuibus certare, in quibus manus non protenditur, quidam causam rogauit, hic autem: Vt nemo ipsorum, inquit, laborando deficere assuesceat. Sed quum quidam interrogaret, cur frequenter mutari castra iuberet: Vt hostibus, inquit, magis noceamus. Alio autem rogante, cur turres oppugnare uetuisset: ne uel à muliere, inquit, uel à puero, uel ab aliquo simili homuncu lo fortiores interimantur. Consulentibus uerò Thebanis de sacrificio & luctu, quem Leucotheæ exhibent, respondit: Si deam quidem putatis, non est lugenda: sin hominem, illi non est ut deo sacrificandum. Ad eos autem ciues qui quærebant, quomodo hostium incursionem repellerent: si egeni, inquit, sitis, nec plus alter altero quærat. Ac rursus de muris interrogantibus, minimè sine muris eam urbem esse dixit, quæ uiris, non lateribus coronata foret. Nutriebant autem & comam Spartiatæ, quandam Lycurgi de hac re legem commemorantes, pulchros quidem coma honestiores fieri, deformes autem terribiliores. Præcipiebat uerò ut in bellis quotiescunque in fugam uertissent hostes, ac uicissent, quousque confirmaretur victoria, persequerentur, ac statim retro cederent: Neq; enim Græcorum esse, eos interimere qui cessissent. Ad hoc utile quoque esse aiebat. Nam scientes eos qui aduersus se pugnant, parcere cedentibus, ac repugnãtes occidere, utilius fugere quàm resistere putãt. Sed quodam percontante, cur hostium cadauera spoliari uetuisset: Non solum, inquit, ne circa spolia occupati pugnam negligant, sed etiam ut paupertatem unà cum aciei ordine seruent.

LYSANDER missas à Dionysio Siciliæ tyrãno preciosas

preciosas uestes suas filiabus, non accepit, quòd diceret se uereri ne illis indutæ deformiores uiderentur. Sed haud multò pòst quum Dionysius ipse duas misisset stolas, horatusq; foret, utram illarũ uellet eligeret, ad filiamq; ferret: ipsa, inquit, illa melius eliget, ac utraq; accepta abijt. Vafer autem simulator Lysander factus, quum multa deceptionibus perageret, ac iustum in sola utilitate, & honestum in commoditate esse putaret, ueritatem quidem mendacio potentiorem esse dicebat, sed utriusq; dignitatem & honorem usu definiri. Ad eos uerò a quibus uituperabatur, quòd plurima decipiendo perageret, ut Hercule indignus, & dolo, non aperte quicquam gereret, ridens aiebat: quò leonina pellis non peruenit, uulpinam esse assuendam. Præterea alijs quoq; accusantibus ipsum, quòd quæ Mileti iurauerat transgressus esset, dicebat pueros quidem talis decipere oportere, sed uiros iureiurando. Athenienses uerò quum ex insidijs uicissent apud Aegos, siue Capræ flumina, & fame ipsos pressissent, ad deditionem coëgit, & ad Ephoros scripsit: Captæ sunt Athenæ. Cum Argiuis autem de terræ finibus contendentibus Lacedæmonijs, ac illis iactantibus, se iustiora dicere, stricto gladio: Qui hunc, inquit, obtinet, de agri finibus optimè disserit. Bœotos uerò dubitare uidens utri parti adhærerent, quum per illorum agrum transiret, misit ad eos sciscitans, utrum rectis an inclinatis hastis per illorum agrum transiret. Megarensis autem uir quũ in cõmuni conuentu contra ipsum loquendi licentia uteretur: Tua, inquit, ò hospes uerba ciuitatis egent. Postea quàm uerò Corinthij defecerunt, quum iuxta illorũ muros trãsiret, Lacedæmoniosq; uideret, pigre inuadere, ac leporem è fossa quidem exilire spectasset: Non pudet uos, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit,ò Spartiatæ,istiusmodi hostes timere,quorum inertia lepores in muris dormiunt? Eundem uerò in Samothracia oraculum petentem,quum sacerdos iussisset dicere,quid deterrimum in uita scisset,ipse quoq; sacerdotem interrogauit:Vtrum iussu tuo,inquiens,an deorum hoc facere oportet? Ac illo dicente,deorum:Tu igitur,inquit, mihi concede:at illis,si percontentur,dicam. Persa autem interrogãte,quam maximè laudaret Remp.Quæ,inquit, fortibus & timidis cõuenientia retribuit præmia. Sed ad eum qui dixerat,ipsum ase & laudari & defendi:Duos, inquit,boues in agro habeo, quibus quidem tacẽtibus pulchre scio uter ipsorum & operetur & ocietur. Quodam autem conuicijs ipsum onerante: dic, inquit,frequenter, ò peregrinelle dic, nihil omittens,si forte tuum ijs malis animum, quibus plenus esse uideris, euacuare possis. Post ipsius uerò mortem quum de societate dissensio foret, Agesilaus ad Lysandri domum se contulit,de ipsa literas inspecturus:illas enim penes se Lysander tenebat. Sed librum quoq; à Lysandro scriptum de Repub. inuenit, ut oportebat ab Euryprotidis & Agidis regnum auferri, & in medium poni, electionemq; ex optimatibus fieri,ne eorum qui ab Hercule,sed eius qui talis uirtute qualis Hercules fuit, iudicetur, præmium sit, quum præsertim & ille ad deorum honores sola uirtute sublatus sit. Ac orationem quidem hanc ciuibus exhibere tentauit, ut ostenderet qualis ciuis fuisset Lysander ignorari, & id quidem in Lysandri amicorum calumniam. Sed Cratesidem ferunt, tunc inter Ephoros eminentem, ueritum ne lecta oratio persuaderet,reprehendisse Agesilaum,ac dixisse, non solum non oportere effodere Lysandrum, sed etiam orationem unà cum ipso defodere, callide ad persuadendum

suadendum compositam.Eos uerò qui ipsius filias sibi desponsassent,ac deinde post mortem,quia pauper inuẽtus est,aspernarentur, Ephori mulctauerunt, quia quem diuitem putantes colebant,eum & frugi & iustum ex paupertate cognoscentes despiciebant.

NAMERTES orator missus,quũ quidam ipsum beatum esse diceret, quòd multos haberet amicos, interrogauit,an exploratum haberet, quo modo quis se multos habere amicos experiatur.Sed quum alter quidam id discere quæreret:Aduersa,inquit,fortuna.

NICANDER asserente quodam, Argiuos ipsi maledicere:Igitur dant pœnas,inquit, bonis maledicentes. Quodam autem percontante, cur comam barbamq; nutriant Spartiatæ: Quia,inquit, omnium pulcherrimus ac minimè sumptuosus uiro suus cuiq; est ornatus. Quum uerò Athenienſium quidam dixisset: Perquàm alieni ab ocio estis,ò Nicander:Vera,inquit,narras, sed non sicuti uos *ut contingat studemus.

*ἔπως τύχοι

PANTHOEDAS legatus in Asiam uadens, ostentantibus ei quibusdam murum & magnum & altũ: Per deos,inquit,ò hospites,pulchra hæc est mulierum habitatio.In Academia uerò quum Philosophi de multis & grauibus quidem disseruissent,ac deinde Panthœdam interrogassent,quid sibi de illis sermonibus uideretur:Quid nempe aliud,inquit,quàm quòd studiosi,sed utiles nihil, nisi uos ipsis uamini?

PAVSANIAS Cleombroti, Delijs cum Atheniensibus de insula Delo disceptantibus & dicẽtibus,neq; mulieres ex lege quæ apud ipsos est,in insula parere,nec mortuos sepeliri: Quo igitur modo,inquit,ea uestra sit patria, in qua nemo uestrûm nec natus est, nec erit sepultus?

pultus? Exulibus autem ipsum hortantibus ad ducendum in Athenienses exercitum, dicẽtibusq; ab illis solis tum in Olympijs fuisse exibilatum, quum uictor fuit declaratus: Quid igitur, inquit, putatis eos esse facturos, si quid mali à me passi fuerint, qui beneficio affecti exibilant? Percontante uerò quodam, cur Tyrtæum poëtam ciuitate donassent: ne, inquit, peregrinus nobis dux fuisse uideatur. Idem ad eum qui quum infirmus corpore esset, tamen cõsulebat cum hostibus terra mariq; periclitandum esse: Vis igitur, inquit, teipsum exuens ostendere qualis sis, qui nobis ut pugnemus consulis? Admirantibus uerò quibusdam in Barbarorum spolijs uestium sumptũ: Melius esset, inquit, ipsos multi fieri, quàm multi facienda possidere. Post uictoriam autem de Medis apud Platæas partam, iussit Persicam cœnam præparatam sibi apponi, in qua quidem quum admirandus inesset sumptus: Per deos, inquit, Iurco Persa erat, qui quum tot haberet, ad nostram uenerit polentam.

PAVSANIAS Plistanactis, ad quendam interrogantẽ, cur ex priscis legibus nullam mouere apud Spartiatas liceret: Quia leges, inquit, hominum, non homines legum dominos esse oportet. Quum autem ipse Lacedæmonios Tegeæ, ubi exulabat, laudaret, ac quidam dixisset, Cur igitur Spartæ non manebas? cur illinc aufugisti? Quia, inquit, ne medici quidem apud sanos, sed ubi sunt ægroti, uersari consueuerunt. Idem quodam percõtante, quo modo Thraces debellare possent: si optimũ, inquit, imperatorem delegerimus. Medicus uerò quum ipsum inspiceret, ac diceret, Nihil mali habes: Te nempe, inquit, medico non utor. Amicorum autem quodam ipsum accusante, quòd medico cuidam detraheret, nullam eius

eius peritiam habens, ac ne ulla quidem iniuria affectus: Quia, inquit, si de illo periculum feissem, nequaquam uiuerem. Sed quum medicus ipsi dixisset, At senex factus es: Quia te, inquit, medico non sum usus. Optimum autem illum dictitabat esse medicum, qui ægrotantes tabescere non sineret, sed quamprimum sepeliret.

PAEDARETVS quodam dicente, multos esse hostes: Nos igitur, ait, maiorem gloriam assequemur, nam plures interficiemus. Quum autem quendam uidisset natura quidem mollem, sed qui propter modestiam à ciuibus laudaretur: Nec uiros, inquit, mulieribus similes laudare oportet, nec uirorũ mulieres, nisi mulier aliqua necessitate cogatur. Inter trecentos autem quum nõ esset delectus, qui honor in urbe ordine primus erat, hilaris quidem ac ridens abibat, sed reuocatus ab Ephoris & interrogatus, cur rideret: quia gratulor, inquit, ciuitati trecentos ciues quàm ego sim meliores habenti.

PLISTARCHVS Leonidæ ad eũ qui interrogarat, quam ob causam à primis regibus non cognominarẽtur: Quia illi magis, inquit, duces esse quàm regnare uolebant, illorum autem posteri minimè. Quum uerò causidicus quidam ridicula diceret: non cessabis, inquit, ô hospes, à ridiculis continuè dicendis, ne ridiculus fias, ut qui assidue luctantur, luctatores? Dicente autem quodam ipsum à medico laudari: Miror, inquit, nisi si quis illi dixit me mortuum esse. Nam uiuentem ille posset laudare neminem.

PLISTONAX Pausaniæ filius quum Atticus quispiam rhetor insciam Lacedæmonijs obijceret: Recte (inquit) narras: nam è Græcis omnibus soli nos mali nihil à uobis didicimus.

POLYDORVS Alcamenis, quum quidã inimicis aßidue minitaretur: non uides, inquit, maximam ultionis partem abs te consumi? Quum uerò contra Messenem exercitum educeret, interrogauit quidam, an esset aduersus * adelphos pugnaturus: Minime, dixit, sed ad regionem nondum sortitam se proficisci. Argiuis autem post trecentorum illorum pugnam uniuersis acie superatis, Polydorum socij exhortabantur, ne occasionem præterm itteret, sed hostium murum inuadens urbem caperet. Facillimum nanq; futurum, quum & uiri pericrint, & uxores desertæ sint. Ad eos igitur dixit: Hostes quidem pugnando ex æquo uincere mihi est honestum: sed qui pro agri finibus pugnauerit, eum affectare ut capiat urbem, minimè iustum esse duco. Nam ueni ut agrũ recuperarem, non ut urbem occuparem. Interrogatus autem, cur Spartiatæ in bello fortiter periclitentur: quia duces, inquit, uereri, non metuere didicerunt.

* ἀδελφοὺς, id est, fratres.

POLYCRATIDAS ad regios duces legatione fungens cũ quibusdã alijs, ab illis interrogatus, utrũ priuatim aduenissent, an publicè missi fuissent: Si impetrauerimus, inquit, publicè: sin minus, priuatim.

SOEBIDAS ante periculum Leuctricum quibusdam dicentibus, illum ipsum diem ostensurum esse fortem uirum: multi faciendum, inquit, diem, qui uirum fortem saluum monstrare posit: Fertur quum in loco difficili & aquæ indigo à Clitorijs obsideretur, pactus esse, ut terra bello parta illis cederet, si omnes unà secum è proximo bibissent fonte: nam illum hostes præsidijs tenebant. Percussis igitur fœderibus, quum eos qui secum erant, induxisset, ut regnũ ei darent qui non bibisset, ac nemo sitim tolerare potuisset, sed omnes bibissent, ipse post omnes descendit,

descendit, & circumaspersus hostibus adhuc præsentibus agrum, ut qui non bibisset, & inuasit & recepit.

TELECRVS ad eum qui dixerat, patrem ipsi maledicere: nisi, inquit, dicendũ ei foret, nunquã dixisset. Quum uerò frater quæstus esset, quòd à ciuibus non similiter acciperetur ut ille, quum ex ijsdem sit natus, sed ingratius: Tu nempe, inquit, iniurias, ut ego, pati nescis. Interrogatus autem, cur apud Spartiatas consuetudo sit, ut iuniores senioribus assurgant: Vt in ijs, qui nihil attinent, inquit, honorandis ita se gerentes, magis honorent parentes. Quodam uerò percontante, quantas diuitias posßideret: non maiores, inquit, quàm quæ sint satis.

THEARIDAS ensem acuẽs quum interrogaretur an acutus esset: Acutior est, inquit, quàm calumnia.

THECTAMENES ab Ephoris morti adiudicatus abibat ridẽs. Sed quum quidam ex ijs qui aderãt interrogasset, an etiã Spartæ iura contemneret: Minimè, inquit, sed lætatus sum, quia me oportet hãc exoluere mulctam, quam neq; à quopiam petij, nec mutuò accepi.

THEMISTEAS quum esset uates, Leonidæ regi futurum apud Thermopylas & ipsi & cõmilitonibus exitium prædixit. Sed quum Lacedæmonem à Leonida remitteretur sub prætextu quidem annuntiandi quæ futura erant, sed re uera ne periret, nõ sustinuit, sed dixit: Pugnator missus fui, non ut nuntios ferrem.

THEOPOMPVS ad eum qui rogarat, quo modo quis regnum securißimè tueretur: Si amicis, inquit, libertatem iusta loquendi concesserit, & subditos qui iniuria afficiantur, pro uiribus non neglexerit. Ad hospitẽ uerò dicentem, se à ciuibus Philolacona et Lacedæmonijs amicum uocari: Melius, inquit, esset, te Philopoliten & amicum

amicum ciuibus, quàm Philolacona nominari. Quum autem Eleorum legatus dixisset, se idcirco à ciuibus missum, quòd solus Laconicæ uitæ sit studiosus: Et utra, inquit, ô Elee uita, tua'ne an aliorum ciuium melior est? Is uerò quum, mea, dixisset: Quo igitur modo, inquit, urbs seruari posit, in qua duntaxat unus de multis probus sit? Quodam præterea dicente, Spartam idcirco seruari, quia reges scirent imperare: Minimè, inquit, sed quia ciues parêre. Quum uerò Pylij maiores ipsi decreuissent honores, scripsit: Mediocres quidem honores tempore augeri, sed excedentes nimiosq; euanescere.

THERYCION Delphis rediês quum Philippi castra in Isthmo angustiasq; occupatas uidisset: malos, inquit, ianitores uos, ô Corinthij, Peloponnesus habet.

ZEVXIDAMVS percontante quodam, cur de fortitudine leges sine scriptis seruent, nec descriptas iuuenibus præbeant legẽdas: Quia melius est, inquit, assuescere fortibus gestis, quàm scripturis studere. Aetolo autem quodam dicente, bellum pace aptius esse fortiter facere uolentibus: Minimè, inquit, per deos: sed his mors est quàm uita melior.

VARIA IGNOBILIVM LACONVM APOPHTHEGMATA.

SPartiatæ Samiorum legatis longiore usis oratione dixerunt: Priora quidem obliti sumus, sed nec posteriora percepimus, quòd prima memoria exciderunt.

LACON interrogatus cur barbam perquam longam haberet: ut canos, inquit, uidens nihil indignum illis faciam. Quendam uerò optimos pugnatores laudantem quum Lacon audisset: apud Troiam, inquit. Alius quum

quum audisset quosdam cœnatos bibere: non & comedere, inquit, coguntur? Pindarus quum scripsisset, Græciæ columen esse Athenas, Lacon dixit Græciam facilè ruituram esse tali columine innitentem. Quidam autẽ in tabula picta quum Lacones uidisset ab Athenien sibus iugulari, ac diceret, fortes nimirum Athenienses, Lacon forte exciens: in tabula, inquit. Aduersus quendam libenter maledicta ex calumnia admittentẽ, Lacon dixit: Desine contra me aures suppeditare. Ad cum uerò qui puniebatur, & dicebat, inuitus peccaui: castigare igitur Lacon, inquit, etiam inuitus. Quum Lacon in secessu sedentes in curribus homines uidisset: absit ut ibi sedeam, inquit, unde non est assurgere seniori. Chij quum in peregrinatione quodam die post cœnam in Ephororum curia uomuissent, ac in illorum sedibus cacassent, primum quidem Ephori ipsi ualde perquirebant eos qui fecissent, an ciues forte essent. Sed postquam cognouerunt Chios fuisse, edixerũt, se Chijs permittere petulantibus esse. Lacon duras amygdalas quum duplo uẽdi uideret: An rari, inquit, lapides sunt? Lacon luscinium quum depilasset, ac carnis perquam exiguum inuenisset: uox, inquit, tu quidem es, & aliud nihil. Lacon Diogenem illum canem quum uidisset in magno frigore statuam æream complectentem, percõtatus est an frigeret. Quòd quum ille negasset: quid igitur magnum, inquit, facis? Lacon Metapontino cuidã timiditatem exprobrabat, qui quum dixisset: Atqui nõ parum alienæ terræ possidemus: non solum ergo timidi, inquit, sed etiam iniurij estis. Peregrinus quidã Spartæ crepidatus in altero pede stans rectus ad Lacona dixit: Nequaquam puto te, ô Lacon, tantum temporis quantum ego in pede stare posse. At is excipiens: minime, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed ex anseribus nullus est qui non. Quum quidam arte rhetorica gloriaretur, Lacon inquit: Atqui per deos ars nisi ueritatem contigerit, neq; est neq; erit unquam. Argiuus quidam quum olim dixisset, multa sunt apud nos Spartiatarum sepulchra, Lacon excipiens: At enim apud nos, inquit, Argiuorũ nullum. Quòd uidelicet ipsi Argos sæpe inuasissent, nunquam autẽ Argiui Spartam. Lacon captiuus quum uenderetur, ac præco diceret, Lacona uendo, os illi obstruens dixit: Captiuum clama. Lacon quidam eorum qui cum Lysimacho militabant, ab ipso interrogatus, num aliquis ex Helotibus esset: tu uerò putas, inquit, Lacona quenquam ad tuos quatuor obolos esse uenturum? Thebani Laconibus apud Leuctra victis, quum ad ipsum usq; Eurotam iuissent, ac iactabundus quidam dixisset: Vbi nunc Lacones sunt? Lacon ab illis captus: Non adsunt, inquit: neq; enim uos huc uenissetis. Athenienſibus autem rogantibus quando urbem tradiderunt, ut sibi Samum relinquerent, Lacones dixerunt: Quum uestri non sitis, tunc & alios habere quæritis. Vnde & illud prouerbium: Qui se ipse non habet, Samum uult. Lacedæmonij quum urbem quandam ui cepissent, Ephori dixerunt, iuuenum certamen periisse: nam posthac non habebunt, quibus cum pugnent. Aliam uerò urbem pollicẽte ipsorum rege se penitus euersurum, quæ Lacedæmonios multis sæpe molestijs affecerat, non permiserunt Ephori, dicentes: Ne destruas tollas ue iuuenũ cotem. Luctantibus pueris magistros qui illos exercerent Lacedæmonij non præficiebant, ut non artis, sed uirtutis æmulatio fòret. Vnde & Lysander interrogatus, quo modo à Charonte uictus esset: multa, inquit, arte. Philippus quum in Laconicum agrum peruenisset

uenisset, ad Lacedæmonios scripsit, utrum amicum se uellent uenire, an hostem: Neutrum reclamauerunt. Legatum quendam quum ad Antigonum Demetrij filium misissent, mulctauere, quòd regem acceperant ab ipso fuisse uocatum: tametsi singulos tritici modios singulis in magna frumenti penuria ab rege ipso reportasset. Demetrio quærente, quòd legatum unum ad se misissent: Non igitur satis, inquiunt, si ad unum unus? Flagitiosus quidam quum optimam dixisset sententiam, ipsam quidem approbarunt, sed illi ablatam, alij qui bene uixerat, adscripserunt. Quum fratres inter se contenderent, patrem mulctauere, quòd filios dißidentes negligeret. Cantorem peregrinum mulctarunt, quòd digitis citharam pulsaret. Quum duo pueri forte pugnarent, alter letali uulnere alterum falce percußit. Familiaribus autem pueris quum is moriturus esset, pollicentibus se uindicaturos, ac illum qui uulnerauerat esse necaturos: Minimè per deos, inquit, neq; enim iustum est: nam & ego hoc idem fecissem, si occupassem ac fortis fuissem. Alius quidam puellus, quum adesset tempus quo lege cautum erat, ut ingenui pueri quod quisque posset ita furarentur ne deprehenderentur in furto (nam id turpe erat) uiuam uulpeculam, quam pueri quibus cum erat, furati fuerant, accepit seruandam. Sed aduenientibus ijs qui amiserant, ad quærendum illam, sub ueste quamprimum occultauit. Fera uerò sæuiente, at pueri ipsius latus ad intestina usque lacerante, tantisper tolerauit ne deprehenderetur, dum ij qui quærebant, abissent. Sed quum pueri id quod factum erat, uidissent, accusarentq; dicentes: Melius erat manifestare uulpeculam, quàm usq; ad mortem occultare: Minime uerò, inquit: sed satius est doloribus immori, quàm in furto

deprehendi, ac propter mollitiem turpiter uitam affectasse uideri. Quum quidam in itinere Laconibus obuiantes dixissent: Fortunati nimirum estis, quum hinc nuper abierint latrones: Atqui non, per Martem, nos, Lacones inquiunt, sed illi quia in nos non inciderunt. Lacon interrogatus quid sciret: liber esse, inquit. Puer Spartiata ab Antigono captus & uenditus, emptori quidem in omnibus parebat, quæcunque ingenuo faciunda putabat. Sed posteaquàm dominus iussit illum matulam afferre, non sustinuit, inquiens: non seruiam. Ac surgente quidem domino, is quum ascendisset in tectum, ac dixisset, senties quẽ emeris, seipsum præcipitauit, & mortuus est. Lacon quum uenderetur, quodam dicente: Frugi eris, si te emero? Etiam si non emeris, inquit. Lacon captiuus quum uenderetur, præcone subinde clamante, se mancipium uendere: execrande, inquit, non dices captiuum? Lacon in scuto habens insigne muscam uera non maiorem, quum quidam irridentes dixissent, illud esse factum ut lateret: Imò uerò, inquit, ut sim manifestus: Ita nanque ad hostes accedo, ut hoc insigne, quantum est, ab ipsis uideatur. Lacon in conuiuio illata lyra: nequaquam, inquit, nugari Laconicum est. Spartiata interrogatus an esset tuta ad Spartam uia: qualis, inquit, acceßeris: nam leones uadentes plorant: lepores autem in umbraculis uenamur. In palæstrico manuum nexu quum prostratus quidam frustra percuteret, ad terramq; traheret, corpore deficiens qui cadebat, aduersarij brachiũ mordebat. Cui alter: Mordes, inquit, ut fœminæ ô Lacon: Minimè uerò, inquit, sed ut leones. Lacon claudus ad bellum egressus, quum à quibusdã irrideretur, non est opus, inquit, fugientibus, sed manentibus, ordinemq; seruãtibus.

Lacon

Lacon sagitta percussus & uitam relinquẽs dicebat: Hoc mihi non est curæ quòd morior, sed quòd ab effœminato sagittario, quum nihildum gesserim. Quum Lacon ad diuersoriũ uenisset, dedissetq; piscsiculũ cauponi præparandum, alterq; & caseũ & acetũ & oleũ peteret: Si ista, inquit, habuissem, piscsiculũ emissem. Lacon ad cũ qui Lampen Aeginetam beatũ esse dicebat, quia ditißimus esse uidebatur, quòd multorum nauigiorum dominus erat: Nihil, inquit, curo felicitatem ex funibus pendentem. Quum Laconi quidam dixisset, Mentiris, respondit, Nam liberi sumus: sed alij si quando uera non dixerint, flebunt. Lacon sic erigere cadauer ut rectum staret, quum tentasset, nec ullo modo posset: per Iouem, inquit, aliquid intus esse oportet. Tynnichus Thrasybuli filij mortem fortiter tulit, in quem huiusmodi epigramma scriptum est,

Exanimis Pitanen clypeo Thrasybulus in acri
Confossus septem uulneribus redijt,
Passus ab Argiuis, quæ tergo nulla gerebat.

Tynnichus hunc igni quum daret, hæc loquitur:

Flere decet timidos, oculis te nate sepulchro
Condo meum siccis, ac Lacedæmonium.

Alcibiadi Atheniẽsi quum aquæ plurimũ balneator infunderet, Lacon, quidnã hoc? ait, quòd ut immundo ualdeq; sordido plus aquæ præbet? Quum Philippus in agrum Laconicũ impetũ feeisset, ac omnes perituri uiderentur, quidã Laconi dixit: Quid nunc facietis ô Lacones? Quid enim aliud, inquit, quàm quòd fortiter morieniur? Nam Græcorũ nos soli & liberi esse & alijs nõ parêre didicimus. Post aduersam autẽ Agidis pugnã Antipatro petente obsides pueros quinquaginta, Etcocles Ephorus dixit, se pueros quidem non daturum, ne paterna priuati

educatione

educatione malis moribus imbuerentur, quæ sanè carentes ne ciues quidem essent: sed senes ac mulieres duplo, si uelit, plures daturum. Illo autem grauia minante nisi acciperet, una uoce respondérunt: Si grauiora morte imperrites, facilius moriemur. Senex in Olympijs quum ludi committerentur, spectare quidem cupiebat, sed quum sedere cæteret, ad multáq; loca se conferret, non solum à quoquam non admittebatur, sed etiam irridebatur, & conuicijs afficiebatur. Posteaquā uerò ad Lacedæmonios uenit, pueri omnes assurrexerunt, & multi ex uiris loco cesserunt. Quum autem id moris cuncti Græci plausu approbassent, ac summis laudibus extulissent, senex ipse commouit canumq; caput barbamq; senilem, ac lacrymans: Heu mala, inquit, quàm Græci omnes honesta quidem cognoscunt, sed his soli utuntur Lacedæmonij. Ferunt autem quidam idem Athenis quoque accidisse: Nam quum Panathenæa celebrarentur, Attici senem sedere quærentem deludebant, inuitantes quidem illum tanquam admissuri, sed accedentem non admittentes. Quum autem frè omnes iam præterissent, ad Lacedæmoniosq; spectatores peruenisset, uniuersi è sedibus assurgentes loco cesserunt. Id uerò factum turba admirata insigni applausu comprobauit. Tunc autem Spartiatarum quidam: Per gemellos, inquit, Athenienses quidem honesta sciunt, sed minimè faciunt. Mendicus à Lacone petijt: At si tibi dedero, ille inquit, magis mendicabis. Ac istius quidem turpitudinis tuæ causa fuit, qui tibi primus erogauit: quippe qui te inertem reddidit. Lacon quendam dijs congregantem quum uidisset, nihil dixit se curare deos seipso egeniores. Lacon adultero cum turpi uxore deprehenso: Miser, inquit, quæ tibi necessitas? Lacon oratorem audiens

diens magnas periodos uertentem: Vehemens quidem homo iste, inquit, ad nullum propositum bene uoluit linguam. Quum quidam Lacedæmonem uenisset, honoremq; spectasset quem iuniores senioribus exhiberent: Spartæ, inquit, solum senescere bonum est. Lacon interrogatus, qualis est Tyrtæus poëta? Bonus, inquit, ad excitandos iuuenum animos. Lacon oculorum morbo laborās ad bellum proficiscebatur. Sed quibusdam dicentibus, quò abis sic affectus? aut quid facturus? Quamuis, inquit, nihil aliud egero, hostis saltem gladium hebetabo. * Buris & Spertis Lacedæmonij sponte profecti sunt ad Xerxē Persarum regem ad cruciatum, cui Lacedæmon ex oraculo obnoxia erat, quòd caduceatores ad se à Persa missos interemerant Lacedæmonij. Posteaquam igitur ad Xerxem uenerunt, hortati sunt eum, ut quoquo modo uellet, se pro Lacedæmonijs interimeret. At ille uirtutem eorum admiratus, quum uiros absoluisset, rogaretq; ut apud se manerent: Et quonam, inquiunt, modo hic uiuere possemus, patria legibusq; relictis, & his uiris, pro quibus tantum itineris fecimus morituri? Sed Indarno præfecto magis magisq; rogante, ac dicente ipsos in æquali honore ijs futuros, qui amici regis maximè dignitate præstarent: Nobis, inquiunt, ignorare uideris, quantum sit liberatis bonum, quam nemo compos mentis cum Persarum regno permutaret. Lacon pridie quidem ab hospite declinatus, sed postridie lectis stratisq; conductis liberaliter acceptus, strata ipsa conscendit & conculcare cœpit dicens: Propter hæc heri ne in palea quidem dormiui. Lacon quum Athenas iuisset, uidens Atheniensēs salsamenta & opsonia uenditantes, & uectigalia conducentes, & lenocinia exercentes, aliáq; opera mi-

nus

* Buris & Spertchis in Suida. Βοῦρις καὶ σπερτιὰς in Plutarcho. In Luciano σπερχεὶς. In Herodoto σπερθίης.

nus honesta facientes, ac nihil turpe existimantes, reuersus in patriam & à ciuibus rogatus quales Athenis res forent: omnia, inquit, honesta: per simulationem innuens omnia apud Athenienses honesta putari, ac turpe nihil. Lacon de re quadam interrogatus respondit, non. Sed quum is qui rogarat dixisset ipsum mentiri: Vides igitur, inquit, te stolidum esse, qui quæ noris interroges? Lacones olim iuerunt legati ad Lygdamin tyrannum: sed quum ille congressum sæpius differret, dicens se molliter habere: Dic illi, inquiunt legati, per deos nos non uenisse cum ipso colluctaturos, sed collocuturos. Laconem initians quidam interrogabat, quid maximè impium se fecisse conscius esset. Is uerò, hoc, inquit, dij sciunt. Sed illo magis magisq; instante, ac dicente, Omnino te dicere oportet, Lacon uicißim illum interrogauit, Vtri me dicere oportet, tibi an deo? Quum autem ille dixisset, Deo: Tu igitur, inquit, recede. Lacon noctu quum sepulchrum transiret, ac dæmonium quoddam uidere sibi uisus esset, incurrit lancea excepturus, & inhærens, inquit: Quò me fugis bis peritura anima? Lacon quum precibus impetrasset, ut se ab Leucate proijceret, ascendit, & inspecta altitudine se auertit. Quod quidem quum illi probro daretur: non putabam, inquit, preces alijs maioribus precibus indigere. Lacon in acie quum ensem foret in hostem illaturus, signo receptui dato non intulit. Sed quodam percontante, cur hostem quem ceperat, non occidisset: Quia parere, inquit, imperatori melius est, quàm hostem necare. Laconi in Olympijs uicto quidam dixit: Aduersarius te fortior fuit. Nequaquam uerò, is ait, sed in prosternendo aptior.

ANTI

ANTIQVA LACEDAEMONIORVM INSTITVTA.

QVi ad publica ingrederẽtur conuiuia, eorum cuiq; natu maximus fores indicans dicebat: Per has fores nullum egreditur uerbum. Quum apud Laconas maximè probetur ius quod nigrum uocatur, ut seniores carnibus quidẽ non uescantur, sed iunioribus cedant, fertur Dionysius Siciliæ tyrãnus iuris ipsius gratia Laconicum emisse coquum, ac iußisse id sibi præparari nulla impẽsæ habita ratione, sed quum gustasset, indignabũdus despuisse. Tum uerò coquus: O rex, inquit, hoc ius tibi sumẽdum est, quũ te Laconicè exercueris, in Eurotaq; laueris. Lacones in conuiuijs publicis modestè poti abeunt sine funali. Neq; enim licet ad lumen ire noctu neq; per hãc neq; per illam uiam, ut per diem simul ac noctem fidenter ac intrepide iter facere consuescant. Lacones utilitatis gratia literas quidem discebant, sed reliquarum disciplinarum peregrinos non minus artifices, quàm artes expellebant. Hæc uerò illis disciplina erat: bene magistratibus parere, laborem tolerare, ac pugnando uel uincere uel mori. Degebant autem & sine tunica, unam uestem in totum annum sumentes, squalidi corporibus, & balneis & unguentis ut plurimum abstinentes. Iuuenes uerò simul turmatim gregatimq; dormiebant in herbis, quas ipsi congregabant ex arundinibus apud Eurotam natis, quarum summitates manibus sine ferro defringebãt. Sed per hyemem eos qui Lycophones uocantur, sibi subijciebant, herbisq; commiscebãt. Nam illa materia calidi aliquid habere uidetur. Proborum ingeniũ puerorũ amare permissum erat, sed coire cum ipsis, ut turpißimũ, lege prohibebatur, tanquã cor-

pus non

pus non animus amaretur. Qui ergo foret accusatus tanquam ad dedecus congrediens, per totã uitam infamis habebatur. Moris erat, iuniores à senioribus interrogari, quò uadant, & ad quid: & qui non responderet, aut excusationes nectteret, obiurgari. Qui uerò se præsente peccantem iuniorem non reprehẽdisset, perinde ac si peccasset, ipse plectebatur: & qui obiurgari molestè tulisset, magna ignominia afficiebatur. Si quis peccãs fuisset deprehensus, eum oportebat aram in urbe quandam circumire, ac uituperationem in seipsum compositam cantare. Quod quidem nihil aliud erat, quàm seipsum increpare. Mos quoq; erat, ut iuuenes non solum proprios patres uererentur, illisq; parerent, sed omnes quoq; seniores uenerarentur, illis & in uijs cedentes & ex sedibus assurgentes, & transeuntibus quiescentes. Quocirca non solum, ut in alijs urbibus, patres domini erant suorum quisq; filiorum & seruorum & prædiorum, sed etiam uicini ut suorũ, eò quòd illa quammaximè communia putarent, & tanquam propria curarent. Puer autẽ ab aliquo castigatus, si apud patrem questus foret, patri ipsi turpe erat posteaquàm audisset, nisi alias & ipse rursus castigationes addidisset. Credebant enim ipsos ex patria institutione nihil turpe filijs imperare. Furantur autem iuuenes uel esculẽtorum quicquid possunt, discẽtes dormiẽtibus negligenterq; custodientibus insidias ingeniosè callideq; struere. Sed deprehẽso pœna sunt uerbera & inedia. Tenuis enim ipsis est cœna, ut per seipsos egestatem propulsantes cogãtur & audere & astuti esse. Conuiuium autem publicum ideirco tenue erat, ut assuescerent nunquàm repleri, & famem posse ferre. Sic enim putabant & in bello utiliores fore, si possent etiam sine cibo labores tolerare, & continentiores

nentiores frugaliores q̃, si multum temporis exigua impensa degerent. Sedentim absq; opsonio degendo, & cibum quemlibet ac uulgarem sumendo, putabant corpora cibi paucitate reddi & saniora & pulchriora. Graciles nanque & macilentas habitudines membrorum articulorumq; agilitati obedire, crassiores autem & pingues propter onus reluctari. Sed nihilo minus & modulationibus & carminibus incumbebant, quæ sanè stimulum quendam animo excitando accommodatũ habebant, & ad elationem & ad impetum quendam furentem inducendum. Ac compositio quidem erat simplex & seuera, nihilq; aliud continebat quàm laudes eorum, qui generosè & uixissent, & pro Sparta mortui essent, & qui beati habẽtur: eorumq; uituperationes, qui timidi fuissent, perinde atq; si miseram & infelicem uitam uixissent. Exhortatio præterea & ostentatio ad uirtutem ætatibus conueniens celebrabatur. Nam tres chori secundum tres ætates in solennitatibus constituebantur, quorum primus qui senioru̇m erat incipiens canebat: Nos olim ualidi fuimus iuuenes. Secundus florentis ætatis respondebat: Nos autem sumus, ac si uis intuere. Tertius puerorum cantabat: At nos multò erimus fortiores. Ac gressum quidem rhythmi, quibus & inchoris utebantur, & quum ad tibiam cum hostibus congrederentur, ad fortitudinem, & fiduciam, & mortis contemptum incitabant. Lycurgus enim bellicæ exercitationi studium musicæ annexuit, quò bellandi uehementia modulatione temperata consonãtiam conueniẽtiamq; haberet. Rex etiã Musis ante pugnã sacrificabat, ut gesta illustri & memoria & oratione digna pugnãtes exhiberent. Sed si quis aliquid ex antiqua musica transgrederetur, nõ permittebãt. Vnde & Terpãdrũ, quàmuis

antiquitatis ſtudioſiſsimus, ac ætatis ſuæ citharœdorum optimus, heroicorumq; geſtorum eximius laudator eſſet, Ephori tamen mulctauere, ac eius citharam clauo affixere, quòd dicerent unam ab illo chordam uariandæ uocis gratia ſuperflue intentam fuiſſe. Nam ſimpliciores dunta xat modulationes probabant. Eoq; & Timotheũ in Carnijs certantem unus ex Ephoris arrepto cultro interrogauit, ex utra parte recideret plures chordis ſeptem. Lycurgus præterea omnem ſepulchrorum ſuperſtitionem ſuſtulit, permittens & in urbe cadauera ſepelire, & monumenta prope templa habere. Sed piacula quoq; ſuſtulit, ac ne quid unà cum cadaueribus ſepelirent, mandauit, præter puniceam ueſtem & oliuæ fŏlia, in quibus æquè omnes cadauera ipſa componerent. Suſtulit & luctus, & lamentationes, & inſcriptiones monumentorum, extra quàm eorum qui in bello cecidiſſent. Peregrinari autem ipſis non licebat, ne moribus externis, & intemperanter uiuendi modis imbuerentur. Sed peregrinorum quoq; expulſionem Lycurgus inuexit, ne confluentes alicuius mali doctores ciuibus eſſent. Quiſquis uerò ciuium inſtitutionem puerorum negligeret, ciuitatis iurium expers erat. Quidam autem tradiderunt, peregrinos etiam quicunque hanc ciuilitatis exercitationẽ ſubiiſſent, ex Lycurgi ſententia participes fuiſſe portionis ab initio inſtitutæ. Sed illã uendere non licebat. Vicinorũ ſeruis & canibus & equis perinde ac proprijs uti mos erat, ſicubi illis opus erat, niſi eorum domini indigerent. Ac in agro quidem ſi cui re aliqua opus erat, apertis uillis atque ijs ablatis quæ domino commoda fŏrent, obſignata horrea relinquebat. In bellis uerò puniceis ueſtibus utebantur. Nam color ille ſimul & uirilis eſſe ipſis uidebatur, ſimul & coloris ipſius ſanguinolentia

nolentia plus formidinis affert imperitis, ſimul ne facilè ab hoſtibus dignoſcerentur, ſi quis eorum eſſet uulneratus: nam latere propter coloris ſimilitudinem utile erat. Quum ſtrategemate, id eſt imperatoris callidítate, hoſtes ſuperaſſent, Marti bouem ſacrificabant: ſed quum ui aperta, gallum: aſſuefacientes hoc modo duces non ſolum bellicoſos, ſed etiã aſtutos & callidos eſſe. Precibus adijciunt, ut iniurijs quoq; affici poſſint. Preces autem ipſorum erant, ut ex bonis actionibus bona darentur, & aliud nihil. Venerem armatam colunt. Ac omnes quidem deos, & fœminas & mares lanceas habentes conficiunt, uelut omnibus bellicam uirtutem habentibus. Prouerbijs quoq; utentes aiunt fortunam prolata manu eſſe inuocandam, tanquam oporteat deos tum inuocari, quum quid aggreſſuri acturiq; ſumus, aliter autem nequaquam. Pueris ſeruos ebrios oſtentabant, ut ipſos à multo bibendo uino deterrerẽt. Moris erat ipſis, ne domorum ianuas pulſarent, ſed extrinſecus clamarẽt. Strigilibus non ferreis, ſed arundineis utebantur. Comœdias & tragœdias minimè ſpectabant, ut neq; ſerio neque ioco audirent eos, qui legibus contradicerent. Archilochum poẽtam quum Spartam ueniſſet, eadem hora expulere, quia eum acceperant in carminibus ſcripſiſſe, melius eſſe abijcere arma quàm mori, quum inquit:

At caruiſſe armis quàm mortem occumbere præſtat.
Aſpide pro iacta mox melior dabitur.

VIRGINIBVS & pueris cõmunia ſacra erant. Sciraphidam condemnauerunt Ephori, quòd à multis iniuria fŏret affectus. Baiulum interemerũt, quòd telam quãdam uerſicolorem ſacco iniecijſſet. Adoleſcentem exercitationi deditum, quòd uiam quæ ad Pylæam ducit ſciret,

Manum à dæmoni fortuna eſt implorãda.

Cteſiphõ quare Lacedæmonia eiectus.

increpuerunt. Cteſiphontem qui iactaret de qualibet re ſe poſſe totum diem dicere, eiecerunt, quòd aſſereret, bonũ oratorem oportere parem rebus habere orationem. Pueri apud ipſos cæſi ſcuticis per totum diem in ara Orthiæ Dianæ uſq; ad mortem ſæpe uerbera tolerant hilares ac geſtientes, inuicemq; de uictoria contendentes, quis nam ipſorum diutius ac magis toleret dum uerberatur: & qui ſuperior fuerit, inter præclaros habetur. Certamen autem ipſum flagellatio uocatur, quæ per ſingulos annos celebratur. Vnum uerò pulcherrimum & felicißimum ciuibus Lycurgus inſtituiſſe uidebatur, abundantiam ocij. Nã ſordidam exercere artem illis prorſus non licebat. Neque uerò difficili pecuniæ congregatione, ac negociatione opus erat, quia diuitias ualde & abiecerat & uiles reddiderat. Helotes autem ipſis agrum colebant, & prouentum reddebant conſtitutum. Execrandus uerò putabatur, ſi quis pluris eo quod erat ſtatutum, locaret, quò & illi quidem lucrantes libenter ſeruirent, nec hi plus iuſto lucrarentur. Iiſdem interdictum quoque erat & nautis eſſe, & nauali pugna decertare. Cæterum poſterius quidem & in mari pugnarũt, & quum mari potiti eſſent, rurſus deſtiterũt, quum mores ciuium corrumpi animaduertiſſent. Sed iterum quoq; ſuper hoc mutati ſunt quemadmodum & in omnibus aliis. Etenim qui ad Lacedæmonios pecunias primum inuexerunt, damnati uitam cum morte commutare coacti ſunt: Nã Alcameni & Theopõpo regibus oraculum datum erat, fore ut Sparta auaritia perderetur. Sed tamen Lyſander quum Athenas cepiſſet, multum auri argentiq; intulit. Quod quidem non ſolum acceperunt, ſed etiam hominem honorarunt. Quandiu igitur Lycurgi legibus uſa fuit Sparta, neque iuſiurandum à Lycurgo ipſo

ipſo exactũ uiolauit, Græciæ principatu propter legum ipſarum æquitatem quingentos per annos potita eſt. Poſteaquam uerò paulatim illas tranſgreſſa eſt, diuitiarumq; ſtudium, & plus habendi cupiditas inuaſit, tum uires diminutæ ſunt, tum ſocij propter illa ipſis facti ſunt inimici. Quamuis autem ita ſe haberent, poſt Philippi tamẽ Macedonis Chæronenſem uictoriam, quũ omnes ipſum Græci ducem terra mariq; declaraſſent, ac deinceps Alexandrum quoque eius filium poſt Thebanorum euerſionem Lacedæmonij ſoli, tametſi urbem ſine muris haberent, ac pauci ualde propter aſſidua bella, multoq; imbecilliores, & captu faciles forent, perquã exiguas tamẽ Lycurgi inſtitutionis ſcintillas retinentes, neque cum ipſis, neq; cum alijs Macedoniæ regibus ſimul militauere, neque in commune cum illis concilium ingreßi ſunt, neque tantiſper tributum pependerunt, donec penitus Lycurgi inſtitutionem negligentes, à ſuis ipſorum ciuibus ſubiugati fuere, quum iam nihil ex patrijs inſtitutis ſeruarent, ac ſimules alijs facti priorem & gloriam, & libertatem amiſerunt, in ſeruitutemq; reciderunt. Ac nunc quidem, ut alij quoq; Græci, Romanis ſubiecti ſunt.

LACAENARVM APOPHTHEGMATA.

ARgileonis Braſidæ mater, quum Amphipolitarum quidam poſt Braſidæ ipſius mortem Spartam uenißent, ipſamq; adiſſent, interrogauit an honeſtè, ac ex Spartæ dignitate filius ſuus occubuiſſet. Illis uerò maximè laudantibus, & dicentibus, eum Lacedæmoniorum omnium in operibus præſtantißimum fuiſſe: O hoſpites, inquit, fortis quidem & probus filius meus erat, ſed multos uiros

Lacedæmon habet longè quàm fuerit ille præstantiores.

DAMATRIA quum audisset filium & timidum, & se indignum aduenisse, necauit. In quam hoc extat epigramma:

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

GORGO regis Cleomenis filia, quum Aristagoras illum ad bellum contra Persarum regem pro Ionibus adhortaretur, multumq; pecuniæ polliceretur, & quò magis ille contradiceret, hic eò plus pecuniarum adijceret: Corrumpet, inquit, te ô pater peregrinellus iste, nisi ex ædibus ipsum celerius ieceris. Gorgo quum ipsi pater aliquando mandasset, ut cuidam pro mercede frumentum daret, adiecissetq; : nam me docuit uinum melius facere: Igitur, ô pater, inquit, & plus uini potabitur, & qui biberint, delicatiores peioresq; fient. Gorgo quum Aristagoram à quodam famulorum calceos indui uidisset: Pater, inquit, peregrinus iste manus non habet. Gorgo quum peregrinus quidam uestem molliter traheret, propellens eum: Non abis hinc, inquit, quum ne ea quidem quæ sunt mulierum possis?

GYRTIAS quum Acrotatus, ipsius ex filia nepos, ex quadam puerorum pugna multas plagas accepisset, domumq; ut mortuus relatus esset, famulis & amicis flentibus: Non silebitis, inquit? Declarauit enim ex quo sit sanguine. ac, Non, inquit, fortes sunt cum clamore plorandi, sed curandi. Quũ autem nuncius ex Creta de Acrotatæ morte uenisset: Non'ne debebat, inquit, quum ad hostes iret, aut ipse mori, aut illos interimere? Mihi quidem suauius est audire ipsum obijsse ex dignitate & mea, & urbis, & maiorum, quàm si omne tempus uiueret

ret ignauus.

LACAENA filium qui ex acie aufugerat, interfecit inquiens: Non est meum hoc germen. In quam hoc epigramma fuit scriptum:

Vade malum tenebras germen pete quenq; perosus,
Eurotas ceruas ne fluat ad timidas.
Sic catulus nequam perrexeris, ito sub umbras,
Nec Sparta dignus, nec generis titulis.

LACAENA quum filium in acie cecidisse audisset: timidi, ait, lugeantur, ego uerò te fili sine lacrymis, ac læta sepelio & meum, & Lacedæmonium. Quum audisset quædam filium & saluum esse, & ab hostibus fugisse, illi scripsit: Mala fama de te uulgata est. Aut igitur eam quamprimũ elue, aut ne sis. Alia quum filij ex pugna fugissent, ad illamq; uenirent: Quò, inquit, recurritis fugientes mala mancipia? An unde egressi estis reuersuri? sublatis uestibus uentrem illis ostendens. Quædã aduentantem filium quum uidisset, rogauit quidnam patria ageret. Illo autem respondente: omnes periere, correptam in ipsum testam immisit, & occidit dicens: Ergo te malum nuncium misere nobis? Quodam matri generosam fratris mortem narrante: Et non turpe est, illa inquit, à tali comite aberrasse? Alia quinque filijs ad bellum emissis, in primis suburbijs substitit, pugnæ euentũ expectans. Quum igitur quidam uenisset, ipsiq; percontanti nunciasset, filios omnes perisse: Atqui non hoc, inquit, rogabam malum mãcipium, sed quid patria agat. Quum uerò is respondisset illam uincere: Libens igitur, inquit, etiam filiorum mortem accipio. Alia sepeliens filium, quũ pauper quædam uetula ad ipsam accessisset dixissetq;: O mulier fortunæ. Per Gemellos, inquit, bonæ. Nam qua

gratia illum peperercrã, ut pro Sparta periret, id mihi euenit. Quum quædam mulier Ionica sua quadam textura gloriaretur, quòd esset sumptuosa, Lacæna quũ quatuor ei filios omni uirtute præditos indicasset: Talia, inquit, oportet esse bonæ probæq; mulieris opera, & in his extolli atq; gloriari. Alia quum filium malè apud hospites uersatum esse audisset, ad illum scripsit: Mala de te fama uulgata est, aut illam dilue, aut ne sis. Itidem quum Chiorum exules Spartam profecti, Pædaretum in multis accusarent, illis ad se accersitis, ijsq; auditis quibus accusabatur, mater Teleucia, quòd filius delinquere uidebatur, has ad eum literas dedit. Mater filiolo. Aut meliora fac, aut istic mane, abiecta spe, te saluum Spartæ esse posse. Alia, quum iniuriarũ filius esset accusatus: Fili, inquit, aut crimine, aut uita teipsum absolue. Alia filium claudum in aciem præmittens: Fili, inquit, uirtutis inter eundum memento. Alia quum filius ex acie uulnerato pede rediret, ualdeq; doleret: Si uirtutis, inquit, fili memineris, & dolore carebis, & fiduciam habebis. Lacon in pugna uulneratus quum ire non posset, quadrupedis more sese agebat. Sed quum ipsum irrideri puderet, mater ad eum: Et quanto est, inquit, fili melius, fortitudine lætari, quàm pudore ob stolidum risum afficit Alia scutum filio præbens, ipsũq; exhortãs: Fili, inquit, aut hoc, aut in hoc. Alia proficiscenti ad bellũ filio scutum tradens: Hoc, inquit, pater tibi seruauit: igitur tu quoq; serua, aut ne sis. Alia ad filium dicentem, se parvum habere ensem: adde, inquit, & gressum. Alia quum audisset filium in acie fortiter facientem interisse: Meus, inquit, nimirum erat. Sed alterum ob timiditatem saluum esse accipiens: Non enim meus erat, inquit. Alia quum in pugna filium perisse accepisset, quo fuerat

fuerat ordine locatus: Deponite, inquit, eum, ac locum illius suppleat frater. Alia publicam celebrans pompam, audiuit filium in acie quidem uicisse, sed ex uulnerũ multitudine mori. Quare coronam minimè deposuit, uerum iactabunda ad proximas: Quanto, inquit melius est, ô sodales, in acie uincentem mori, quàm Olympia uincentem uiuere? Quũ quidam sorori narraret generosam filij eius mortem, ea dixit: Quantum ex ipso gaudij concepi, tanto propter te dolore afficior, qui tam præstantem uirtute comitem reliqueris. Lacænam quidam quum per nunciũ tentasset, an secum rem habere cõsentiret: Quũ inquit, puella essem, patri parere didici, itaq; feci. At mulier facta, uiro. Si igitur me iusta rogat, id primo ipsi faciat manifestum. Lacæna uirgo paupercula percontata, quam dotem ei qui se duceret uxorẽ datura esset: patriam pudicitiam, respõdit. Alia interrogata, an ad uirum accessisset: Nequaquam ego, inquit, sed uir ad me. Quædam quum occultè compressa foret, fœtumq; corrupisset, abortũ faciens, adeò patienter dolores tulit, nullam emittens uocem, ut & parentes, & alios multos qui propinqui erant, latuerit. Nam dolorum magnitudinem turpitudo adiuncta superauit. Lacæna quum uenderetur, percontata quid facere sciret: fidelis, inquit, esse. Alia captiua facta, quum interrogaretur quid facere sciret: domum, inquit, bene gubernare. Interrogata quædam à nescio quo, an bona futura esset si ipsam emerit: etiam si non emeris, inquit. Alia quum uenderetur, præcone percontante, quidnam facere sciret: liberæ esse, inquit. Ac posteaquam emptor imperauit quædam liberæ minus cõuenientia, quum dixisset: Flebis, qui tibi ipsi talem inuideris possessionem, se interfecit.

FINIS.

IOANNES RHEGIVS NICOlao Franco Pontifici Tarusino, Legato Apostolico felicitatem.

PLVTARCHI Charonẽsis Philosophi cũprimis eruditi opusculũ, in quo mõstrare conatur, bruta quoque animalia non minus quàm homines ratione uti, nuper exercitationis gratia è Græco in Latinũ trãstuli sermonẽ. Id tametsi minus fortasse dignũ grauitate tua uidetur, eò tamẽ nomini tuo dicaui, ut apertè cognosceres, me tibi omnia mea propter assiduã in me liberalitatẽ tuam debere. Huc accedit, quòd sperani te nõ minimũ uoluptatis ex huius libelli lectione percepturũ. Nam neq; uulgaris est quæstio, & hic lepidè adeò tractatur, ut non minus ad delectationẽ, quàm ad cognitionem composita uideatur. Nam Vlysses Græcorum astutissimus Circen illam ueneficam nobilissimam rogare fingitur, ut ad socios iam sibi redditos, quotquot alios detineret Græcos in feras mutatos, pristinæ restituat figuræ, quò illos secũ incolumes in patriam reducere possit. Contrà Circe se id non effecturam ait, nisi prius eorũ aliquem rogarit, utrum uitam brutorum, an humanam uiuere malit. In disputationem igitur descendit Vlysses cum quodã Gryllo, qui in suem fuerat conuersus. Is quũ utranque se uitam expertum esse dicat, ualidis adeò colligit argumentis, bruta quàm homines in multò meliore esse conditione, ut Vlysses ille callidissimus eloquentissimusq; illa nequeat confutare. Si quando igitur per negocia publica tibi hæc legere uacarit, facilè dijudicabis, non sine causa eam quæstionem à præstantissimo Philosopho fuisse tractatam. Vale Præsulum eximum decus. Patauij pridie Nonas Martias. M. CCCC. LXXXVIII.

PLVTARCHI CHAERONEI DIALOGVS, QVOD BRVTA ANIMALIA RATIONE VTANTVR.

Ioanne Regio interprete.

COLLOCVTORES.

VLYSSES, CIRCE, GRYLLVS, VLYSSES.

EQVIDEM, ô Circe, hæc mihi & dicisse uideor, & in posterum quoq; recordaturus. Sed libenter ex te audirẽ, an quos hic alios detineas Græcos unà cum ijs, quos ex hominibus lupos leonesq; feceristi. CIR. Et multos quidem, ô dilecte Vlysses. Sed quorsum hoc rogas? VLYS. Quòd Hercule apud Græcos præclarã mihi uideor gloriã adepturus, si hisce socijs benignitate tua mihi redditis, alij rursus humanæ figuræ meis precibus restituerẽtur, neq; eos negligere uiderer in ferarũ corporibus cõtra naturã cõseneſcẽtes, uitamq; adeò miseram & inhonoratam degentes. CIR. Iste uir propter stoliditatẽ non solũ sibi ac socijs, sed nihil quoq; attinentibus, ambitionem suam uult esse calamitosam. VLYS. Aliam rursus uerborũ potionem tẽperas, ô Circe, atq; cõmisces, qua me proculdubio feram efficis, si tibi credam, calamitatem esse, ex fera hominem fieri. CIR. Quasi uerò dudum his absurdiora in teipsum non commiseris; qui relicta mecum immortali minimeq; seneſcente uita, ad mortalem fœminam, ac potius, ut ego quidem sentio, iam uetulam

uetulam, per mille adhuc incommoda properes, quò magis conspicuus ex hoc clariorq; etiam quàm nunc sis uidearis, inane bonum, ac potius boni simulachrum neglecto uero bono secutus. VLYS. Esto ut ais, ô Circe: Quid enim nos de ijsdem sæpius altercari oportet? Sed istos mihi Græcos liberatos dona. CIR. Minimè uerò, per Hecaten, tam inconsultè, atque indicta causa: neq; enim quilibet sunt è uulgo. Quare prius ipsos interroga, an uelint. Ac si se nolle dixerint, coneris, ô generose Vlysses, eloquentia tua persuadere: sin minus persuaseris, ac potius illi in disputatione superiores fuerint, satis tibi sit, quòd & tibijpsi, & socijs pessimè consuluisti. VLYS. Quid me, ô dea, illudis? Quonam pacto isti aut reddere, aut accipere sermonem possint, tantisper dum asini sunt, uel sues, uel leones? CIR. Quiesce hominum ambitiosissime: nam ego tibi illos exhibebo & intelligentes & disputantes. Imò uerò unus satis sit, qui pro omnibus uerba & faciat, & accipiat. En cum isto disputa. VLYS. Et quo nomine hunc, ô Circe, nuncupabimus? aut quis hominum hic erat? CIR. Quidnam hoc ad disputationem? Sed si uis, eum nominato Gryllum. Ego autem uobis cedo, ne præter sententiam suam mihi gratificans disputare uideatur. GRYL. Salue Vlysses. VLYS. Tu quoq; salue Grylle. GRYL. Quid me uis? VLYS. Ego uos homines natos esse scio. Cum aliorum igitur sic affectorum misereor, tum quicunque Græci in isliusmodi miseriam inciderunt, ijs maximè par est me commoueri. Circæ igitur nuper supplicaui, ut ex uobis quicunque uellet mihi liberaret, pristinæq; formæ restitueret, quò nobiscum in patriam redeatis. GRYL. Quiescas Vlysses, ac nihil ulterius dicas: nam te nos omnes æquè despicimus,

mus, ut qui & eloquentia & prudentia cæteris hominibus multò præstare falsò iacteris, quam ex peioribus in meliora mutationem timueris, nihil rem ipsam scrutatus. Vt enim pueri & medicorum potiones horrent, & doctorum uerbera fugiunt, quibus ex ualetudinarijs & imperitis tum firmiores, tum prudentiores fierent, sic tu alium ex alio fieri metuisti, ac nunc quoque horrescis & trepidas unà cum Circe uiuere, ne te suem lupumue faciat. Nobis uerò qui infinitis fruimur bonis, simul illa, simul eorum autorem deserere, ac rursus in hominem, animal omnium infelicissimum, refictos tecũ enauigare suades. VLYS. Tu quidem mihi uideris Grylle nõ faciem solum, sed etiam mentem illo poculo corruptus amusisse, absurdarũq; opinionũ, & prorsus inutilium repletus esse, nisi forte consuetudinis uoluptas, quæ tibi cum isto corpore est, te blanditijs irretiuit. GRYL. Ex istis neutrum est uerum, ô rex Cephallenorum. Sed si disputare mauis quàm conuiciari & mordere, nos qui utranq; uitam pulchre sumus experti, è uestigio tibi persuadebimus, hanc magis quàm uestram meritò nobis adamari. VLYS. Id uerò perquam cupio à uobis audire. GRYL. Et nos itaque dicere. Sed principium à uirtutibus est sumendũ, quibus uos magnopere gloriari uidemus, perinde ac si multò brutis & iustitia, & fortitudine, & prudentia, & cæteris uirtutibus præstaretis. Velim itaq; mihi tu respondeas, uirorum sapientissime: nam te nuper audiui Circæ quædam de Cyclopum terra narrantem, quam neq; penitus ab ullo aratam, neq; cultam, sola bonitate ac generositate ingenita omnes ferre fruges per se ipsam asserebas: non'ne igitur illam magis laudas, quàm montosam Ithacã, capraq; pascentem, quæ uix operis multis, magnisque laboribus

culta,

culta, quædã parua & tenuia, & nullo precio digna eultoribus rependit? Et quo modo tibi graue non erit, si præter sententiam charitate patriæ responderis? VLYS. Atqui mentiri non oportet. Sedenim meam ipsius patriam & agrum magis & amo & amplector, Cyclopum uerò terram & laudo & admiror. GRYL. Hoc igitur colligemus, hominum prudentißimum alia quidem laudanda approbãdáq; putare, alia uerò eligenda & amanda. Cæterum illud idem de anima quoq; te arbitror respondisse. Nam in eo cum terra eadem est, quòd quæ melior est, sine labore uirtutem ut fructum per se nascentem ferre cõsueuit. VLYS. Esto hoc quoq; ut uis. GRYL. Iam igitur concedis, brutorum animam ad uirtutis generationem natura aptiorem esse atq; perfectiorem: neque enim aut iussa aut edocta, ut terra nec arata nec semunata, fert & alit unicuiq; natura congruentem uirtutem. VLYS. Et quanam tandem uirtute, ô Grylle, bruta sunt præditat? GRYL. Quanam rogas? Non ne maiore, quàm hominũ sapientißimus? Scrutare nanque primum, si uis, fortitudinem, qua tu quidem ualde gloriaris, neq; perfricas frontem, quum audax, urbiumq; deprædator appellaris. Nam dolis, ô callidißime, & fraudibus homines, ingenuum atq; generosum belli morem sequentes, fallendiq; ac mentiendi nescios decepisti, uersutiæq; nomẽ uirtutis, à malitia perquam alienæ, indidisti. At ferarum certamina inter se, & aduersus uos, ut citra dolos & fraudes ullas, atque cum aperta nudáq; committantur fiducia, spectas. Veris enim nixæ uiribus iniuriæ propulsant, quum præsertim neque legibus subijciantur, neq; pœnam timeant desertoris. Sed quum natura caueant ne superentur, ad ultimum usque repugnant, secq; inuicta conseruant. Nam neq; corporibus detenta

detenta domantur, neq; animum despondent, sed prælijs immoriuntur. Ac multa tum quidem quum interimuntur uis, ac robur simul cum iracundia à reliquo corpore segregatum, & aliquam circa particulam collectũ interficienti resistit, insultat, sæuit tantisper, dum uelut ignis undique extinguatur, & omnino perdatur. Longè uerò absunt precationes, ac supplices ueniæ misericordiæq; petitiones, procul quoq; uictoriæ confessiones. Neq; enim ob imbecillitatem aut leo leoni, aut equus equo seruit quemadmodum homini homo, timidi cognomen nihil reformidans. Quascunq; autem homines laqueis dolisue ceperũt, si grandiores quidem sunt, & cibum aspernando, & sitim tolerando, mortem seruituti alacriter præponunt. Sed earum pulli & catuli quum per ætatem faciles educatu atq; teneri sint, multis fallacijs blandimentisq; & gustu uoluptuosi contra naturam uictus breui admodum tempore & emasculantur, & corrumpuntur, & quam uocant cicurationem ac mansuefactionem, perinde atq; feritatis effœminationem subire cogũtur. Ex his igitur aperte cõstat, & feras ad fortiter faciendum natas esse, & hominibus libertatem uel præter naturam inesse. Id uerò illinc, ô bone Vlysses, facilè percipies. Nam in feris ad fortitudinẽ æqualiter se habet natura, neq; maribus fœminæ sunt inferiores, & ad tolerãdos pro rebus necessarijs labores, & ad susciepienda pro filijs certamina. Audisti nimirũ puto de Crommyonia quadã sue, quæ tametsi fœmina esset, multis tamen Thesecum molestijs affecit. Sphinga quoq; illam, quæ omnia circa Phicium infesta faciens, ænigmata, gryphosq;, & cauilla insolubilia cõmẽbatur, nihil sapientia inuisset, nisi Thebanorum plerosq; robore uiribusq; superasset. Quid Telmessiã uulpem, pernitiosam illã & difficilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem feram commemorẽ? Quid propinquam serpentẽ, quæ cum Apolline singulari certamine de oraculo Delphico prõptißimè decertare ausa fuisse memoratur? Aethen uerò desertæ nulitiæ pœnam, ac potius mercedem à Sicyonio Agamemnon rex uester accepit, optimo cõsilio usus: quippe qui timido homini generosam equam pugnæq; auidam prætulerit. Sed tu quoq; ipse pantheras & leænas sæpenumero uidisti, ut nihil maribus neq; animo, neq; robore cedant: uelut uxor tua, quæ dum tu bella geris, domi ad ignem sedet: ac ne sic quidem ut hirundines eos ulciscei possit, qui in se ac domũ tuam impetum faciunt, quũ præsertim Lacæna sit, ut nihil tibi de Cariæ Mæoniæq; fœminis dicam. Ex his igitur manifestum est, fortitudinẽ hominibus natura non esse. Simul enim & fœminis ex æquo adesset. Vos itaq; ex legũ necessitate, non sponte, neq; uoluntate, sed moribus & uituperationibus, ac uanis opinionibus seruientes fictã oratione fortitudinem exercetis, laboresq; ac pericula subitis: non quòd aduersus hæc audeatis, sed quia his grauiora timetis. Vt enim ex socijs tuis qui primũ surgit, is leuiorem occupat remũ, minimeq; illum renuit, ueritus ne sibi grauior contingat, sic qui uerbera tolerat, ut uulnera fugiat, & qui hostem ulciscitur, ut supplicũ aliquod mortem'ue declinet, is nõ aduersus illa magnanimus, sed ad hæc timidus est iudicandus. Ac sic quidem uobis, quæ cum prudentia timiditas est, fortitudo uidetur. Qui uerò timor est peritus alia ex alijs mala fugiendi, audacia putatur. Quòd si uos omnino feris præstare fortitudine sentitis, cur poëtæ uestri eos qui cum hostibus fortißimè pugnant, lupis leonibusq; ac suibus in fortitudine simules uocant? quum præsertim eorum nemo leonem aprum'ue homini simulem esse dicat? Verum ut ueloces uetis, ac pulchros

chros dijs similes aiunt esse, ueritatem istis similitudinibus excedentes, sic in præstantum fortitudine uirorum inter pugnandum ad ea quæ sunt potentiora similitudines sempter referunt. Ac huius quidem rei causa est, quòd fortitudinis uelut temperatura quædam & consolidatio est animu impetus, quo sanè puro atq; syncero in certaminibus ferè utuntur. Sed uobis cum ratione cõfusus, perinde atq; uinum cum aqua, stupet in periculis, atq; omnem præter-mittit opportunitatem. Quid? quòd nonnulli uestrum ne omnino quidem in prælijs sumendum animi impetũ, quin seponendum, ac sobria duntaxat ratiocinatione utendum censent? ad salutis tutelam rectè, ad fortitudinẽ uerò & uindictam turpißimè præcipientes. Ecquo nanq; modo absurdum non est, naturam à uobis accusari, quòd neque aculeos, neq; exertos serratos'ue dẽtes, neq; aduncos ungues corporibus uestris ingenerarit, quum ipsi arma animæ ingenita auferatis atq; hebetetis? VLYS. Papæ Gryle: præstans mihi dicendi magister fuisse uideris, qui nunc quoque ex hara tam floridè, tamq; uehementer de causa proposita dicere cœpisti. Sed cur deinceps de temperãtia quoq; non disseruisti? GRYL. Quia putabam te prius quæ tam dicta sunt refutare uelle. Sed idcirco de temperantia, opinor, audire properas, quòd continẽtißimæ fœminæ iactaris esse maritus, teq; putas magnum continentiæ dedisse documentum, quia Circes nuptias contempsisti. Sed ne hac re quidem feris quicquam continẽtia præstas: neq; enim cum dijs seq; melioribus appetunt coire, uerum potius & uoluptates & amores cum ijs quæ sui generis sunt, conferre inireq; solent. Quare haudquaquã mirandum est, si ueluti Mendesius caper in Aegypto cum multis mulieribus formosis cõclusus, minus promptè cum

illis se miscere, sed ad capras potius cum stupore quodam ferri memoratur: sic tu quoq; consueta gaudens Venere, quum sis mortalis, cum dea coire noluisti. Penelopes uerò continentiam crocitantes mille cornices irridendam & contemnẽdam ostendunt, quarũ singulæ mortuo marito, non exiguo tempore, sed nouẽ hominum ætatibus uiduæ perseuerant. Ita speciosa Penelope tua qualibet cornice gloria continentiæ nouies inferior est iudicãda. Sed quoniam me rhetoricum esse cognouisti, agè quodam sermonis ordine utamur: ac primum temperantiæ definitionem dispiciamus, deinde generatim cupiditates diuidamus. Temperantia igitur cupiditatum quædam est contractio & dispositio, externas quidẽ ac inuectitias superfluasq; tollens & abijciens, pro tempore autem necessarias atq; naturales exornans. Appetituum uerò multiplices differentias esse quis ignorat? Potus nanq; & naturalis est & necessarius. Veneris autẽ cupiditates, quibus natura principium tribuit, quoniam citra has quoq; bene quis se habere potest, naturales quidẽ, sed non necessariæ sunt appellatæ. Quod uerò genus neq; ex necessarijs, neq; ex naturalibus constat, sed propter boni imperitiam ab inani opinione ex ijs quæ extraria sunt confusum est, parũ abest quin omnes in uobis naturales appetitus multitudine oppresserit & occultarit. Sic autem se gerit, ut turba hospitum aduena, quæ in urbem admissa indigenis ciuibus uim afferre conetur. At feræ haudquaquam locum extrinsecus inuectis cupiditatibus suis in animis relinquunt, ac in ipso uictu longè ab inani gloria tanquam à mari semotæ laute opiparéq; uiuere appetunt nihil, sed ut continentes sint, ac potius bene, ac ex naturæ lege non multas quidem cupiditates ingenitas disponant, externas uerò & alie

& alienas reijciant, maximopere curant. Ac me quoque ipsum non minus quàm te nunc aurũ stupefaciebat: quippe quod nulli aliarum opum uideretur esse cõparandum. Sed argentum quoq; ac ebur me capiebat. Qui uerò istis abundasset, is mihi uir & beatus, & dijs esse amicus uidebatur, siue Phryx, siue Car, siue Dolone obscurior genere, siue Priamo infortunatior esset. Ita semper à cupiditatibus pendens, neq; gratia, neq; aliarum rerum uoluptate, quæ sunt copiosæ ac satis superq; faciunt, meam afficiebam uitam, utpote qui maximorum bonorum mihi indigere expersq; esse uiderer. Etenim quũ te olim, ut memini, in Creta precioso indutum pallio uidissem, neq; prudentiam, neq; uirtutem tuam admirabar, sed tunicæ subtiliter ac eleganter elaboratæ, chlamydisque purpureæ crispitie ac pulchritudine stupescebam. Nonnihil me fibula quoq; mouebat aurea, ut quæ torno ueluti ludicrum quoddam esset fabrefacta. Te uerò sequebar illis stupefactus, neq; minus quàm amans mulier attonitus. Nunc uerò istis liberatus opinionibus uanis atq; purgatus, aurum quidem & argentum uelut alios lapides & despicio & conculco: profundo autem ac molli cœno obsitus, in quo recumbam quieturus, quàm tuis omnibus uestibus & tapetibus magis, per Iouem, lætor. Nam earum libidinum quæ extrinsecus inuehuntur, nulla in nostris animis inuenitur, sed necessarijs cupiditatibus atq; uoluptatibus uita nostra plurimum exigitur: his autem quæ necessariæ non sunt, sed duntaxat naturales, neq; inordinate, neque insatiabiliter adhæremus. Ac primum sanè has percurramus. Quæ igitur ex bene olentibus, atq; ex ijs quæ fracta mouent odoratũ, habetur uoluptas, præterquã quòd utilitatem simplicem gratis præbet, usum quendam simul ad

cibi cognitionem tribuit. Siquidem lingua & suauis & acris, & austeri dijudicatrix & est & dicitur, quando illius peritia sapores permixti quandam sumunt confusionem. Sed noster odoratus quum saporum omnium cognitor sit, multoq; diligentius regijs prægustatoribus uniuscuiusque uires præsentiat, id quod naturæ quidem conueniens est assumit, alienum autem reijcit, neq; gustũ lædere tristitiaue afficere permittit. Quin si quid mali inest, priusquam noceat, deprehendit & damnat. Alijs uerò nequaquam sollicitamur, ut uester olfactus odores & cinamoma, & nardos, & folia, & calamos Arabicos egregia quadam arte, siue pigmentaria, siue medicatoria, siue unguentaria uocetur, in unũ confundere, simulq; deuorare cogit, multis emptam pecunijs, effœminatamq; ac puellarem, & penitus inutilem uoluptatem. Quæ quidem licet ishiusmodi sit, tamen non fœminas solũ omneis, sed etiam uirorum quamplurimos ita corrupit, ut ne cum uxoribus quidem suis rem habere uelint, nisi pastillis unguentisq; redolentes ad concubitum ueniant. Atqui & apros scrophæ, & hircos capræ, & aliæ fœminæ sui quæq; generis mares proprijs odoribus pelliciunt, nitidum que rorem ac prata, & uirentem herbam redolentes communi beneuolentia ad suas nuptias feruntur. Sed neq; fœminæ aut se fucant, aut libidini deceptiones & incantamenta & denegationes prætendunt, neque mares Veneris concitati stimulis, mercede laboreue, aut seruitute uel precibus generationis opus mercantur. Quin potius suo tempore sine dolis ullaq; mercede uoluptati Veneriq; indulgent. Posteaquam autem congruo anni tempore Venus ipsa ut plantarũ germina, sic animalium libidinem excitauit, statim extinguitur, quum neq; fœmina post

post conceptionem sequatur marem, neq; mas fœminam sollicitet. Tam paruo in honore ac fragili apud nos est uoluptas. Sed naturæ ipsi omnia concedimus. Vnde ad hoc usq; tempus in ferarum genere neq; maris cum mare, neq; fœminæ cum fœmina commixtio libidinis gratia nequaquam inuenitur. Vestri autem generis talia sunt quamplurima, eorumq; qui egregij habẽtur, ut nihil de humili uulgo dicam: Siquidem Agamemnon se in Bœotiam contulit, ut Argæum, qui clàm aufugerat, uenaretur. Sed falso mare uentosq; causatus, in Copaida paludem se formosus pulchre iniecit, quò amoris flammam illic saltem extingueret, seq; ab ea cupiditate uindicaret. Quid? Hercules non ne eodem modo imberbem amicum secutus Argonautarum principes prodidit atq; fefellit? Quid? non ne quidam uestrum in Pythij Apollinis tẽpli testudine scripsit, Formosus Achilles, quum iam filium Achilles ipse sustulisset? Ac eam quidem inscriptionem adhuc ibi esse audio. At si gallus gallum ineat, quamuis gallina absit, uiuus comburitur, uatis cuiuspiã aruspicis ue iussu ficinus perpetratum magnum & atrox esse denunciantis: ita homines quoq; ipsi confiteantur necesse est, temperãtiam maiorem quam sibi feris inesse, neque ab illis per uoluptates naturam uiolari. Sed intemperatam libidinem uestram, quamuis legem habeat adiutricem, natura tamen intra terminos nequaquam potest coërcere. Illa uerò cupiditatibus perinde atq; torrente impulsa, sæpenumero in rebus uenereis grandem contumeliã & turbationẽ naturæ perpetrat & confusionem. Etenim cum capris & suibus, ac equabus se commiscere & uiri tentarunt, & fœminæ propter ferarum mares insanierũt. Ex huiusce modi uerò nuptijs & Minotauri & Aegipanes, & ut ego quidem

puto, Sphinges & Centauri uobis oriuntur. Et canis quidem aliquando propter fámem aliquid hominis uorare necessitate cogitur, & auis interim gustare, sed ad coitum homine abuti nulla unquam fera conata est. Homines autem & ad ista, & ad complura alia uoluptate ducti feras quaminiquissimè uiolant. Quum uerò sint adeò improbi atq; incontinentes circa iam dictas cupiditates, in necessarijs quoq; multò brutis esse inferiores monstrantur. Illæ autem in cibis & potibus consistunt, quorum id quod est suaue, nos quidē semper cum quadā sumimus utilitate: at uos magis uoluptatem, quam cibi naturā sequentes multis & diuturnis implicamini morbis, qui nimirum ex uno repletionis fonte hausti, corpora uestra spiritibus uarijs ac pernitiosis uentositatibus inflant. Nam primum omniū unicuiq; animalium unus cibus natura conuenit, his quidem herba, illis autem radix uel fructus. Quæcūq; uerò sunt carniuora, & nullum aliud cibi genus appetunt, neq; debilioribus alimenta rapiunt: nam & ceruum leo pascere sinit, & ouem lupus, quatenus natura permittitur. At homo fertur ad omnia, uoluptatibus & ingluuie ductus, omnia experitur, omnia gustat, & ueluti nondum quid sibi proprium conueniensq; sit cognoscat, solus ex omnibus animantibus omnium uorator est factus. Ac primum carnibus uescitur, nulla indigentia difficultate'ue coactus: quippe cui à plantis atq; seminibus alia & alia citra ullum laborem suo quæq; tēpore uindemiare sumereq; ac decerpere semper liceat, sed propter delitias rerumq; necessariarum satietatem epulis incongruis, atque immundis animaliū iugulationibus, multò crudelius immanissimis abutitur feris. Nam sanguis & cædes & carnes, miluio lupoq; & draconi peculiaris est cibus, homini uerò

uerò obsonium conuenit. Qui quū in omne genus sæuiat, non ut feræ à plurimis abstinet, pauciscq; belluū infert propter uictus necessitatem, sed neq; uolatile, neq; aquatile, neq; terrestre mensas, iam à uobis mansuetas hospitalesq; dici cœptas, fugere potest. Enimuero quid opsonia ciborumq; condimenta cōmemorem? quum ferarū natura nulli inutilium uanarumq; artium tribuat locum. Necessarias autem neq; ab alijs importatas, neq; mercede doctas, ex se ipsa ueluti simul natas promit. Neq; enim meditatiōe aut conglutinat, aut solerter & acutè uniuscuiusq; speculationem compingit. Ac Aegyptios quidem omnes medicos esse audiuimus, ferarum autem unaquæque non sibi modò per se ipsa medendi perita est, uerum ea quoq; quæ ad uictum, robur, uenationem, custodiamq; spectant, tantumq; musicæ, quantū cuiusq; naturæ conuenit, pulcherrimè per se tenet. Nam unde nos unquam didicimus, quādo ægrotamus ad flumina cācrorum gratia ire? Quis uerò testudines docuit, posteaquam uiperā comederint, origano pasci? Quis Creticas capras sagittis percussas dictamum, quo gustato spicula statim è corporibus excidant, persequi monuit? Etenim si dicas harum optimum naturam esse magistrum, in excellentissimum atq; sapientissimū principium ferarum prudentiā refers. Quā quidē si neq; rationem, neq; prudentiā nominandam putabis, ui de quo modo illi pulchrius & honorificentius nomē excogites, ut re ipsa uim quoq; meliorem admirabilioremq; præ se ferre uidetur. Quæ quū neq; indocilis, neq; ineruditā, sed per se ipsa potius edocta sit atq; perfecta, nō impotētia, sed fortitudine, ac naturali uirtutis perfectione uestrā discendi sciendiq; cupiditatē ualere permittit. Quascunq; igitur ferarū homines in delitijs usibusq; habentes

docēt ac exercēt, eæ uel præter corporis naturam ingenij solertia quæ traduntur facilè percipiunt. Nam ut taceam catulos uestigare, pullos edoctos gressus ad numeros quosdam glomerare, corui loquuntur, canes per rotas circulares exiliūt, equi & boues in theatris discubitus & saltationes, & in pedes monstrosas erectiones motionesq; hominibus quoq; sanè quamdifficiles, edocti atq; reminiscentes diligenter effingunt. Ex hoc uerò facilè colligitur, nihil utilius docilitate feras habere. Quòd si nos artes discere non credis, eas quoq; à nobis doceri perdisce. Etenim perdices pullos fugientes se occultare, ac resupinos iacentes se gleba terræ pedibus apprehensa cooperire docent. Ciconiarum quoq; pullis uides in tectis ut periti inexpertis præsto adsint ad uolatum. Luscinię uerò pullos suos cantare prædocent. Ac si qui capiantur adhuc rudes, in hominumq; manibus nutriantur, peius canunt, ut qui ante legitimum tempus à doctore subtracti sint. Ac sanè posteaquam in hoc corpus descendi, illos sermones perquam miror, quibus doctores me persuadebant, ut omnes animantes præter hominem irrationales ac mentis expertes putarem. VLYS. Nunc igitur tu Grylle mutatus es, ouemq; rationalē & asinū esse demōstras? GRYL. Imò uerò ex ijs ipsis te cōiectare maximè decet, optime Vlysses, ferarum naturam esse neq; rationis, neq; intellectus expertē. Ac ueluti arbor non est alia magis minusue inanimata, sed omnes æqualiter se habent ad insensibilitatem, quòd earum nulli anima ineſt, sic animal non uideretur alio uel tardius, uel indocilius, nisi omnia rationis intellectusq; capacia magis ac minus alijs quidem alia quodam modo forent. Enimuero animaduertere licet, nōnullorū stoliditatem ac torporē aliorū astutijs calliditatibusq; de

busq; deprehēdi, si quādo uulpi lupo'ue, aut apiculæ asinum uel ouem cōparet, perinde atq; si tibijpsi Polyphemum, uel auo tuo Autolyco illū Corinthiū conferas Homerum. Neq; enim puto feras tantū inter se differre, quātum homini homo sapientia, ratiocinatione ac memoria præstat. VLYS. At uide Grylle, ne graue atq; uiolentū sit, ijs rationē cōcedere, quibus dei cognitio ingenita non est. GRYL. Et postea quum sis adeò sapiens ac elegās rerum discriminator, te ex Sisypho natū esse nō dicemus.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, PROBLEMATA.

Petro Lucensi interprete.

QVID est, quòd noua nupta quū in matrimonium datur, ignem & aquam iubetur attingere? An quòd in elemētis ac principijs eorum alter maris, altera fœminæ locum tenet, & is principiū motionis inijcit, illa uerò subiecti ac materiæ uim habet? An quòd ignis purgat, aqua uerò circunfert ac lustrat: uxorem uerò puram & castam permanere oportet? An aliud potius? quòd quemadmodum ignis humoris expers, nec alit quicquam & ieiunus est atq; aridus, aqua uerò sine calore sterilis est & ignaua: sic mas & fœmina nisi coëant, disiuncti languescant & nihil efficiant necesse est?

Quorum coniunctio in matrimonium coëuntibus conuictum perficit, qui deferendus non est, & omnis fortunæ casus communiter subeundus, etiamsi nullius boni, nisi ignis & aquæ participes inter se futuri sint.

QVID est, quòd nec plures, nec pauciores, sed quinq; tantummodo faces in nuptijs accendunt, quas Cereos appellant? An illud est quod Varro prodidit, imperatores tribus uti solitos esse, Aedilibus plures adhiberi? moris est autẽ, ut ab Aedilibus qui uxores ducũt faces accendant? An quòd quum plurimis in rebus numeris utantur, tũ cæteris melior ac perfectior sit, & ad nuptias impar numerus conuenientior atque aptior habeatur? Par enim numerus & interuallũ suscipit, & eius paritas aduersatur ac pugnat. Impar uerò omnino scindi nõ potest, sed si diuidatur, semper aliquid cõmune relinquit. Ex omnibus uerò imparibus numeris quinarius potißimũ nuptialis est. Tria enim primum imparis locum tenent, duo uerò paris: ex quibus tanquam ex mare & fœmina quinarius cõmiscetur numerus. An illud magis, quòd quũ lux generationis signum sit, mulier uerò non plureis, quàm quinque uno partu natura potest ædere, idcirco totidem utuntur facibus? An quòd deos quinque precari eos putant, qui matrimonio coniunguntur, Iouem adultum, Iunonem adultam, Venerem, Suadelam, & in primis Dianam, quã etiam in partu & doloribus mulieres inuocãt?

CVR Romæ quum Dianæ multæ sint ædes, eam solum quæ in angiportu est, qui Patricius dicitur, uiros ingredi nefas est? An ob eam fabulam, quæ dicitur, quẽdam quum eo in templo mulieri, quæ Dianam salutatum uenisset, uim attulisset, à canibus discerptum fuisse? Inde orta superstitione homines ingressu abstinuisse?

QVVM

QVVM in cæteris Dianæ tẽplis ceruorum cornua planè affigunt, in Auentino boum tantummodo suspendere consueuerunt? Quid itaq; an id ueteris casus memoria & recordatione fieri putandum est? Ferunt enim in Sabinis Antroni Coratio bouem insigni specie ac magnitudine natam fuisse. A' diuino deinde quodam monitum, si quis eam bouem in Auentino Dianæ immolasset, factum esse, eius qui rem diuinam feciſſet ciuitatem, totius Italiæ imperio potiri. Hominem re credita ut bouem immolaret statim Romam uenisse. Seruum interim Seruio regi clàm rem omnem indicasse, illum è uestigio Cornelio sacerdoti imperasse, ut Antroni, antequam is rem diuinam faceret, in Tyberim se ablueret rite præciperet: Sic enim eos qui litare uellent, facere consuesse. Antronem cupidè profectum lauisse. Seruium interim occupasse, ac Dianæ bouem immolasse, & cornua tẽplo affixisse. Hoc Iuba monumentis mandauit, & Varro. Nisi quòd Antronis nomen Varro non prodidit, nec à Cornelio sacerdote, sed ab ædituo deceptum fuisse dicit.

CVR eos qui in agro externo diem suum obijsse falso nunciati sunt, si postea reuerterint, ianua in domũ non admittuntur, sed per tegulas ascendentes intro seipsos demittunt? Varro enim omnino causam fabulosam tradit. Dicit enim bello Siculo nauali pugna commissa, quum eo prælio multos occidisse falsò nunciatum esset, omnes postea reuersos breui interijsse. Vni autem ianuam ingredi conanti temere clausam obstitisse, nec quum aperire conaretur, potuisse. Hominẽ ibi pro foribus consopitum in somnis speciem uidisse, qua super tectũ per imbrices descensus in domũ, ac delapsus ostenderetur. Quo facto felicem fuisse, & ad senectutẽ peruenisse. Inde posteris morẽ

fuisse

fuisse proditum. Sed uide ne hæc quodammodo Græcis ac nostris simulia esse uideantur: non enim castos putabant, nec illis omnino admiscebantur, sed procul à templis arcebant, quibus funus tanquam mortuis & exequiæ factæ fuissent. Ferunt autē quendam, qui hac superstitione huic religioni obnoxius teneretur, Aristinū nomine, Delphos misisse, qui Deum suo nomine precarentur, ut cum quibus ob hunc ritū difficultatibus teneretur absolueret: Pythiā illis respondisse, quæcūq; puerpera facere consuesset, ubi omnia rite obiisset, tū diis immortalibus sacrificaret. Aristinum oraculo accepto, ac prope cognito, sese quasi modò in lucem æditū mulieribus laudādum, obligandū, lactandumq; præbuisse: sic deinde cæteros omnes Hysteropotmos appellatos facere instituisse. Sunt qui dicant morem hunc ante Aristinum fuisse, & antiquū morem esse. Mirari ergo non oportet, si Romani quoq; eos, qui semel sepulti mortuorum numerum tenuissent, limē ingredi prohiberent: quippe qui uel egredientes rem diuinam faciunt, & sacrificio facto ingrediuntur, sed desuper per impluuium descendere iubebant. Piacula planè omnia sub diuo obire consueuerunt.

Ὑστεροπότμους

CVR institutum est, ut mulieres cognatos ore osculentur? An, ut multi putant, quòd his uini usus interdictus esset, & idcirco ne bibentes laterēt, sed domesticorū congressu redarguerentur, osculandi cōsuetudo inducta est? An probabilior huius rei causa est quam scripsit Aristoteles: Illud enim iam uulgatū, & quod iampridē heroicis temporibus factum fuisse dicitur, in Italia mulieres Troianæ, ut uidetur, facere ausæ sunt? Nam quum ad Italiæ littus appulissent, & uiri ad unum omnes relictis nauibus in terram descendissent, naues incenderūt, quòd diuturni, ac lōgi erroris eas pertæsum esset, et maris tæderet. Metu deinde uirorū pauidæ, propinquos ac domesticos complexæ, osculādo ac blandè appellādo, ut cuiq; occurrissent, facinoris cōscientia saluabant. Hoc pacto mitigatis animis, & inter se conciliatis, mansit postea cōsuetudo, ut hac inter se comitate uterentur. An magis hoc tributum est mulieribus, quò simul & honore & potestate augerētur, si multos cognatos ac propinquos habere uiderentur? An quòd cognatorū connubijs lege prohibitis, hoc comitatis genus ad osculum usq; processit, & hoc solum cognationis signum, & cōmunicatio relicta est? Superioribus enim temporibus, quæ se aliqua necessitudine attigissent, uxores non ducebant, quemadmodum ne nūc quidem sorores. Sed non ita pridem factum est, ut neptes uxores ducere permitterent. Vir quidā sanè pauper, cæterum bonus, & in primis popularibus acceptus, quum neptē cui dos ampla esset relicta, in matrimonium accepisset, locuples ex eo & copiosus factus est. Eius rei accusatus, iudicio multitudinis absolutus est: plebiscitum deinde factū, ut in ducendis uxoribus ad neptes usq; ascendere liceret: superior enim necessitudo prohiberetur.

Maro in Sicilia actum scribit.

QVID est, quòd uir ab uxore, uxor à uiro dono aliquid accipere prohibetur? An quòd, ut Solon scripsit, morientiū donationes ratæ sunt, nisi quis, inquit, necessitate coactus aut ab uxore persuasus: necessitatē enim quasi uim afferentē *accepit: uoluptatem uerò quasi decipientem. Sic uxorum donationes ac uirorum *suspicione non caruerunt. An quòd utilissimū beneuolentiæ signū donatio sit. Dant enim & alieni, & qui non amant. Idcirco hoc dandi lenocinium ex matrimonio sustulerūt, ut non mercenarium, sed gratuitum & spontaneū sit hoc totum amare

*excepit.

*intelligendæ ueniunt.

amare & redamari. An quòd ab alijs accipiendo corruptæ alienos admittunt, grauißimum uiſum eſt gratis ſuos diligere? An illud potius, quòd uiri & uxoris rem communem eſſe oportet? Nam qui quod datum eſt accipit, is quod datum non eſt id alienum eſſe cenſere didicit. Quo fit ut exiguum inuicem dando totum perdant.

QVID eſt, quod à genero ac ſocero iſſdem aliquid dono capere non licet? An idcirco à genero, ne forte per parentē munus ad uxorē redire uideatur? à ſocero autem quòd qui nihil dediſſet, eū nihil accipere par eſſe uiſū eſt?

CVR ſiue ex agro, ſiue peregre domum redeant, qui uxores domi habent, aduentus ſui nuncios præmittunt? An quòd hoc eius eſſe cenſent, qui ſe abſente uxorē nihil improbè facere ſibi perſuadeat, derepente uerò & inopinatò ſubuenire inſidiatoris, idcirco uxorum expectationi ac deſiderio, bonis eas nuncijs afficiendo, quamcitißimè ſatisfieri ſtudent? An illud potius, quòd ſcire ninium auent, ſi ſaluas domi, ac ſui deſiderio affectas ſint offenſuri? An quòd pluribus domi negotijs in adminiſtranda re familiari abſentibus uiris uxores occupentur, & cum domeſticis plerunque diſcordent, ut his omnibus remotis, iucundè ac tranquillè ab uxoribus excipiantur, de ſuo eas aduentu prius fieri certiores uolunt?

CVR deos ſalutantes caput operiunt, uiris autem dignitate præditis, & honore dignis, ſi quo caſu occurrerint, caput aperiunt? Hoc enim illam quoq; dubitationem uidetur augere. Nam ſi quæ de Aenea feruntur uera ſunt, ut prætereunte Diomede caput operiens rem diuinam fecerit, rationem habet, nec repugnat, ut quemadmodum in occurſu hoſtium caput uelemus, ſic amicis ac bonis uiris obuiam facti capita detegamus. Nam quod ad deos pertinet

tinet, id proprium non eſt, ſed caſu accidit, & ab illo ſeruatum poſtea manſit. Quod ſi aliud dicendum eſt, uide ne illud ſolum quærendum ſit, quamobrem deos uenerantes capita uelentur. Alterum uerò cōſentaneum eſt. Potentioribus enim occurrentes idcirco caput aperiunt, non ut eis aliquid addant, ſed ut inuidiam potius detrahant, ne pares dijs immortalibus honores poſcere, neue eodem cultu delectari uideantur. Deos uerò idcirco ſic adorabant, ut aut operiendo capite ſeipſos humiliores redderent, aut metu, ne quid ignominioſum ac triſte inter precandum aliunde auribus accideret, idcirco ueſtem ad aures uſq; attollebāt. Hoc autem eos uehementer uitaſſe, ex eo facilè perſpici poteſt, quòd oraculum adeuntes æra pulſari, & quammaximum ſtrepitum fieri uolūt. Aut illud eſt quod Caſtor dicit, mores Romanos Pythagoricis comparans, Genium qui unicuiq; noſtrum ineſt, deos qui extra ſunt rogare, & caput uelando ſupplicare, animi ſcilicet uelamentum ac reuelationem per corpus quodam ænigmate oſtendentem.

QVID eſt, quòd Saturno capite aperto immolant? An quòd uelandi capitis ritum Aeneas tradidit, Saturni uerò ſacrificiū peruetuſtum eſt? An illud potius, quoniam dijs cœleſtibus immolātes uelantur, Saturnum uerò ſubterraneum & terreſtrē Deum eſſe arbitrantur? An quòd ueritas occuli obſcurarī ue nō poteſt, ueritatis autem parentem ac deum Romani Saturnum habent? Sed quid eſt, quòd Saturnum ueritatis patrem ducunt? An quòd ut pleriq; Philoſophi cenſent, Saturnum tempus eſſe exiſtimāt, ueritas autem tempore inuenitur? An illud, quòd fabuloſa illa Saturni tempora, qui iuſtißimus omnium fuiſſe dicitur, ueritatem maximè coluiſſe ueriſimile eſt?

QVID

QVID est, quòd Honori aperto capite rem diuinã faciunt? An quia splendidũ quiddam & illustre, & apertum ac late patens gloria? quam ob causam honestis ac bonis uiris caput aperiunt, eadẽ adduci uidẽtur, ut eiusdem cultus cognominem Deum eodem more uenerẽtur.

QVID est, quòd filij quidem tecto capite parentes efferunt, filiæ uerò nudo ac sparsis crinibus? An quòd patres tanquam deos à maribus coli cõuenit, quos tamen eosdem filias luctu prosequi magis deceat? utrique enim quod suum est lex tribuens, ex ambobus quod oporteret & deceret, efficit. An ea lugenti accommodata sunt quæ sunt inusitata? consueuerunt autem magis operto capite mulieres, at uiri contrà aperto in publicum prodire. Apud Græcos enim si quid aduersi acciderit, ut mulieres tonderi, sic uiri comas alere consueuerũt, quòd uiri tondere, mulieres uerò promißiores habere crines moris est. An filios ob eam quã diximus causam uelari mos est? Nam ut Varro dicit, filij sic sepulchris parentum obuersantur, quasi deorum templis, pari cultu utrosque uenerantes: Quorum in bustis cumprimum in os aliquod inciderint, eum qui mortuus sit, in deorum numerum relatum esse dicunt. Mulieribus autem ne aperto quidem capite omnino licebat. Est enim proditum memoriæ, Sp. Carbilium primum Romanorum omnium sterilitatis causa uxorem repudiasse. Hunc secutus Sulpitius Gallus idcirco uxori nuncium remisit, quòd eam in caput uestem deducere animaduertisset. Idẽ fecit P. Sempronius, quòd eius uxor ludos funebres spectasset.

CVR Terminũ, cui Terminalia faciũt, Deum putantes, nihil ei animatũ sacrificãt? An quòd terminos Romulus agro statuit, quò progredi, ac uicinos mulctare licitũ esset

esset, atque omnem agrum proprium existimare, quò, ut Lacon dicit, hasta peruenĩat? Numa uerò Pompilius, uir ciuilis ac iustus, & in primis sapiens, agri terminos cum finitimis constituit, & ipsis finibus Termunum omnis Terminus causa nominans, quasi præsidem, & amicitiæ ac pacis custodem, ab omni cæde, ac sanguine eum incontaminatum conseruari oportere existimauit. deus.

QVID est, quòd ancillis ædem Matutæ ingredi fas non est, unam uerò tantum mulieres introducunt, quam alapis cædunt? An quia hanc unam ita pulsari, signum est seruas aditu prohiberi? Reliquas autem propter fabulas repellunt? Ino enim uirum rem cum serua habere suspicata filium deperijsse dicitur. Seruam uerò Græci ex Aetolia oriundam fuisse dicũt, nomine Antipheram. Ex quo apud nos in Chærone: pro æde Matutæ ædituus lorum tenens pronunciat: Non seruam ingredi, non seruum: non Aetolum, non Aetolam.

CVR apud hanc ipsam deam suis quidem filijs bona non optant, quum nepotibus id tribuant? An quòd Ino muti quodã & humano ingenio esse, & sororis filio mammã præbuisse, in filijs uerò infelix extitisse uidetur? An aliter potius, quòd moralis & pulchra in primis consuetudo, & multum inter necessarios beneuolentiæ comparans existimata est?

QVID causæ est, quòd plerique copiosi & locupletes substantiæ suæ decimam Herculi offerebant? An quòd ille quoque in Palatino boum, quas Geryoni abstulit, decimam immolauit? An quòd Romanos ab Hetruscis decimari solitos liberauit? An hæc historiam nec omnino ueram, nec ueri simulem habent. Herculi uerò tanquam edaci & splendido prolixè atque opipare parabãt, & sacrificiũ

faciebant? An illud potius, quasi odiosas ciuibus & molestas nimias diuitias cõmunuentes, & ut bonæ corporis habitudini ad summum prouectæ aliquid detrahentes, eo pacto maximè coli Herculem existimabant? Quem idcirco luxuriam coërcere & comprimere delectaret, quòd ipse paucis contentus tenuiter continenterq; uixisset?

Ianuarius cur initium anni.

QVID est, quòd Romani Ianuarium principium anni faciunt? Antiquis enim temporibus Martius primus omniũ numerabatur, quod cum multis signis perspici potest, tum eo maximè, quòd quintum à Martio & sextum, & reliquos deinceps usq; ad extremum à Martio numerant. Decembrem enim nouissimum appellant, à Martio scilicet recẽsentes. Ex quo nonnulli opinati sunt, ueteres Romanos non duodecim, sed decem mensibus annũ complesse, & ob eam rem quibusdam mensibus plures quam triginta dies addidisse. Sunt qui monumentis mandarint, Decembrem à Martio decimum computari, hunc & deinceps subsequi Ianuarium: Februarium esse in quo & purgationibus utuntur, & mortuis parentant anno finiente. Hunc postea ordinem commutatum esse cõstat, & Ianuarium primum omnium numerari cœptũ, quòd primo huius mẽsis die, quẽ Calendas Ianuarias appellant, primi Consules exactis regibus creati sunt. Verisimilius illud quod quidam dicunt, Martium à Romulo primũ omniũ fuisse numeratũ, quòd homo acer ac bellicosus, atque adeo bellandi amore insanus, Marte satum se existimans, parẽtis sui cognomen cæteris mensibus præponẽdum esse censuit. Numa Pompilius deinde, uir pacatus, & pacis atque otij studiosus, quum ciuium animos à bello ad agriculturam traducere cõtendisset, Ianuario inter menses principatum dedit, & Ianũ quasi ciuilẽ & agriculturæ magis quàm

quàm rei bellicæ studiosum ad summos honores cultamq; prouexit. Sed uide ne Numa Pompilius magis consentaneum naturæ, quantum ad nos attinet, principium anni sumpserit. Omnino enim eorum quæ in circulo circunferuntur, nihil est quod natura aut extremum sit aut primum, sed lege factum, ut aliud alij statuant anni principium, optimè uerò qui post hybernum tropicum annum inchoant, quum sol finem ulterius progrediẽdi faciat, rursus ad nos se recipit: fit enim naturale quodãmodo huiusmodi principium, quo & lucis tempus nobis augetur, tenebrarum uerò & noctis diminuitur, princeps deniq; & totius substantiæ fluxæ autor propius accedit.

QVID est, quòd Floræ, quam bonam deam nominant, omni florum genere templum exornantes mulieres domum myrtos non importent, præsertim quum ambitiosius cunctis germinum ac florum uarietatibus uti soleant? An illud est quod à fabulatoribus dicitur, Floram Flauij diuinatoris uxorem fuisse, quæ quum uino clanculum uberius uteretur, deprehensam myrteis uirgis, ac flagris à uiro cæsam fuisse dicitur, inde factum esse ut myrtus in eius ædem non inferatur? Vinum tantum quum mulieres ei libant, lac appellant? An quòd à multis, tum uerò rebus Veneris castæ ac puræ sacrũ illud obeunt? non solum enim uiros excludunt, sed quum solenne sacrificiũ faciunt, quicquid masculum est domo exigunt. Myrtum igitur quasi Veneri dicatam religiosam habent. Nam quam nunc Murciam Venerem nominant, antiquitus, ut uidetur, Myrteam appellare consueuerunt.

QVID est, quòd Latini picum uenerantur, & eo uehementer abstinent? An quòd Picum uxoris ueneficio mutatum ferunt, auem deinde factum oracula ædere, &

interrogantibus respondere solitum? An hoc cum incredibile, tum monstri plenum existimandum, & altera fabula multò est uerisimilior? Romulo ac Remo quum regis iussu expositi essent, non modò lupam mammas infantibus præbuisse, sed picum quoq; ad infantes uentitasse, atque eos aluisse? Nam nunc quoq; locis nemorosis ac syluestribus, in quibus crebro picus appareat, lupum uersari animaduersum est. An illud magis, ut aliam alij Deo auem, sic picum Marti sacrum putauerunt? Est enim natura fidens & elatus atque audax: rostrum quidem adeo firmum habet, ut robora subuertat, quum truncum sæpe pulsando ad medullam usque peruenerit.

CVR Ianum bifrontem esse autumant? sic enim eum & fingunt & pingũt. An quòd Græcus Perrhæbus fuit? sic enim monumẽtis proditũ est. Is postea quum in Italiã traiecisset, & apud Barbaros consedisset, linguam simul cum uictu cõmutauit. An illud potius, quòd Italos agrestes ac barbaros ad humanitatẽ uitæ cultumq; traductos, & agros colere, & rempublicam administrare instituit?

QVID causæ est, quòd in æde Libitinæ quæ ad sepulturam pertinent uendere consueuerunt, Libitinã nihil aliud nisi Venerem esse existimantes? An hoc unum ex Numæ Pompilij commentis fuisse putandum est, ut discant homines talia non aspernari, nec tanquam rem polluta aut sceleratum fugere? An ea re homines fragilitatis & imbecillitatis humanæ admoneri putant, quòd una & eadem dea principium ac finem uitæ in potestate habeat: quippe quæ ingredientibus uitam uel decedentibus præsideat? Delphis enim Epitymbiæ Veneris exigua sanè statua posita ostenditur, ad quam manes ad parentationes & libationes & elicere & euocare consueuerunt.

Cur

CVR tria mensis principia, & dies quasi quosdam legibus præstitutos habent, qui dierum idem interuallum in medio capiunt? An illud uerum est quod Iuba in historia scribit, Magistratus Calendis populum uocare, & in quartum diem Nonas indicere solitos esse? Idus enim diem religiosum putabant. An illud magis, quòd lunæ uarietatibus tempora describentes tres omnino singulis mensibus lunæ mutationes fieri animaduertebant? Primã quum Soli congressa penitus occultatur. Deinde quum solis radios ac lumen elapsa, ab occasu incipit apparere. Postremo quum solaribus radijs collustrata plenilunium efficit. Nominant autem lunæ occultationem, quum scilicet non apparet, Calendas. Quicquid occulte fit, clàm fieri & celari latinè dicitur. Primam uerò Nonas appellant iustissimo quidem nomine, nouum uocant. Idus autẽ aut propter speciẽ & undiq; collucentis lunæ pulchritudinem, aut cognomen illud Ioui attribuentes. Sed certissimum dierum numerum exequi non oportet, non ex eo quod parũ abest calumniari, quãdoquidẽ uel hoc tẽpore, quo ad summum astrologiæ peruentũ est, inæqualitas tamen temporũ mathematicorum peritiã uincit, & eorum numeros ac supputationes sæpissime fallit ac fugit. Calendæ. Nonæ. Idus.

QVID est, quòd postridie Calendas, Nonas, Idus, nec quòquam exire, nec peregre proficisci consueuerunt? An quòd, ut plurimi censent, & Liuius autor est, post Idus Quintiles, quas nunc Iulias uocant, Tribuni militum eductis copijs ad Alliam fluuium à Gallis superatis urbem funditus deleuerunt? quẽ diem quũ postea religiosum habuissent, & procedente tempore, ut fit, mos inoleuisset, eadem superstitio tantum ualuit, ut dies postridie Calendas, ac Nonas similiter religiosi haberẽtur? An hoc

multis modis absurdum est? Alio enim die apud Alliam malè pugnatum est, quē Allienſem à fluuio nominātes infaustū habent Romani. Quumq; multi religiosi sint dies, haudquaquam singulis mensibus homonymos obseruāt, uerum unumquenq; diem, in quo tunc calamitas accidit, ei qui postridie Nonas & Calēdas sequitur adsistere, ut omnem pari superstitione inuoluant, nullam uerò similitudinem habere. Vide igitur ne quemadmodum primum mensem dijs cœlestibus consecrauerunt, secundū uerò inferis, in quo & purgationibus quibusdā utuntur, & mortuis parentant, sic & dies alios quidem quasi autores ac principes, ut dictum est, tres scilicet festos & sacros posuerint, eos autem qui deinceps sequuntur, dijs manibus attributos, religiosos & infaustos habendos existimauerint. Græci enim Calendis deos uenerantes, eum qui sequitur, semideis, ac dæmonibus attribuerunt. Secundus quoq; crater semideis & heroidibus libari solet. Omnino numerus quidam tempus est. Principium est enim unitas, quam secutus binarius unitati aduersatur, & parum primus est numerus, par uerò indigens quidem imperfectum & indefinitum, quemadmodum rursus impar terminatus est, & terminat ac perfectus est. Quo fit, ut Nonas quinto post Calendas die subijciant, Idus autem Nonis nono pòst die demum numerent. Terminant enim principia impares numeri, qui uerò principia excipiunt pares deinceps numeri nec uim habent ullam nec ordinem. Quo fit, ut his nihil agere instituant, nusquam exeant, aut peregre proficiscantur. Quo loco illud Themistoclis repetere alienū nō fuerit, diem qui postridie diei festi fuisset cum die festo litigasse, illū enim multū negotij ac laboris habuisse, se autē effecisse ut quiete & ociosè rebus partis perfruerentur homines. tum dies festus: Ne tu quidem uerum dicis, nisi enim ipse feciſſem, tu non fuiſſes. Hoc Themistocles aduersus eos qui post eum ab Atheniēsibus imperatores facti fuerāt, dixisse fertur, futurum fuisse ut eorum nemo cognosceretur, nisi ciuitatem ipse cōseruasset. Quoniam igitur omnis studiosa peregrinatio atq; actio, apparatus & administrationis indiget, ueteres autē Romani diebus festis nihil omnino negocij agebāt, aut prorsus curabant, sed rebus diuinis penitus dediti erant, idq; sic agebant, ut nunc quoq; sacerdotes, rem diuinam facturi proponere & edicere consueuerunt, iure optimo: statim enim peractis festis exibāt uacui omni cura ac negocio, nihil agebant, quippe qui essent imparati, atq; illū diem ea quæ usui essent excogitando in apparatu consumebant. An sicut etiam nunc factis uotis deo, uenerari, in templis sedere, ac permanere consueuerunt, sic non continuò dies operosos diebus sacris & feriatis subijciendos putauerunt, & aliquid interualli intercedere uolebant, præsertim quum præter opinionem ac uoluntatem molesta ac grauia persæpe in uita accidere soleant?

QVID est, quòd in luctu mulieres albis uestibus induuntur? An ut magos aiunt aduersum orcum ac tenebras instructos claritati ac luci seipsos comparantes, hoc facere putandum est? An quemadmodum mortui corpus albis uestibus induant, & propinquos idem facere uolunt? Corpus autem ideirco sic ornant, quando animum non possunt, quem purum ac splendidū deducere uolūt, quasi iam emeritum, & magno ac uario certamine liberatum? An tenuitas his in rebus ac simplicitas maximè decet, infectæ autem uestes tum superfluitatem præ se ferunt, tum elegātiam ac sumptum? Non enim minus aduersus nigrū

quàm purpureum colorẽ illa dici possunt: Dolosæ uestes, dolosi uerò etiam colores. Quod autẽ sua sponte nõ arte nigrum est, natura tinctum est, & opaco admixtum uincitur. Solum igitur album syncerum ac purum ac minimè inquinatũ est. Quare mortuis aptißimus. Defunctus enim simplex quiddam factum est, purum, & omni cõmixtione uacuũ, nihil planè aliud nisi quodam quasi tinctorio ueneno sic corpore liberatus. Argis uerò in luctu uestes albas induunt, ut Socrates dicit, aqua ablutas.

QVID est, quòd omnes muros sanctos putant, portas non item? An illud est quod à Varrone scriptum est? Murum quidem sanctum haberi oportere, ut pro tuendis mœnibus studiosè propugnent ac mortem oppetant. Sic enim uidetur & Romulus fratrem interfecisse, quòd locũ sanctum, & quem transgredi nefas esset, transire non dubitasset, & prophanum reddidisset. Portæ uerò consecrari idcirco non possunt, quòd cum alia multa ad usum necessaria exportare atq; importare, tum uerò mortuos per eas efferre consueuerunt: & quòd qui ab initio urbes condunt, quantumcũq; loci ædificaturi sunt aratro attingũt, cui mœrem bouem ac fœminam subiugant. In murorũ uerò descriptione quum portarum spatia metiuntur, uomerem detrahunt, ac sic aratrum transferũt, quasi quicquid exaratum sit, sacrum & inuiolatum futurũ esse uideatur.

QVID est, quòd pueros si Herculem iurant, id sub tecto facere prohibent, & sub dium progredi iubẽt, quod ut sub dio faciant ideo exire iubent? An ea causa est quã multi afferunt, Herculem non umbra atq; ocio, sed labore ac periculis delectatũ, nõ domi, sed foris ac sub diuo uitam egisse? An illud magis, quòd is deus non indigena, sed externus & aduena est habitus? Nam nec Dionysiũ iurant sub tecto externum & ipsum deum, si quidem est Dionysius. An hæc quidem dicuntur, & ioco apud pueros adhibẽtur, ut aliud occultius agatur, nec pueri sic temere insuescant deierare? Sic enim Phauorinus aiebat. Hoc enim quasi de industria moram efficit, & deliberandi dat spatium. Phauorinum uerò rectè putasse, nec commune, sed proprium huius dei hoc quod sit existimasse, ex his quæ de Hercule feruntur facilè conijci potest. Ferunt enim hunc in primis religiosum fuisse, & ad iusiurandum uerecundißimum, quippe qui semel in omni uita iurauerit, idq; soli Phyleo Augei filio: quocirca Pythiã hoc iurisiurãdi genus Lacedæmonijs proposuisse, Satius ac melius illis fore si absq; iureiurando affirmassent.

QVID est, quòd nouam nuptam ipsum limen trãscendere non permittunt? An quòd qui primas mulieres rapuerunt, sic eas domibus intulerunt, non ipsæ ingressæ sunt? An eò inuitæ ingredi uideri uolunt, ubi pudicitiam sunt amissuræ? An quòd potius signum est ipsam non sua sponte domum exituram, nec suos relicturam fuisse, nisi cogeretur, quemadmodum ui coacta ingressa esset? Nam apud nos quoq; in Bœotia currus axem pro foribus comburũt, significantes sponsam intus manere oportere, tanquam eo sublato quod eam asportaturum fuerat.

QVID causæ est, quòd sponsam introducentes iubẽt dicere, Vbi tu Caius, ego Caia? An ita cum uiro quasi depacisci tur, ut omnia cõmunia sint & pariter imperẽt, nec aliud his uerbis ostenditur, nisi ubi tu dominus ac domus compos, sic ego domus domina atq; hera? His autem uerbis & alijs utuntur cõmunibus, quemadmodum legulei C. Seium & Lucium Titium usurpare solent, & philosophi Dionem, Theonẽ. An magis propter Caiam Cæ-

ciliam, honestam sanè mulierẽ ac bonam, uni ex Tarquiniij liberis collocatam, cuius in * Sanctæ templo statua ex ære posita est? inerant iampridem & sandalia & colus, pudicitiæ & industriæ suæ certa monumenta.

* M. Ancio apud Plinium lib. octauo, ca. quadragesimo octauo.

QVID est, quòd in nuptijs Talasij nomen crebro iactatur? An propter lanificium quod quasillum uocant Romani, & sponsam introducentes pellem substernunt, ipsa uerò colum secum infert & fusum, uiri autem ianuã lana coronat ac cingit? An illud uerum est quod historici tradiderunt? adolescentem quendam in rebus bellicis strenuum, & in primis præclarum, & alioqui uirum optimum, Talasium nomine, Romæ fuisse. Sed postea quum Romani Sabinorũ filias, quæ ad ludos uenerant, de composito rapuissent, uirgo egregia specie Talasio ferebatur à popularibus quibusdam & Talasij clientibus, etiamtum uiris quò tutius eam auferrent, nec quisquam accederet qui eam abstraheret uiolaretq;, puellã Talasio ferri? Reliqua igitur multitudo Talasij honoris causa bonis omnibus ac uotis puellam prosecuta ad Talasiũ deduxerunt. Ex illo quoniam nuptiæ felices fuissent, solenne permãsit, ut quemadmodum Græci Hymenæum, ita Latini Talasium ominis causa in nuptijs nominarent.

QVID est, quòd Maij mense circa plenilunium de ponte sublicio simulachra in Tyberim iacientes Argeos quæ deijciuntur appellant? An quòd antiquis temporibus Barbari ea loca incolentes Græcos quos ceperant, eo pacto interficerent? Herculem uerò postea admirati ab hospitum & externorum cæde abstinuerunt, docti ab eodem, ut ueterem morem ac superstitionem imitantes effigies in flumen abijcerent? nam ueteres Græcos omnes Argiuos æqualiter appellabãt. Nisi propter uicinitatem

tem Argiuos Arcadũ hostes Euãder existimãs, qui patriã fugiens ibi consedit, odium & inimicitias retinuit.

CVR ueteri more nemo foris cœnitabat præter liberos qui ætate puerili essent? An Lycurgus ut modestè, non intemperanter & beluarum more, hoc pacto quoq; pueros instituit ad phiditia deducens, sed uerecundè, ac prudenter uoluptates attingerent, quum maiores natu spectatores ac magistros haberẽt? Nec hoc quoq; minoris faciendũ, quòd in liberorum cõspectu uerecundiores multò parentes se exhibent & modestiores. Nam quemadmodũ præclarè à Platone scriptũ est, ubi senes impudentes sint, adolescentes quoq; turpissimos esse necesse est.

QVID est, quòd quum cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere & parẽtare cõsueuissent, Decius Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat? hic enim fuit qui primus Lusitaniã inuasit, quippe *Lythã flumen primus traiecit. An quemadmodũ uesperi et mense exacto multi parentare cõsueuerunt, sic in fine anni mense nouissimo mortuos honore & inferijs prosequebantur? Est autẽ omnium mensium December extremus. An quòd dijs inferis honor redderetur? quod tum fieri tempestiue uideatur, quum fructus omnes maturitatem sunt consecuti. An quòd quum sementem instituentes terrã subigunt, inferorum meminisse maximè oportet? An aliud potius, quòd is mensis Saturno à Romanis cõsecratus est, quẽ inferorum deorum numero habeant? An quòd Saturnalibus, quem diem Romani maximè colunt, quo uoluptati ac genio plurimũ uacãt, harũ rerũ nõnullas mortuis primitias impertiendas putauerũt? An solũ hoc mense Brutũ parẽtare solitum omnino falsum est? Nam Larentiæ mense Decẽbri ad eius sepulchrum libantes inferias faciunt.

*Lethen

QVID

QVID est, quòd Larentiam uulgatißimũ scortum tantopere uenerantur? Alia est enim Acca Larẽtia, quam Romuli nutricem esse ferunt. Huius enim diem festum mẽse Aprili agunt Romani, hanc autẽ Flauiam cognomento appellatã dicunt. Nobilitata est hanc ob causam. Aedituus quidam Herculis, ocio ut uidetur abundans, ludo ac tesseris diem cõterere solebat, sed quum forte ita accidisset, ut quibus cum ludere consueuerat, eorũ adesset nemo, ocioſus ac tristis deum ut secum luderet prouocauit, ea lege ut si uicisset, aliquid boni à Deo nanciscereturſin autem uictus fuisset, ipse Deo cœnam præberet, insuper speciosam adolescentulam, qua cum consuetudinem Hercules haberet, Deo cõpararet. Propositis tesseris quum & suam & Dei uicẽ iecisset, superatus est. Ex prouocatione igitur opiparam Deo mensam parauit, & Larẽtiam publicum tum temporis scortũ adhibuit, & in tẽplo discumbere iussam clausis foribus reliquit. Ferunt autem noctu cum muliere cõgressum nõ humanitus, ubi illuxisset, mulierem in forum progredi iußisse, & cuicunq; primo occurrisset, huic animum adhibere, & amicũ sibi adiungere. Larentiã statim surrexisse, homini locupleti occurrisse, natu iam grãdi ac cœlibi, cui Taurutius nomen est, qui mulieri matrimonio coniunctus, & uiuus rei familiaris potestatem ei fecit, & moriens testamento hæredem reliquit.

QVID est, quòd portam unã Fenestram appellant, apud quã Fortunæ thalamus qui dicitur positus est? An quia Seruius rex fecũdißima fortuna usus cũ filia rẽ habuisse creditus est, quũ per fenestrã ad eã penetraret? An hoc fabulosum, illud autẽ uerũ? Tarquinio Prisco Romæ regnante quum à pastoribus occisus esset, Tanaquil eius uxor, mulier sanè prudẽs & fortis, per fenestrã populum allocuta

allocuta, multitudini persuasisse dicitur, ut Seruũ regem declararent, ex eo factũ est, ut locus ille ita appellaretur?

CVR ex omnibus quæ dijs immortalibus offeruntur, sola sportula negliguntur, nec uetustate consumpta resarciunt aut reficiunt? An ideirco hoc faciunt, ut quum primis illis gloriam antiquatam esse, ac deletam putẽt, nouum aliquod ac recens uirtutis monumentum consequi ac parare studeant? An istud uerius, quòd quum inimicitiæ aduersus hostes signa tempore obscurentur, ipsos ea renouare inuidiosum & acerbum esse censent? Non enim qui primi apud Græcos æneum aut lapideum trophæum statuerunt, magnopere probati sunt.

QVID causæ est, quòd Metellus Pontifex maximus factus, alioqui prudens ac ciuilis, post Sextilem mensem, qui nunc Augustus dicitur, uetuit auspicari? An quòd quemadmodum die incipiente aut crescente, sic mẽsis initio ac incremẽto hæc agimus, reliquos autem tãquã ocioſos, & omni actione uacuos seruamus: Sic post octauum, reliquum anni tempus quasi uesperam quãdam etiam inclinantis & senescentis anni crepusculum putauerũt? An quòd adultis & perfectis auibus auspicandum? Sunt autem huiusmodi antequam ætas aduenerit: autumno enim aues aut imbecilles sunt & morbidæ, aut pulli & imperfectæ. Aliæ uerò propter anni tempus aliò deuolant.

CVR ijs qui sacramento non tenentur, licet in castris uersentur, tamẽ nec hostes prælio lacessere, nec ferire fas erat? Quod Cato senior in quadã epistola ostẽdit ad filium scribens. Monet enim si missus factus sit, & militiæ tempus compleuerit, ad urbem ut redeat, aut si remanere in exercitu uelit, ab imperatore impetret, ut sibi aduersum hostem pugnare & eum interficere liceat. An ideo est institutum

ſtitutum, quòd niſi neceßitate coactũ hominẽ occidere nõ liceat, quòd qui nec legitime, nec iuſſus faciat, homicida habendus ſit? Idcirco Chryſantam laudauit Cyrus, quòd hoſtẽ interfecturus quum iam gladiũ ſuſtuliſſet, & interrim receptui cani audiſſet, hoſtẽ omiſit, & quaſi prohibitus ictus abſtinuit. An qui cum hoſte cõgreſſus pugnã cõſeruit, ſi formidine captus trepidauerit, mulctandus eſt? nõ enim hoſtẽ feriendo ac ſauciando tantum profuit, quantũ fugiendo aut ſe recipiendo nocuit. Quicunq; igitur miſſus factus, militiæ ſacramẽto amplius nõ tenetur: qui uerò ut ea ſibi agere liceat quæ militantium ſunt petit, iterum ſe & legi & imperatori obnoxium facit.

CVR Iouis ſacerdoti ſub dio ungi fas non eſt? An quia nec liberos parentibus nudari, nec ſoceros cum generis lauari, nec honeſtum nec fas eſſe exiſtimabãt? Pater autem eſt Iupiter, & ſub dio in conſpectu eſſe quodãmodo Iouis putandum eſt? An ſicut in templo & ſacro corpus aperire nefas eſt, ſic aërem apertũ, & qui cœlo ſubiectus eſt, deorum ac dæmonum plenum uerebantur? quo fit quum neceßitati ſeruiendum eſt, multa ſub tecto occulte deorum conſpectum ueriti homines faciant. Sed alia ſoli tantum ſacerdoti, alia omnibus per ſacerdotem lex iuſſit. Quapropter apud nos quoque coronam geſtare, comam prolixiorem ferre, armatum ingredi, Phocenſium agros non inuadere, priuata ſunt eius qui magiſtratum gerit munere & officio: uuam autem ante æquinoctium autũnale non deguſtare, ſicut nec ante uernum æquinoctium uitem incidere, per magiſtratũ cõmuniter omnibus edicitur. Nam utriuſq; rei tempus illud eſt. Eodem pacto apud Romanos quoq; ſacerdotis propriũ eſt, ut nec equo utatur, nec plus quam tribus noctibus ab urbe abſit, nec pileũ deponere

deponere, ex quo Flamen dictus eſt: quanquam & alia permulta ſunt quæ per ſacerdotem omnibus indicuntur, ut eſt illud, ſub dio non ungi: nam niſi prius lauiſſent Romani, ungi moris non erat. Nec aliud quicquam Græcis ſeruitutem ac mollitiem attuliſſe putant Romani, quàm gymnaſia & palæſtram, quibus relangueſcant adoleſcentium animi, & penitus effœminentur. Hinc puerorũ amores gigni, hinc ſomno & deambulationibus iuuenum corpora corrumpi, hinc ſaltationibus & motu compoſito, & certo, ac delicato cibi genere debilitari. Quibus de cauſis ab armis ſe delapſos eſſe non intellexerunt, contẽtiq; prorſtrenuis, ac fortibus mulitibus ſe bonos palæſtritas & athletas bonos dici & haberi, ad ſummam inertiam mollitiemq; deſluxerunt. Hæc igitur ſi quis effugere ſtudet, in puluerem prodire, & ſub dio manere oportet. At qui domi & in umbra balneisq; & unctionibus molliter ſe curant, hæc omnia ſubire neceſſe eſt.

Flamen unde dictus.

QVID eſt, quòd ueteris numi altera pars Ianum bifrontem impreſſum habuit, altera prorã nauis aut puppim? An ut multi putant, honoris cauſa Saturni, qui naui in Italiam traiecciſſet? An hoc uulgare eſt, ac de multis dici poteſt? nam & Ianus, & Euander, & Aeneas nauibus in Italiam profecti ſunt: ſed illud potius quiſpiam coniiciat, alia eſſe in ciuitatibus quæ pulchra, alia quæ neceſſaria, maximũ uerò atq; omnium pulcherrimum iudicari bonitatẽ legum, longè uerò ex omnibus neceſſariam eſſe copiam & ubertatẽ. Quoniam uerò Ianus feros homines ad manſuetudinẽ traducens optimis legibus informauit, neceſſariam uerò rerum affluentiam fluuius nauigabilis ſuppediat, & partim ex agro ac uicinis locis, partim & lõginquis, ac mari deuchẽs, nihil quod ad uſum pertineat,

deſiderari

desiderari patitur, ideo numus ita signatus est, & ut legislatoris duplicem frontem propter uitæ cõmutationem, ut dictum est, & imaginẽ fluuij propter nauim præ se ferat. Altero quoq; usi sunt numo ouem bouemq; insignitũ habẽte, quod quidem numi genus erat insigne, & in primis documento, ueteres gregibus & armentis abundasse, quippe quorũ omnis substantia in illis esset collocata. Quo fit ut multi apud ueteres Syellij, Bubulci, Porcij appellati sint, ut Fenestella autor est.

QVAM causam esse dicemus, quamobrem Saturni ædem pecuniæ publicæ sacrarium esse uoluerunt? Nam ærarium est, & tabulas publicas in eo seruant, & ex eo Tabularium dicunt. An quòd fama obtinuit, Saturni tempore nec auaritiam, nec improbitatem usquam in hominibus fuisse, sed iustitiam & fidem? An quòd fructuum inuentor & agricolationis autor is deus fuisse memoratur? fulx enim id significat. Nec illud quod scripsit Antimachus Hesiodum secutus credendum est: Obliqua uerò falce patris Cælij pudenda Saturnus secans contra steterat. Fructuum uerò copia ac uenditio pecuniam gignit, quocirca felicitatis custodem & causam hunc habent deum.

Nundinæ. Testimonio sunt nundinæ, quæ cum nihil aliud sint nisi conuentus ex agro in urbem nono quoq; die conuenientium, Saturno consecratæ sunt: emendi enim ac uendendi copia fructuum principium attulit. An hæc iam uetustate obsoleuerũt, primus autem omnium Valerius Publicola exactis regibus ædem Saturni ærariũ declarauit, loci opportunitate deductus, quem & apertum, & ab insidijs tutum, & in primis munitum animaduertit?

QVID est, quòd legati undecũq; Romam uenerint ædem Saturni primò adeũt, deinde à præfectis ærarij ubi nomina ædiderunt, rescribuntur? An quòd Saturnus ipse externus externis hominibus delectatur? An hoc historia refellit? Antiquitus enim, ut uidetur, Quæstores legatis munera mittebãt, quæ Lautia dicebãtur, & ægrotos curabãt. Qui si morbo interijssent, sumptu publico sepeliebãtur. Nunc autem propter multitudinem legatorũ sumptus sublatus est, manet autem ut præfectos ærarij adeant, quibus nomina sua ædant, ac scribi faciant.

CVR Flamini Diali iurare non licet? An quòd tormenti genus quoddam est homini libero iusiurandũ? Flaminis autem corpus & animum intactum inuiolatumq; esse oportet? An quòd parua in re ei fidem nõ habere absurdũ est, cui diuina ac summa credita sunt? An quòd omne iusiurandum in periurij terminat imprecationem, execratio uerò omnis tristis, & abominanda: unde ne alijs quidẽ imprecari Flamines solent? Laudata est igitur Athenis sacerdos illa quæ populi iussu adduci non potuit, ut Alcibiadem execraretur: dixit enim, precandi se causa, nõ imprecandi sacerdotio præditam fuisse. An commune omnium periurij periculum est, si homo impius ac periurus uota pro ciuitate suscipiat?

QVID est, quòd Veneralibus, qui est dies Veneri festus, multũ uini ex templo Veneris profundũt? An illud est quod multi dicunt, Mezentiũ Hetruscorum ducẽ, ad Aeneam misisse, qui cum eo fœdus facerent, ut quotannis certum uini numerũ ab eo acciperet? Quod postea quum Aeneas poscenti negasset, pollicitum Tyrrhenis ferunt, si prælio uicissent, uinum daturũ. Re cognita, Aeneã dijs immortalibus uinum cõsecrasse, post uictoriam deinde collectum templo Veneris effudisse? An hoc quoq; signum est, diem festum sobrie agi oportere, quòd dij longè magis Veneralia.

nini effusione quàm ingurgitatione gaudeant?

QVID est, quòd ædem Hortæ maiores perpetuò *Antistichus apertam esse voluerunt? An quemadmodum* Antistius La-
Lacon. beo ait, quum sit hortari incitare, deam quodammodo ad
Hora. res pulchras adhortari atq; incitare, quæq; Horta dicere-
Horta. tur, quasi aliquid semper operantem ac nunquam cessan-
tem, nunquã clausam esse oportere putuerũt? An potius, ut nunc eam nominant, Horam productâ priore syllaba, circũspectam quandam & prouidam deam, quam quum res hominum curare & conseruare existimarunt, secordẽ aut negligentem minime putarũt? An quemadmodum & alia, sic & hoc nomen Græcũ est, & deam significat quæ rebus humanis præsideat? Vnde tanquam in somnijs ac peruigilijs perpetuò patebat eius templum. Et tamen si Labeo Horam ἀπὸ τῆς ὁρμητικῆς, hoc est ab incitando rectè dici putat, uide ne orator suasor quidam atq; adhortator in consilijs atque concione sic appellatus fuisse dicendus, non ut nonulli, à precationibus ac votis.

CVR ædem Vulcani Romulus extra urbem posuit? Vtrum propter Vulcani suspicionem, ut in fabulis est, ad-uersus Martem de Venere, Martis filium habitus deum eadem domo, & eadem urbe uti prohibuit? An hoc-stultius? Aedificauit autem ab initio curiam & consessum secretum sibi cum Tatio simul regnante, quò cum senioribus ac patribus conuenientes, sine ulla molestia & interpellatione de summis rebus per ocium cõsultarent. An illud potius, quum ad incendia superiori tempore urbs exposita esset, Vulcanũ quidem colendum, sed tamen urbe excludendum existimauit?

QVID est, quòd Consualibus equos & asinos coroniis exornãt, & ociari sinũt? An quòd Neptuno equestri diem

stri diem festum agunt, asinus autem propter equum pari fruitur licentia? An illud potius, quòd instituta nauigatione, quum multa nauibus uehcrentur, ocium quoddam, ac remissio iumentis data est?

CVR candidatos moris erat in uestc hoc facere sine toga? sic enim scribit Cato. An forte ne eiues largiendo corrumpant argentum sinu ferẽtes? An illud magis, quòd imperio dignos non genere, non diuitijs, non gloria, sed uulneribus ac cicatricibus iudicabant? quæ quidem ut ab his quos ambiendo prehensabant conspicerentur, sine toga ad petendum descendebãt? An quemadmodũ in accipiendo, rogando, se omnibus submittendo, sic corpus nudando, ac seipsos abijciendo populum captabant?

QVID quòd Flamen Dialis mortua uxore sacerdotio se abdicat? Sic apud Teium scriptum est? An quòd qui uxorem ducens postquam ipsam amisit, eo qui nunquam duxit multò est infelicior? Eius enim qui uxorem duxit domus integra est, eius autem qui uxorem in matrimonium acceptam amisit, nõ solum imperfecta domus est, sed imminuta prorsus ac manca. An eodem tempore uxor unà cum uiro consecratur, quemadmodum multa sunt in sacris, quæ absente uxore agi nequeunt? Priore autem amissa, alteram statim superducere tum difficile est, tum uerò iniquum atque impium.

QVARE nec uxorem repudiare antea licebat, nec nunc quidem, ut uidetur, licet? quanquam nostris temporibus permisit Domitianus. sacerdotes autẽ diuortio affuerunt, multa sanè horrenda, atrocia, tristia peragentes. Sed hoc minus mirum uidebitur, si quis hoc quoq; ex historia adiunxerit, altero ex Censoribus mortuo, alterũ à magistratu se abdicare oportebat. Mortuo enim Liuio Druso,

collega eius Scaurus Aemilius magistratu se abdicare minimè uolebat, donec Tribunorũ iussu i carcerẽ ductus est.

CVR Laribus, quos proprie præsides uocant, canis assistit, ipsi autẽ canum pellibus uestiuntur? An quòd præsides sunt qui præsunt, hos autem domus custodes esse oportet, & alienis formidolosos, sicut canes uidemus, mites uerò ac lenes mansuetosq; domesticos? An illud uerius est, quod à quibusdam Romanis dicitur, & Chrysippus opinatur, dæmonia quædam mala circumire, quibus dij quasi carnificibus & scelerum ultoribus aduersus iniustos & impios utuntur? Sic lares furiales quidam sunt, & pœnarum exactores, uitæ & operationum speculatores. Idcirco enim fit ut caninis pellibus induantur. Quibus & canis ideo assidet, quòd ad inuestiganda scelera, & ulciscendo improbos sagaces sint.

CVR Geneciæ mane rem diuinam cane faciunt, & optant neminẽ domi nascentium bonũ euenire? An quòd dea est Genecia, quæ corruptibilium rerum generationes ac fœtus procuret? Fluxum enim quendam nomen ipsum Γενικὸν. significat & generationem. Vt igitur Proserpinæ Græci, sic Romani Geneciæ pro ijs qui domi nascuntur canẽ immolant. Socrates autem dicit canẽ apud Argiuos Elioniæ propter partus facilitatem immolari, poculum uerò quod in precatione adhibetur, non pro ijs institutum hominibus qui domi nascuntur, ut eorum bonus euadat nemo: asperos enim & formidolosos canes esse oportet. An illud potius, quòd inutiles & elati mortui dicuntur, uocis obscuræ innuentes petere se, ut nemo domesticus moriatur? Neque hoc admirari oportet. Aristoteles enim in fœdere quod cum Lacedæmonijs Arcades pereußisse feruntur, scriptum fuisse dicit, neminem bonum facere auxilij

xilij causa qui Lacedæmonijs studerent, Thegeatarum, quod est neminem occidere.

CVR capitolijs spectacula ædentes nostris quoque tẽporibus pronũtiãt, Sardos uenales, & quidã senex producitur puerili cinctus monili, quã uocãt bullã? An quòd Veientes Hetruscorũ populi diu cum Romulo bellũ gesserunt, & hanc ultimã urbem expugnauit Romulus, & multos captiuos unà cum rege pronũtiauit, leuitatẽ eius ac stultitiam cauillatus? Et quoniam Lydi quidem ab initio fuerunt Hetrusci, Lydorum uerò Sardis caput fuit, idcirco Tuscos hoc modo pronuntiauerunt, & in hanc diem ridiculi causa hunc morem pro ioco habent.

QVID est quòd locum ubi carnes uendunt macellum uocant? An ἀπὸ τοῦ μαγέιρου corrupto nomine, ut alia multa, sic & hoc usus obtinuit? Apud Latinos enim κ cum γ quadam cognatione cõiungitur. Nouissime enim Romani adhibuerunt, autore & inuentore Carbilio Spurio: & qui propter hæsitantiam linguæ r proferre nõ possunt, ad l delapsi balbutiendo proferunt. An & hoc quoque per historiam soluendum? Fertur enim Romæ ferocem quendam hominem ac ferum, quum latrocinium exerceret, multis occisis tandem deprehensum & captum supplicio affectum fuisse: huic nomen fuit Macello, cuius ex pecunia postea ædificatum est macellum, & ab eo nomen inditum. Macellũ unde dictum.

QVID est, quòd Idibus Ianuarijs permissum est, ut tibicines muliebri habitu urbem lustrent? An propter causam quæ dicitur? Magnis enim ut uidetur fruebantur honoribus, quos illis Numa Pompilius propter sanctitatem, ac deorum cultum contulerat. His postea per Tribunos consulari potestate spoliati, urbe excesserunt, quos

quum uehementer requirerent, nam religione tangebãtur animi, quòd sine tibijs rem diuinam facerent, quam primũ reuocandos censuerunt. Sed quum accersiti non apparuissent, ac Tybure, quò se initio contulerant, manere uelle se dicerent, libertus quidam clàm magistratus adijt, seq; eos reducturum pollicitus est. Conuiuio igitur laute & opipare apparato, quasi rem diuinam fecisset, tibicines inuitauit. Aderant in conuiuio mulieres, nox insomnis ducitur, saltationibus ac iocis omnia perstrepunt. Tum derepente quum libertus patronum adesse diceret, & uehementer perturbatus uideretur, hominibus persuasit, ut statim currus conscenderent pellibus circutectos, ac Tybur perueherentur è uestigio. Hoc autem dolo faciebat, nam quum ignaris illis, & per noctem ac uinum nihil cernentibus, currus circunduxisset, omnes antequam illuxisset, Romam præter opinionem reportauit. Erant autem eorum plerique ornatu mulicbri propter comessationem ac uigilias ornati. Sed posteaquam persuasi à magistratibus & planè reconciliati sunt, institutum est eo die, ut eodem habitu ornati per urbem incederent.

QVID est, quòd Carmentis ædem matres ab initio ædificasse existimãtur, & nunc deam maximè uenerãtur? Ferunt enim mulieres senatusconsulto uehiculis uti prohibitas inter sese cõspirasse, ne qua earum conciperet, ne páreret, atq; ita uiros ulciscerẽtur, donec coacti sententiã mutauerũt, atq; uti permiserunt. Natis deinde pueris, quũ & multitudine liberorũ & bonitate felices fuisse uiderẽtur, Carmentis ædẽ ædificauerunt, quam puto Euãdri matrem fuisse dicunt, & in Italiam uenisse, quum Themis uocaretur. Aut quemadmodũ aliqui, Nicostratam, quoniam uersibus oracula ædebat, Carmentam mutato nomine uocauerunt

cauerunt. Nam τὰ ἔπη Romani carmina appellant. Sunt qui μοῖραν, hoc est sortem & fatum Carmentam putẽt, & ob eam rem matres rem diuinam facere. Est autẽ nominis uera ratio, ἐκφερομένων ἀπὸ τῆς διαφθόρου, id est mẽte primata propter afflationes. Non Carmenti nomen carmina indiderũt, sed ab ea potius acceperunt, diuino nanq; spiritu afflata, uersu ac metro oracula ædebat.

QVID est, quòd Ruminæ rem diuinã facientes, hostijs lac spargere & libare consueuerunt, uinum autem non adhibent? An quòd Latini rumam mãmam nominãt, & ficum ruminalem ideo fictam ferũt, quòd ibi lupa Romulo mammam præbuit? Quemadmodum eas igitur quæ pueros alunt, à mãma diximus θηλάσας, sic rumina nutrix quædam, & puerorum altrix, merũ infantibus præcipue noxium prorsus non recipit.

CVR senatores alios Patres conscriptos, alios tantum Patres appellabant? An eos quos ab initio Romulus delegerat patres ac patricios nominabãt, quasi bonis parentibus natos, reliquos deinde ex plebe electos & adscriptos in senatum, Conscriptos uocitarunt?

QVID est, quòd Herculi ac Musis cõmunem aram statuerunt? An quòd Hercules Euandrum literas docuit, sicut Iuba monumentis tradidit, quòd honestũ & honorificum duceretur, amicos ac propinquos docere? Nouissime nanq; institutum est, ut mercede discipulos docerẽt. Quippe omniũ primus Sp. Carbilius ludum aperuit, eius libertus qui & ipse Carbilius appellatus, primus omnium Romanorum uxorem repudiauit.

CVR quum duæ sint Herculis aræ, mulieres non attingunt, nec quicquam degustant quod super ara magna immolatum sit? An quia Carmentis sacrificij tempus

non obijt? Quod quidem Pinariorum generi accidisse dicunt, ex quo quia uescentibus cæteris, dapibus prohibiti sunt, Pinarij sunt appellari. An propter illa potius quæ de ueste ac Deianira fabulose dicuntur?

CVR deum illum, cuius in tutela urbem esse dicunt, siue masculus is est, seu fœmina, & quærere & nominare nefas esset? Hoc enim ita esse, religione cõfirmant, Valerium Soranum malè perijsse dicentes, quòd numinis nomen efferre ausus est. An quòd Latinorũ quidam monumentis tradiderunt, euocationes quasdam, ac deorum ueneficia esse putauerũt: quibus quoniam ipsi hostium deos euocare, & ad se traducere cõsueuissent, ne idem ipsi paterẽtur, magnopere uerebantur? Quẽadmodũ igitur Tyrij uincula statuis inijciunt, alij uerò sponsores petere dicuntur, si quẽ ad lauacrum aut purgationẽ aliquam deducunt, sic Romani quod arcanũ & incognitum esset, firmißimam ac tutißimam dei custodiam esse crediderũt. An sicut Homerus finxit, Terra uerò cõmunis est hominum, ut homines deos omnes colant ac uenerentur terrã communiter habentes, sic ueteres Romani deum salutis autorem celauerunt, quòd non eum solum, sed omnes deos à suis ciuitatibus honorari uoluerunt?

QVID est, quòd fœcialium sacerdotum, qui fœderibus faciẽdis præsunt, pater patratus maximus habetur? Pater patratus.

Est autẽ is cui pater est, & cui filij sunt: habent enim nũc quoq; præcipuam quandam fidem & autoritatem. Imperatores enim quæ propter eximiam pulchritudinẽ ac speciem pudica & diligenti custodia corpora indigent, his credunt, & apud eos deponunt. An quòd utrunque illis adest, & pueros uereri, & patres timere? An ipsum se nomen exponit? Vult enim patratum quasi finitum ac determinatum quiddam significare. Illud cæteris perfectius sit, cui contingit simul ut & pater esset, & patrem haberet. An, ut ait Homerus, qui paci præsit, eum & antè & retro cernere oportet? cuiusmodi profectò is esset cui & filius est de quo deliberat, & pater quem consulit.

QVID est quòd regi sacrificulo (is enim est rex sacrorum ac religionum) nec magistratum gerere, nec cõcionem habere licet? An quòd antiquis temporibus reges plurima & maxima sacra facere consueuerunt, & sacerdotibus rem diuinam faciẽtibus aderant? Pòst ubi graues & insolentes esse cœperunt, Græci quidem pleriq; licentiã regibus ademerunt, ius & potestatem sacrificãdi tantummodo reliquerunt, Romani autẽ regibus penitus exactis alium rebus diuinis præfecerunt, cui nec magistratum habere, nec cum populo agere permiserunt, ut in templis solum consultare uideantur, & regnum propter deos sustinere. Est igitur in comitio quoddam sacrificij genus, quod ubi rex peregit, ex foro se proripit.

QVID est, quòd mensam uacuam tolli non sinebant, sed omnino quum aliquid etiam superesset? An illud interpretantes, aliquid semper in futurum de eo quod nũc adest relinqui oportere, & per hodiernum diem crastini meminisse? An quòd urbanum atq; elegans putarẽt, comprimere atq; inhibere appetitum, etiam quum uoluptate perfrui liceret? Minus enim quod abest cupiunt, qui præsentibus ac paratis abstinere consueuerunt. An & aduersus seruos humana consuetudo? Non enim tantopere gaudent serui si acceptũt, quàm si participes fiant, quòd mẽsam sibi cum dominis quodammodo cõmunicatam esse putant. An quòd nihil sacrum, inane, ac uacuum negligere oportet, mensa uerò sacra est?

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVID est, quòd maritus primò sponsæ non in luce, sed in tenebris iungitur? An quia eum pudet, quòd antequam cocat alienam putat? An & ad propriam uerecunde accedere meditans, & assuefaciës? An quemadmodum Solon scripsit, sponsam malo cydonio degustato thalamum ingredi solitam, ut primus complexus nihil triste aut iniucundum haberet: sic Romanus legislator, si quid absurdum ac deforme corpori aderat, occultauit? An calumnia quædam & accusatio illicitæ Veneris erat, quod fiebat quum legitimis ac iustis connubijs pudor quidam & uerecundia adhibebatur?

QVID est, quòd circus Flaminius dictus est? An quòd Flaminius quidam priscus quum ciuitati agrum reliquisset, equestribus ludis eius fructu & uectigalibus utebantur? Nam quum pecunia supperet, uiam quoq; Flaminiam munierunt.

Lictores unde dicti. CVR lictores dicti sunt? An quòd petulantes colligabant? Hi enim lora in sinu gestantes Romulum sequebantur. Μορίνειν autem alligare plerique Latinorum dicunt? qui autem purè loquuntur, ligare. An e interpositum est, quum antè sine e litores dicerentur, quasi publici quidam ministri? Nam λεῶς nostris etiam temporibus publicum est, multis Græcorum legibus scriptum esse nemmem, ut ita dicam, latere puto.

Luperci. QVID est, quòd luperci canem immolant? Luperci autem sunt qui Lupercalibus per lasciuiam discurrentes pellibus obuios cædunt. An quòd genus quoddam lustrandæ ciuitatis est, & quo mẽse illa fiunt Februarius dicitur, & die quo pellibus occurrentes uerberant, Februarium & Februarium uocant, quo uerbo purgatio significatur? Cane autẽ omnino, ut ita dicam, Græci utebantur, & multi

& multi etiam nunc in purgationibus canem iugulant. Proserpinæ quoque catulos cum cæteris purgamẽtis efferunt, & eos qui expiandi sunt, catulis expurgant, hoc piaculi genus περισκυλακισμὸν, id est circuncatulationem appellantes. An quòd lycos lupus Latinè dicitur, λύκαια uerò Lupercalia, & lupo canis est hostis, & idcirco Lupercalibus cæditur? An quòd Lupercis canes oblatrantes molesti sunt? An quia Pani sacrificium facit, Pani autem propter greges amicus est canis?

QVID est, quòd Septimontio uehiculis iunctis uti cauebant, & nunc etiã qui uetera nõ contemnunt cauẽt? Septimontium uerò diem festum agunt Romani, quòd quum septimus collis urbi attributus est, septicollis Roma facta est. An ut quidam Latini accipiunt, quòd urbs nondum suis partibus penitus coniuncta erat? An hoc quidẽ ad Dionysium est: Magna uerò re effecta, constituta ciuitate, quòd urbem iam augeri, & quasi ulterius progredi desisse existimarent, cum seipsas, tum uerò iumẽta quibus fuerant usi quiete affecerunt, & communis festi ocio frui uoluerunt? An quòd quum omnes dies festos ciuium præsentia ornari ac celebrari semper uoluerũt, tum illum præcipue qui propter ciuitatis habitationem ageretur? Quapropter ne urbem cuius dies festus ageretur, relinquerent, eo die uehiculis uti permissum non est?

CVR in furto, aut eiusmodi aliquo flagitio deprehensos, furciferos appellãt? An hoc quoq; maiorũ nostrorum diligentiæ certissimũ signũ est? Nam qui seruum alicuius sceleris aut improbitatis conuicisset, duplex lignum quod currui subijciunt attollere iubebat, & ut conspiceretur uiciniam obire, ut fidem in posterum ei non haberent, & ab eo cauerẽt. Hoc lignum Græci φουρκὸν, Latini Furciferi.

furcam

Universidad de Deusto
Biblioteca

furcam nominant, à qua furcifer denominatus est.

QVID est, quòd boui qui cornu petat, fœnum in cornu apponunt, ut occurrentes caueant? An quia propter repletionẽ ac satietatẽ insolescũt & boues, & equi, & asini, & homines, ut ait Sophocles? Tu uerò ferues quasi pullus cibi copia: Venter etenim tuus & malè insolescit. Ex quo Romani M. Crassum fœnum in cornu habere dictitauerunt, & qui cæteros in Repub. lacerabant, hunc tanquam munitum ac prouidum et iniuriarum persequentissimum fugiebant: quanquã postea rursus dictum est, Cæsarem Crassõ fœnum detraxisse. Primus enim illi in Republica restitit Cæsar, & eum contempsit.

QVID est, quòd in captandis augurijs sacerdotes prius auspices, nunc augures appellant, lunonaria semper aperta habere uoluerũt, nec operculo impositò claudi? An sicut Pythagorici parua magnarũ rerũ signa faciebant, qui super modio sedere prohibebãt, & ignem gladio seu machæra fodere, sic ueteres obscuris quibusdã rationibus utebantur, & maximè in sacerdotijs, quale hoc est de lucerna, quam corpori animã continẽti simulem esse dicunt. Lux enim est is qui intus est animus. Oportet autem quod intelligens est ac prudens in eo, id semper apertũ esse, nec unquam clausum esse. Flantibus enim uentis aues nõ consistunt, & propter instabilitatem & errorem nihil certi significant. Docent igitur hoc pacto, ut non spirantibus uentis, sed quum omnia tranquilla sunt, tunc augures auspicia captent, quum lychnis apertis uti nequeunt.

CVR augures si ulcus haberent, inaugurandi causa sedere prohibebantur? An & hoc signum est, nõ oportere qui morsum aliquẽ, aut ulcus, & perturbationẽ in animo haberent, res diuinas tractare, sed tum deorũ mentem hominibus

hominibus prodere, quum & liquido & integro animo essent? An illud rationem habet, si neq; uictimam sanan di ulceris causa quisquam adhiberet, nec auibus ulceratis ad auspicandum uteretur, ea multò magis in seipsis seruanda existimasse, ut ad ea quæ à dijs significarẽtur, puri & integri accederent? Vlcus enim diminutio quædam & pollutio corporis uidetur.

Fortunæ uaria cognomina.

QVID est, quòd paruæ fortunæ ædem, quam breuẽ uocant Romani, ædificauit Seruius Tullius, qui tertius Romæ regnauit? An quòd ipse paruus initio & abiectus, quippe qui ex captiua matre natus esset, fortunæ beneficio Romæ regnauit? An hæc ipsa commutatio magnitudinem potius fortunæ ostendit, quàm paruitatem? Videtur autem Seruius maximè omnium fortunæ uim extulisse, & diuinam indicasse: quippe qui omnibus actionibus ac negocijs eius nomen adscripserit. Non solum enim fortis fortunæ, & mala auertentis, & blandæ, & primogeniæ, & masculæ templa ædificauit, sed est unum propriæ fortunæ templum, aliud conuertentis, aliud bene sperantis, uirginis aliud. Quorum cognomenta quis persequi posset? quum fortunæ uiscatæ templum sit, quasi ab ea nos procul capiamur, et negocijs ac rebus inhæreamus? Sed uide ne Seruius casuũ mometa perspiciẽs, & ad ea plurimũ posse cognoscẽs, quippe quũ multi sæpe quòd paruũ quiddã uel accidit, uel non accidit, maximas res uel assecuti sunt, uel assequi nõ potuerũt, idcirco paruæ fortunæ templũ statuit, docens homines diligenter attendere, nec ea quæ accidũt quãuis parua sint, contemnere.

CVR lychnum non extinguebãt, sed per se languescere & deficere permittebãt? An quasi inextinguibilis & immortalis illius ignis cognatum & affinem colentes?

An

Ignis animal.

An & hoc quoque signi est, non oportere quod animatum sit, nisi noceat, corrumpere, ne'ue interficere, quasi animal ignis sit? nec immeritò: nam & alimẽto indiget, & per se mouetur, & quum extinguitur uelut occidatur nocem emittit? An hoc more docemur, non oportere nec ignem, nec aquam, nec eorum quicquam quæ ad usum pertinent, etsi abunde suppetant, corrumpere aut consumere, sed indigentibus utenda relinquere quum ipsi iam illis opus non habeamus?

QVID est, quòd qui nobilitate præstare uidentur, lunulas in calceis ferunt? An, ut dicit Castor, signũ est eius quæ in luna esse dicitur habitationis, & quòd post mortem animi rursus lunam sub pedibus habebunt? An quòd antiquissimis præcipuum fuit, qui fuerunt Arcades, ab Προσέληνοι. Euandro Proseleni appellati? An sicut alia multa, sic & hoc elatos homines ac superbos admonentes rerum humanarum instabilitatis, cuius rei luna exemplò sit, quæ ab obscuro primum prodit, tum progrediens luce ac splendore os suum complet, & quum clarissima facta sit, rursus desloresc it & ad nihilum redit? An hoc potius modestiæ & obedientiæ disciplina quædam erat, ut dicto audientes esse, & imperium æquo animo ferre condiscerent? & quemadmodũ luna meliori obsequi, & solẽ, ut inquit Parmenides, semper intueri solet, sic homines secundũ locum tenere cõtenti, duci primas partes relinquere, ut honore ac potestate per illum fruerentur?

QVID est, quòd annum Iouis esse putant, menses Iunonis? An quòd deorum, qui mente intelliguntur, Iupiter & Iuno imperium gerunt, eorum uerò qui oculis cernuntur Sol & Luna? Sol enim annum conficit, Luna uerò menses. Oportet autem non has illorum simpliciter imagines

imagines putare, sed ipsam in materia Iunonem Lunam. Quocirca Iunonem eam nominant Romani, quod nouum aut nouius significatur, à Luna scilicet, quam eandẽ & Lucinam uocant, quasi ipsam lucidam, ut lucem præbentem: & in partu ac doloribus adesse opinantur tanquam Lunã, ut est apud poëtam: Per nigrũ poli & astrorum, per Lunam celerem partum præstantem. Nam pleniluniò facilè partu leuari mulieres uidentur.

QVID est, quòd auspiciorum quod sinistrum dicitur, prosperum ac fœcundum putatur? An hoc falsum est, & multos decipit? an hoc sermonis est ac linguæ? ἀνσπίστρ enim sinistrum uocant Latini, ἀφέντα autem sinere, & Sine tum dicũt, quum ut aliquid missum fiat & dimittatur, hortantur. Augurium igitur, quo aliquid agi permittitur, sinistrum non rectè accipiunt multi ac nominant. An quemadmodum à Dionysio scriptũ est, Ascanium Aneæ filium auspicatò aduersus Mezentium aciẽ instruxisse, & in eo prælio superiorem fuisse, ex illo obseruatum, ut quoties læuum intonuisset, auspicium susciperetur? An quòd alij putant, hoc Aneæ accidit? Nam Thebani Lacedæmonijs apud Leuctra sinistro cornu superatis victoria potiti, in omnibus prælijs postea obseruarunt, ut sinistro cornu principatum assignarent. An illud potius asserendum est, quod Iuba in historia dicit, Orientem prospicientibus sinistra parte Boreã esse, quam mundi partem multi dextram ac superiorem faciunt? Sed uide ne quum sinistræ partes natura infirmiores sint, augurijs ac signis quasi corroborentur, atq; his mire suppletis uiribus adæquentur. An terrena ac mortalia diuinis ac cœlestibus contraria & opposita iudicantes existimauerunt, quæ nobis sinistra essent deos à dextra dimittere?

Quid

QVID est, quòd eius qui triumphasset, deinde combustus esset, licebat os capere, & in urbē deferre ac depo-
Pyrrho Liparæus. nere, ut Pyrrho Liparæus scriptū reliquit? An hoc mortui honoris causa factū est? Nam & alijs ducibus, & qui bene rē gessissent, idem tribuerunt, ut non ipsi solū, sed posteri quoq; in fōro sepelirentur, sicut Valerio & Fabricio. Ferunt autē horum posteris mortuis & in fōrū delatis, ardentē facem subijci, & statim attolli, ut sine inuidia honore utantur, & tantummodo sibi licere confirment.

QVID est, quòd triumphantes in publico Romanis conuiuium exhibentes Consules inuitatos ne in conuiuium accederent, rogabant? An locum honestißimum triumphanti assignari, & post cœnam ab omnibus deduci oportebat, quæ præsentibus Cōsulibus alij tribui non possent?

QVID est, quòd Tribunus purpuram non portat, quum cæteri magistratus purpurati incedant? An quòd Tribunus omnino magistratus non est? nam nec lictores habet, nec in sella curuli sedentes ius dicunt, nec in initio omnino, sicut cæteri magistratus, magistratum incunt, nec creato Dictatore potestatem deponunt: sed quum omnis potestas & imperium ad Dictatorem redeat, soli omnium magistratum retinēt, quasi imperium nullum gerentes, & alium quendam in Republica locum obtinentes? Quemadmodum autem præscriptionē quidam rectores statum esse nolunt, quippe quæ non iudicium constituat, sed dissoluat & euertat, sic Tribunū magistratui & imperio potius opponi quàm ipsum tribunatū esse. Nam potentiæ magistratus obsistere, & nimiam licentiā comprimere, tribunitiæ potestatis ac licentiæ fuerat. An hæc & his simulia ab eo dicātur, qui rebus inuenidis studeat?

Tribunatus

Tribunatus autem quum à populo originē ducat, popularē in primis uideatur, reliquis ciuibus parē se gerere, et in omni cultu ac uictu infimis ciuium cōparari? Magnitudo enim ac moles Consulem decet & imperatorē, Tribunum uerò, quemadmodum C. Curio dicere solebat, abiectum esse, nec aspectu grauem, nec aditu difficilem, sed facilem, ac multitudini commodum & tractabilem. Vnde nec domus tribunitiæ ianuam claudi mos erat, sed noctu & interdiu semper tanquam portus quidam ac profugiū, quibus opitulandum esset. Verum quo humiliore corporis habitu deprimitur, eo magis ui ac potestate augetur. Communem enim Tribuni usum ac nemini clausum sicut æram postulant, honore autem sacrosanctum.

QVID est, quòd Prætorum uirgæ securibus alligatæ præferuntur? An signum est, non oportere magistratus iracundiam promptam, ac dissolutam esse? An uirgarum dissolutio mora & tarditate iram frangit, & impetū moderatur? sed malitia quoniam partim medicabilis est, partim curari non potest, uirgæ quod mutari potest corrigunt, secures autē quod emendari non potest abscindunt.

QVID est, quòd quum Romani Barbaros quosdam dijs immortalibus hominem immolasse accepissent, magistratus eorum accersendos ac puniendos putauerunt, quos postea, quum id consuetudine quadam ac lege fecisse accepissent, eos dimiserunt, aliàs id facere prohibuerunt, quū ipsi non multis annis antè duos uiros, & duas mulieres in fōro boario uiuos obruerunt? Non enim uidetur conuenire, ipsos hæc facere, & Barbaros qui talia commissent reprehendere. An dijs immortalibus hominem immolare impium ducebatur, dæmonibus autem necessarium? An qui more & lege id agerent, peccare arbi-

trabãtur, se uerò libris Sibyllinis iussos eodem teneri scelere non putabant? Ferunt autem Elbiam quandã uirginẽ quum equo ueheretur, fulmine ictam fuisse. Inde nudam equum ac iacentem inuentum esse, nudam & ipsam uestę quasi de industria à pudendis subtracta, calceis, anulo & reticulo passim disiectis, & ore lingua proiecta. At re ad diuinatores delata, quum sacris uirginibus maximũ dedecus impenderet, & eius rei ignominiam ad equites redundaturam prædixissent, barbari cuiusdã equitis seruus indicium fecit, tres Vestales, Aemiliam, Liciniam, Martiam sub idem tempus corruptas, diutissime cum uiris rem habuisse: quorum unus esset *Vetusius barbarus, eius qui indicium fecisset dominus. Vestales igitur redarguitæ supplicio sunt affectæ. Sed quum res atrocior usa esset, decreuerunt ut sacerdotes Sibyllinos libros inspicerẽt. In quibus inuentum fuisse dicunt, hæc magno Reipublicæ malo futura, & iubere, ut absurdis quibusdam deis & externis auertendæ rei causa Græcos duos, ac totidem Gallos immolarent, & in loco eodem defoderent.

*Veturius

CVR diei principium de media nocte numerant? An quòd R. P. ab initio militari more & instituto constitutus est? In re militari autem multa noctu utiliter occupantur? An diei ortum agendi principium esse uoluerũt, noctem uerò consilij & apparationis? Oportet autem præparatos rem aggredi, non agentes præparari, ut ad Chilonem unum ex septem dixisse fertur Myson, dum per hyemem uannum conficeret. An quemadmodum meridies finis est multis Reipublicæ gerendæ, sic noctem intempestam actionũ omnium initium oportere statuerunt? Cuius rei maximum argumentum, magistratum Romanum post meridiem fœdus facere non solere. An occasu quidem & ortu

ortu principium & finem diei capere licet? Nam si multitudinis iudicio principium diei quum sol emergere cœperit incipit, noctis uerò initium quum penitus occiderit terminauerimus, æqualitatem diei ac noctis, quod æquinoctium dicimus, non habebimus. Quam enim noctem diei parem paximè uidemus, ea die cui comparatur solis spatio ac magnitudine breuior reperietur. Nã quod mathematici afferunt, & huic rei medicinam afferentes, diei ac noctis ueriſsimam rationem constituunt centrum solis cum finientem attingat, omnem cuidentiam & claritatem funditus tollit. Necesse est enim accidere, quum multũ lucis etiam sub terra sit, & nos radijs suis iam sol undiq; collustret, ut diem nondum esse fateamur. Quare quam ob dictas causas ortus diei & occasus principium difficilime capi possit, relinquitur aut ut medium diem, aut mediam noctem principium diei statuamus: potius autem secundam. Fertur enim à nobis à meridie ad occasum, à media uerò nocte ad orientem ad nos redit.

QVID est, quòd ueteri more uxores nec molere nec coquere permittebant? An ueteris aduersus Sabinos fœderis memoriam colentes? Nam post filias Sabinis raptas, facta pace, & societate inita, in fœdere nominatim exceptum est, uxorem uiro Romano nec molere, nec coquinariam facere.

CVR mense Maio uxores non ducunt? An quòd inter Aprilem & Iunium medius interiectus est? Quorum quũ alter Veneri, Iunoni alter dicatus sit, deabus scilicet quæ nuptijs præsunt, aut parum antè capiunt, aut parum expectant? An quòd hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modò de ponte abijcientes, quum prius homines consueuissent? Vnde flaminicam Iunonis sacerdotem

triſtem eſſe eo tempore, quippe quæ eo menſe nullo cultu utitur, moris eſt? An quòd pleriq; Latinorum hoc menſe mortuis parentant, & ob eam cauſam Mercurium quoq; eodē menſe uenerantur, qui Maiæ cognominis eſt? An ut quidam dicunt, Maius à maioribus natu appellatus eſt, Iunius à iunioribus? Nuptijs uerò accommodatior eſt iunior, ut inquit Euripides. Nam ſenectus Venerem ualere ſinit, ipſaq; Venus ſenibus infenſa eſt. Abſtinent igitur nuptijs Iunium expectantes, qui Maiū deinceps excipit.

CVR eorum qui uxores ducunt comā haſtæ cuſpide diſcernunt ac diſcriminant? An ſignum eſt, prima connubia uiolenta fuiſſe? An ſtatim diſcunt uxores uiris fortibus & bellicoſis coniunctæ, ſeuerum & nunimè effœminatum, & tenuem cultum ac uirilem ornatum probare, quemadmodum Lycurgus in foribus & tectis parietem facientes terebra tantum ac ſecuri utendum, alijs inſtrumentis abſtinendum ratus, omnem intemperantiam, & ſuperfluos ſumptus funditus ſuſtulit? An diuortium ea re ſignificatur, quòd ſolo ferro nuptiæ dirimendæ ſint? An illud magis, quòd pleraque ad connubium pertinentia Iunoni attribuebant? Nam & haſtam Iunoni conſecratum eſſe exiſtimant, & eius ſtatuæ ut plurimum haſtæ innixæ cernuntur. Quippe quam Curim appellant ueteres: Nam curis antiquo nomine haſta dicebatur. Hinc & Curim Martem nominatum eſſe dicunt.

CVR quod in ſpectacula impēditur, Lucar uocant? An q; alia multa quoq; circa urbē ſunt loca dijs attributa, quæ appellant Lucos, quorū prouētus in ludos conferūt?

QVID eſt quòd Quirinalia ſtultorum feriat, nominant? An quòd hunc diem, ut Iuba dicit, ijs aſſignauerūt, qui cuius eſſent tribus ignorarent? An ijs qui, ut nonnulli, tributim

tributim Fornacalibus rem diuinam fecerunt, quòd aut impediti fuiſſent, aut aliquò peregrè profecti aut deniq; diem ignoraſſent, hoc tempore recuperandi illius feſti poteſtas data eſſet?

CVR rem diuinā Herculi facientes alium deorū appellant neminē, nec canis, ut à Varrone ſcriptū eſt, in urbe apparet? An ideirco alium deum appellant neminē, quòd hunc ſemideum putant? Vt alij tradunt, quum etiam inter homines ageret, Euandrei aram ſtatuit, & rem diuinam fecit: nihil autem omnino fuit, cui Hercules infeſtior eſſet quàm canis, qui ei ſæpe moleſtus fuiſſet, & in primis Cerberus. Deniq; Licinio puero per canem occiſo, ab Hippocoontidis coactus prælio decertare, multis ea pugna ex amicis interfectis, Iphiclum fratrem quoq; amiſit.

QVID eſt, quòd circa Capitolium patricio habitare licet nemini? An quòd Marcus Manlius ibi habitans regnum affectaſſe deprehenſus? Ex quo lege interdictum eſt, ne quis poſtea ex ea familia Manlius diceretur? An antiquus fuit hic metus? Publicolam enim ut nobiliorē calumniari, hominem in primis popularem, non deſiſtebant, ita multitudo tandiu timuit, donec eandem, quam in ſumma Velia ædificabat, quòd nimis foro immineret, fundi tus euertit?

CVR qui ciuem in prælio ſeruaſſet, corona querna donabatur? An quòd ubique in expeditionibus facile ſit quercū inuēire? An quòd Ioui & Iunoni, quos urbi præſidere putant, corona conſecrata eſt? An uetus ab Arcadibus mos acceptus eſt, quibus eſt quædam cum hac arbore cognatio? Vt enim primi homines ex terra Arcades, ſic quercus prima ex omnibus plantis nata.

QVID eſt, quòd in augurijs uulture potiſſimum

utuntur? An quia Romulo in condenda urbe duodecim uultures apparuerunt? An quòd uultur rarißimè cõſpicitur? Non enim facilé quißpiam uulturis nidum offendat, ſed porrò derepẽte & inopinatò aduolant: quo fit ut eorum aſpectus aliquid ſignificet ſemper. An & hoc ab Hercule didicerunt, ſi uerũ eſt quod dicit Herodotus, in omnibus rebus gerendis Herculem primo uulturis aſpectu in re incipiẽda delectatum fuiſſe, quem ex omnibus quæ carnibus ueſcerentur uolatilibus iuſtißimum eſſe iudicaret? Primũ enim nihil quod uiuat attingit, nec animatũ quicquam interficit, quemadmodum accipitres, aquilam, omnes denique noctiuagas aues uidemus. Veſcitur autem cadaueribus, in quibus a ſui generis abſtinet. Vulturem enim qui aui ueſcatur adhuc uidit nemo. Accipitres enim & aquilæ ſui generis aues conſectantur ac feriunt: quanquam, ut ait Aeſchylus, auis auem comedens quo pacto pura eſſet? Præterea quæ munus detrimenti, ut ita dicam, hominibus afferat, auis prorſus nulla reperitur: quippe quæ nec fructus deleat, nec plantã lædat, nec manſueto cuiquã noceat animali. Quòd ſi, ut Aegyptij fabulantur, uultures omnes fœmnæ ſunt, & quẽadmodũ Zephyro arbores, ſic ulturres Euro grauidæ fiant, certa nimirũ & firma ulturibus ſigna fieri ueriſimillimũ eſt. In alijs autẽ uolãdi impetus, & alarum in coëundo agitationes ac uerbera, rapinæ, fugæ, inſectiones, multũ inconſtantiæ perturbatæ afferunt.

CVR Aeſculapij ædes extra urbem poſita eſt? An quòd foris ſalubrius quàm in urbe habitare crediderunt? Nam Græci quoque in excelſis ac puris locis Aeſculapij templa planè collocant. An quòd deum ex Epidauro accerſitum in urbẽ commigraſſe opinãtur? In Græcia enim non in urbe, ſed procul ab Epidauro Aeſculapij templum eſt.

eſt. An quòd dum draco ex naui in inſulam deſcendiſſet, & ex oculis euanuiſſet, ipſum eo in loco ædis ponendæ autorem ac præmonſtratorem fuiſſe putauerunt?

CVR moris eſt, ut qui caſtimoniam colunt, legumi-nibus abſtineant? An quemadmodum Pythagorici fabas, ob eas quæ uulgo dicũtur cauſas abominabãtur, quaſi Lethes & Herebi cognomines? An quòd ad concœnationes, & manes prouocandos leguminibus maximè utuntur? An illud magis, quòd ad ſanctitatem ac caſtimoniam pura ac tenuia corpora habere oportet? Sunt autem legumina maximè uentoſa, & ea gignunt quæ quum ſuperflua ſint, multæ purgationis indigent. An quòd quum uentoſiſſima ſint legumina, ad res uenereas maximè incitent?

QVID eſt, quòd Veſtales inceſti cõuictas alia pœna non afficiunt, ſed uiuas tantummodo deſodiunt? An quòd mortuos urunt, quòd illis tribuere iniuſtum iudicarent, quæ non diligenter ac ſanctè ignem ſacrum cuſtodiſſent? An quòd corpus maximis ac ſanctiſſimis religionibus cõſecratum interficere, & mulieri ſacræ manus afferre nefas putauerunt? Rationem igitur inierunt, qua ſubterraneo ſpecu deſoſſo obrutæ ſua ſponte morerentur. Ibi enim & lucerna accenſa inerat, & non nihil panis, exiguum & aquæ ac lactis, inde ſpecum deſuper terra operibant. Sed ne hoc quidem modo ſcelus deteſtantes religionem fugerunt? Nam & nunc quoque ſacerdotes eum locum adeuntes parentant. Veſtales inceſtæ, quare & quomodo uiuæ defodiantur.

CVR Idibus Decembris in curſu equorum uictor dexter ſacer Marti immolatur, & caudam ſtatim deciſam ad Rheginam qui dicitur locus deportat, & aram cruore ſpargit, de capite uerò inter ſe decertant, alij de ſacra uia deſcẽdẽtes, alij de Suburra aduerſus eos impetũ faci-

cientes? An quòd Troiam equo captam putant, idcirco equum supplicio afficiunt, quòd Troianorũ clara pignora fuerint mixta pueris Latinorum? An quòd iracundum, ferox & bellicosum animal est equus? dijs autem grata & accommodata in primis immolãt? Victoria autem idcirco immolatur, quòd uictoriæ Mars autor est, & qui ordinẽ in arcto tenent cæteros uincunt qui locum deserunt, & celeritas quasi uiaticum fugæ pœna afficitur. Deniq; signus quibusdam occulte admonentur, fugientes salutem inuenire non posse.

QVID est, quòd Censores magistratum ineuntes nihil agunt, quàm ut sacrorũ anserum alimenta locent, & imaginis splendorem? An à ullioribus incipiẽtes, quæ nec multo sumptu, nec magna opera egent? An uetus quædam huic animanti gratia refertur, à bello usque Gallico repetita quòd dormiẽtibus canibus primi omnium anseres Gallorum in Capitolium ascensum persenserũt, & clangore uigiles excitarunt? An quum sint maximarũ rerum, & quæ summa cura indigent, custodes Censores, ut ædiũ sacrarum ac publicarum, morum denique & uitæ uniuscuiusq; diligentißimi & custodientißimi, omnium animãtium rationem habendam sibi esse putauerũt? Simul enim anseribus curandis ciues admonent, ne deorum cultum negligant. Anseris uerò absterſi & splendor necessarius est: cito enim rubrica defluit ac defloreſcit: ea enim ueteres statuas obducere & illinere consueuerunt.

QVID est, quòd cæteris sacedotibus simul ac in iudicium ducti ac damnati sunt alium substituũt, augurem uerò donec uita suppetat, licet maximorum criminum cõuictum, sacerdotio non mutant? Augures autem uocant qui auspicijs præsunt. An quòd quidam dicunt sacrorum arcana

arcana neminem cognoscere uolunt, qui ipse augur non sit? An iureiurando adactum res augurum nemini enunciaturũ, priuatum postea factum sacramento liberari nolunt? An non honoris nec magistratus, sed scientiæ atque artis cuiusdam potius nomen est augur? Simile igitur est, ac si quis musicum musicum non esse iudicet, & medicũ medicum esse prohibeat, & diuino diuinationem adimat. His enim omnibus appellatio detrahi potest, uis ac facultas non potest. Alium uerò idcirco non instituunt, quòd sacerdotum numerum ab initio constitutũ meritò tuẽtur.

CVR Idibus Sextilis diem festum agunt serui omnes ac seruæ, uxores autem capita purgare ac lauare consueuerunt? An propter Seruium regem, quem eo die seruatũ & in lucem æditum ferunt, uacationem ab opere habent serui? Capitis autem lauatio ab ancillis cœpta propter diem festum ad liberas quoq; processit?

CVR pueros monilibus, quas uocant bullas, exornant? An honoris raptarum causa, ut alia multa, sic & hoc constitutum esse uoluerunt his quos ex eis suscepißẽt? An Tarquinij uirtutem honorandã putauerunt? Ferunt enim Tarquinium quum puer adhuc esset, in prælio aduersus Latinos & Hetruscos in hostes impetum fecisse. Quumq; ex equo defluxisset, excepto hostium impetu Romanos confirmasse, hostibus in fugam conuersis, quum plus quàm sexaginta nullia hostium eo prælio cecidissent, hoc a patre & rege decoris insigne accepisse. An apud maiores nostros speciosum seruum *amare turpe non existimabatur, quemadmodum nunc quoque comœdiæ testimonio sunt? Pueris autem liberis uehementius abstinebant: ac si forte accideret, ut in pueros nudos inciderent, ne ambigerent, hoc insigne liberi ferre consueuerunt. An uel

*dolare

ad modestiam conseruandam hoc etiam pertinet, & in-
à uiro subi tẽperantiæ ac flagitij frenum est, quum uirum agere eos
g i pudeat, antequam pueritiæ insignia deponãt? Nam quod Varro scribit uerisimile non est, quũ Aeoles bullam bollã proferant, hoc consilij insigne pueros indui solere. Sed uide ne hoc quoq; propter lunam ferant. Nam lunæ figura quum plenilunium est, non globosa est, sed lentis formã ostendit, & quemadmodum opinatur Empedocles, illud etiam quod subiectum est, non modò quod apparet.

QVID est, quòd maribus nono die, fœminis octauo nomina imponere consueuerũt? An si prius fœminis nomina imponũt, causam sustinet natura, & augetur fœmina, & crescit, & adulta perficitur antequam masculus? Dies autem eos potissimũ capiunt, qui septenarium subsequũtur. Septimus enim dies cum in cæteris, tum ad umbilicum infantibus nuper æditis periculosus esse consuevit. Nam septimo die plerisque resoluitur: donec autem dissolutus, plantæ longè similior est infans quàm animali. An sicut Pythagorici numerũ parem fœminam uocant, marẽ impa rem, fœcundus est, & compositus parem uincit, & si in unitates diuidatur, par numerus quasi fœmina locum in medio uacuum præbet, imparis uerò numeri pars aliqua plena semper relinquitur: quo fit ut alterum fœminã, marem alterum esse putent? An quòd in numeris nouenarius primus est tetragonus ab impari & perfecto ternario, octonarius autem primus cubus à binario numero, quem parem esse constat? Oportet autẽ quadrangulum esse & imparem & perfectum. Vxorem autem sicut cubum stabilem, & domi seruantem & immobilem. Illud & adiungẽdum, octonarium numerũ cubum esse, qui à binario comẽponatur, nouenarium uerò quadrangulum esse, qui de ternario

nario conficiatur. Vtuntur autem duobus nominibus fœmunæ, mares uerò tribus.

QVID est, quòd eos quorum patres ignorantur, Spurios uocant? Non enim quod Græci opinantur, & in causis oratores dicunt, quòd ex colluuione quadã, & fœminis communione progenerati sunt, sed uidelicet est Spurius inter prima nomina, ut Sex. D. C. Prænomina uerò Latini integra non scribunt, sed aut una litera, ut T. L. M. aut duabus, ut Cn. aut tribus, ut Sex. & Ser. Est igitur Spurius inter ea prænomina, quæ duabus literis notantur, S & P. quibus etiam orbos parentibus scribunt, quum sine patre esse dicunt: per S. sine, per P. patrem significantes. Hoc igitur errorem fecit, quod Sine patre, & Spurius eisdem literis annotatur. Sed alia quoq; ratio afferenda est, quæ multò est absurdior: Dicunt enim Sabinos uxoris pudenda Sporion appellare. Item qui legitimè natus non sit, sed ex concubina aut scorto, contumeliæ causa spurium appellari solitum.

CVR Dionysium Patrem Liberum? An quòd bibẽtibus libertatis causa sit? Fiunt enim plerique ebrietate petulantiores. An quòd libationem præbuit? An sicut Alexander dicit, quòd pro Bœotiæ libertate pugnauit, Dionysium Liberum dictum fuisse putandum est?

QVID est, quòd publicis festis ueteri more uirgines non nubunt, uiduæ nubunt? An ut Varro dicit, quòd uirgines quum in matrimoniũ dantur doleant, mulieres uerò lætentur? Die autem festo omnem tristitiam ac necessitatẽ abesse oportere? An quòd uirginibus decorum, uiduis uerò multis præsentibus fœdum nubere? Felices enim ac fiustæ primæ nuptiæ, secundæ uerò tristes ac detestandæ. Pudet enim uiros adhuc eis, quibus antea nupserant,

alios

alios accipere, mortuos autem lugent. Quo fit ut magis quietè, quàm strepitu & deducentium multitudine delectentur. Dies uerò festi multitudinem adeò distrahunt, ut his rebus per ocium interesse non possit. An quòd Sabinorum filias uirgines inter ludicrum die festo rapientes bellum excitauerunt, idcirco filias diebus festis nuptum dare omni causa noluerunt?

QVID est, quòd Romani fortunam primigeniam colunt? An quòd Seruio ex serua nato Romæ summa cum laude & claritudine imperare contigit? sic enim Romanorum pleriq; suspicantur. An illud magis, quòd fortuna urbi & imperium & originem præstitit? An altior quædam ratio, & magis à natura ex media philosophia repeti potest, fortunam scilicet rerum omnium principium esse, naturam uerò casu consistere, quum quibusdam temere repositis ordo accesserit?

QVID est, quòd artifices scenæ deditos histriones uocant? An ob eam causam quam Rufus scriptã reliquit? Dicit enim priscis illis temporibus, C. Sulpitio, & L. Stolone coss. quum pestilentia urbem inuasisset, omnes qui in scenam procederent interijsse, ob eam rem multos & bonos artifices ex Hetruria Romam uenisse. In his qui arte & gloria cæteris anteiret, & in theatro ac scena diutißime floruisset, Histrum fuisse nominatum, à quo omnes deinde scenicos histriones nominatos esse.

QVID est, quòd propinquis & cognatis non nubunt? An quòd nuptijs necessitudines augeri uolunt, & ultro citroq; filias dando & accipiendo multos sibi propinquos adiungere? An quòd cognatorum dißidia inter se uerentur, quibus naturæ iura unà cum propinquitate tollantur? An quòd mulieres propter imbecillitatem multorum

multorum ope & auxilio egentes propinquis idcirco adiungere noluerint, ut si qua à suis uiris iniuria afficerentur, cognati opem ferrent.

CVR Iouis sacerdoti, quem flaminem Dialem uocant, farinam fermentum'ue attingere non licet? An quòd farina cibus imperfectus & indigestus sit? non enim aut id quod erat triticum mansit, nec quem fieri oportet factus est panis, sed uim seminis simul amisit, & cibi usum non præstitit. Qua ratione poëta Myliphaton farinam dixit per translationem, quasi molendo occisam & confectam. Fermentum uerò quoq; & per corruptionem factum est, & admixtum omne illud quicquid est quod pinsitur corrumpit: remittitur enim quodammodo ac dissoluitur. Et omnino fermentatio ipsa nihil aliud est, nisi putrefactio quædam. Quæ quidem si abundantius adhibeatur, farinam acidam reddit, & prorsus corrumpit.

QVID est quòd sacerdos carnem crudam tangere prohibetur? An à uiscerationc huiusmodi consuetudine repellitur? An ea de causa caro quoq; qua & farina prohibetur? neque enim iam est animal, neque obsonium factum est. Nam quum & transforma elixatio & assatio, alteratio quædam sit & transformatio, nimium formam delet. Quod autem recens & crudum est, aspectum nequaquam purum & impollutum habet, sed ulcerosum, & uehementer odiosum ac molestum.

QVID est, quòd cane & capella sacerdotem adeò abstinere uoluerũt, ut non modò attingere, sed ne appellare quidẽ liceret? An quòd caprã quasi luxuriosam atq; olidã abhorrerent? An quòd tanquam morbidã timerent? Videtur enim præter cætera animalia comitiali morbo tẽtari, & qui gustarint aut attigerint, huius morbi aliquid

inurere

inuere. Huius rei causã assignant poros angustos, quibus clausis etiam spiritus sæpissime includitur: quod arguit uocis tenuitas. Quicunq; enim hoc morbi genere tentantur, simulem capellæ uocem ædunt. Canis uerò est minus quidem luxuriosus ac fœtidus, quanquam sunt qui dicãt, ne canem quidem in Atheniensium arcem admitti fas esse, nec Delum insulam attingere, quòd in propatulo & passim coëat, qua in re aliorum animalium dissimilis sit: nam boues, equi, sues, non in propatulo ineunt. Sed ueram causam penitus ignorant. Canis enim templis omnibus idcirco arcetur, quòd pugnax est animal, & in primis ferox, ut tutũ supplicibus perfugium præbeãt. Verisimile igitur est, Iouis sacerdotem tanquam animatam & sacram quandam effigiem ac simulachrum, ad quod omnibus tanquam ad aram confugere liceat, egenis ac supplicibus repositũ esse, unde nec deterreri, nec arceri omnino possint. Quocirca in ipso ianuæ uestibulo ac limine, eidem posita erat lectica. Qui uerò pedibus sacerdotis se prouoluisset, eo die ab omnibus plagis ac pœna tutus erat. Qui si prius uinctus fuisset, ac ad eum accessisset, è uestigio soluebatur. Vincula uerò non per ianuam, sed per tectum sublata foras abijciebant. Erat igitur inutile, si quum sacerdos adeò se mitem & humanum exhiberet, canis pro templo sedẽs supplices oblatrando propelleret, etsi ueteres hoc animal omnino purum esse putauerunt. Cœlestium enim deorum nulli prorsus consecratus est canis, sed Proserpinæ cœna demissus in triuia piaculi locum obtinet. Lacedæmone uerò deorum omnium crudelissimo Marti catulos cædunt. Apud Bœotios autem publicè piaculum est, cane in duas partes dissecto per medium exire. Latini uerò Lupercalibus mense Februario canem immolant. Quare alienum non

non est, qui supremum & purissimum deorum omnium uenerandum sibi desumpserunt, eos quò familiarem ac domesticum habeant, canem prohibere.

CVR hederam Flamen Dialis si attigisset, piaculum commisisset, nec iter ea facere poterat, ubi umbraculũ aut arbutum desuper promineret? An hoc simile ei est quod dicitur, de curru non esse, chœnici non insidere, scopa non transcendere. Non quòd hæc Pythagorici uitent aut metuant, sed quòd per hæc ab alijs deterreant. Nã quòd sub uitem ingredi prohibent, ad uinum referebãt, quòd sacerdoti ebrium fieri nefas esset. Temulentis enim uinũ super caput est, & deprimuntur omnes ebrij, & humiles fiunt, quum hanc ipsam uoluptatẽ uincere oporteat, non ab ea uinci. Hederam uerò tanquam sterilem & hominibus inutilem, & propter fragilitatem adminiculo alterius semper egentem, umbra solum ac uiriditate oculos capientem, non temere in ædibus ali atq; innasci permiserunt: quippe quæ plãtas complexa maximè noceret, nec solo extirpari facilè posset. Quo fit ut cœlestium templis penitus amoueatur, nec in æde Iunonis Athenis, ac Thebis in æde Veneris quisquam facilè hederam uideat. Nocturnis uerò sacris & Bacchanalibus adest. An & hoc quoq; mysticum quoddam signum erat, ut à Thyasis ac reliquis debachationibus abstinerent? Nam quæ bacchicis furoribus mulieres correptæ fuerint, ad hederam statim seruntur, & abreptam manibus diuellunt, dentibus lacerant, ut non omnino incredibilia dicere uideantur, qui asserunt hederam, quòd spiritum habeat, quo mentes in furorem concitet, & loco moueat, ebrietatem absq; uino inducere, & hilares eos reddere, qui in furorem procliues fuerint.

CVR ijs sacerdotib. nec magistratũ capere, nec petere permit

permittebatur, & tamẽ lictore utũtur & sella curuli ob honoris causam & consolationẽ, quò minus ægrè ferrent, si à magistratibus arcerentur? An quòd in nonnullis Græciæ ciuitatibus sacerdotij dignitas regiæ maiestati par habebatur, non uulgares aut ignobiles homines sacerdotes declarabantur? An illud magis, quòd quum certum esset & statutũ tempus sacrificij, regum uerò opera & actiones incertæ, ac minimè præfinitæ, fieri non poterat, ut quũ in idem sæpenumero tempus incidirent, idem utriq; adesset, sed utrisq; urgentibus sæpe oportebat ut altero relicto nunc deos coleret, nunc ciuibus noceret. Qui quum in honorum magistratibus non minus necessitatis quàm licentiæ inesse animaduerterẽt, & magistratum populi, ut Hippocrates ait, medicũ tristitiã cernere, tristitiã attingere, & in alienis malis proprium dolorem percipere, nefas esse putauerunt, diis rem diuinam facere, & primitias, & ciuũ cruiatus quotidie uerjantem, interdum etiam propinquorum & cognatorum, quod Bruto accidit.

* Ἰωὶ τιμῆ κρὶ παρασκευῆς.

Sacerdos magistratum nec gerat, nec petat.

QVI sunt quos Epidauri & Conipedes & Artynos appellãt? Centũ enim & octoginta Remp. administrabant, ex quibus senatores deligebãt, quos Artynos appellabant: plebs autẽ magna ex parte in agro agebat. Vocabantur autẽ Conipedes à pedibus, ut conijcere datur pulueruleutis, & ob id quũ ad urbẽ accenderẽt facilè agniti.

QVAM nam Onobatim apud Cumæos fuisse dicemus? Si qua in adulterio mulier deprehensa fuisset, hanc in forum deductã, & saxo impositam spectandã omnibus proponebant. Inde super asino collocatam, & circa urbẽ peruectam in eundẽ locum restitui oportebat. Ex illo infamia notatam Onobatim appellandam censuerunt, & ab eo tempore lapidem tanquam impurum ac detestabilem uitabant.

Adulterij apud Cumæos pœna.

uitabant. Erat apud illos quoq; magistratus, Phylactum appellabant, quem qui obtineret, reliquũ quidem tempus carcerem seruabat: nocturno autem conuentu in senatum ueniẽs reges manu apprehensos è curia educebat. Quos tandiu detinebat, donec de eorum imperio senatus occultè sententiam tulisset suffragijs, an iustè facerent, uel non.

QVI sunt quos Cnidij Amnemones appellant, & qui Aphester apud eosdem dicitur? Sexaginta delectis uiris ex optimatibus quasi procuratoribus utebantur, ad quos de maximis rebus referebant. Dicebantur autem Amnemones, ut cõiectura percipi potest, quia ad disquisitionem non adducebantur, nisi forte quia multum memoria ualerent, & multa meminissent. Qui autem sententias rogabat, Aphester dicebatur.

QVID apud Solos Hypercaustria Palladi sacrificantem sic uocant? Quòd multa sacra & mysteria ad auertendum mala faciat.

QVI sunt apud Arcades & Laconas Chrestli? Lacedæmonij factã Tegeatibus pace fœdere icto cõmunem apud Alpheum columnã statuerunt, in qua cũ alia multa, tum illud in primis scriptum erat, Messenios ex agro ejicerent, nec Chrestos facere liceret. Aristoteles igitur hoc exponens, his uerbis hoc significari dicit, non occidere auxilij gratia, si qui Tegeatæ Lacedæmonijs studerent.

QVIS apud Opontios Crithologus? Fleriq; Græcorum ciuibus primitias offerentibus in uetustissimis sacrificijs hordeo uti solebant. Magistratum igitur, qui huiusmodi sacrificijs præerat, & primitias colligebat, Crithologum nominabant. Duo autẽ erant apud eos sacerdotes, quorũ alter deorũ, alter dæmonum sacrificia curabat.

QVAE sunt Ploiades? Nubes imbriferas maximè,

quæq; arcum ferrent Ploiadas nominabant, quemadmodum Theophrastus in quarto Meteororum ad uerbum scripsit. Nam & Ploiades ipsæ nubes & quæ constat. Immobiles autem & coloribus obalbæ ostendunt differentiam quandam materiæ, quæ neq; in aquam, neque in uentum redacta sit.

QVIS est apud Bœotios Platychetas? Qui aut domum uicinã, aut agrum habuissent, Aeolicè sic uocabãt, quasi propè habentes. Apponam autem uerbum unum ex Thesmophylacia lege, quum plura sint.

QVIS est apud Delphos Osioter, & quare mensium quendam Bysium uocant? Osiotera quidem eum uocant qui hostiam immolat, quum sacer declaratus est. Quinque autem sacri sunt per omnem uitam, hi autem multa unà cum prophetis agunt. Hi simul in iisdem sacris operantur: Quippe qui à Deucalione originem ducere se arbitrantur. Bysius autem, ut multi putant, Physius est. Multa enim tunc temporis nascuntur & germinant. Verum non ita est: non enim loco φ τῷ β utuntur Delphi, sicut Macedones βίλιππον, & βάλακρον, & βασσιλικὸν dicentes, sed loco π. nam τὸ πατὴρ βατὴρ, & τὸ πικρὸν βικρὸν planè dicunt. Est igitur Physius Bysius, in quo Deum interrogant: nam subintelligere patrium est: hoc enim mense oraculum ædebatur. Septimum quoque huius diem Apollinis habent natalem, & πολύφθονον appellant, non quòd eo die φθοῖς, id est liba, seu placentas coquerent, sed quòd multi ad oraculum accederent, multis oracula ædercẽtur: nuperrimè enim oracula singulis mensibus rogãtibus concessa sunt ac remissa: An semel omnino Pythia hoc ipso die in anno responderat? Sic enim Callisthenes & Anaxandrides scriptum reliquerunt.

QVID

QVID est Phyximelum? Planta quædam est humilis ac parua, cuius surculos pecora appetẽtia cõminuũt ac uiolant, & quo minus crescant impediunt. Hæc ubi eò magnitudinis excreuit, ut ei nocere non possit, Phyximelum dicitur. Testis est Aeschylus.

QVI sunt Aposphlendoneti? Corcyram insulã Eretrienses tenebant, quo Charicrates cum classe Corintho profectus prælio commisso Eretrienses superauit: illi statim naues conscendentes domum renauigauerunt. Quod quum ciues præsensissent, descẽdere conãtes fundis propulsarunt: deniq; quum nec uerbis persuadere, nec multos & inexorabiles cogere potuissent, Thraciam tenuerunt agro ibi occupato, quem Methonem Orpheo progenitum quondam habitasse memoriæ proditum est. Vrbem quidem Methonam nominarunt, ipsi uerò ab accolis Aposphlendoneti uocitati sunt.

QVAE NAM est apud Delphos Charila? Tres agunt Delphi Ennaëteridas & deinceps: quarum unam Stepterium uocãt, alteram Heroidem, tertiam Charilam. Stepterium quidem eius pugnæ imitatio uidetur esse, quã Deus aduersus Pythonem pugnasse dicitur. Hunc enim post pugnam usque ad Tempe insectatus fuisse dicitur. Sunt enim qui Deum metu fugisse dicant, qui mihi expiandi uidentur. Alij Pythonem saucium ac fugientem in eam quam nunc sacrã uiam dicimus, priusquam Apollo eum consecutus esset occubuisse, ita sepultum à filio, cui nomen Capra fuerat, ab Apolline inuentum. Harum omnium rerũ, aut simulũ Stepterium imitatio quædam est. Herois autem arcanam quadã continet rationem Thyiadibus non incognitam, & tamẽ ex his quæ aguntur, Semeles anagogen esse facilè quiuis conijcere ualeat.

De Charila uerò huiusmodi quædam fabulantur. Fames ex siccitate Delphos inuasit: quare cum liberis & uxoribus ad regias fores accedere & supplicare cogebantur, qui farinam & chedropas nobilioribus, non enim omnibus suppetebat, in summa inopia distribuebat. Sed quum puella parentibus orba supplex uenisset, & farinam rogasset, calceo malam cecidit, & in os abiecit. Puella inops ac pauper, sed generoso animo prædita, quum inde sese proripuisset, ac zonam dissoluisset, se suspendit. Inualescente indies fame, & superuenientibus morbis, Pythia regi oraculum petenti respondit, Charilam uirginem, quæ sibi mortem conscisset, placari oportere. Vix tandem reperta huius nominis ratione, sacrificium quoddam piaculo mixtum peregerunt, quod nunc quoque est nonum post annum, quibus annis peragũt. Præsidet enim rex, farinamq; & chedropas omnibus impartit & ciuibus et externis. Portatur Charilæ puellaris statua. Sed ubi
uer. omnes farinam acceperunt, res effigiem calceo cædit. Thyiadum uerò antistes in abruptum quendam locum simulachrũ defert, ibiq; fune ad collum alligato defodiũt, ubi Charilam, quæ zona se suspenderat, antè humauerũt.

QVAE nam est apud Aenianas caro emẽdicata? Cõplures sunt Aenianarum cõmigrationes. Primum quidem campum Dotium coluerunt, inde à Lapithis expulsi ad Aethicas primo agri Molossi, quam Arauam uocant, se contulerunt, ex quo Parauæ dicti sunt. Deinde Cirrham occupauerunt, & ex eo loco rege Oenoclo depulso Apollinis iussu in agrum circa Inachum descenderunt, quem Inachienses & Achei tum habebãt. Oraculo autẽ ædito, si in agro eos recepissent, fore ut ueteres incolæ pellerentur, noui autem si à uolentibus accepissent, agrum retinerent,

nerent, Temo uir inter Aenianas sapiens, sumpta pera mendici habitu ad Inachienses uenit: ubi quum per risum & contumeliam rex petenti cespitem dedisset, in pera coniecit, & quasi eo contentus statim è conspectu abijt, nec amplius quicquam petijt. Maiores natu admirati, & oraculum recordati, quum regem adijsset, hominem non contemnendum, sed prodendum esse dixerũt. Quod quũ sensisset Temo, fugam arripuit, & Apollinem precatus quum hecatombam uouisset effugit. Ex illo conserunt pugnam reges. Quumq; Inachiensium regem Hyperochum Aenianum rex Phemius unà cum cane in se impetum facere animaduertisset, dixit illum iniustè facere, qui secundum pugnatorem & alterum hostem substitueret. Abigente autem canem Hyperocho, seq; ac hostem euertente, lapide ictus à Phemio est interfectus. Agro recepto, Inachiensibus unà cum Achiuis eiectis, lapidem illum quidem tanquam sacrum colunt, & uictimæ adipe inuolutũ uenerantur, & ei tanquam deo immolãt. Apollini uerò diuinã rem facientes, & hecatombã ex uoto reddentes, bouis immolatæ partem rite exceptam Temonis posteris tribuunt, & emendicatam carnẽ appellãt.

QVI sunt apud Ithacesios Coliadæ? quis est Phagilus? Vlyßi procis interfectis eorum necessarij bellũ susciauerunt. Accersitus autem ab utrisq;, & arbiter adhibitus Neoptolemus sententiã tulit, ut Cephallenia, Zacyntho, & Ithaca cædis nomine Vlysses decederet. Procorũ uerò socij ac familiares pro iniurijs quas in domum intulerant, Vlyßi quotannis mulctæ nomine aliquid penderent. Vlysses igitur in Italiam concessit: mulctam uerò ut liberis suis Ithacenses redderent, iureiurando ac religione astringendos putauit. Erat autem farina, uinum,

cera, oleum, sal, uictimæ grādiores Phagilorum. Phagilū
Φάγιλος autem agnum esse dicit Aristoteles. Sed Eumæum manumissum Telemachus ciuitate donauit, à quo Coliadarum familia, sicut à Philetio Bucoliarum.

QVIS est apud Locros ligneus canis? Physcij Amphictyonis filius fuit Locrus, ex eo & Cabya Locrus nascitur, qui cum patre orta discordia multis ciuium acceptis, de sedibus Apollinem consuluit. Oraculo ædito, ut ibi urbem conderet, ubi canis eum ligneus momordisset, in alterum maris littus transgressus spinam calcauit. Ea plaga uexatus complures ibi dies commoratus est, quibus percepto loco urbes condidit Physcos, Hyanthiam, & alias omnes, quas Locri Ozolæ coluerunt. Ozolas autem Locros, alij à Nesso, alij à Pythone serpente uocatos dicunt, quòd ad Locrensium littus eiecti, in eorum agro putruerunt. Nonnulli autem homines pellibus caprinis & hircinis indutos, & plerunq; inter greges & ouilia conuersantes olidos fieri, & ob eam rem quòd Locri pasto-
ὀζάλια. res sint, Ozolas appellatos putant. Alij contrà quòd ager floribus abundet, ob odoris bonitatem nomen inditum arbitrantur. Hāc opinionem tuetur Archytas Amphyssæus, scripsit enim in hunc modum: Botryonum sertis redimitam, unguenta redolentem, maeynam amabilem.

QVID est, quòd à Megarensibus Aphabroma dicitur? Nisus à quo Nisæa appellata est, quum regnū obtineret, Abrotam Oecheſli filiam ex Bœotia uxorem duxit. Quæ quum Megarei soror esset, singulari prudentia ac modestia prædita erat. Mortuam deinde Megarenses sponte luxerunt, & Nisus immortalem uxoris memoriam efficere uolens, iussit ossa ferre, quam illa uestem ferre consueuerat, & uestem Aphabroma propter illam appellauit.

Videtur autem mulieris gloriæ & Deus fauisse. Nam quum Megarenses mulieres uestem mutare instituerent, oraculo sæpe prohibuit.

QVID est, quòd Doryxenus Megarensis ager antiquitus per uicos colebatur? Ciuitate in quinque partes distributa, alij enim Haræi dicebantur, alij Pyræi, Megarenses alij, alij Cynosuræi, Tripodiscæi deniq;, partim agrum tuebantur. Sed Corinthij quum inter eos bellum excitassent, semper enim Megaram subigere studuerunt, tum leniter & cognatum, ut ita dicam, bellum inter se gerebant. Agricolas enim nemo prorsus uiolabat. Et si quis captus esset, certo se precio redimebat, quo accepto statim dimittebant: nam ante nihil exigebant: sed qui hominem cepisset, domum deductum, & comiter acceptum domum remittebat. Qui ergo quo se redimeret precium retulisset laudabatur, & eius qui receperit amicitiam perpetuò colebat, & ex captiuo Doryxenus, hoc est bello amicus atque hospes factus appellabatur. Qui uerò nihil retulisset, & hostem frefellisset non solum apud hostes, sed apud ciues quoq; ut perfidus & iniustus, & infamis erat.

QVAE NAM est Palintocia? Megarenses Παλιντοκία.
Theagene tyranno eiecto, parum diu in administranda republica modestos se & temperatos præstiterunt. Inde multam, ut ait Plato, & intemperantem libertatem popularibus ipsis propinantibus penitus corrupti cum cæteris in rebus in locupletes & copiosos insolenter se gerere cœperunt, tum uerò eorum domos inuadentes homines pauperes splendidè & effuse conuiuari ac cœnare uolebant, idque si negaretur, omni uiolentia & petulātia utebantur. Deniq; facto plebiscito

Universidad de Deusto
Biblioteca

usuras à creditoribus, quas antea soluissent reposcebant, idq; Palintociam appellauerunt.

QVAE nam est Anthedon, de qua Pythias dicit, Bibe uini fecem, quoniam non Anthedonem habitas? nam quæ in Bœotia est, uino non abundat? Calabriam Irenen antiquitus nominabant à muliere quæ Irene dicebatur, quam ex Neptuno & Melantia Alphæi filia natam fuisse fabulantur. Inde quum Anthes & Hyperes ibidem cõsedissent, Anthedoniam & Hypereã insulam uocauerũt. Oraculum uerò hoc modo se habebat, ut dicit Aristoteles: Bibe uinum fœculentum, quoniam non Anthedonem habitas, nec sacram Hyperam, quoniam & fecem uini bibisses. Hæc Aristoteles. Mnasigeton autem dicit Hyperæ fratrem Anthon infantem adhuc periisse. Hyperam autem quum diu fratrem quæsisset, errantem ad Acastum seu Adrastum Pheras uenisse, ubi casu Anthos uinum seruiẽs propinabat. Vbi cœnati sunt, puerum fratri poculum porrigentem agnouisse, ac dixisse fertur: Bibe uinum fœculentum, quoniam non Anthedonem habitas.

Σκότ. QVIS est qui apud Prienen iuxta quercum dicitur Scotos? Samij & Prienenses bellum inter se gerẽtes mediocribus mutuò se damnis afficiebant: magno prælio commisso mille Samos Prienenses occiderunt. Septimo pòst anno cum Milesijs ad quercum quæ dicitur congressi, optimos ciuium ac primos uno prælio amiserunt. Quo tempore Bias ille sapiens, Samum à Prienensibus cum legatione missus, magnam gloriam est adeptus. Ex illo Prienensium mulieres post eam calamitatem tristem sanè ac miserabilem imprecatione ac iureiurando maximis de rebus usæ sunt, quum testarẽtur ac dicerent: Apud quercum tenebræ, quòd filios & patres ac uiros eo in loco ab

eo ab hostibus concisos amisissent.

QVI sunt apud Cretenses qui Cataeautæ dicuntur? Καταϝαύται Tyrrhenos ferunt, quum Athenienſium filias & uxores ex Braurone rapuissent, quo tempore scilicet Lemnum & Imbrum incolebant, postea ejectos in agrum Laconicũ peruenisse, & tandiu cum indigenis mulieribus consuetudinẽ habuisse, quoad liberos suscepissent. Calumnijs deinde ac suspicionibus Laconicam rursus relinquere coactos in Cretam cum liberis & uxoribus traiecisse. Ibi bellum cum his qui tunc temporis Cretam tenebant gerentes, multos qui in prælio mortem oppetijssent insepultos reliquisse: primò quidem quòd propter bellũ & periculum socios per ocium humare non poterant, deinde fugientes cadauera iam corrupta & marcida attingere cœpisse. Polin igitur, quem ducem secuti fuerant, honores quosdam & immunitates excogitasse, partim deorum sacerdotibus attribuisse, partim qui mortuos sepelissent, & dijs terrestribus, hoc est manibus consecrasse, ne quando auferrentur, & perpetuò permanerent. Postea cũ fratre sortitum, & alios Sacerdotes appellatos fuisse, alios Cataeautas, & seperatim suis legibus uti. Esse autem illis unà cum cæteris quæ humaniter concessa sunt earum iniuriarum licentiam, quibus cæteri Cretenses uti consueuerũt, quũ furtim res suas inter se agũt, ferũtq;. Illos uerò nulla iniuria afficere, nihil furari, nihil denique auferre.

QVOD est apud Chalcidenses Puerorũ sepulchrũ? Cothus & Arclus Xuthi pueri in Eubœam habitatum concesserunt, quo tempore Aeoles insulam maiore ex parte obtinebant. Aeditum uerò antea Cotho oraculum fuerat, bene successurum, & hostes superaturũ, si agrum coëmisset. Cum paucis igitur descendens incidit in pue-

ros, qui forte iuxta mare colludebant, quibus cum & ipse comiter ludere aggressus multos ludos pueris ignotos ostendit. Quod ubi auidè accipere uelle intellexit, haud aliter traditurum se dixit, nisi aliquid terræ prius ab ipsis accepisset: illi è uestigio sublatum dederunt, & acceptis ludis abierunt. Aeoles re cognita quum hostium classem aduentare intelligerent, ira & dolore perturbati pueros interfecerunt. Sepulti uerò sunt in uia quæ ad Euripum ex urbe ducit, quem locum postea Sepulchrum puerorum uocauerunt.

QVIS est Mixarchageua apud Argiuos? Qui ue sunt Elasij? Mixarchageuam Castorem uocant, & apud se humanum arbitrantur. Pollucem uerò tanquam unum cœlestium uenerantur. Eos autem qui comitialem morbũ auertere putantur, Elasios nominant, eos que ex Alexta Amphiarai filia progenitos fuisse autumant.

QVID est, quod apud Argiuos Encnisma dicitur? Qui familiarium aut cognatorum quempiam amiserunt, mos est ut statim post luctum Apollini sacrificent, sic & trigesimo pòst die Mercurio. Nam ut à terra mortuorum cadauera, sic animos à Mercurio susceipi putant. Apollinis autem sacerdoti hordeum dantes carnem pro eodem accipiunt, ignemq; quasi pollutum extinguentes, & rursus ab alijs accendentes carnem coquunt, & Encnisma appellant.

QVID est Alastor, Aliterius, Palamnæus? Non enim illis credendum est, Aliterios uocari qui in fame molentem obseruantes farinam diripiunt. Verum is Alastor uocitatur, qui ea egit quæ neque facilè obliterari possunt, & diuturna omnium memoria celebrantur. Aliterius autem is est, quem si quis uitare ac fugere potest

test propter improbitatem, bene actum secum existimare debet. Hæc, inquit Socrates, in æreis pellibus conscripserunt.

QVAM habent sententiam, eos qui in Cassiopæam bouem abigant ex Aeno, à uirginibus comitantibus ad ipsos usq; fines continenter audire: Nunquam redibitis in patriam terram? Acnianes à Lapithis sedibus expulsi Aethaciam primo, deinde Molossidem, & Cassiopæam incoluerunt, ubi nihil boni ex agro nacti, malis cõtrà usi uicinis in agrum Cirrheum transierunt, Onoclum regem secuti. Ibiq; magna siccitate & magnis squalloribus exceptì, oraculo, ut fertur, quum lapidibus Onoclum obruissent, rursus uagi post longum errorem in eum agrum peruenerunt, quem bonum & fertilissimum nunc habent. Quo fit ut meritò exoptent, in antiquam patriam non redire, sed illic beatissimè ac diutissime permanere.

CVR apud Rhodios præconi Ocridionis templum ingredi non licet? An quòd Ochimus filiam Cydippen Ocridioni collocauit? Cercaphus autem frater Ochimi puellam amans præconi persuasit (moris enim fuerat, ut sponsæ per præconem accerserentur) quum Cydippen accepisset, eam ad se deduceret: quo facto Cercaphus puellam habens aufugit. Qui postea quum frater ad senectutem peruenisset reuertitur. Mansit autẽ Rhodijs consuetudo, ne præco Ocridionis templum ingrederetur, ob iniuriæ ac flagitij illius memoriam.

QVID est quòd tibicini apud Tenedum in ædem Tenæ intrare non licet, nec in templo Achillis mentionem facere? An quod nouerca Tenen insimulante quòd ei stuprum inferre uoluisset, Molpus tibicen falsum aduersus eum testimoniũ dixit? Quamobrẽ Tenæ accidit cum

sorore

sorore Tenedum fugeret? Achilli autem ferunt matrem Thetim magnopere interdixisse, Tenem ne interficeret, quòd is ab Apolline uehementer coleretur. Vni etiam ex seruis imperasse, ut diligẽter attenderet, & Achillem moneret, ne forte per imprudentiam Tenem occideret. Sed quum Tenedum Achilles popularetur, & sororem Tenis forma captus insectaretur, Tenes obuiam factus & sororẽ defendere conatus, ab Achille interfectus est. Achilles Tenem à se interfectum animaduertens, seruum quidem quòd ab eo monitus non fuisset occidit: Tenem uerò ubi nunc templum est, sepeliuit. Ex eo nec tibicen illud ingreditur, nec Achilles in eo nominatur.

πολίτης. QVIS est apud Epidamnios Polites? Epidamnij Illyricorum uicini, ciues suos qui cum Illyricis cõsuetudinem haberent, improbos fieri animaduerterunt, & res nouas ueriti ad res contrahendas ac permutandas unum quotannis potissimum delegerunt quem maximè probarent. Is ad Barbaros accedẽs fori ciuibus suis & cõtrahẽdi rationẽ præscribebat. Et ex eo Polites est appellatus.

QVOD est in Thracia Aræni littus? Andrij & Chalcidenses, habitandi causa in Thraciam profecti, Sanem urbem proditione cõmuniter occuparunt, sed quum Barbaros Acanthum reliquisse accepissent, duos speculatores ad urbem miserunt: qui quum eò ueniissent, & Acanthios relicta urbe fugam animaduertissent arripuisse, Chalcidensis quidem speculator præcucurrit, quasi urbem Chalcidensibus præoccupaturus, Andrius uerò relictus hastam coniecit: quæ cum portæ inhæsisset, Andriorum pueris urbem se hasta præcepisse exclamauit. Inde orta dissensione, sine bello inter se conuenerunt, ut Erythræis, Samijs, & Parijs omnibus de rebus arbitris uterentur.

uterẽtur. Quumq; Erythræi & Samij suffragijs suis rem Andrijs adiudicassent, Parij contrà pro Chalcidensibus sententiam dedissent, quibusdam se circa eum locum imprecationibus deuouerunt, si aut ipsi Parijs uxorem dedissent, aut ab illis accepissent: & ob eam rem Aræni littus appellauerunt, quam Dracontis antea diceretur.

QVID est, quod Cerealibus Eretriensium mulieres non ad ignem, sed ad solem carnem concoquunt, & Calligeniam non uocant? An quòd ita cecidit, ut captiuæ quas ex Troia Agamemnon abduxit, hoc in loco Cerealia facerent: quumq; inopinatò nauigandi tempus extitisset, imperfecto sacrificio discesserunt?

QVI sunt Ainautæ apud Milesios? Damasenore & Thoante, tyrannis exactis, sodalitates duæ urbem obtinuerunt: harum altera Plutis, altera Cheromacha dicebatur. Sed quum potentes dominarentur, & sodalitates suæ res adsciuissent, conscensis nauibus procul à terra progressi maximis de rebus consultabant, & ob eam rem Ainautæ appellati sunt. αἰναῦται.

QVID est, quòd Chalcidenses locum circa Pyrsophium ἀκραίῳ λίσχῃ, id est uigentium & uiribus ualentium statione uocant? Nauplium ferunt ab Achiuis insectatum supplicem ad Chalcidenses confugisse, ibiq; partim crimina purgasse, partim recriminãdo Achiuis obiecisse. Chalcidenses igitur Nauplium nullo modo dedituri uidebantur, sed ueriti ne dolo interficeretur, præsidium ei dederunt, adolescentes ætate ac uiribus uigentes, & eos ibi collocauerunt, ubi & unà uersarentur, & Nauplium asseruarent.

QVIS est benefactori bouem immolans? Nauis piratica circa Ithacesiam in ancoris stabat: in quam cum fictilibus

fictilibus ac pice senex quidam erat. Huc igitur quum forte portitor Ithacensis, nomine Pyrrhias, oculos attentius conuertisset, & senem liberauit, nihil quidem postulans, sed ab eo persuasus, misericordiáq; commotus, & hortatu senis de fictilibus quæ ibi iacebant pauca quædam sumpsit. Postea quum prædones abscessissent, securus iam senex Pyrrhiam fictilibus admouit, in quibus magnam uim auri pice admixti ostendit, ita ut repēte dines factus Pyrrhias cum cæteris in rebus senem optimè tractasset, tum illud adiunxit, ut ei bouem immolaret. Ex eo res in prouerbium uenit, benefactori bouem extra Pyrrhiam immolasse neminem.

Bottiæi populi, propinqui Macedonibus, Herod. lib. 7.

QVID ita morem hunc habent Bottiæorum puellæ saltantes, ut dicant, eamus Athenas? Cretas ferunt, quū noluissent hominum primitias Delphos misisse, eos autem qui nusi essent ubi nullam facultatē aut copiam uidissent, inde profectos primum Iapygiam incoluisse, deinde mixtis Athenensibus hunc in Thracia quem nunc habent locum occupasse. Non enim uerisimile, Minoën Athenensium iuuenes tributi nomine quotannis ad se missos occidisse, sed in ministerio potius & seruitio habere maluisse. Ex his igitur nati quidam, & Cretenses habiti, Delphos missi sunt. Ex quo Bottiæorum filiæ generis sui memoriā colentes diebus festis canebant, Eamus Athenas.

QVID est, quòd Eleorum mulieres Dionysium celebrantes precantur, ut bouino pede ad se ueniat? Hymnus enim hoc modo se habet: Veni heros Dionysie maritimum ad templum castum, cum Gratijs bouino pede sacrificans. Inde bis inferunt: Digne taure. An quia Bougenam appellant & taurum nonnulli hunc Deum: An magnum pedem bouinum intelligunt, quemadmodum poeta

poeta Homerus magnos habentem oculos, & βοώπιδα magna iactantem? An magis quia bouis pes innoxius est? Cornigerum autem Deum sic rogant, ut lenis lætusq; ueniat? An quòd aratri ac sementis principem hunc ipsum Deū & inuentorem fuisse putant?

QVID est, quòd Tanagræi ante urbem Achilleum habent locum sic appellatum? Inimicitias enim magis cum ea urbe exercuisse dicitur Achilles quàm amicitiam. Quippe qui & Pœmandri matrem Stratonicen rapuerat, & Ephippi filium Aecstora occidisset. Pœmandrus igitur pater Ephippi quum ager Tanagricus etiam per uicos habitaretur, apud Stephontem, id loci nomen est, quòd cum Achiuis in expeditionem ire noluisset, ab illis circunsessus nocte locum illum deseruit, & Pœmandriam communiuit. Polycritus autem architectus quum adesset, & opus floccifaceret, atque irrideret, fossam transcendit. Iratus Pœmandrus ingens in illum saxum coniecit, quod forte ibidem occultatum Nyctelijs templis iampridem incumbebat: hoc reuulsum per imprudentiam Pœmandrus coniecit, & Polycritum quidem assequi non potuit, Leucippum uerò filium interfecit. Oportebat igitur domesticum ex agro Bœotio lege discedere, & supplicem ad alios migrare. Id autem facilè non erat, quòd in agrum Tanagricum Achiui irruptionem fecerāt. Misit igitur Ephippum filium qui Achillem rogaret, à quo persuasus & illum inducit, & Tlepolemum Herculis filium, & Penelcum Hippalemi, omnes sibi sanguine coniunctos. A' quibus Pœmandrus Chalcidem emissus, & ab Elephenore cædis crimine expiatus, homines honore affecit, & lucos omnibus consecrauit, quorum qui Achilli dicatus est, nomen seruauit.

QVI

QVI sunt apud Bœotios Psoloës, quiq; Aeoleæ? Minyi cuiusdã filias Leucippã, Arsinoën, & Alcathoën furore percitas carnibus humanis uesci concupiisse, & de filijs inter se sortitas esse, Leucippam quòd ei sorte cecidisset, Hipassum filium laniandum exhibuisse, & illarum uiros, quòd lugubri ueste uterentur præ dolore ac luctu, Psoloës, Aeoleas, Oeonolias appellatas fuisse ferunt. Hodie quoq; eiusdem gentis omnes mulieres eodem nomine appellant, & quotannis festis diebus, quæ Agrionia dicuntur, à Dionysij sacerdote stricto gladio fugantur, & si quam consecutus est, interficere licet. Nostra quidem memoria Zoilus sacerdos mulierem occidit, quod tamen infelix ac triste ipsis accidit. Nam Zoilus ex leui sanè ulcere quum in morbum incidisset, diuturna tabe consumptus est: Orchomeni uerò publicis damnis ac damnationibus affecti sacerdotium ab ea familia ad eum transtulerunt, quem ex omnibus optimum delegissent.

CVR eos qui sponte Lycæum ingrediuntur, lapidibus obruunt Arcades, qui si per ignorantiam intrauerint ad Eleutheras eos mittunt? An quòd quasi absoluti libertatem adepti uiderentur, hæc ratio fidem habuit, & tale est ad Eleutheras, ac si in locum curæ uacuum, & illud, uenies in libentis solum? An fabulæ potius credẽdum est? Soli enim Lycaonis liberi Eleuther & Lebeadus sceleris in Iouẽ paterni exp[illegible] fuerunt, & in Bœotiam aufugerunt. Lebadenses autem iisdem legibus, & eodem iure atque Arcades utuntur. Eos igitur ad Eleutheras mittunt qui Iouis adyta ignorantes intrauerint. An illud probabilius quod Architimus dicit? Arcadicis festi sunt dies, quosdam per inscitiam ingressos ab Arcadibus Phliasijs traditos fuisse, à Phliasijs deinde Megarensi

garensibus, à quibus porrò quum Thebas deueherentur, imbre ac tonitribus & alijs tẽpestatibus oppressos ac detentos fuisse: hinc locum nonnulli Eleutheras appellatum fuisse dicunt. Quòd autem dicitur, ab eo qui Lycæum ingressus fuerit, umbram non cadere, licet falsum, tamen magnopere creditum est. An quòd aër ingredientibus in nubem conuersus obducitur? An quòd templũ ingressus omnibus modis excruciatus morte mulctetur, mortuorũ uerò animas Pythagorici neq; umbram facere, neq; conniuere? An illud potius, quòd sol quidem umbram facit, solem autem ausert * nomen Embantis, & hoc obscurè intelligentes dicãt? Ceruus enim Embas dicitur. Quapropter Cantharionem Arcadem, quòd is ad Eleos cum Arcadibus bellum gerentes profugisset, & cum præda Abatum traiecisset, composito postea bello quum Spartum profugisset, Lacedæmonij Arcadibus reddiderunt ædito oracullo, ut ceruum redderent.

* τὸ ἰμβάντος ἀ νομάς.

QVEMNAM in Tanagra Eunostum heroëm fuisse dicemus, quid'ue causæ esse, quamobrẽ mulieres eius lucum non ingrediũtur? Eunostus Eliei Cephisti & Sciadis filius fuit, cui nomen inditum ab Eunoste nympha est, à qua educatum ferunt. Speciosus igitur ac iustus non minus ex modestia & seueritate laudis tulit. Hũc ab Ochna Coloni filia & propinqua sua amatum fuisse ferunt. Sed quum eius libidinem conuicio retudisset, remq; ad fratres deferre statuisset, mulier occupauit, & fratres Ochemum, Leonem, Bucolum ad Eunosti necem concitauerat, quòd eum sibi per uim stuprum intulisse insimulauerat. Illi quum sorori fidem adhibuissent, adolescentem insidijs de medio sustulerunt. Quo facto Elieus illos in carcerem coniecit. Ochna pœnitentia ducta, & uehemen-

ter perturbata, simul & dolore, quem ex amore capiebat, liberari cupiens, simul fratrum misericordia cõmota, rem omnem ut gesta fuerat Elico indicauit, quam è uestigio Elicus ad Colonum detulit. Eius iudicio ac sententia fratres liberati sunt, Ochna uerò seipsam præcipitem dedit, ut Myrtis Anthedonia canticorum poëtria scriptum reliquit. Eunosti uerò templum & lucus mulieribus adeò inaccessus fuit, ut quum sæpenumero terræmotus, aut siccitates, aut imbres, aliæ deniq; tẽpestates ingruissent, Tanagræi accurate ac diligenter exquirerent, nunquid mulier clanculum aut per imprudentiam templo appropinquasset. Quanquã nonnullos dicere cõstat, inter quos est Cledamus uir insignis, occurrisse sibi Eunostum lauandi causa mare petentẽ, quòd mulier templum inuasisset. Refert enim Diocles in libro de Semideis, Tanagræorũ decretum, de quibus Cledamus renunciauerat.

Myrtis uirgo.

VNDE in agro Bœotio circa Eleonem Scamandrus fluuius est appellatus? Deimachus Eleonis filius, Herculis socius, expeditionis ad Troiam particeps fuit. Sed quum bellum traheretur, Glauciam Scamandri filiã compressit & grauidam reddidit. Quo à Troianis in pugna interfecto, Glaucia, ne stupro comperto ab Hercule pœna afficeretur, sponte ad eum confugit, & amorem suum indicauit, seq; cum Deimacho consuetudinem habuisse confessa est. Hercules re cognita, & amoris misericordia cõmotus, & quòd uiri fortis ac sibi in primis familiaris stirpem relinqui magnopere cupiebat, Glauciam in nauem recipit, quam postea quum peperisset, in Bœotiam reductam, & ipsam & stirpem Eleoni reddidit. Appellatus est autem puer Scamandrus, qui postea regnũ adeptus Inachum fluuium de suo nomine Scamandrum appella

uit, sicut uicinũ fluuiũ Glauciã de matris nomine nocitauit. Nec uerò uxoris oblitus ipsius nomine Acidusam fonti nomen indidit, ex qua tres filias susceperat, quas hoc quoq; tẽpore in honore habẽt, & uirgines appellãt.

Hæc præcipua, aut hæc domina, aut ut apud Erat, hæc potior, ×

VNDE factum est illud tritum sermone prouerbiũ, Hæc præcipua? Dino Tarentinus ductor exercitus, uir fortissimus, & in primis rei militaris peritissimus, quum sententiam eius ciues improbarent, & præco aduersariorum sententiam proposuisset, sublata dextera, hæc melior, inquit. Huius rei autor est Theophrastus. Sed Apollodorus in historia sua illud adiunxit: quum præco, Plures hæ numero sunt, dixisset, Itaq;, inquit, sed hæ meliores, ita paucorum.

VNDE dicta est urbs Ithacensium, quam Alalcomenas appellant? Quòd Anticlia adhuc uirgo Sisyphi compressu, qui ei stuprum obtulerat, Vlyssem concepit, complures dixere. Istrus uerò Alexandreus in monumentis suis illud adiunxit, Anticliam Laërti in matrimonium datam quum ad Laërtem duceretur, apud Alalcomeneum in Bœotia Vlyssem peperisse, & ob eam rem ille quasi mediæ urbis nomen referens, eam quæ in agro Ithacensi est urbem eodem nomine appellatã fuisse memorat.

QVI sunt Aeginæ Monophagi? Multi ad bellum Troianũ Aeginẽses profecti pugnãdo ceciderũt, cõplures tẽpestate demersi sunt. Paucos igitur à bello reuersos propinqui susciptentes, quũ reliquos ciues in luctu ac dolore uersari animaduerterent, nec aperte lætandũ existimauerunt, nec pro suorũ reditu dijs immortalibus sacrificandũ, uerũ clàm domi quisq; suæ comiter excipiẽtes ipsi in cõuiuijs ministrabãt, nec alienũ quenquam admittebãt. Hoc igitur imitãtes Neptuno rem diuinam faciũt, & Thiasos

Universidad de Deusto
Biblioteca

exercẽt sexdecim dies silẽtio inter se cõuiuia celebrantes, nec scruũ quempiam interesse licet. Inde Veneri facientes solẽne festũ dirimũt, & ex eo Monophagi appellantur.

QVID est, quòd in Caria Labradei Iouis simulachrum bipennem, non sceptrum aut sulmẽ sustinet? Quia Hercules interfecta Hippolyte, quum præter alia bipennem quoq; illi eripuisset, Omphale dono dedit, quam Lydorum postea reges per manus accipientes sicut alia sacra ferre consueuerunt, donec Candaules indignum censens, uni ex socijs ferendam tradidit. Sed postquã Gyges ab eo desciscens bellum Candauli intulit, Arselis Myleis auxilia Gygi adduxit, & Candaulem sociumq; eius occidit, & unà cum reliquis spolijs securim in Cariam detulit, ibiq; extructo Iouis simulachro bipennem in manu dedit, & Labradeum Iouem appellauit, nam Lydi bipennem Labrem appellare consueuerunt.

Ὄρθρος. QVID est, quòd purgatorem ὄρθρον uocant Tralliani, eoq; in libationibus ac piaculis potißimũ utuntur? An quia Leleges & Minyæ antiquitus Trallianis expulsis urbem atq; agros occupauerunt, postea reuersi Tralliani superatis Lelegibus quicunq; neq; in prælio cecidерunt nec fugerunt, sed aut imbecillitate aut inopia ibidem remanserunt, his omnibus contentis legem posuerunt, ut quicunque Minyam aut Lelegem occidisset, ita purus & expiatus esset, si eius quem interfecisset cognatis legumінum modium emensus esset?

Sãbico grauiora pati.

CVR apud Eleos in prouerbio est, Grauiora Sambico pati? Ferunt Eleum quendam, Sambicum nomine, multis socijs & coadiutoribus usum, complures apud Olympiam æreas statuas & simulachra concidisse ac uendidisse: deniq; Dianæ præsulis templũ diripuisse. Est enim Elide templum Dianæ, quod Aristarchium nominant. Illum uerò statim post sacrilegium comprehensum toto anno excruciatum fuisse, dum tormentis de consciis ac socijs ab eo quæreretur, atque ita mortuum fuisse, & eius cruciatibus prouerbium additum esse.

QVID est, quòd Lacedæmone iuxta Leucippidarũ templũ posita est Vlyßis ædes? Ergiæus unus ex his qui à Diomede originẽ ducũt, à Temeno quodã persuasus palladiũ Argis surripuit, cuius rei cõsciũ habuit Leagrũ: erat enim Temeni sanè familiaris. Leagrus postea Temeno iratus Lacedæmonẽ cõcessit, palladiũ secũ deferẽs. Quod quum reges studiosè accepissent, iuxta Leucippidarum templũ collocauerunt, ac mußis qui de cõseruando & custodiendo palladio Apollinis sententiã sciscitarẽtur, oraculo ædito, ut unum ex his qui palladiũ surripuissent custodem facerent, Vlyßis ædem ibidem posuerunt, heroẽm ipsum alioqui propter Penelopes nuptias ad se pertinere, & ciuitatem affinitate attingere existimantes.

QVID est causæ, quòd Chalcidoniæ mulieres morem hunc habent, ut si in alienos uiros & magistratus potißimũ incidant, alterã maxillã aperiant? Chalcidonij aduersus Bithynios bellũ gerebãt: hi cum Zepoëtum regem haberẽt, omnibus suis copijs additis, etiã Thracum auxilijs facta incursione agros populabãtur. Sed quũ Zepoëtus circa Phicum, id enim loci nomẽ est, palantes ac perturbatos inuasisset, superati octo millia militum desideraueruũt, nec tamẽ penitus deleti sunt. Composito autẽ bello quum ea clade ciuitas ad uirorũ solitudinẽ propemodum redacta esset, complures mulieres necessitate compulsæ libertis & externis nupserunt, nonnullæ uiduitatem talibus nuptijs anteponentes solæ agebant: ac si quid opus esset,

ad magistratus ac iudices confugientes alteram oris partem aperiebant. Harum pudorem quæ nupserant imitatæ, & meliores fuisse ratæ, eundem morem retinuerunt.

QVID est causæ, quòd oues ad Agenoris lucum abigentes Argiui ut ibidem incantur efficiunt? An quòd egregiè præter cæteros Agenor oues curarit, & plures greges habuerit?

CVR se Argiuorum pueri quodam festo per iocum Ballachradas uocitant? An quòd primos ab Inacho ex agris in campos, ac plana deductos Achradibus altos fuisse commemorant? Ferunt enim Achradas primũ Græcis in Peloponneso fuisse cognitas, quum ea regio Apia etiam diceretur. Vnde Apij Achrades mutato nomine appellati sunt.

QVID causæ est, quamobrem Elei equas finibus eductas iniri faciunt? An quòd regum omnium equorum studiosissimus Oenomaus, quum animal illud præcipue adamasset, multa & horrenda eis imprecatus esset, qui equam apud Elidem iniissent, & idcirco ueriti execrationem illam abominantur ac uitant?

CVR apud Gnosios moris fuit mutuantibus argentum rapere? An'ne bi qui arripuissent, de ui tenerentur, & magis plecterentur?

QVAE causa est quamobrem Sami Dexicreontis Venerem uocent? An quòd eorum uxores luxu ac petulantia perditas, Dexicreon homo mendicus quibusdam piacularibus sacris expiauit? An quia nauclerus quum esset Dexicreon, negociandi causa in Cyprum nauigauit? Cui onus in nauim imposituro Venerem iussisse ferunt, aquã tantũ in nauim imponeret, ac statim solueret? Eum dicto audientem fuisse, & aqua in nauim comportata profictum

profictum summa tranquillitate, & in alto deprehensum sitientibus reliquis & mercatoribus & nautis aqua singulis uenundata multum argentum collegisse, ex eo statua deæ posita deam suo de nomine appellasse? Quod si uerum est, non unum dixisse, sed per unũ multos seruasse Venus existimanda est.

QVID est, quòd Sami Mercurio Charidotæ rem diuinam faciẽtes, uolenti & furari & latrocinari permittunt? Quia oraculo relicta insula Mycalen quũ migrassent, præda ac rapinis decẽ annis uitam duxerunt, deinde in insulam reuersi Samij hostes superauerunt.

VNDE ei loco nomen inditum esse dicimus, quem Samij Panæma? An quòd Dionysium fugientes Amazones ex agro Ephesio Samũ perfugerunt? Dionysius confestim ædificatis nauibus transmisso mari, prælio cõmisso eo in loco multas occidit, quem defluentis sanguinis flumine spectantes admirati Panæma postea nominauerunt? Earum autem quæ occiderunt circa Phleum ossa ostenduntur. Sunt qui dicant Phleum earum clamoribus abruptum fuisse, quum magno quodam inter pugnandum & contento clamore usæ fuissent.

QVID est causæ, quòd Andron Sami Pedetes uocitatur? Mortuo Domctele quum plebs Rempublicã occupasset, Megarenses aduersus Perinthios Samiorum colonos exercitum duxerũt, compedes, ut dicitur, quasi aduersus seruos secum portantes. Quod quũ plebi renunciatum esset, celeriter auxilia submisit: nouem declarati sunt qui triginta nauium classi præessent, harum unam portu egredientẽ fulmine ictam ac deprehẽsam fuisse dicunt. Duces tamen cum reliquis profecti Megarenses prælio uicerunt, & sexcentos captiuos ceperunt. Qua uictoria elati

populare statum euertere cogitabant, cui rei plebs occasionē præbuit. Misit enim literas, quibus imperabat, ut Megarenses compedibus uinctos adducerent. Illi Megarensibus literas quum ostendissent, facilè persuaserunt, ut cōmuni consilio secū ciuitatem liberarent. Rationē ineuntibus uisum, puerorū * Cricos detractos Megarensiū turribus circūponere, & ne defluerent loris quibusdā adzonas alligare. Erat enim timēdum quum laxi essent, ac facilè defluerent, soluti uiderentur. His in hunc modū ornatis, quū singulis ensem dedissent, ad Samum appulsi medio fōro Megarenses in curiam deduxerunt: ubi dato signo Megarēses impetu facto plebeios omnes qui rerū potiebantur interfecerunt. Hoc pacto recuperata libertate Megarenses quicūq; uoluerūt ciuitate donarūt, & bonæ magnitudinis domo ædificata compedes quasi templo suspensas obtulerunt, ab eo Pedetes domus appellata est.

*ερίκας.

CVR apud Coos sacerdos Herculis muliebri ueste indutus, & mitra caput ornatus apud Antimachiam rem diuinam facit? Hercules quū ex agro Troiano sex nauibus profectus esset, tempestate deprehensus nauibus amissis ad insulā Coum delatus, ad Laceterem iectus est, omnibus rebus præter arma & socios penitus amissis. Ibi nactus ouiū greges, à pastore unā sibi ut daret petijt. Is Antagoras uocabatur. Qui quum robore ac uiribus corporis præstaret, Herculē ad luctandū prouocauit, ea lege, ut si uinceret arietē auferret. Hercules cupidè cum Antagora cōgressus, quū hominem ita agitaret, ut facilè superaturus uideretur, Meropes Antagoræ auxiliū tulerunt, & Græcos ut Herculi opem ferrent cōcitauerunt. Prælio cōmisso Hercules pugnādo defessus ad mulierē * Thracem cōfugisse dicitur, & muliebri ueste opertus apud eā detulisse.

*πῶλαν.

Sed post

Sed postquàm Meropibus superatis expiatus Alciopi filiam in matrimoniū duxit, floream uestem induit. Quamobrem sacerdos ubi prælio factum est, rem diuinam facit, & sponsi muliebri ueste induti sponsas suscipiunt.

VNDE apud Megaram genus est Hamaxocylistarum? Qua tempestate intemperans ille ac dissolutus popularis status Megaris fuit, qui & sacrilegiū effecit, proficiscebantur Peloponnesiorū nomine Delphos solēnes spectatores, qui quū per agrum Megarensem iter facerent, apud Aegerā ad paludē cum liberis & uxoribus subuerso curru in terrā prouoluti sunt, ibi Megarensium quidā petulantissimi atq; ebrij, per insolentiam & crudelitatem currus in paludem cōtruserunt, multos ex his qui uenerāt obruerunt. Quod in illa status perturbatione & cōfusione rerum omnium Megarenses neglexerūt, Amphictyones autem quòd ea res ad religionē pertinere uidebatur, grauiter commoti tanquam sceleratos & impios exilio nōnullos, plerosq; morte afficiendos cēsuerunt, qui postea à genere Hamaxocylistæ nominati sunt.

FINIS.

STEPHANVS NIGER ILlustrissimo uiro, Antonio Prato, utriusq; Galliæ Magno Cancellario S. P.

CHæronensis Plutarchus, uir illustrissime, quū Apollonij amicum filij sibi charissimi immaturum obitum lugentem animaduertisset, ita eum sua est solatus oratione, ut non modò gnatum fato sibi interceptū non amplius ægre ferret, uerū optimè potius sibi ac filio consultum duceret. Nam ad sedandum eius mœrorē ijs utitur rationibus, eiusmodi ni-

titur autoritatibus atq; exemplis, ut mortẽ etiã celerrimã non solum haud esse hominibus malũ, sed & bonorũ optimum facilè persuadeat. Quam utiq; orationẽ assidua lectione ac scitu dignã, quã à Plutarcho Græcè conscripta sit, nos in Latinũ conuertimus sermonẽ, tibiq; propterea nuncupauimus, ac sub nomine tuo imprimendam curauimus, ut & tuorũ erga nos officiorũ apud omnes gratißimũ esset indiciũ, et qui huiusmodi traductiones uix inspicere dignantur, tua saltẽ autoritate ducti sæpius perlegerent, quæ profecto apud inuictißimũ regẽ tanta est, ut Antipatro apud Philippũ Macedoniæ regẽ non maior fuerit: nec mehercle immeritò, ea enim in ijs, quæ tibi ab inclyto rege iniunguntur administrandis, uteris cõsilij grauitate ac prudẽtia, ut quantũ ad ea pertinet sapiẽter expedienda, rex in utranq; aurẽ dormire possit. Quocirca ut Aeneas ille, unde Romanus populus originẽ traxit, Troianorũ mens à Græcis Ilium obsidẽtibus dicebatur, ita tu & mens, & oculus tam magnanimi regis, quàm utriusq; Galliæ meritò appellari potes. Neq; enim Aeneas maiorẽ suo cõsilio rebus Troianis attulit utilitatem, quàm tu tuo Gallicis adferas. Nam in dispiciẽdis rebus Lynceis uteris oculis, summo in prouidẽdis cõsilio, in iudicãdis, quid utilitas ciuitatũ, quid cõmunis imperij salus, quid res, tẽpora poscant, semper cogitas. Quo fit, ut rex licet iuuenis, senili tamen prudentia præditus propterea etiam ab omnibus dicatur, quia ad imperiũ optimè administrandũ pertinentes prudentißimis cõmittat uiris. Cæterum si Plutarchi opusculum, per nos Latinum factum, tibi non admodum elegans uidebitur, tuum erit nobis ignoscere, qui Atticum illum lepõrem nostra consequi oratione nequaquam ualuimus. Vale.

Plutarchi

PLVTARCHI CHAERONEI AD APOLLONIVM, ORATIO CONSOLATORIA.

Stephano Nigro interprete.

NON potui iandiu, Apolloni, non maximo tecũ grauißimoq; affici dolore, quum filij tui, æquè nobis ac tibi charißimi, immaturam uitæ cum morte mutationem percepissem, adolescentis modesti simul ac tẽperantis, pietatẽq; erga deos ac parẽtes, necnõ & in amicos iura oppidò quamegregiè colentis: uisus sum tamẽ mihi operæprecium minimè facturus, si statim sub obitus tempus te conuenissem, idq; quod accidit, ut æquo ferres animo essem exhortatus: quum præsertim & tu animo ac corpore ob inopinatam cõsternatus esses calamitatem, & ego necessariò tua angerer sollicitudine. Neque enim medicorum præstantißimi ad repentinos fluxuum impetus medicinarum confestim adferunt remedia, uerum inflammationis grauedinem, absque ulla externa unguentorum impositione ad maturitatem peruenire patiuntur. Postea uerò quàm & tempus, omnia ad maturitatem perducere solitum, calamitati acceßit, & tua sollicitudo amicorum auxilia iam exigere uidetur, bene habere sum arbitratus, si ad relaxandum ac remittendum dolorem, flebilesq; atque inanes sedandos luctus, consolatoriæ te participem orationis facerem: animo nanque male affecto medici sunt, sermones, quum præsertim quisq;

piam

piam opportunè cor molliat. Nam autore ſapiente Euripide, alia alij adhibetur medicina morbo: dolore quidem affecto, beneuolus amicorum ſermo: ſatuè uerò ſe gerenti, admonitiones. Etenim quum multæ ſint animi perturbationes, omnium quamgrauiſſima eſt dolor: multi enim dolore in furorē, nōnulli in incurabiles ægritudines redacti memorantur, ſibijpſis quidam præ dolore manum conſciuere. Dolere igitur atq; angi ob defunctum filium, naturalem quidem habet doloris originem, nec in manu noſtra poſitam. Neq; enim illorum accedo ſententiæ, quæ feram aſperamq; laudibus extollunt indolentiam, ſupra quàm quod poſsibile utileq; ſit exiſtēte. Hæc enim tolleret ex mutua dilectione beneuolētiam, quam omniū maximè cōſeruare neceſſe eſt. Supra modum uerò differri, luctūq; adaugere, præter naturam eſſe cenſeo, & ex quadam in nobis inſulſa fieri opinione. Quocirca hoc quidem ut noxium ac uile, & quod minimè decet ſtudioſos, omittendū eſt, mediocris uerò haud reijciendus eſt dolor. Vtinam minimè ægrotaremus, inquit, Academicus Crantor, ægrotantibus uerò aliquis ſenſus adſit, ſiue aliquid ſecetur, ſiue auellatur à corpore: nā iſtud nihil dolere non ſine magna mercede cōtingit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Neq; enim ut in huiuſmodi calamitatibus ſapiētes uiri doloris omnino ſint expertes, neq; ut ſupra modū uexentur ratio permittit: Illud enim durū penitus ac ferum, hoc uerò eneruatum atq; effœminatum. Prudentiſſimus ille, qui & modū in rebus tenet, & in legēda uita non minus quæ euenīūt aduerſa, quàm quæ ſecunda æquo ferre animo poteſt. Præmeditatuſq; fuerit, quòd quēadmodū in populari ſtatu magiſtratuū habetur ſors, et q ſortitus fuerit, eum imperium adminiſtrare oportet, qui uerò repulſam paſſus

paſſus fuerit, fortunam æquo animo ferre, ita & rerū partitionē citra ullā accuſationē obſequenter ſequi: nam qui hoc nequit præſtare, ne ſecundā quidē prudenter, ac modeſtè ferre poterit fortunam. In ijs enim quæ rectè dicta ſunt, hoc quoq; documēti loco habetur: nulla ſit tanta felicitas, quæ te adeò extollat, ut tibi plus quàm oporteat, placeas, nec ſi quid aduerſi acciderit, rurſus deprimaris, in ſeruitutemq; redigaris, ſed idē perpetuò maneas, tuum (ut in igne aurū) ſolidè ingeniū ſeruās. Eſt enim eruditorum ſimul ac temperantiū uirorū, & aduerſus eas, quæ felicitates putantur, eundem eſſe, & contra infortunia decorum ſeruare: rationis nanq; bene compoſitæ officium eſt, uel quum infertur malum declinare, uel illatum corrigere, uel ad minimum redigere, uel patientiam ſuam fortem ac generoſam præſtare. Nam circa bonū prudentia quadrupliciter ſe gerit, quum aut adipiſcitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudēter utitur: hi prudētiæ aliarūq; uirtutum ſunt canones, quibus ad utranq; utendū eſt fortunam. Nullus eſt enim uir, qui uſquaquaq; felicitate fruatur, & per Iouē parendum eſt fatis. Nam ut in plantis nonnūquam maxima eſt fertilitas, interdū ſterilitas, & in animantibus quandoq; numeroſa proles, quādoq; nulla, & in mari tēpeſtates, ac tranquillitates, ita & in uita multi ac uarij caſus, in aduerſas circūagunt homines fortunas, ad quas proſpiciens quiſpiam haud immerito diceret: Non in omnibus genuit bonis Agamemnonē Atreus, neceſſe eſt autem ut & lætitia, & dolore afficiaris. Natus es enim mortalis. Et te quoque inuito, dijs ita uolentibus, erit. Et illud à Menandro dictum: Nam ſi omnium ſolus natus es Trophime, quum te mater pariebat, ea lege, ut quæ uelis agas, felicitate perpetuò fruaris, & decorum aliquis Prudentia quadruplex.

quis hoc tibi pollicitus est, meritò indignaris: mentitus enim est, atq; iniquè fecit: sin autem ijsdem, quibus nos legibus uitalem hunc, ac communem hausisti aërem, ut tibi magis tragicè loquar, hæc melius & ferenda, & cogitanda sunt. Quod autem rationum caput, homo es, quo ad summa, rursusq; ad ima, nullum animal mutationem celerius accipit: nec id immerito. Nam quum natura infirmissimum sit animal, maximas res administrat. Quum autem cadit, multa conterit bona. Tu autem Trophime haudquaquam egregia amisisti bona, & in præsentia mediocria tibi insunt mala. Quare modestè reliqua feras. His tamen ita se habentibus, nonnulli ob nimiam imprudentiam usqueadeo sunt stolidi ac dementes, ut paululum uel nimia pecuniarum copia, uel magistratus magnitudine, uel ciuili aliqua gloria honoreq; elati alijs minitentur, ac conuicijs afficiant, fortunæ inconstantiam uolubilitatemq; minimè recordati, nec quòd perquam facilè quæ sublimia sunt, deprimuntur: quæq; humilia sunt, rursus quamcelerrimis fortunæ mutationibus extolluntur. Est igitur uiri haud rectè res ipsas cogitãtis, in re nequaquã stabili ac firma constantiã quærere. Rotæ enim circumactæ nõnunquã altera pars superne extat, nonnũquam altera. Itaq; ad indolentiã optimũ est remediũ ratio, & per hanc quoddã aduersus fortunæ mutationes munimentũ: oportet enim nõ tantũ seipsum natura mortalẽ nosse, uerũ et mortalis consortẽ uitæ, rerumq; perquã facilè in cõtrarium se mutantiũ. Hominũ enim numero mortalia et caduca sunt corpora, mortales fortunæ ac perturbatiões, cæteraq; uitæ ac cidẽtia, quæ mortalibus effugere nõ licet. Sed *malleo ductis necessitatibus, Tartari premis ima tenebrosi, ut inquit Pindarus. Vnde Demetrius Phalereus, dicente Euripide

*Σφυρηλάτοις ἀνάγκαις.

diuitias

diuitias esse instabiles, ut caducas, unamq; diem hæc quidem ad ima deprimere, hæc uerò ad summa tollere, alia quidem rectè eum dicere inquit, melius uerò faxisset, si nõ unam diem, sed temporis punctum dixisset. Idem enim circulus frugiferis est terræ plantis, & mortalium generi: his quidem augetur uita, horũ uerò deficit, rursusq; metitur. At Pindarus in alijs: Quid autem quis, quid autẽ nõ quis, *umbræ somnium homo: expresse euidenterq;, atq; artificiosè hyperbole usus, hominum uitam aperuit. Quid enim umbra imbecillius? huius autẽ somniũ nemo utiq; alius exprimere planè posset. Hæc secutus & Crantor, quum in filiorum decessu Hippoclem solaretur, inquit: Hæc uniuersa uetus philosophia & loquitur, & hortatur, quorũ si nihil aliud approbamus, uitam saltẽ multifariã, & operosam, & difficilem esse, haudquaquã inficiabimur. Nam etiã si à natura hunc minimè habeat morem, nostra saltẽ causa ad hanc pernitiem deuenit, & incerta hæc fortuna nos à prima origine secuta est, ne in una quidem re sana, nascẽtibusq; miscetur aliquis in omni malorum sorte. Semina enim statim mortalia existentia, eius causæ partẽ assequuntur, ex qua & mala animi indoles, & morbi, ac dolores, & mortalium sors nobis adserpsit. Sed quorsum hæc? ut sciremus nihil omnino esse noui, quum quis malignam experitur fortunam, uerum omnes eadem pati. * Inconsiderata nanq; est fortuna, ut inquit Theophrastus, & ad ea quæ elaboraueris auferenda uehemens, nullumq; habens ad perturbandam existimatam felicitatem constitutum tempus. Hæc enim & huiusmodi alia, cum per te considerare, tum ex alijs ueteribus ac sapientibus uiris audire, unicuiq; est facillimum. Quorum primus diuinus est Homerus, dicens: Nil homine imbecillius nutrit terra:

*ὀνείρατος σκιὰ ἄνθρωπος.

*ἀσύλλογιστος γάρ ἐστιν ἡ τύχη.

f.

terra: nõ enim se unquam mali quicquam in posterũ passurum ait, dum uirtutem præbeãt dij, & genua sint ualida. Sed quando iam mala peragunt dij, & hæc fert inuitus toleranti animo, talis enim est mens terrestriũ hominũ, qualem quotidie agit hominum pater atq; deorum. Et in alijs: Tydide magnanime, quid genus percontaris? cuiusmodi est fŏliorũ genus, huiusmodi & hominum. Foliorum alia quidẽ uentus decutit, alia pullulans fert sylua, uerno autem nascuntur tempore, sic uirorum genus hoc quidem nascitur, hoc uerò desinit. Quòd autem hac humanæ uitæ similitudine bene usus sit, ex ijs constat quæ alibi idem dicit: Mortalium autem miserorum causa bellum gerere, qui fŏliorum similes aliâs quidem ualde uigent, terræ fructum ædentes, aliâs uerò deficiũt exanimes, nec ulla inest uis. Simonides autem poëta, quum Pausanias Lacedæmoniorum rex, rebus à se gestis quamsæpissime gloriaretur, & quadã irrisione iuberet, ut sibi aliquid sapienter præciperet, eius cognito fastu, ne se hominem esse obliuiscereture, consuluit. At Philippus Macedonum rex, quum tria sibi feliciter euenisse sub idem tempus nunciatum fuisset, quòd scilicet quadrigis Olympia uicisset, & Parmenio imperator exercitus Dardanes prælio superasset, præterea quòd Olympias uxor masculum sibi filium peperisset, sublatis ad cœlum manibus: * O dæmon, inquit, mediocri hæc aliqua repẽdas clade: natura comparatum esse haudquaquam ignorans, ut ingentibus fortuna inuideat felicitatibus. Theramenes, qui unus Athenis de triginta tyrãnis fuit, quum domus ruinã, in qua cũ multis cœnabat, solus euasisset, ac propterea ab omnibus beatus prædicaretur, magna uoce clamãs: O fortuna, inquit, ad quã me igitur seruas occasionem? paulò autem pòst à reliquis contortus

* Δαῖμον, μέτριά τι τούτων ἀντίτισαι ὑπὲρ ἡμῶν.

contortus tyrannis uitam finiuit. Perquã egregie autem Poeta circa consolationem probandus uidetur, quũ Achillem hæc Priamo, ad redimendum Hectorem profecto, dicentem inducit: Quare age iam, sede super throno, doloresq; in animo iacere permittamus, licet dolore affecti: nihil enim conferunt horridi luctus, sic nanque destinarunt dij miseris mortalibus, ut tristes uiuant, quum ipsi nullum patiantur dolorem. Duo etenim dolia in Iouis pauimento sita sunt, donorum unum malorum, qualia præbet mortalibus: alterum uerò bonorum. Cui quidem bona malis immiscens dederit fulmine gaudens Iupiter, quandoq; is malum, quandoq; bonum sortitur. Cui uerò de perniciosis dederit, hunc contumelijs obnoxium reddit, ipsumq; mala atque ingens fames per diuinam tellurem exagitat, incedit autẽ nec à dijs, nec à mortalibus honoratus. At Hesiodus, Homero & existimatione, & tempore posterior, qui se Musarum discipulum prædicat, in dolio & ipse mala coërcens, Pandoram indicat dolium aperientem, per omnem terram ac mare malorum copiam dispersisse, sic dicens: At mulier manibus magnum aufferens operculum, dispersit, hominibus autem curas suo consilio præbuit pernicioſas, sola uerò Spes in ædibus infrangibilibus intra dolium sub labris permansit, nec foras euolauit, dolio enim prius opposuit operculum: ast alia innumera in homines exilierunt mala: plena enim malis tellus, refertum mare, morbi autem hominibus quotidiani, hi noctu sponte accedunt, mala mortalibus tacite adferentes, quandoquidem uocem abstulit consultor Iupiter. Ab his Hesiodus. seiũctus Comicus, in eos qui huiusmodi calamitates ægre ferunt, hæc dicit: Si nobis lacrymæ malorum essent remedium, & qui lacrymasset dolere desineret, auro dato Menander.

lachrymas permutaremus: nunc autem, non aduertunt perturbationes, nec respiciunt in istas here, sed eandem uiam, siue fleueris, siue non, ibunt: quid igitur proficiunt? nihil: uerum dolor habet, ut arbores fructum, lacry-

Dictys. mas. Et qui Danaën uehementer lugentem solatur Dictys ait: Putas ne Orcum tuas quicquam curare lacrymas, filiumq; remissurum tuum, si ingemiscere uolueris? desine. Quòd si uicinorum mala spectaueris, tua facilius feres, præsertim si cogitare uolueris, & quot mortales in uinculis laborarunt, & quot liberis orbi consenescunt, eosq; qui ex maxima atque opulentissima tyrannide ad nihilum rediguntur: hæc te considerare oporte. Iubet enim ipsam animo uolutare, quinam minori, quiq; maiori infortunio agitentur, quò suum facilius ferat. Hucillud quoq; Socratis dictum meritò quis traberet, quo censebat, oportere ut infelicitates in commune conferrentur, ut unusquisq; ex æquo partiretur: futurum autem, ut plures suas libenter capientes discederent. Vsus est huiusmodi inductione & Antimachus poëta. Lyde enim uxore sua defuncta, quam uehemẽter diligebat, doloris solamen sibi

Antimachi Lyde. fecit Elegiam Lyden denominatam. Nam quum heroicas calamitates recensuisset, alienis malis suum sibi minorem reddidit dolorem, ut maximè constet, eum longè minorem mœrentis reddere opinionẽ, efficereq; ut sibi persuadeat, quod sibi accidit, multò esse minus, quàm quantum arbitratur, si quis dolore affectum solari cupiens, ex aliorum euentis commune esse multorum, quod accidit, ostenderit. Aeschylus autem eos belle increpare uidetur, qui mortem malum esse opinantur, sic dicens: Quam iniquè mortem odio prosequuntur mortales, quippe quæ maxima multorum est malorum medela. Hunc imitatus est & qui

& qui dixit: O mors Pæan, medicus accede: portus enim Mors, medicus. proculdubio Orcus est per terrarum orbem: magnum enim est, more eius qui rudente se à tempestate tuetur, audenter dixisse: quis autem seruus est moriendi sine curis existens? & Orcum habens adiutorem, non metuo umbras? nam quæ spectant ad mortem, nunquid quum nobis ualde assueta & ingenita sint, rursus nescio quo pacto difficilem afferre dolorem uidentur? nam quid mirum si fissile fissum est, si quod liquescere potest, delicuit, si quod exuri potest, combustum est, si corruptibile, corruptum? quando enim in nobis ipsis non est mors? & ut inquit Heracletus, idem uiuens & mortuus, uigilãs & dormiens, nouum & uetus: quæ enim cecidere, illa sunt: & illa rursus quæ ceciderc, hæc. Nam ut ex eodem luto potest quispiam animalia fingens confundere, & rursus fingere ac confundere, atque hoc uicissim incessanter facere, sic et natura ex eadẽ materia iandiu quidẽ nostros ædidit auos, & continuò post eos genuit parentes, mox nos, deinde alios ad alios circulari quodã modo producet, & hic nascẽdi fluuius perpetuò fluens nunquã quiescet, & rursus qui huic opponitur, moriẽdi, siue Acheron à poëtis, siue Cocytus appellatus. Prima igitur causa quæ solis lucẽ nobis ostendit, eadẽ & tenebricosum ducit Orcum, & nunquid huiusce rei esset imago, qui circa nos est aër, diẽ & noctẽ per uices faciens, uitæ ac mortis, somniq; ac uigiliæ inductiones? Quocirca nostrũ * hoc uiuere, fatale quoddã debitũ esse dicitur, utpote reddendũ à proauis nostris mutuò acceptũ, quod facilè ac citra gemitũ restituẽdũ est, quũ à quo accepimus, exigitur: hoc enim pacto uideri gratissimè poterimus. Existimo autem naturam ipsam, quũ tantam uitæ breuitatem nullo ordine uidisset,

* Μετριδίως χρῆσθαι.

ut mortis terminus lateret, uoluisse: hoc enim fuit melius. Nam si præuidißemus, nonnulli mœroribus cõtabuissent, & ante mortem deceßissent. Aduerte autem uitam ipsam cũ doloribus refertã, tum multis sollicitudinibus exhaustam, quas si recensere uellemus, uehementer ipsam condemnaremus, & quæ apud quosdam obtinuit ueram opinionem redderemus, quòd scilicet longè sit melius mori, quàm uiuere. Itaq; Simonides, hominum, inquit, modicæ quidem uires, inanes uerò curæ, uitæq; breui labor supra laborem, & mors crudelis atq; ineuitabilis immunet. Illius enim æqualem sortiti sunt portionem & boni, & quicunque est malus. At Pindarus, unum, inquit, ad bonum duobus simul detrimentis uescuntur mortales, immortalesq; manere nequeunt, inepti ad modestiè ferendum. Sophocles: Tu quòd uir mortalis perieris, ingemiscis, quum tibi incertum sit, an quod futurum est, quicquam lucri afferat. At Euripides: Cuiusmodi mortalia naturam habeant nostin? non utiq;, ut puto. Vndenam? Quare audi me: omnibus est hominibus moriendum, nec inter eos quispiam est, qui utrum sit cras uicturus, nouerit: neque enim exploratum est, quò fortuna tendet. Huiusmodi autem existente hominum uita, cuiusmodi hi asserunt, cur nõ eos potius beatos ducere cõuenit, qui ea quæ in ipsa uita est, seruitute soluti sunt, quàm miserari ac lugere? quod multi per ignorantiã faciũt. Socrates similem esse mortẽ dicebat, aut profundißimo somno, aut peregrinationi longæ ac diuturnæ, aut cuidã corporis atq; animi interitui: propterea q; nihil mali esse in morte. Singula sic percurrẽs ostẽdebat: Si enim somnus est aliquis mors, & dormiẽtibus nullũ est malũ, cõstat, ne mortuis quidẽ ullum esse malum. Atq; q, suauißimus sit somnus profundißimus, quid

Mors quibus rebus similis.

quid opus est dicere? cunctis enim hoc exploratum est: testatur & Homerus de ipso somno dicens: profundus dulcißimus morti aßimilatus. Multis autẽ in locis & hæc dicit: ibi somno occurrerunt mortis fratri, somno & morti gemellis, facie atq; aspectu, eorũ similitudinem indicans. Gemella enim similitudinẽ maximè ostendunt. Est rursus ubi dicit mortẽ esse æneum somnũ, nullũ esse in morte sensum nos docere conatus. Non incõgruè definisse uidetur et qui dixit * somnum parua esse mortis mysteria: somnus enim certa est mortis imitatio. Oppidò autẽ quàm sapiens & Cynicus Diogenes somno deditus, uitamq; relicturus excitanti ipsum medico, et num molestiæ quicquã ipsi inesset, percontãti: nihil, respõdit, molestiæ mihi inest: * frater enim frater præuenit, somnus uidelicet mortẽ. Quòd si peregrinationi aßimiletur mors, ne sic quidẽ malũ est: nunquid autem è cõtrario bonum? nam corpori inseruire, atque ipsius affectibus degere, ex quibus auulsa mens mortalibus adimpletur nugis, felix nequid, ac beatũ? Immensa nanq; nobis, inquit Plato, ob necessarium alimentum præbet negotia corpus: præterea si qui morbi inciderint, ne perspiciamus, ut sese res habent, impedimento sunt, sed amoribus ac cupiditatibus, terroribusq; ac uarijs imaginibus fatuitatibusq; nos refertos reddunt, ut quod planè dici solet, nihil omnino nobis ab ipso corpore sapere contingat: neq; enim quicquã aliud præter bella, & seditiones, pugnasq; corpus continet, & quæ ab ipso proueniunt cupiditates. Nam propter pecuniarum possessionem omnia excitãtur bella, pecunias autem corporis causa cogimur cõparare, huius obsequijs inseruientes, & ex hoc nullum ob hæc omnia philosophiæ ocium datur. Quod autẽ omniũ est postremũ, si quid nobis ab ipso ocij

* ὕπνῳ τὰ μυστήρια τοῦ θανάτου. * ὁ γὰρ ἀδελφὸς πρὸ τοῦ ἀδελφοῦ λαμβάνει.

fuerit, cõuertamurq; ad id considerandum, quod ubiq; in quæstiones incidit, tumultum nobis ac perturbationem præbet, et usqueadeo percellit, ut uerum cernere nequeamus. Quare re ipsa nobis indicatum est, carendũ esse corpore, animoq; ipso res spectandas, si quid unquam liquidò ac syncerè cognituri simus, & tunc, ut uidetur, nobis erit quod exoptamus, & quod dicimus diligere: nam post mortem aderit prudentia, ut ratio indicat, quæ uiuentibus nulla est. Si autem fieri non potest, ut cum corpore quicquam dilucide cognoscamus, de duobus est alterum, aut nusquam scientiam consequi licet, aut defunctis tantum: tunc enim ipse per se à corpore seiunctus erit animus, prius uerò nequaquam: & tantisper dum uiuimus hoc pacto, ut uidetur, proxime ad scientiam, ac rerum cognitionem accedemus, si cum corpore minimè uersati fuerimus, nec quicquam cum eo, nisi urgente necessitate communicauerimus, nec huius natura expleamur, sed ab ipso puri fuerimus, donec deus ipse nos absoluerit. Itaq; corporis quidem insipientia syncerè liberati, ut par est, cum talibus erimus, per nosmetipsos omne syncerum cernentes, hoc autem est uerum: nec enim polluto purum attingere fas sit. Quare etiam si mors ipsa in quempiam alium traducere locum uidetur, non est propterea malum. Nunquid & inter bona esse ostenditur? ut Plato indicauit? Quocirca oppidò quàm diuinè hæc Socrates coram iudicibus dixit: Mortem timere, ô uiri, nil aliud est, quàm cum minimè sis, uideri sapiens: est enim id uideri scire, quod nescias: nam nemo nouit mortẽ: ipsa autem est homini omnium bonorum maximum. Formidant uerò ipsam, perinde ac si cunctorum esse malorum maximum non ignorarent. His adstipulari uidetur & qui dixit: Nemo formidet

formidet mortem, non modò laborum, uerum & maximorum malorum solutionem. Hæc uidetur & numen testari: multos enim accepimus pietatis causa hoc donum à dijs consecutos, quorum alios quidem, ne supra modum oratio protrahatur, omittam, eos uerò memorabo, qui maximè sunt insignes, atq; in omnium ore uersantur. Primum itaq; tibi quæ ad Cleobim ac Bitonem adolescentes Argiuos pertinent, enarrabo: aiunt enim quum ipsorum mater Iunonis esset sacerdos, tempus ut templum ascenderet aduentasset, mulis qui uehiculum traherent cessantibus, horaq; instante, eos currum subijsse, matremq; ad Iunonis ædem aduexisse. Matrem autem filiorum pietate summopere gauisam precibus petijsse, ut quod optimum homini esset, ipsis à deo daretur: hos autem somno traditos non amplius surrexisse, quum dea pietatis præmium mortem donasset. Agamedem uerò ac Trophonium ait Pindarus, quum templum Delphis condidissent, laboris mercedem ab Apolline petijsse, cum autem septimo pòst die, se ipsis redditurum pollicitum fuisse, & ut interea epulis uacarent præcepisse. Qui quum mandatis obsecuti fuissent, septima nocte somno oppressi, uitam finiere. Fama est, & ijs qui à Bœotijs ad Apollinem missi fuerant, ex Pindari mandato, quid homini optimum esset sciscitantibus, Promantim, hoc est Pythiam respondisse, quod & ipse minimè ignorat, si eorum quæ de Trophonio atq; Agamede literarum monimentis mandata sunt, ipse est autor: quòd si periculum facere uult, haud multò pòst ipsi exploratum fore. Quæ quum audiuisset Pindarus, ad obitum spectantia cœpit considerare, nec multò pòst decessit. Quæ uerò ad Italũ Euthynoum spectant, huiusmodi fuisse autumant. Genitũ quidẽ ipsum Elisio patre Terinensi, opi- Promantis.

bus,ac gloria inter suos ciues primario,sed quũ ipse nulla euidente morbi causa deceßisset,suspicari cœpisse Elisium,quod & alius pariter feciſſet, nunquid ueneno esset sublatus,quum præsertim sibi in tanta pecuniarum affluẽtia esset unicus. Ambigentem itaq;,quonam pacto huiusce rei periculum faceret, * Psychomantion adisse: ubi quũ de more sacrificasset,somno se tradidisse,atque huiusmodi spectasse uisionem, existimasse scilicet patrem suum ad se acceßisse,quem quum uidisset, enarrasse illi quæ ad filij animam pertinerent, rogasseq;, ut mortis autorem inueniret,ipsum autem, huius rei causa ad te ueni,respondisse: uerum ab hoc accipe, quæ tibi adfero, ex ijs enim ea omnia percipies,à quibus sollicitudine afficeris. Fuisse autem quem significabat adolescẽtulum ipsum sequentem, qui suum sibi filium usquequaq; referebat. Percontatum itaq; fuisse,quisnam esset,ipsumq; respondisse,Dæmon tui filij, statimq; literulas porrexisse:quibus apertis,hæc tria inerant scripta: perscrutabaris stulte Elisi uirorum mentes,Euthynous iacet fatali leto, nam ne parentibus quidem conferebat ut uiueret. Sic itaq; tibi se habent, quæ à ueteribus literarum monimẽtis mandata sunt. Quòd si mors penitus est interitus, corporisq; atq; animi solutio, (hoc enim Socraticæ coniecturæ tertium erat)ne sic quidem malum est mors: nullus est enim in ipsa sensus, quinimo omnis est doloris ac sollicitudinis liberatio. Nam ut nihil boni nobis inest, ita nihil mali: haud secus enim bonum,ac malum circa id quod exiſtit ac subsistit, fieri solet:ei uerò quod è medio sublatum sit, horũ neutrum inesse potest:eodem itaq; statu defuncti consistunt,quo fuerant priusquam nascerẽtur. Vt igitur nobis antequam nasceremur, nec boni nec mali quicquam erat, ita ne post mortem

* ψυχομαντεῖον.

mortem quidem. Et quemadmodum quæ ante nos erant, nihil ad nos pertinebant, sic quæ post nos erunt, nostra nihil intererunt: dolor etenim non attingit defunctum: Idem enim dico esse mori,ac si nũquam natus esses:quandoquidem idem est,circa obitum statu,qui priusquã oreremur fuit. Quare putas ne interesse non nasci,uel natum occidere? nisi & domus & uestis nostræ post pernitiem ac corruptionem aliquid esse discrimunis suspicaris,ab eo quod erant prius quam perficerentur. Quòd si in ijs nihil omnino est, constat ne in morte quidem, si ad eum qui ante ortum fuerat,statum respexeris, ullam esse differentiam. Scitum est,enim illud Archelai:hoc,inquit,quod malum dicitur mors,solum ex ijs, quæ putantur mala, præsens quidem neminem unquam dolore affecit, absens uerò atque expectatum mœrorem affert. Nam proculdubio nonnulli propter imbecillitatem,& eam quæ morti infertur calumniam, ne moriantur,obeũt. Pulchre igitur Epicharmus: Concretus, inquit, est ac discretus, & rursus abijt unde uenerat, terra quidem in terram, spiritus ad supera:quid horum graue,ac difficile? nihil. Cresphontes uerò apud Euripidem de Hercule loquens:Si,inquit, sub ima habitat tellure inter eos, qui non amplius sunt, nihil utique poterit. Hoc mutans dicere poteris: si sub inferna habitat tellure inter eos, qui decesserc, nihil utiq; patietur. Nobile est & Laconicum illud: Nunc nos,antea alij uigebant,mox alij, quorum nos genus nõ amplius cernemus. Et rursus: Hi autem obierunt, nec uiuere, nec mori honestum reputantes, uerum utraque hæc honestè finire. Valde pulchre & Euripides de ijs,qui diuturnas patiuntur ægritudines,ait:Odi quicunq; uitam cupiunt producere esculentis,ac poculentis, necnon & magicis artibus

perennem abducentes fluxum, ne moriantur, quos oportebat quum nihil prosint terrarum orbi, interire, & à uiuentium conspectu abesse. At Merope uiriles sermones proferens mouet theatra, talia dicēs: Decesserunt mihi liberi non uni mortalium, nec uiro solæ priuatæ sumus, uerum innumeræ eandem quam ego exegerunt uitam. His meritò quispiam hæc adderet, ubinam uenerandа illa? ubi magnus Lydiæ rex Crœsus, aut Xerxes, qui grauē Hellespontici maris ceruicem iunxit ponte? omnes Plutonem atque obliuionis domos adierunt, pecunijs unà cum corporibus absumptis. At per Iouem multos ad luctus ac fletus immaturа mors excitat, uerum & hæc tam facili indiget consolatione, ut à poëtarum obuio quoq; excogitatam consequi ualeas. Nam uide quid de hac Comicorum quidam ei dicat, qui intempestiuam ægrè ferebat mortem: Posteà si utiq; nosses uitam, quam non uixit, feliciter uicturum, mors minimè opportuna: sin autem incurabile aliquid attulisset uita, te fortasse beneuolentior ipsa extitit. Quum autem minimè constet utrum uita decedens, & maioribus solutus malis, ex usu suo quieuerit, an non, oportet nō perinde ægrè ferre, ac si ea omnia amisissemus, quæ nos ab eo consecuturos opinati sumus. Haud enim ineptè qui apud Poëtam est Amphiaraus Archemori matrem solari uideri posset, quòd infans filius, & oppidò quàm immaturus uitam finisset, sic etenim ait: Mortalium est nemo in lucem æditus, qui non laboret, & sepulturæ mādet liberos, & alios nouos rursus acquirat, ipseq; mortē appetat, & ob hæc tristantur mortales, telluri inferentes. Hanc autem necesse haud secus uitam ac frugiferam metere spicam, & hunc quidem esse, illum uerò minimè. Quid opus est hæc ingemiscere? quæ ut secūdum naturam

Immatura mors.

turam pertranseant oportet: nam quod necessariò contingit, ægrè non est mortalibus ferendum. In summa, unumquēq; & secum considerare oportet, & alijs diligēter percurrere, non longissimam uitam, sed uirtute præditam esse optimam. Neq; enim qui plurima ad citharā cecinit, quiq; rhetorum more dixit, uel nauis clauum rexit, sed qui bene, laude afficitur. *Bonum enim non in temporis diuturnitate, uerum in uirtute, opportunáq; concinnitate ponendum est. Hoc etenim felix ac dijs gratum esse existimatur. Propterea igitur heroum præstantissimos, & à dijs genitos, priusquam senescerent, uitam reliquisse poëtæ nobis tradidere: neq; enim ille, quem ægida gestans Iupiter ex corde diligit, omniq; beneuolentia prosequitur Apollo, ad senectæ limen peruenit. Opportunum enim tempus longæuæ ætati ubique præstare uidemus. Nam ut inter plantas optimæ habentur, quæ modico temporis interuallo plurimos ferunt fructus, ita inter animantes, à quibus multum, quæ uitæ intersit, consequimur utilitatem. Multum utiq; temporis, aut parum minimè referre uidetur, si ad infinitum respexeris seculum: mille enim, ut Simonidi placet, ac decem annorum millia punctus est quidam indeterminatus, quinimo breuissima quædam puncti portio. Nam & animalibus illis, quæ, ut ab historijs percipimus, iuxta Pontum genita, unum degunt diem, mane orientia, meridie uigētia, uesperi senescentia, atq; obeuntia, si humanus animus ac ratio singulis daretur, noster hic affectus inesset, eademq; utiq; contingerent, ut quæ ante meridiem decessissent, luctum ac lacrymas præberēt, quæ uerò integrum uixissent diem, penitus felicia haberentur: modus enim uitæ, non temporis prolixitas bonum appellandum est. Inanes multæq; fatuitatis huiusmodi esse

*τὸ γὰρ καλὸν οὐκ ἐν μήκει χρόνου θετέον.

Affirs

esse exclamationes existimandum est. At non oportebat iuuenem existentem rapi. Quisnam diceret, quòd oportebat? Multa autem & alia, in quibus diceret quispiam, minimè fieri oportebat, facta sunt, & nunc quoq; fiunt, ac sæpenumero fient: neq; enim cõdituri ad uitam leges adsumus, sed à dijs constitutis, qui omnia moderantur, fatiq; ac prouidentiæ legibus obsecuturi. Quid autem, qui sic mortuos lugent, sui'ne ipsorum causa lugent, an eorum qui decesserunt? Si sui ipsorum causa, quòd aliqua in se ab ijs qui mortui sunt proficiscente uoluptate, aut usu, aut senili educatione priuati sint, scipsum amans doloris est prætextus, neq; enim illos, sed suas ipsorum utilitates lugere uidebuntur. Sin autem defunctorum causa lugent, quum constituerint in nullo eos uersari malo, omni soluẽtur dolore, ueteri ac sapiente adducti ratione, quæ admonet, ut bona quidẽ quãmaxima efficiamus, mala uerò contrahamus ac cõprimamus. Quòd si luctus bonus est, quãplurimum ipsum efficere, ac maximum decet: Sin uerò, ut ueritas habet, malum esse fatemur, eundem contrahere, & quamminimum reddere, ac pro uiribus delere oportet. Quòd autem hoc sit facile, ex huiusmodi constat consolatione. Aiunt enim ex uetustis philosophis quendam ad Arsinoën reginam, quæ filium lugebat, profectum, huiusmodi habuisse orationem. Quo tempore Iupiter honores dæmonibus partiebatur, accidit ut Luctus non adesset, sed iam distributis accederet. Verum quum & ipse à Ioue peteret, ut aliquis sibi quoque honos daretur, ambigens Iupiter quo ipsum honore afficeret, omnibus iam absumptis, eo tandem, quo defunctos prosequimur donauit honore, lachrymis scilicet ac doloribus. Quemadmodum igitur cæteri dæmones eos summopere diligunt,

gunt, à quibus coluntur, eodem pacto & luctus, ô mulier, si eum spreueris, ad te nunquam accedet. Sin autem à te fuerit diligenter honoratus, ijs quos assecutus est honoribus, doloribus uidelicet atque eiulatibus, te amabit, & huiusmodi aliquid tibi perpetuò suggeret, cuius causa à te assiduè ueneretur. Mirũ itaq; in modum sua hic oratione mulieri persuasit, ut omnem luctum lachrymasq; deponeret. In summa autem dicere quispiam lugenti posset: utrum desines unquã angi? an perpetuo, ac per totam uitam in dolore uersari oportere arbitraberis? Si enim in hac semper ægritudine permanseris, perfectam tibipsi miseriam, amarissimamq; infelicitatem ob animi utilitatem mollitiemq; præbebis. Sin uerò deposituras es quandoq;, cur non in præsentia deponis? teq; ipsum ab infortunio abstrahis? Quibus enim rationibus procedente tempore usus te absolues, has nunc proponens ærumnis te libera. Nam & in his quæ corporibus accidunt morbis, præsentanea, ac celerrima remedij uia præstantior. Quod igitur es tempori gratificaturus, id rationi atq; eruditioni elargire, teq; ipsum malis exolue. Atqui non sperabam, inquies, me hæc passurum, neq; expectabam. At te expectare oportebat, rerumq; humanarum incertitudinem ac uanitatem fuisse præmeditatum, nec improuisus nunc, ut ab hostibus repente inuadentibus deprehensus esses. Pulchre autem, qui apud Euripidem est Theseus, aduersus huiusmodi se parare, ac munire uidetur: ait enim ille: Ego autem à sapiente quodam edoctus, in sollicitudines ac calamitates coniectus sum, exilia mihi ipsi à patria mea proponens, & immaturos obitus, malorumq; alias uias, ut si eorum aliquid, quæ mente agitaueram, passus essem, non mihi nouum atq; inopinatum accidens magis morderet.

Ignobiliores

Ignobiliores uerò, ac minimè exercitati, ne ad ea quidem consultanda, ac prospicienda se quandoq; conuertunt, quæ & maximè deceant, & plurimum conferant, sed ad extremas conuertuntur miserias, in quo nulla est culpa, corpus ulciscentes, & quæ haud ægrotant secundum Achæum, simul dolere cogentes. Quocirca & Plato oppidò quambelle admonere uidetur, in huiusmodi calamitatibus quiescere, quum quid bonum sit, quidue malum minimè constet, nec quicquam lugēti in posterum prosit. Tolli enim iubet è medio omnem dolorem super eo quod accidit consultando, & uti in talorum iactu ad ea quæ cecidere sua ipsius disponendo, utcunq; optimè habere ratio tenet. Itaq; minimè decere sicubi offenderimus, perinde ac pueros quod percussum est attingentes exclamare, sed assuefacere animum, ut quamcelerrime remedium petat, quodq; cecidit atq; ægrotauit, corrigat, medica arte lugubrem delentes querelam. Lyciorum legumlatorem suis præcepisse ciuibus ferunt, ut quoties in luctum incidissent, ueste induti muliebri lugerēt, quum indicare uelit, huiusmodi affectum muliebrem esse, & haudquaquā illustribus uiris, liberalesq; disciplinis sibi uendicantibus congruentē. Fœmineū proculdubio & imbecille, ac minimè generosum est lugere. Mulieres enim libentius quàm uiri luctibus indulgent, & Barbari quàm Græci, & quàm qui deteriores sunt, qui præstātiores: & inter ipsos quoque Barbaros non nobilißimi Celtæ ac Galatæ, cæteriq; grauiori fastu præditi, sed potius si qui Aegyptij fuerint, Syriq;, ac Lydi, & quicunq; eorū simules, quorū non nulli (ut historiæ monimentis mandatum est) scrobes subeuntes, plures ibi dies immorantur, nec Solis lucem cernere exoptant, quum is qui decesserit, ipsa priuatus sit.

Celtæ Barbarorum nobilißimi, hoc est, Galli & Germani. Nā uetères Græci Germanos omnes & Gallos uocabant Celtas. Sicut Romani Gallorum uocabulo Germanos etiam complectebantur.

Quæ res animaduersa multas liteis dirimit de regionū nominibus altercantium.

Ion

Ion igitur poeta Tragicus horum fatuitatis haud ignarus, quandam induxit dicentem: Egressa sum nostrorum nutrix liberorum lugubribus relictis foueis. Barbarorum autem quidam partes etiam corporis abscindunt, nares scilicet atque aures, reliquum quoque corpus plectentes, dum se defunctis gratificari arbitrantur, si à naturali modestia in huiusmodi discesserint mœrore. At per Iouē quidam sunt, qui non omnium defunctorum causa lugendum esse arbitrantur, uerum eorum qui immaturi rapiantur, quòd eorum nihil assecuti sint, quæ in uita reputantur bona, utpote nuptiarum, disciplinæ, integritatis politiæ, magistratuum. Hæc enim esse, quæ eos maximo afficiant dolore qui aliquem intempestiuè amiserint, quòd sibi præter decentem spem ablatus uideatur, quum ignorent præcocem mortem, si hominum naturam respexeris, nihil à serotina differre. Nam ut proposito ad communem patriam necessario, & quod recusari non ualeat itinere, hi quidem præueniunt, alij sequuntur, omnes uerò ad idem proficiscuntur, sic quum ad fatum tendimus, nihil amplius consequuntur serius profecti, quàm qui ocyus accesserint. Quòd si immatura mors malum est, maximè immatura puerorum esset atq; infantium, & adhuc magis eorū, qui nuper geniti sunt. At horum obitus facilè atq; æquo animo ferimus, eorum uerò qui in prouectiore iam ætate constituti sunt, ægrè ac molestè, propter inanis spei figmentum, quum iam tantorum firmam esse permansionem arbitremur. Quòd si uitæ humanæ tempus uigesimo terminaretur anno, quintum ac decimum natum annum non utiq; immaturum decedere arbitraremur, sed sufficiētem ætatis modum habentem. Eum uerò, qui præscriptum uiginti annorum numerum complesset, uel proximè accessisset,

fisset, omnino beatum diceremus, utpote qui felicissimam, atq; integerrimam peregisset uitam. Sin autem ducentorum esset annorum, qui centum annos natus decessisset, eum penitus immaturum esse censentes, ad querelas ac lacrymas conuerteremur. Constat igitur tum ex his, tum ex superius prædictis, eam quoq; mortem, quæ immatura dicitur, nos perquam facilè solari posse. Minus utique Troilus, uel Priamus ipse lacrymasset, si uigenti adhuc imperio, & in tantis fortunis, quas lugebat, prius mortem obijsset. Qualia igitur sunt, quæ apud filium Hectora disseruit, monens ut à prælio aduersus Achillem recederet, in quibus ait: At ingredere mœnia fili mi, ut Troianos ac Troianas serues, ne magnam Pelei filio gloriam exhibeas, tu uerò chara priueris uita. Præterea me miserum atq; infelicem adhuc sapientem miserare, quem pater Saturnius in senectutis limine tristi consumet fato, multa cernentem mala, filios interemptos, tractasq; filias, & diruatos thalamos, infantesq; liberos humi prostratos in graui prælio: me autem ipsum omnium postremum in primis foribus efferatæ ac sæuæ canes distrahent, quum quispiã acuto me petens ferro, è membris abstulerit animum. Sed quum interempti senis canum caput canamq; barbam, ac pudenda deturpauerint canes, hoc utiq; miserabile miseris mortalibus. Sic fatus senex, canos de capite crines manibus euellebat, nec tamen Hectoris animo persuadebat. Quum itaq; quamplurima tibi super hac re exempla sint, existima multos magnis atq; arduis morte absolui malis, quæ si diutius uixissent, omnino experti fuissent, quæ ut orationis modo parcerem omisi, his quæ dicta sunt cõtentus ad persuadendum, ne plus quàm & natura & modus exigit, ad inanes luctus, ignobilesq;, ac degeneres eiulatus ac lamentationes conuertaris. Nam siquis non sponte in infortunium inciderit, non mediocre est, ut Crantor ait, aduersus fortunam leuamen. Ego autem dicerem maximũ id esse indolentiæ remedium. Eum autem qui uitam cum morte cõmutauit, diligere atq; amare, non in eo est quòd doleas, sed in eo quòd dilectum iuues. Est autem defunctis utilitas, qui per bonam memoriam exhibetur honor. Nullus enim bonus fletibus dignus, sed hymnis ac laudibus: neq; luctu, uerum inclyta memoria: nec dolorẽ inferentibus lacrymis, sed urbanis primitijs: si quidem defunctus sanctiorem est uitam consecutus, quum præsertim corporis seruitio, hisq; indomitis sollicitudinibus, ac calamitatibus solutus sit, quas necesse est, ut qui mortalem sunt uitam sortiti sustineant, donec destinatum uitæ cursum peregerint, quem nobis natura dedit, non in omne tempus, sed ita singulis distribuit, ut fatorum leges partitæ sunt. Quare minimè decet ut qui rectè sapiunt, plus quam & naturæ & doloris animi modus exigit, ad inanes ac barbaros luctus deferantur, & quod multis iam contigit, expectent, ut priusquam luctus expellant, dolore adhuc affecti uitam finiant, & in luctuosis ac lugubribus uersantes infelicissimum tumulum consequantur, tristibus & à nulla ratione profectis malis unà cum ipsis sepulturæ mandatis, ut Homericam illud meritò dici possit: Ad hos autem lugentes niger accessit Hesperus. Quocirca ipsis sæpenumero dicere oportet: Quidnam? desinetis unquam dolere? an in perpetua per totam uitam uersabimini calamitate? Nullo enim carere fine luctum existimare, extremæ demẽtiæ est, quum præsertim uideant eos quoque qui grauissimo dolore, maximoq; luctu affecti fuerint, temporis accessu mitiores reddi, & in quibus monimentis uehementer conquerebantur,

querebantur, flentes ac pectora plectentes lautißimas epulas, cum Musicis, alioq; luxu constituere. Insanientis igitur est sic suspicari perpetuò permansurum luctum. Sed si cogitarent, quòd desinet aliquo facto, cogitare præterea possent, tempore uidelicet aliquid faciente. * Quod enim factum est, ne à dijs quidem infectum fieri potest. Itaque quod nunc præter spem atque opinionem nostram contigit, id indicauit, quod re ipsa circa multos fieri cõsueuit. Cur igitur id nos ratione dictante percipere haud poßumus, neq; excogitare, quòd plena quidem malorũ est terra, plenum mare, & talia mortalibus mala malorũ, circumq; fata feruntur. Inanis autem ingressus ne in æthera quidem. A multis enim ac sapientibus uiris, ut Crantor ait, non nunc, sed iandiu deplorata sunt humana, pœnam arbitrantibus esse uitam, & primo natum eße hominem, calamitatem maximam. Hoc autem, inquit Aristoteles, & Silenum captum Midæ indicasse. Sed melius est sua ipsius philosophi uerba apponere. Ait autem in eo uolumine, quod Eudemus, siue de anima inscribitur: Omnium optimè ac beatißimè, non modò beatos, uerumetiam felices esse defunctos arbitramur, et eos accusare, ipsisq; utpote melioribus ac præstantioribus iam factis maledicere impiũ existimamus. Et hæc adeò uetera atque antiqua perficere apud nos institutũ est, ut neq; temporis initium, neq; qui primum hæc constituerit, ullus omnino sit qui nouerit, sed infinitum iam seculum perpetuò instituta sunt. Præterea in ore hominum esse uides, antiquo multorum annorum tempore uulgo circunferri. Quid hoc, inquit? & ille respondens: Non nasci, inquam, omnium optimum: mortuũ autem esse, longè esse melius, quàm uiuere, multisq; numẽ ipsum sic testatum fuisse. Ferunt utiq; illi Midæ Silenum iam

* μὴ γενέσθαι γε γενομένου οὐδὲ θεὸν δύναται ποιῆσαι ἄγνωστον.

iam captum post uenationem percontanti ac scisciranti, quidnam esset hominibus optimũ, quidq; omnium maximè optabile, primum quidem nihil uoluisse dicere, sed silentiũ tenuisse. Postquam uerò omnes machinatus machinas, uix ad loquẽdum adegit, sic coactum dixisse: Dæmonis laborioßi, fortunæq; arduæ ephemerum, ideßt unius diei semen, quid me ea cogitis dicere, quæ uobis melius est ignorare? eum propriorum nanq; malorum ignorantia lætior ac iucundior est uita. Nasci autem hominibus, non omnium omnino optimũ, nec optimæ est particeps naturæ. Optimum est enim omnibus non nasci, quod tamen post hoc aliorum omnium est potißimum ac facile, sed secundum hoc est scilicet, genitos quamceleberrime interire. Constat igitur Silenum his uerbis indicasse, longè esse homini melius mortem obire, quàm uitam agere. Infinita autem huiusmodi ad hoc caput spectantia addere quißpiam posset, uerum prolixa minime necesse est uti oratione. Itaque haudquaquam oportet, ut qui iuuenes decesserε, eos luctu prosequamur, quòd his, quæ in diuturna uita existimantur bona, priuati fuerint: hoc enim in obscuro latet, ut sæpenumero diximus, siue sint bonis, siue malis priuati. Multò enim plura sunt mala, & hæc quidem ægrè, multisq; curis ac sollicitudinibus, mala uerò oppidò quamfacile nobis comparamus. Rotunda enim hæc esse autumant, atque orbiculata, & contigua, multisq; de causis inuicem collata. Bona uerò discissa ac disiecta, nec facilè circa ipsos uitæ terminos coëuntia. Obliuiscentium igitur similes sumus: Neque enim solum, ut inquit Euripides, pecunias minimè peculiares possident mortales, uerum & cætera omnia. Quocirca in omnibus dicere oportet: Nos deorum res habentes, eas curamus: Quum

autem uelint, ipsas rursus auferent. Itaq; minimè ægrè ferre decet, si quæ nobis ad breue tempus mutuò dederè, eadem exigant. Neque enim trapezitæ, quum ab ipsis, ut sæpe dicere consueuimus, depositum repetimus, redditionis causa indignantur, si quidem grati ac beneuoli fuerint. Aduersus enim eos, qui non facilè reddunt, meritò quispiã diceret: Mandastíne obliuioni, te propterea hæc accepisse, ut redderes? Hoc utique omnibus contigit mortalibus. Habemus enim uitam, utpote necessarium deorum depositum, & huius redditionis nullum est determinatum tẽpus, ut ne numularijs quidem depositi. Sed minimè constat, quando qui dedit, repetet. Qui igitur uel ipse moriturus, uel liberis defunctis supra modum indignatur ac conqueritur, quo modo non manifestò oblitus est, & seipsum hominem esse, & liberos mortales genuisse? Neque enim est humanis mentem habentis ignorare, hominem animal esse mortale, propterea q; genitum ut moriatur. Itaque si Niobe secundum fabulas, hanc promptam habuisset opinionem, quòd uita non perpetuò uirente, liberorum germinibus onusta dulcem cernens lucem morietur, non utique adeò molestè tulisset, ut calamitatis magnitudine uitam relinquere uoluerit, deosq; inuocare, ut ad sæuissimam ac grauissimam pernitiem ipsa quoque raperetur. Duo sunt ex Delphicis literis maximè ad uitam necessaria: Cognosce teipsum, ac, Nihil nimis: ex ijs enim reliqua pendent omnia. Hæc autem sunt inuicem consona, atq; concinna, & utrunque altero uidetur potentia ipsa significari. Nam & in eo quod est, cognosce teipsum, comprehenditur, nihil nimis, & in hoc, cognosce teipsum. Quare & super his sic inquit Ion: Cognosce teipsum, hoc uerbum quidem haud magnum, re uerò quantum,

quantum, deorum solus nouit Iupiter. At Pindarus: egregiè, inquit, sapientes Nihil nimis uerbum laudarunt. Hæc itaq; præcepta, ut Apollinis oracula quispiam cogitatione complectens, ad omnes uitæ perturbationes se facilè accommodare ac concinnare poterit, easq; prudenter ferre, cum suam ipsius naturam respiciens, tum uel maximè, ne plus quàm conueniat in his quæ accidunt, aut ad iactantiam extollatur, aut deprimatur, & ad miseriam planctusq; prosternatur, propter fortunæ aut animi imbecillitatem, & nobis ingenitum mortis timorem, eorum ignorantiæ causa, quæ in uita accidere consueuerunt, pro necessitatis, aut fati sorte. Bene autem Pythagorici exhortati sunt dicentes, Quòd diuina sorte mortales habent dolores, horum quamcunq; sortitus fueris portionẽ, ipsam patere, neque indigneris. Et Tragicus Aeschylus: Virorum enim est uirtute præditorum, ac sapiẽtum, in aduersis rebus minimè irasci dijs. Et Euripides: Quicunq; mortalium necessitati cessit, sapiens apud nos, & diuina nouit, & in alijs quicquid acciderit, quicũq; mortalium æquo animo fert, optimus ac modestissimus mihi esse uidetur. Multi uerò omnia criminantur, & quæcunque sibi præter spem contigerunt, ex fortunæ & dæmonum uiolentia fieri arbitrantur. Quocirca in omnibus conqueruntur ingemiscentes, & suum ipsorum infortunium accusantes. Aduersus quos dicere quispiam possit, Deus non tibi est nocumento, sed tu ipse tibijpsi, & quæ ex imperitia proficiscitur stultitia ac dementia. Et ob hanc deceptam falsamq; existimationem in omnibus mortẽ insimulant. Si quis enim peregrè profectus decesserit, ingemiscentes dicunt: Infelix, neq; enim huic pater ac ueneranda mater oculos claudẽt. Sin uerò in propria pa-

tria coram parentibus, lugent ut è manibus ereptum, & propterea dolorem ipsis relinquentem. Quod si mutus, nullaq; de re quicquam locutus obierit, flentes dicunt: Nullum mihi prudens dixisti uerbum, cuius perpetuo possem meminisse. Sin autem aliquid fuerit locutus, hoc continuò in promptu habent, utpote doloris incendium. Si cito obierit, conqueruntur, raptus est dictitantes. Sin sero, accusant quòd tabescès atq; afflictus decesserit. Omnis prætextus ad luctus ac dolores excitandos satis esse uidetur. Hæc autem nouerunt poëtæ, & horum maximè primus Homerus dicens: Haud secus ac pater filij sui sponsi ossa comburens luget, qui defunctus miseros dolore affecit parentes, infandumq; genitoribus fletum ac luctum præbuit, quum maximè nondum constet, an meritò lugeatur. Sed uide quod sequitur: Solus unicus in multis opibus. Quis enim nouit, an deus patris more prouidens, generisq; humani curam suscipiens, prospiciens quæ uentura erant, acerbos quosdam de uita abducat? Vnde nihil euitabile putandum est eos pati. Nihil enim graue est mortalibus, quod sit necessarium, nec si quæ secundum præcedentem rationẽ, ac consequentiam quandã contingũt. Et quia plurimi obitus alias maiores molestias ac difficultates præueniunt, & quia his ne nasci quidem conferebat, his uerò nasci pariter atq; interire, alijs paululum progressis, nõnullis uigentibus, hi utiq; omnes obitus æquo sunt animo ferendi, quum fatum minimè declinari posse non ignoremus. Eruditorum autem est hominum, præmeditari, breue eos nobis tempus reliquisse, qui acerbi uitæ priuati uideãtur. Etenim longissima uita breuis est, ac fermè punctus, si ad infinitum seculum comparetur: & quòd eorum nõnulli qui diutius luxerunt, haud multò pòst quos luxerant

rant assecuti sunt, quum nihil utilitatis sibi ex luctu uendicauerint, sed temere potius seipsos molestijs affecerint. Breuissima autem existente mansionis in uita tempore, non squalidis mœroribus, neq; infelicissimo luctu absumi atq; affligi decet, nosmetipsos doloribus ac corporis uerberibus protrahẽtes, sed in melius atq; humanius mutare nitentes, studentesq; eos conuenire non qui adulatione quadam simul mœrentes luctus excitent, sed qui nobili ac graui consolatione dolores auferant, hoc Homericum audientes, atq; in memoria habentes uerbum, quod Hector Andromachæ, quum ipsam consolari cuperet, sic dixit: Misera, ne mihi uehementer angas animi, neq; enim quisquam me uir præter fatum ad inferos mittet. Fatum autem uirorum neminem cum timidum, tum strenuum effugere asserо, ut primum in lucem æditus fuerit. Hoc autem fatum alibi poëta ait: Genito neuit stamen, quũ ipsum peperit mater. Hæc si mente conceperimus, futili atq; inani soluemur luctu, quum præsertim reliquum uitæ tempus breue omnino sit futurum. Studendum est igitur, ut hoc lætum, luctuosisq; mœroribus minimè perturbatum degamus, luctus insignia omittentes, corporisq;, & eorum qui nobiscum uiuũt, salutis assiduam suscipientes curam. Pulchrum est præterea eorum meminisse sermonum, quibus, ut par erat, apud cognatos aut amicos pari calamitate affectos usi quãdoq; fuerimus, solãtes ac suadentes, cõmunes uitæ casus communiter ferre, & humanos humanè, & non alijs quidem ad indolentiam posse auxiliari, nobis autem ipsis horum memoriam nulli esse utilitati, neq; medicis orationis remedijs animi sollicitudinem curare, quandoquidem omnium potius quàm indolentiæ dilationem facere oportet. Atqui in quacunque re dilato-

rem cum detrimentis luctari ait, quod inter omnes uulgatum est uerbum. Multò autem, ut puto, magis, si quis tristes animi affectus, & in futurum tempus occursu pernitiosos protraxerit. Respiciendum est etiam in eos, qui generoso atque elato animo filiorum obitus placidè sustinuere, Anaxagoram, inquam, Clazomenium, & Demosthenem Athenienſem, et Syracusanum Dionem, & Antigonum regem, frequentesq; alios cum ueteres, tum recentiores. Ex his enim Anaxagoram accepimus philosophãtem, ut aiunt, atq; inter amicos disserẽtem, quum à nuncio quodam filij mortem audiuisset, paululum se continuisse, hisq; qui aderant dixisse: Noueram me mortalem genuisse.

Pericles Olympius.

Periclem uerò, qui ob orationis ac prudentiæ eximiã uim Olympius quoque appellatus est, quum utrunq; filium, Paralum uidelicet ac Xantippum (ut Protagoras ait) uitam cum morte commutasse accepisset, ita & ipsum fuisse locutum tradunt. Filijs enim adolescentibus ac formosis octo dierum interuallo uita defunctis, citra luctum sustinuit. Tranquillitate nanque animi, ac serenitate perfusus erat, quæ sibi per singulos dies ad felicitatem atque indolentiam, necnon et in multis gloriam plurimum contulit. Nam unusquisq; proprios forti animo luctus ipsum ferentem intuens, magnanimum ac fortem esse existimabat, seq; ipso præstantiorem, quum suam ipsius in huiusmodi rebus consilij inopiam optimè teneret. Hunc enim statim post utriusque filij obitus nuncium, nihil minus corona patrio more insignitũ, candidaq; ueste indutum concionari intuebantur, cõsilia excogitantẽ bona, ipsosq; Athenienses ad bellũ exhortantẽ. At Xenophontem Socraticũ, quum sacra quondã faciens, à nuncijs ex bello profectis, filium nomine Gryllum dimicantem uitam finisse audiuisset,

uisset, coronam sibi primum detraxisse accepimus, percontatum deinde quonam pacto perijsset, quum strenuè dimicãdo, hostiumq; quamplurimos occidẽdo retulisset, aliquantulum temporis commoratum, dum cogitatione luctum cohiberet, coronam rursus imposuisse, inchoatumq; peregisse sacrificium, ac nuncijs dixisse: deos precatus sum, ut mihi filius non mortalis ac longæuus esset, neq; enim constat, utrum tale quid conferat, sed qui & strenuus esset, & patriam diligeret, quod utiq; factum est. Dionem uerò Syracusanum cum amicis sedentem, magnæq; uocis tumultu circa ædes excitato, quum rei causam percontatus, filium de tecto delapsum, mortem obijsse audiuisset, nihil perturbatum ac perculsum, defuncti quidem corpus ad legitimam sepulturam ut traderẽt, iussisse, ipsum uerò quæ considerabat, & cum amicis deliberabat, minimè reliquisse. Hũc Demosthenes rhetor dicitur æmulatus, quum unicam ac sibi charissimam filiam amisisset, de qua Aeschines accusare ipsum ratus, hæc inquit: Septimum autem diem defuncta sibi filia, priusquam lugeret, ac lege constituta perageret, coronatus cãdidaq; ueste indutus bouẽ immolabat, legemq; transgrediebatur, quum unicã miser, & quæ prima ipsum patrẽ saluauerat perdidisset. Hic autẽ quũ rhetorico more ipsum criminari proposuisset, hæc percurrit, dum ignoraret ad Demosthenis laudem pertinere, qui luctũ abiecerit, patriæq; charitatem communibus necessariorũ affectibus præferendam ostenderit. Antigonum præterea regem ferunt, quum Alcyonei filij in acie obitum intellexisset, magno atq; elato animo in eos qui sibi calamitatem nunciauerant, respexisse: quumq; paulum se cõtinuisset, ac subtristis fuisset, dixisse: O Alcyoneu, serius mortem cum uita commutasti, sic

constanter in hostes irruens, & nec tuipsius salutem, nec mea plurimi faciens monita. Horum utiq; uirorum animi elationem suspiciunt quidem omnes, atq; admirantur, sed ob eam quæ ab inscitia proficiscitur animi imbecillitatem, eos re ipsa imitari nequeũt. Quum autem multa existant eorum exempla ab historia tum Græca, quàm Romana nobis tradita, qui in necessariorum obitu egregiè se atq; honestè gesserunt, satis tamen erunt quæ memoremus, cum ad omnem acerbissimum ac tristissimum deponendum luctum, tum ad eos qui in ipso sunt, nulla in re utiles atq; inanes sedandos dolores. Nam quòd qui uirtutibus præstiterũt, ut dijs chari iuuenes decesserint, & iam superiore exposui ratione, & nunc quambreuissime fieri poterit, percurrere conabor, hoc pulchre à Menãdro dictum attestatus: Quem diligunt dij, iuuenis moritur. Cæterum tu fortassis, Apollini amicissime, diceres, adolescentẽ Apollonium uehementer fuisse Parcis obnoxium, teq; uita defunctum ab illo in ætate integra constituto, sepulturæ mandari oportuisse. Hoc enim esse secundum nostram uidelicet, atq; humanam naturam, sed haud secundum uniuersi prouidentiam, mundiq; constitutionem. Illi autem beato diuturniore in hac uita tempore permanere haudquaquam licebat, quàm quod ei tributum fuerat, uerum quum hoc compositè ac cõstanter expleuisset, ad fatum reuerti, ipso ad seipsum uocante. At acerbè uitam finiunt. Ob hoc igitur felicior est, ac malorum expers. Vita enim, ut Euripides ait, nomen habet, re ipsa labor. Hic autẽ in florentissima constitutus ætate præcessit, integer, cœlebs, circunspectus, & ab his, quorũ consuetudine utebatur, inter beatos adnumeratus, parentũ ac familiarium studiosus, & philosophus, & ut omnia simul complectar, humanus: ex amicis

Vita, nõ uita, sed labor.

amicis quidem seniores æquè ac patres ueneratione prosequens, coætaneos uerò, & quibus familiarissimè utebatur, diligens: his præterea à quibus instituebatur honorificus, externis atq; ciuibus mitissimus, necnon & omnibus placidus atq; amicus, cum ob indolis uenustatem, tum uel maximè ob affabilem humanitatem. Attamen ille quidem & tuæ, & suæ ipsius pietatis decentem consecutus laudẽ, imperpetuum tempus perinde atque ex conuiuio ab hac mortali decessit uita, priusquàm in aliquam incideret debacchationem, quæ longam assequitur senectam. Quòd si ueterum poëtarum ac philosophorum, ut par est, uerus est sermo, esse uidelicet pijs Manibus honorem aliquem, ac præsessionẽ locumq; illis destinatum, in quo uersentur, nõ est tibi desperandum, quin beatus filius tuus inter eos receenseatur. Dicuntur autem hæc à suauissimo Pindaro de pijs qui ad inferos sunt: Quibus utiq; dũ nocturnũ hic est tẽpus, solis iubar splendet, rosarijsq; puniceis consita prata ipsorum sunt suburbium, thuriferis arboribus adumbratum aureisq; fructibus onustũ, atq; equestribus gymnasijs hi, alij tesseris, nonnulli tibijs oblectabuntur. Apud ipsos autẽ omnis florum pullulat opulentia, optabiliumq; odor perpetuò per locum diffunditur, uarias imponentiũ *longè splendenti igni primitias in deorum aris. Et paulum progressus, in alio luctu de anima loquens ait: Beata autem omnes Parca labores soluẽs finit, & omnium quidem corpus longè potentẽ sequitur mortẽ, uiuens autem æternitate deficit. Idolum enim solũ est à dijs, dormit autẽ membris agentibus: Verum dormientibus multis insomnijs, iucundorum adserpens, & difficilium indicat iudicium. Cæterũ diuinus Plato multa quidem in libro de anima de ipsius immortalitate dixit, nõ pauca uerò in Politia, Menoneq;

* πλείονα

Menoneq́, & Gorgia, ſparſimq́ in alijs dialogis: ſed quæ in dialogo de anima dicta ſunt, quum priuatim commentus fuero, tibi, ut uoluiſti præbebo. Quæ uerò in præſentia opportuna atq; utilia Atheniẽſi ſocio ac diſcipulo Gorgiæ rhetoris dicta ſunt, ita habent: Ait enim qui apud Platonem eſt Socrates: Audi iam ualde bonam orationẽ, quam tu quidem, ut puto, fabulam exiſtimabis, ego uerò orationem. Vera nanq; tibi, quæ locuturus ſum enarrabo. Partiti fuerant imperium Iupiter, Neptunus, & Pluto, poſtquam id à patre acceperũt. Erat igitur hæc de hominibus inter deos lex, & regnante Saturno ſemper, & adhuc eſt, ut hominum quicũq; iuſtè ac ſanctè uitam egiſſet, poſt mortem beatorum aduret inſulas, ibiq; procul à malis in omni habitaret felicitate. Qui uerò inique atque impiè, iudicij ac ſupplicij carcerem, quem Tartarum appellant, peteret. Horum autẽ iudices ſub Saturno, & nuper Ioue Imperium obtinente, uiuentes erant uiuentium, ea die iudicantes, qua erant morituri. Poſtea cauſæ quodam modo non rectè iudicabantur: itaq; Pluto, & qui ex beatis inſulis hæc curabant, ad Iouem profecti dicebant, indignos ad ſe homines utrobiq; accedere. Quibus Iupiter: Ego igitur, inquit, ne hoc fiat prohibebo. Nunc enim cauſæ inique iudicantur: nam uiuentes iudicãtur. Multi autem, inquit ille, ſceleſtas animas habẽtes, induti ſunt corpore pulchro genereq́, ac diuitijs: & quum aderit iudicium, accedunt ad eos quãplurimi, quòd iuſtè uixerint teſtificaturi. Iudices igitur ab his perterrefiunt, ſimul & ipſi induti iudicant ſuas ipſorum animas oculis & auribus, ac toto adoperti corpore. Hæc itaq; omnia ipſis obices ſunt, ſua ſcilicet ipſorũ, & eorum qui iudicãtur indumenta. Primũ autem cauendũ eſt ne ipſi proſpiciant mortem: nunc enim prænorunt,

prænorũt, ſed Prometheo iam dictũ eſt, ut hoc prohibeat, poſtea hi omnes nudi iudicandi. Defunctos enim opus eſt iudicari, ipſumq́ iudicem eſſe nudum decet, defunctũ animã ipſa, animam ipſam, cum primum quis deceſſerit, contemplantẽ, omnibus cognatis deſtitutam, omneq; illud ornamentum relinquẽtem, ut æquũ ſit iudicium. Ego igitur quum hæc priusquàm uos cognouiſſẽ, filios meos iudices creaui, duos quidem ex Aſia Minoën & Rhadamãthum, unum uerò Aeacum ex Europa. Hi autem ut primum deceſſerint, in prato ad triuium iudicabunt, ex quo uiarum altera ad beatorum inſulas, altera ad Tartarum ducit. Et eos quidem qui ex Aſia uenient, Rhadamanthus, qui uerò ex Europa, Aeacus iudicabit. Minoi autem hunc deferam magiſtratum, ut ſi quid alteri arcanum ac dubium fuerit, diſcernat ac dijudicet, ut hominibus quamiuſtiſſimum ſit itineris iudicium. Hæc ſunt, ô Callicles, quæ quum audiuerim uera eſſe, haud quaquam diffido, & ex his uerbis huiuſmodi aliquid cõtingere. Colligo mortem uidelicet nihil aliud eſſe, quàm duarum rerum, corporis & animi, inter ſe ſolutionem. Hæc tibi quum collegiſſem, multaq; diligẽtia compoſuiſſem, amiciſſime Apolloni, conſolatoriam cõpoſuimus orationem, ad præſentem deponẽdum dolorem, omniumq́ acerbiſſimum ſedandum luctum, tibi maximè neceſſariam. Cõplectitur præterea filij tui, dijs chariſſimi Apollonij meritam laudem, ob bonam memoriam, perennemq́; in omne tempus gloriam conſecratis optatiſſimam. Bene itaq; feceris, ſi orationi obſecutus, beatoq; filio tuo uſus, mutato conſilio, ab iſta corporis atque animi inutili afflictione, à macerãtione, ad tibi conſuetam naturalemq́ uiuendi rationem traduxeris. Nam ut nobiſcum uiuens, haud libenter te ac matrem triſtes ſpectabat, ſic ne nunc quidem

quidem dum inter deos agit, ipsorumq; epulis accumbit, huiusmodi uestro uiuendi modo delectatur. Itaque quum probi ac generosi, liberorumq; amantissimi uiri grauitatem receperis, teipsum, & adolescentuli matrem, cognatosq; atque amicos ab istiusmodi infelicitate ad tranquilliorem, filioq; tuo ac nobis tui, ut par est, studiosis, gratissimum uitæ habitum traducas.

FINIS.

AD LEONEM DECIMVM Pontificem Maximum Angeli Barbati pro inopia sua in Plutarchi Exilium supplicatio.

Etsi hoc Plutarchi de exilio opusculum, Summe Pontifex, minimè ad te pertinere uidetur, quem Deus optimus maximus in patriam restituit, & in terris principem locum tenere uoluit, id tamen non minus iure, quàm necessitate tibi potissimum nuncupamus. Iure etenim Medicum familiæ præclarissimæ debetur quicquid literarum Græcarum adhuc extat, quarum nullum uestigium reliquum esset, nisi Laurentius pater tuus, uir nunquam satis laudatus, nõ priuati ciuis, sed summi optimiq; imperatoris opus executus, eas è Turcarum manibus uindicasset, grandi proposita pecunia, ut boni autores, qui impiissimæ gentis armis oppressi inter cadauera urbium quasi sepulti iacerent, prodirent in lucem, & Florentiæ, urbis Italiæ florentissimæ, & per totam Italiam, & quàm late Christianorum imperium patet, semina illa omnium liberalium artium omniumq; uirtutum propagarentur, quando in Græcia

Græcia, ubi diu floruerant, tanto Christiani nominis hostium incendio deuastata, & ad sterilem quendam literarum squalorem deducta, amplius germinare non possent. Quare iure optimo, rei Christianæ præsul sanctissime, quod tuum est, in prima statim fronte tuo nomine munitum exire debet. Parum id quidem Pontifici maximo: sed & deo, cuius uicarium geris, qui aurum uel argentum offerre nequeunt, thus aut ceram offerunt, nec minus quàm cæteri exaudiuntur. Paramus tamẽ & alia quædam, Opusculum de iustitia, de Pluto, de Symposijs. Quæ munuscula si & ipsa non id genus sunt, qualia offeruntur ab alijs, ignoscas quæso, quando literarum studiosis nihil aliud est quod offerant. Nam & necessitas, quæ ad hoc de Exilio opusculum tibi dedicandum nos impulit, ea fuit, ut exiliũ nostrum non ullo scelere, sed rerum penuria, & bellorum tumultu, quod Plutarchus dum à me quoad fieri potuit Latinè loqui docetur, uerbis solatus est, tu Pontifex sanctissime re aliqua soleris, & sacerdoti iam in omni rerum inopia consenescenti, tua in bonorum morum & literarum studiosos liberalitas, tantum ex tot tantisq; ecclesiasticis bonis tribuat, quantũ ad frigus diramq; famem propellendam satis sit. Sed quoniam iam prologus fabula longior, quandiutissime & felicissimè ualeas, Pater beatissime, literatorum decus & præsidium, & uigeat semper, ac floreat Medicum nomẽ & gloria, quorum patrociniũ iampridem literarum studia ne pereant, fouet & alit.

PLVTARCHI
CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI,
DE EXILIO, LIBELLVS.

Angelo Barbato interprete.

EX sermonibus,ut ex amicis, optimus ille firmißimusq; habetur, qui in calamitatibus præsens adest,& indigentibus auxilium affert. Multos enim reperias, qui ipsis quidem amicis colloquantur,nec eos uerbis saltem deserant. Sed sicuti urinandi imperiti, dum pereuntibus opitulari conãtur,unà complexi demerguntur: ita & hi sua quadam insciti a, tantum abest ut prosint,ut obsint uel plurimum. Amicorum enim oratio, & corũ qui suppetias ueniunt,consolatio,non rei affligentis defensio esse debet: quando in rebus miseris nullis lacrymis,nullis eiulationibus, quasi choris quibusdam tragicis sit opus, sed qui nos ingenuè admoneant, & liberè doceant. Tristari nanq; non modò in omni re inutile,uerum uanißimum & stultißimum est. Vbi uerò res ipsa ratione tractata atque detecta, non prohibet quin tecum colloquaris, & dicas: Nihil graue nisi simules passus es, sit profecto ridiculum,non corpus percontari quid patiatur, nec animum,an hoc ipso casu deterior fiat,sed totius tristitiæ externis admonitoribus uti, qui una nobiscum doleant,unà indignentur. Quare quum soli sumus,unusquisque de infortunijs,quasi oneribus quibusdam animum suum diligentißimè examinet & ponderet. Non enim ut corpus

corpus rei grauãtis põdere premitur, sic semper & animus: qui contrà potius rebus ex seipso onus imponit & grauat,quæ per se alioqui tolerabilia erant. Durus quidẽ natura est lapis, crystallus item frigida, nec extrinsecus uel ille duritiem, uel hæc concretionem ullam habet: exilium,uerò ignominia,& honorum amißio, ut cõtrà coronæ,magistratus,primiq; consessus,non sua natura, sed nostro ipsorum iudicio affligendi, uel delectandi modum habent: unusquisq; autẽ hæc sibi leuia uel grauia, tolerabilia uel dura toleratu efficit. Hinc interrogatus Polynices:

Quid? patria carere,num grande est malum?
Est maximum,re maius ac uerbo malum.

Contrà uerò Alcmanis sententia,ut scribit poëta quidam epigrammatarius,qui ait:

Sardiaci patres uestro sub culmine tecti,
Auratis Celsas uestibus aut Macelas,
Conceua discinctus pulsarem tympana,qui nunc
Spartanis Aleman ciuibus annumeror,
Vatibus & Graijs,me dulcis musa tyrannos
Myscyleon supra sustulit & Gygeon.

Sola etenim opinio rem eandem his quidem utilem, ceu approbatam monetam,his uerò inutilem & noxiã reddit. Sed esto graue sit exilium, ut multi asserunt & prædicant. Nam & ex cibarijs multa amarulenta sunt & acria, sensumq; mordentia: quibus tamen,si mitiũ quid aut dulcium admisceas, omnem illam saporis insuauitatem tollas. Sunt præterea & colores, quorum molestiam uisus ferre nequeat,sed eorum duritie, & ui quadam incurabili confundi & perstringi lumina contingat. Si igitur eius incommodi medicamen est umbræ admixtio, uel ad uiridia mitiaq; oculorũ deflexio, cur nõ idem in aduersis casibus

facere liceat, hisq; admiscere quæ nunc tibi utilia benignaq; nõ desunt, copiam rerum scilicet, amicos, negociorum uacuitatẽ, & quòd nihil eorum indigeas, quæ humana uita necessariò requirat? Non equidem multos inter Sardianos esse puto, qui conditionẽ istam tuam non sibi uel in exilio esse malint, sicq; peregre uitam agere æquiori animo ferant, quàm cochlearum more testis suis semper inhærentium, cæteris bonis priuati, ijs quæ domi sunt citra molestiam perfrui. Quare ut in comœdia amicũ infelicem adhortatus quispiam ut bono animo esset, malamq; fortunam ulciscereturquomodo ulcisci posset interrogatus, sapienter ulciscendã esse respondit: sic eam nos quoq; sapientiæ studio dignè, ut par est, ulciscamur. Qua enim ratione pluuiã nobis Boream'ue defendimus? nẽpe ignem, balnea, uestimẽta quærimus, tectaq; subimus: neq; enim dũ imbre perfundimur, desidemus aut ploramus. Tibi quoq; igitur eam uitæ partẽ, quam frigus & rerum inopia tentarit, apud unũ aliquẽ recreare & fouere licet: neq; alijs adiumẽtis indigeas, si ijs quæ adsunt, ut ratio ipsa dictat, uti uelis. Medicorũ quidem cucurbitulæ exhausto uitioso sanguine, ita reliquum alleuant & conseruant. At mœrori & tristitiæ dediti semper ac queruli, quæ apud se pessima sunt, sine ulla intermissione colligendo & reputando, doloremq; inferentibus sese ipsos atterendo, etiã quæ bona sunt & utilia, mala efficiũt, & omni cassa utilitate, eoq; id potissimum tempore, quum auxilio opus erat. Illa enim duo fatorum dolia, quorum alterum bonis, alterum malis plenum scribit Homerus in cœlo esse, non Iupiter sedens dispensat, ut his mitia & bono aliquo permixta, his uerò mera malorum fluenta transmittat, sed ex nobis ipsis, qui mentis sunt compotes, ex rebus secundis, ijs quæ aduersa

Duo fatorũ dolia.

aduersa sunt exhauriunt & infundunt, & potabiliorem iucundioremq; sibi uitam efficiunt. Contrà uerò multis mortalibus ueluti colis quibusdã, quæ deterrima sunt melioribus effusis relinquuntur & permanent. Si ergo in quippiam inciderimus, quod re uera malum sit, hilaritatis aliquid & lætitiæ superinduci debet, & peculiari aliquo bono, ex ijs quæ expertis iam rebus reliqua sunt, quod alienũ, & aduersum sit, leniendum est. Quum uerò suapte natura res ipsa nihil mali habet, sed id quod affligit, ex inani quadã opinione consistit, tunc ut laruas formidantibus pueris in manibus tradimus, & inuertimus, quo re perspecta uanos terrores contemnere assuescant, ita nos quoq; quod fragile, ac tragicis fabulis est persimile, diligentissima consideratione quasi manibus pertractantes detegere oportet. Cuiusmodi præsens hæc tibi cõditio est de ea quam patriã opinaris, quum natura nobis patriam nullam dederit, sicut nec domum, nec agrum, nec fabrilẽ, uel medicorum officinam, ut Arislon inquit, sed hæc, & cætera id genus prout quisq; incolit, illisq; utitur, subinde illius fiunt, uel nominantur potius & dicuntur. Homo enim, ut Plato ait, planta est quædam nõ terræ infixa, nec immobilis, sed & cœlestis, & ad cœlum ipsum inuersa, cuius corpus ex capite, uelut è suæ quadam radice illud sistente & firmante, erectum manet. Hinc Hercules:

Argiuus an Thebanus, haud unam curo
Iactare, Græcia omnis est mi patria.

Longè tamen rectius Socrates, qui se non Atheniensem nec Græcum, sed ciuem mundanum esse dixit, ut si quis, puta, uel Rhodius, uel Corinthius dici uelit. Neque enim Sunio uel Tænaro, aut Ceraunijs seipsum incluſit.

Vides ut hunc immensus æther arduus

Coërcet ulnis undique orbem mollibus?

Hi patriæ nostræ termini sunt, in quibus nec exul, nec hospes, nec peregrinus ullus est, ubi idem ignis, aër & aqua, iidem principes, rectores & præsides, sol, luna & lucifer, eadē quoq; leges omnibus uno ordine, ab uno eodemq; principe latæ, eadē solstitia & æquinoctia, Pleiades, Arcturus, tempora sementis, & plantarū omniū, unus autem rex & princeps Deus est, principiū, medium, ac finem uniuersi tenēs, qui uia recta peragit, & secundū naturam cūcta circuit, quem iustitia sequitur, omniū ultrix qui diuinam legē deseruerint, qua in omnes homines tanquā ciues cuncti natura ipsa dictante utimur. Quòd autē Sardis non habites, nihil refert: nec enim Athenienses omnes Colytum, nec Craneum Corinthij, nec Lacones habitant Pytanen. Nunquid ergo ij Athenienſiū peregrini externiq; sunt, qui ex Melite in Diomida commigrarūt, unde & Maium mensem *Metagetnionem appellant, & festum quoddā cognomine transmigrationis illius Metagetnia, hoc est transuicinalia celebrant, quòd non inuiti, sed facili hilariq; animo uiciniam apud alios exciperent? Minimè id quidem dixeris. Quænam igitur terræ pars siue tantum habitabilem, siue uniuersam cōtempleris, alia procul ab alia esse potest, quam mathematici puncti rationem dimensione carentis, si ad cœlum respicias, habere euidentissimè ostendūt? At nos quasi formicæ uel apes, si ex una cauerna aut alueari exciderimus, hospites externiq; nobis esse uidemur. Quod ideirco fit, quia omnia propria & familiaria, ut certè sunt, facere ignoremus. Atqui stultitiā eius irridemus, qui lunam Athenis meliorē nitidioremq; esse dicat, quàm quæ Corinthi: & tamen in idem quodammodo uitium mentis incidimus, quū peregre proficti

*μετα γετνιῶνα secundas mensis apud Athenienses.

proficti, terram, mare, aërem, cœlum, ut diuersa aliaq; à consuetis esse contendimus. Liberi quidē & soluti à natura in lucem prodeuntes emittimur, ipsimet autem nos ipsos colligamus, locorumq; coarctamus angustijs, ac tectis includimus, & in parua tenuiaq; compellimus. Præterea uerò Persarū reges irridemus, quòd (si modò id uerè dicitur) Coaspæ unius aquā bibant, cæteraq; mundi partes sibi reddant *irriguas, quum ipsi quoq; aliò transmigrantes, Cephisum uel Eurotam appetamus, aut Taygeti Parnaßiq; desiderio teneamur. Ita nobis terrarum orbem non modò irriguū, sed & ciuitatibus & tectis cassum uanißima opinione reddimus. At Aegyptij regis iracundia & asperitate in Aethiopiam cōmigrantes, rogantibus amicis, ne liberos aut uxores deserant, impudentius ostensis uirilibus, nec uxores, nec liberos quoad ea secum habeant, defuturos respondent. Quanquam decentius simul & grauius dici potest, ubi modica, qualia uita nostra postulat, habere contigerit, ibi nemo nec ciuitatibus, nec domesticis laribus carere, nec externus ullo pacto esse poterit, dum ijs mentem quasi ancoram adhibeat, qua regatur & firmetur, omniq; portu quocunq; applicuerit uti queat. Amissæ enim diuitiæ breui facileq; reparari nequeunt, patria uerò quælibet est, si uti scias, radicesq; habeas, quæ ubiq; coalescere & uiuere ualeant, quales nec Themistocli, nec Demetrio Phalereo defuere. Qui quum post exilium Alexandriæ inter amicos Ptolemæi principatum teneret, non modò in omni rerum copia uixit, sed & Athenienſibus dona misit ampliſſima. Themistoclem uerò regia liberalitate more principis uictitantem, uxori liberisq; suis sæpius dixisse ferunt: Perieramus omnino, nisi periissemus. Sicut & Diogenes, Canis cognomine,

*ἀργυροῦς ὄντας

nuncianti, Te Sinopenſes è Ponto exulẽ declararũt: Ego, inquit, illos hoc damno ſupplicio, ut in Ponto extremus q; Euxini littoribus perpetuò maneant & recludãtur. Stratonicus autem non infacetus, hoſpitẽ percontatus in Seripho, cui crimini apud ipſos exilium indiceretur, audiẽs homines nequam illic exilio mulctari: Cur non tu quoq;, inquit, neſarij aliqd patraſti, quò ex iſtis locorum angustijs emigrares, ubi Comicus ait carycas fundus uindemiari, omniaq; haberi quibus in inſula ſit opus? Nam ſi uana ſalſaq; opinione remota ueritatem ipſam cõſideres, qui unam duntaxat ciuitatẽ habet, hoſpitẽ alienumq; cæteris omnibus inueniás. Quòd ſi tibi turpe iniquumq; uidetur, quẽpiam patria ſua relicta alienã incolere, in eáq; uitam degere, Spartam ſortitus es, hanc ornes, licet uilis ſit, cœliq; morboſi: licet ſeditionibus & rerum domeſticarum turbulentia laboret: cui propriam fortuna abſtulit, ubicunq; ſibi placeat, certè habitare permittit. Pulchrumq; illud Pythagoreorum præceptum: Vitam optimam elige, hanc tibi non inſuauem conſuetudo efficiet. Ad hanc quoq; rem ſapientiſſimè ſimul & prudentiſſimè dici poteſt: optimã iucundiſſimamq; patriam elige, hãc tibi tempus patriam efficiet, & patriam quidem eam, quæ te non diſtrahat, neq; perturbet, aut huiuſmodi res imperet, ut: pecunias conferas, legatus Romam pete, ducem ſuſcipe, aut tuis ſumptibus publici muneris miniſterium exhibe. Quæ ſi quis mentis compos, nec omnino obliuioſo fluxu turgidus memoria teneat, exul uel Gyarum, uel ſalebroſam ſterilemq;, nec plantis idoneam Cinarum, nullo mœrore, nulloq; ciuium latu optet habitare, nec earum uerba mulierum uſurpet, quæ apud Simonidem conqueruntur:

Purpureum tumidis mare me circunfremit undis:

Sed

Sed illud Philippi potius mente habeat, qui quum in palæſtra lapſus ſurrexiſſet, corporiſq; uidiſſet ueſtigium, conuerſus: Hercules, inquit, ut partis manimæ telluris natura participes orbem appetimus uniuerſum. Naxum te aliquando uidiſſe puto: ſin minus, Thuriam ſaltem, quæ non hic procul abeſt, quarum hæc quidem Orionis domicilium fuit, illa uerò cepit Ephialtem ac Otũ quamuis corporis eſſent uaſtiſſimi. Alemæon iuxta limoſum Acheloi aggerem inhabitauit, quo Eumenides, ut aiunt poëtæ, effugeret: ego uerò potius, ut ciuiles magiſtratus, ſeditiones, & furiales calumnias declinaret, locum uel anguſtiſſimum delegiſſe puto, ubi citra moleſtiam quietè uitam degeret. Tiberius autem Cæſar in Capreis ſeptennium ad obitum uſq; uixit, & illud imperiale totius orbis ſacellũ, quaſi in cor aliquod coarctatum tandiu aliò nuſquam migrauit. Cui tamen imperij ſollicitudines quæ aſſerebãtur undiq; & affluebant, nec ſyncerã, nec fluctuatione carentem, inſularum quietem præbuere. At cui licet in paruulam aliquam egreſſo inſulam magnis calamitatibus liberari, is profectò miſer eſt, niſi ſeipſum alloquens uerſus illos Pindaricos ſæpius quaſi ad remedium canat:

Tenuem cupreſſum dilige,

Cretamq; ſyluæ prodigam miſſam face.

Mihi parum quidem terræ datum eſt, unde & ſine arboribus, at nec luctus ſortitus ſum, nec ſeditiones, nec imperia principum, nec miniſteria in ciuilibus negotijs, nec publici muneris impẽſas indeprecabiles. Quod alicubi nõ imperitè dicere uidetur Callimachus: Ne metire ſchœno Perſico ſapientiam: cur enim ſchœnis uel paraſangis dimẽſa felicitate lugẽdo ut infelices nos cruciare debemus, quòd ducentorũ ſtadiorum inſulam, at nõ quatuor dierũ

ambitu effusam, quanta est Sicilia habitemus? Nam quid locorum amplitudo ad uitæ tranquillitatem afferre potest? Non ne Tantalum in Tragœdia dicere audis:

Bis sex dierum qua uia est,
Berecynthios agros fero. Qui paulò pòst ingt:
Cœleste numen animus olim permeans
Nunc serpit imus, hisce dictis me alloquens,
Condisce modico humana amore prosequi.

Nausithous autem spaciosa Hyperiæ regione relicta, eò quòd uicini Cyclopes essent, in insulā trāsgressus procul ab alijs uiris, habitansq; impermixtus hominibus, seorsum in undoso undiq; mari, suauissimā ciuibus suis uitam parauit. Cycladas quoque prius Minois filios, deinde Codri Neleiq; habitasse ferūt, in quibus nunc amentes exules sepœnas dare putant. Quamuis quæ exularis insula, agro Sceluntio nō amplior? ubi tamen post expeditionē Xenophon nitidā senectutē egit. Academia uerò ter mille drachmis emptus agellus, Platonis, Xenocratis atq; Polemonis domiciliū fuit, ubi ociarentur, & totam uitam ducerent, uno excepto die, quo Xenocrates singulis annis Bacchanaliū nouis tragœdijs, ut aiunt, ornandi festi causa in urbem descenderet. Et Aristoteli Theocritus Chius obiecit sæpius, quòd apud Philippum Alexandrumq; degeret, ac Borbori fluenta Academiæ præferret. Eluuius hic est Pellam ambiens, Borborus à Macedonibus dictus. Insulas autem quasi dedita opera nobis commendat, & diuinis prosequitur laudibus Homerus, sic inquiens:

Appulit ad Lemnum diuini & tecta Thoantis,
Et quæcunq; Deūm Lesbos domus alma recudit.
Dulichium hi patriam referunt, sed Echinadas illi,
Quæ sacræ longinqua tenent maria, Elida contra.

Ex illu

Ex illustribus præterea uiris dijs charissimum Aeolum, sapientissimum Vlyssem, fortissimum Atacem, hospitalissimum Alcinum insulas incoluisse dicunt. Zeno autem quū eam quæ sibi adhuc reliqua esset, nauem cum oneribus mari demersam accepisset: Bene, inquit, agis, ô fortuna, quæ nos ad pallium uitamq; philosophicam compellis. Quare nihil esse censeo, cur uir nec arrogantiæ fumo, nec popularī aura prorsus insaniens, in insulam aliquam coactus, fortunam accuset, sed laudet potius, quòd anxietatem mentis, & tædium peregrinationis, errores, pericula maris, foriq; tumultus à se remouerit, uitamq; stabilem & ocij plenam, quæq; distrahi nequeat, ac uerè propriam sibi dederit, puncto & interuallo eorum quæ usus postulat necessitate circūscripta. Quæ enim insula tectis, quæ ambulacris, balneisq; careat quæ pisces, lepores non habet? si quis uenatui animumque relaxationi indulgeat? Adde, quod maximum, tibi sæpissime licere, quietis esse compoti, quam sitiūt alij, quos dum ludūt alea, dum latent domi, curiosus uel calumniator aliquis perscrutatur insequens, eq; suburbijs hortisq; amœnissimis ad forum aulamq; inuitos trahit. At insulam adnauigat nemo qui te perturbat, aliquid petens, mutuò accipiens, adhortans spōdere, aut una magistratum ambire, nisi è necessarijs & domesticis qui sit optimus, tui desiderio compulsus, cætera uitæ quasi sacra nulli prædæ obnoxia permittitur, si quis ociari & uelit & sciat. Qui uerò eos in beatorū numero censet, qui circunuagantur, plurimumq; temporis in portorijs ganeisq; perdūt, perinde mihi facere uidetur ac ille, qui errantia sydera fixis & immotis feliciora esse putet, quamuis unumquodq; errātium syderum in una eademq; sphæra quasi in insula quadam circunferatur, &

ordinẽ suum teneat. Sol enim limites præscriptos nõ transcendet, ut inquit Heraclitus. Sin minus, furijs iustitiæ adiutricibus supplicium pendet. Cæterum hæc hisq; similia, illis dici & cani debent, quos in insula aliqua relegatos

Inuitos cohibet ponto circunflua tellus.

Tibi uerò, cui nullus certus definitur locus, sed qui uno tandem excluderis, omnium urbium copiã facit unius uocatio. Nam quòd non imperes, nec consulas, nullisq; præficiare ludis, tu illud ex aduerso statue, ne seditionibus quidem uexor, nihil publicè confero, nec præsidis ianuis inhæreo, nec quis prouinciam meam sortitus sit curo, an iracundus & toleratu difficilis. Verum ut Archilochus Thasi fertiles agros, uineasq; contemnens, ob alia eius insulæ aspera & inæqualia loca, totam insulam damnat atq; accusat, eam quasi asini dorsum materia agresti plenam esse affirmans, ita & nos dum ad illam modo exilij partem intendimus quæ gloria caret, negociorum uacuitatem, ocium & libertatem contemnimus. Quanquam Persarum reges idcirco hearint, quòd in Babylone hyemem, in Media æstatem, in Susis uer iucundissimum agerent. Est igitur ei qui è solo patrio nõ grarit, Cereris mysterijs Eleusi immorari, Bacchanalibus Argis solennia celebrare, Pythicis ludis Delphos, Isthmijs Corinthum trãsmeare, si spectaculorum studio teneatur. Sin minus, ociari, deambulare, quidpiã legere, aut impertiarbatum somnũ capere. Addas & illud Diogenis: Prãdet Aristoteles quũ uidetur Philippo, Diogenes quandocunq; Diogeni, neq; ullo ab negocio, ullo à principe uel duce consueta sumẽdi cibi hora distrahitur. Quocirca è sapientissimis & prudentissimis uiris paucissimos in sua ipsorum patria funeratos inuenias. Nullo enim cogente sublata ancora aliò transgressi,

Ἀριστοτέλης μὲν οὖν ὅταν δοκῇ φιλίππῳ, Διογένης ὁτῳοῦν Διογένει,

transgressi, uitæ stationem mutarunt: alij quidẽ Athenas, alij uerò Athenis relictis, in aliam orbis terrarum partem migrantes. Quis unquam patriæ suæ tale præconiũ protulit, quale Euripides, ita inquiens:

Aliunde populus noster haud huc appulit,
Hæc terra nos genuit, alij sedenim ciues
Sunt comparandi cubicis iactatibus
Hincinde ductis, nec stabiliter consiti,
Iactare si quid autem oportet fœminæ:
Nos temperati spiritum cœli trahimus,
Vbi nec æstus, nec rigor hyemis ingruit.
Tum Græca quæ fert regio, quæ fert & Asia,
Vt dulce nectar hic habentes carpimus.

Qui licet patriæ tantas protulerit laudes, in Macedoniã tamen totam apud Archelaum uitam egit. Audisti, puto, & hoc epigramma:

Atticus Euphorione satus, sub mole sepulchri est
Aeschylus hac, iuxta pinguia culta Gelæ.

Etenim hic quoque in Siciliam soluit, & eo prior Simonides. Nam illam hanc Herodoti Alicarnasei inscriptionem, multi Herodoto Thurij trãscripsere, quòd Thurios commigrasset, & in eorum coloniam adscriptus esset. Musarum autem spiritus ille sacer & diuinus Troiani belli scriptor Homerus, an non idcirco multis ciuitatibus controuersiæ fuit, cuius earum ciuis habendus, quoniam nullam solã laudarit? Hospitalis uerò Iouis cultus, magnus multusq; est. Quòd si quis dicat hos omnes gloriæ honorisq; captatores fuisse, ad philosophos ueniat, & sapientiæ scholas gymnasia que consideret, Lycium, inquam, Academiam, Porticum, Palladeum, & Odeũ. Si Peripateticos enim amplexaris & obstupescis,

è Sti

è Stagiris Aristoteles, Theophrastus ex Epheso, Straton è Lampsaco, è Troade Glycon, Ariston è Ceo, è Phaselis Critolaus. Sin uerò Stoicos respicias, Zeno Citieus, Cleanthes Lysius, Solensis Chrysippus, Antipater Tarsensis, Diogenes Babylonius. Atheniensis uerò Archidemus ad Parthos usq; profectus, Stoicæ sectæ successores Babylone reliquit. Quos si quæras, quis nam infectatus exulare coëgerit, inuenias neminẽ. Sed ipsi sponte quietem secuti, cuius participare nequeũt, qui domi nominis aliquid uel potestatis obtinent. Itaq; quum cætera suis nos doceant libris, hæc profecto re ipsa etiã docent. Et nunc quoq; optimus quisq; et probatissimus peregre uiuit, nõ pulsus, sed sponte aliò transgressus, nec fugatus, sed fugiens ipse molestias, occupationes, negocia, quæ patria afferre solet. Olimq; antiquis illis, ut uidere est, lucubrationes, quæ pulcherrimæ extant, maximeq; approbantur, adiuuante exilio à Musis peractæ absolutæq; sunt. Thucydides enim bellum ab Athenientibus Peloponnesijsq; gestũ, in Thracia iuxta locum syluam Scapten nomine conscripsit, in Eliæ Scillunte Xenophon, in Epiro Philippus, Timæus Tauromenites Athenis, Megaris Atheniẽsis Androcion, in Peloponneso poëta Bacchylides. Qui omnes, & alij plures patria exules non animũ despondentes seipsos abiecerunt, sed animi sui excellentia acumineq; usi, exilium à fortuna quoddam uiaticum accepere. Quo factũ est, ut uel mortui uiuant & celebrẽtur ubiq;, quum contrà nullum eorum nomen supersit, quorũ factionibus electi sunt. Quare ridiculus sit profecto, si quis exilium gloria carere arbitretur. Nunquid enim nominis nullius Diogenes? Quem quum uidisset Alexander in sole sessitantem, stetit, & an re aliqua indigeret percontatus, accepit nihil aliud uelle,

uelle, quàm ut paulisper obumbrare solẽ desineret. Cuius animi elatione stupefactus ad amicos conuersus dixit: Si Alexander non essem, Diogenes utiq; essem. An uerò inglorius & Camillus, qui Roma pulsus, Romæ secundus conditor celebratur? Nec Themistocles quidem exul gloriam quam inter Græcos habuit perdidit, sed apud Barbaros etiam auxit. Nemoq; est adeò honoris contemptor, adeò degener, qui Leocrates Themistoclis accusator, quàm exul Themistocles, uel Clodius Ciceronis eiector, quàm electus Cicero, aut Aristophon delator, quàm Timotheus patriam relinquere coactus esse malit. Cæterum quoniam mouentur multi uerbis Euripidis, qui exilij uehemens accusator apparet, uideamus quid singillatim roget, quid'ue respondeat.

Quid? patria carere, num grande est malum?
Est maximum, re maius ac uerbo malum.
Quodnam est genus, quod exules premit, mali?
Id maximum, quòd eis loqui non licet.
Seruile prorsum est, non loqui quod sentias.
Potentiorum perferenda insciția est.

Primum hæc nec rectè, nec uerè censet: nõ enim seruile id tacere quod sentias, sed prudentissimi uiri, quum tempus & res taciturnitatem silentium'que requirit. Quod idem alibi rectius:

Tacere nunc oportet, nunc præstat loqui.

Nam dominorum imperitiam stultitiamq; non minus in patria, quàm in exilio patiare necesse est, & magis etiam domi quam peregre iniustè potentium calumniam uimq; timemus. Illud uerò maximum, & in primis absurdum, dicendi libertatem exulibus auferri. Admiratione profecto dignum, Theodorum libertate dicendi caruisse, qui dicente ei

te ei rege Lysimacho, te patria quoniã his moribus esses eiecit: Certè, inquit, quòd me perinde ac Semele Bacchum ferre non posset. nec exterritus est, licet illi in ferrea cauea Telesphorum ostenderet, cui oculos effoderat, nares amputarat, aures & linguam abscíderat, illudq; adderet: his afficio supplicijs, qui de me malè merentur. Quid autem Diogenes, nunquid dicendi libertatem non habuit? qui castra Philippi ingressus, quo tempore hostis Græciam inuadebat, quum quasi speculator ad eum duceretur: nempe, dixit, tuæ auaritiæ & dementiæ speculator ueni, qui breui temporis spacio de principatu simul & uita ueluti ad aleam periclitaturus accedas. Quid Carthaginensis Annibal? non'ne Antiocho, quanquam exul respondit? qui quum inuitante occasione hostes aggredi iuberet, quòd fieri sacerdos uiscera prohibere diceret, regem ijs uerbis increpuit: tu facis quod uictima, non quod uir prudentißimus dicat. Quinetiam geometræ & linearum periti, quò minus de disciplinis, & his quæ norunt liberè loquantur, non prohibentur exilio, nedum probi boniq; prohibeantur. Sed ubiq; degener animus uocem impedit, linguam retorquet & angit, ac silere facit. Nam illa quæ sequuntur eiusdem,

Alunt bonæ spes exules, ut dicitur,
Quæ sunt futura oculis sauentibus uident,

Stultitiæ crimen sit potius, quàm exilij: non enim qui dicerunt & sciunt præsentibus uti, sed qui assiduè ex futuris dependent, & semper quæ desunt appetũt, spe quasi rate quadam iactantur, quamuis suæ urbis pomeriũ nunquam excesserint.

Patrij'ne tibi non profuerunt hospites?
Bene rem gerito, nam malè gerentem omnes deserũt.

Non te

Non te generis euexit ad summum decus?
Malum carere est, nam genus me non aluit.

Verba hæc ingrata Polynicis accusantis exilium, utpote quod & consanguineis sit contemptui, & amicis careat, qui ex natalium splendore, quamuis exul, regis nuptijs dignus habitus est, tantis que uiribus & amicorum auxiliarijs copijs suffultus, expeditionem fecit, quantis paulò pòst ipse fateatur.

Viri ex Mycenis, atque ab urbibus Danaûm
Adsunt mihi, tristem opem, at opportunam ut ferant.

Nec dißimilia matris uerba:

Tibi nuptiales ego faces non protuli,
Nec affuit Hymen, nec te Ismenus lauit.

Quam lætari & bono animo esse oportebat, quum filiam habitare in tantis regijs audiret, ipsa uerò dolens inaccensas faces, nec Ismenum balnea præstitisse lugens, quasi qui Argis ducunt uxorem, aqua & igne careant, fastus & stultitiæ uitia apponit exilio. At dicas, res est exul ignominiosa. Ignominiosa quidem amentibus, qui & pauperem esse, & caluum, & pusillum, & hospitem, inquilinumq; uituperium esse putant. Cæterum qui his non consentiunt, neque subscribunt, bonos quamuis pauperes, hospites, exules que sint admirantur. Non'ne ut Parthenonem & Eleusinium, sic Thesei templum omnes uenerari uidemus? Atqui Athenis exulauit Theseus, in quas eius opera se homines habitatum recepérant, eam'que ciuitatem amisit, quam non aliunde habuit, sed ipse condidit. Eleusini quid pulchri relinquitur, si nos Eumolpi pudeat, qui ex Thracia transgressus, & tunc Græcos initiauit, & nunc initiat? Quid Codrus? quibus maioribus ortus? non'ne ex Melantho Messana exule

Athe

Athenarum ſceptrum tenuit? Nam quis nõ Antiſthenem laudet? qui dicenti, Phrygia mater tua eſt: & deorum eadem mater, inquit. Cur non tu quoq; tibi obijcienti exilium reſpondes: Herculis quoq; victoris pater exul, & Liberi patris itẽ auus, quũ ut inueſtigaret Europã miſſus,

Phœnicia ortus, exulem gignit prolem
Bacchas cientem Liberum,
Gaudentem furioſis coli honoribus.

De his enim quæ Aeſchylus innuẽs, & ſuboſtẽdens inqt,

Apollinem caſtum exulem cœlo Deum,
Linguis fauendum, ut ait Herodotus. Empedocles autem in ſuæ philoſophiæ initio præfatus:

Vrget enim uetus ac ſtabilis ſententia diuũm,
Quem ſcelerum metus ater agit, trepidumq; fatigat,
Dæmones hunc longæ ſortiti tempora uitæ
Pellitis à ſuperũm facie per ſecula multa,
Quos ego nunc inter, diuis procul exul aberro.

Non ſeipſum modò, uerum è ſeipſo nos quoq; omnes hic inquilinos, externos, exulesq; eſſe oſtendit. Non enim ſanguis, ait, & contemperatus ſpiritus, nobis animæ ſubſtantiam & principium præbuit, ſed ex his terrenum & mortale corpus fictum & compactum eſt. Animi uerò huc ortu ſuo aliunde profecti, peregrinationem quidem nomine mitiſſimo comminuit blandiendo. Quod uerißimum autem, uagatur exul, diuinis legibus & decretis agitatus, & ſic quaſi in inſula multo maris æſtu circunfluа, ut Plato inquit, more oſtrei corpori annexus, quòd non recordetur, nec recolat

E' quantis opibus, quali & translatus honore,
Corporeis animus uinclis religatus inhæret.

Non Sardibus cum Athenis, nec Corintho cum Lemno Sciroq;,

Sciroq;, ſed ipſo cœlo, lunaq; cum terra ac terreſtri fragilíq; uita permutatis grauißimè ſert, & quaſi peregrinus & hoſpes, modo degeneris plantæ immarceſcit, quòd hic ex loco in locum minimi interualli tranſierit. Quanquam plantæ quidem regio alijs alia commodior eſt, ubi melius alatur & germinet. Homini autem felicitatem locus nullus, ſicut nec uirtutem, nec animi prudentiam affert. In cuſtodia enim poſitus Anaxagoras quadraturam circuli ſcripſit, philoſophabaturq; Socrates uenenum hauriens, utq; familiares philoſophiæ incumberent adhortabatur, interim illis beatus apparens. Tantulum uerò & Phaëthonta, quanquam in cœlum aſcẽdiſſent, poëtæ aiũt ſua ſtultitia in magnas calamitates incidiſſe.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI amatoriæ narrationes.

Angelo Politiano interprete.

IN ALIARTO Bœotiæ urbe puella quædam fuit forma præcellens, Ariſtoclea nomine, Theophanis cuiuſdã filia. Hãc duo amabant iuuenes, Strato Orchomenius, & Calliſthenes Aliartius. Ditior Strato erat, multoq; magis puellæ amore incenſus. Nanq; eam forte fortuna in Lebadia uiderat, quũ ſeſe illa in Ereyna fonte commodũ perlueret. Erat enim Ioui regi ſacram ciſtam latura. Incertus quid ageret Theophanes (metuebat enim Stratonẽ, ut qui & opibus, & genere omnibus fermè Bœotijs anteiret) eius optionis Trophonium conſulere cogitabat. Ariſtoclea.

At Strato quum à uirginis domesticis magis ad sese illam quàm ad Callisthenem uergere persuaderetur, operâ enixe dabat, ut puellæ ipsi coniugis optio daretur. Vt uerò Theophanes palam omnes natam interrogauit, eaq; Callisthenem maluit, continuò apparuit iniquissimo Stratonem animo tulisse. Post biduum igitur Theophanē Callisthenemq; adijt, affirmans uelle se amicitiā aduersus eos initā seruare, tametsi nuptias Deus sibi aliquis inuiderit. Laudant illi, eumq; ad nuptiarum epulas uocant. Magnā uerò is sociorū, ac ministrorū instruit manū, eosq; omneis inter ipsam turbam aliū alibi dispersos ac ueluti latenteis esse iubet, donec puella de more ad fontem qui Cisoëssa uocatur, descenderet, ut uidelicet nympharum sacris, quæ Protelea uocent, operaretur. Tum facto impetu, qui in insidijs erant dispositi puellam corripiunt. Ibi eam Strato ad se trahere, Callisthenes cōtrà (ut decuit) retrahere ad se. Idem & utriusq; socij pro se quisq; obnixe agere, donec puella inter repugnantiū manus dilaceratu exanimataq; est. Callisthenes igitur continuò ex omnium sese oculis abstulit, neq; postea compertum cuiquā, interemerit'ne se, an profugus Bœotia exularit. Strato autem in omniū conspectu supra ipsam uirginem ferro se iugulauit.

Quum Phidon quidam Peloponnesiorum principatui insidiaretur, Argiuamq; urbem quæ sua patria esset, reliquis omnibus imperitare uellet, dolum primo Corinthijs intendit. Misit enim qui ab eis mille adolescētes cum ætatis uigore, tum fortitudine præstantes peterent. Mittuntur igitur Dexandro duce. Quum itaq; in animo haberet Phidon insidiari ijs, ut Corinthum imbecilliorem efficeret, eaq; suo arbitrio uteretur (id enim unum totius Peloponnesi ueluti propugnaculum esse intelligebat) rem omnem

omnem cum socijs quibusdam communicat. Inter eos & Abron quidam fuit Dexandri hospes: is ei insidias aperit: quo effectum est, ut ante insidiarum tempus Corinthum omnes incolumes discesserint. Vestigabat Phidon eius arcani proditorem, omniq; in id conatu incumbebat. Metuens uerò Abron unà cum coniuge ac domesticis Corinthum migrauit, atq; in Melisso, qui uicus est agri Corinthij, habitauit. Ibi & filium suscepit, cui à loco nomen Melisso fuit: huius autem Melissi filius fuit Actæon, forma pariter atq; modestia inter æqualeis excellens. Eum quamplurimi amarunt, sed omnium ardentissime Archias ex Heraclidarum genere, qui cum diuitijs, tum potentia Corinthijs omnibus anteibat. Is quum persuadere adolescenti frustra tentasset, ad uim animum adiecit. Profectus igitur comesabundus ad Melissi ædes, amicorum ac domesticorum magna stipatus caterua, puerū abducere tentabat. Renitente igitur patre, unaq; secum & uicinis qui conciurrerant miserum illum ad se retrahentibus, in repugnātium manibus Actæon discerptus est. Ita domū quisq; digressi. At Melissus pueri cadauer in forum illatum miserabiliter ostentare, simul supplicium de sceleris autoribus efflagitare. Miserabantur quidem omnes senem, præterea tamen agebāt nihil. Quum itaq; re infecta domū rediisset obseruato celebritatis Isthmiacæ tempore, conscenso Neptuni templo, Bacchiadas implorabat, patrisq; sui Abronis beneficia commemorabat, inuocatisq; dijs præcipitem sese de templo iecit. Haud multò pòst æstus quidem ingens, ac pestilentia urbem inuadit. Consultum igitur de ciuitatis salute oraculum respondit, Neptuni illam esse iram, non quieturam donec Actæonis mortem uindicarint. His Archias auditis (nanq; is oraculo intererat)

Actæon.

Corinthum quidē minimè redijt, sed in Siciliā naui præuectus, Syracusas condidit. Quumq; ibi duas filias suscepisset, à Telepho, cuius florē ætatis decerpserat, quiq; in Siciliam secum nauigarat, per insidias est interemptus.

Scedasi filiæ.

Vir pauper Scedasius nomine habitabat in Leuctris, qui est Thespiensis agri exiguus pagus. Huic filiæ duæ fuerunt, Hippo, & Miletia, siue ut quidam aiunt, Theano, & Euexippa. Erat autem Scedasius uir probus, atque aduersus hospites perhumanus, tametsi ille haudquaquam multa possidebat. Quum ad eum igitur duo Spartani adolescentes accessissent, perlibenter accepti sunt. Exarserūt illi uirginum amore, quoq; minus quid auderent, Scedasi probitate prohibebantur: perrexerunt igitur in Pythonem, quo uidelicet iter instituerant, consultoq; (ut res tulit) deo, domum regrediebantur, factoq; per Bœotiam itinere, in Scedasi rursus domum se recipiunt. Is forte fortuna peregre aberat, sed eius filiæ eos de more accipiunt: qui quum puellas incustoditas offendissent, uim in eas faciunt: quas quum supra modum excepta contumelia sese miseras afflictantes uiderent, ambas interficiunt, iactisq; in puteum cadaueribus, abeunt. Reuersus Scedasus, puellas quidem nusquam uidet, omnia uerò quæ relicta à se forent, salua offendit, incertusq; diutius rerum omnīū perstitit, donec admurmurante catella, & nunc ad se cursitante, nunc ad puteum frequentius redeunte, coniecit id quod erat, atq; ita filiarum corpora extraxit. Quum uerò ei uicini dicerent, uidisse se qui eius domum pridie eius diei ingrederentur, Lacedæmonios illos qui & superioribus diebus apud eum ipsum diuertissent, transactum ab ab iisdem facinus proculdubio intellexit. Nam & superioribus diebus sæpe ipsas puellas laudabant, quiq; eas despon

despon saturi essent beatissimos prædicabant. Lacedæmonem itaq; proficisci statuit, remq; omnem ad Ephoros deferre. Sed quum ad Argiuorum peruenisset agrum, noctu præuētus in diuersorio restitit. Ibi & senem alium offendit Orei ciuem, quod in Estiæatide agro oppidum est. Quem quum & gementem & Lacedæmonios diris agentem uidet, interrogauit, ecquonam is malo à Lacedæmonijs esset affectus. Narrauit ille subditum se esse Spartanorū ditioni, missum uerò in Oreum, qui magistratu fungeretur, Aristodemum, omni prorsus crudelitate atq; iniquitate usum esse. Nam quum, inquit, filium meum amaret, neq; precando quicquam pollicitandoq; efficeret, ad uim conuersus, eum de palæstra rapere aggressus est: prohibente uerò id palæstræ magistro, ac nonnullis adolescentibus opem ferentibus, statim quidem Aristodemus digressus est, postridie autem instructa triremi, adolescentem rapit, atq; in ulterius littus trauectū uiolare nititur, fortiusq; reluctantem gladio iugulat. Tum in Oreum regressus conuiuium celebrat. Ego uerò interim facinus indignum audio, natiq; corpus humi mando. Tum Spartam contendo, remq; omnem ad Ephoros defero, cuius illi rationem prorsus nullam habuerunt. His Scedasus auditis, uehementer perturbatur. Nam & sui rationem nullam habitum iri existimabat: ita uicissim hospiti suam calamitatē narrat. Cohortatur ille, ne ad Ephoros accedat, sed in Bœotiam redeat, liberisq; suis tumulum condat. Minimè id tamen Scedaso persuadet. Pergit igitur Spartam, atque Ephoros conuenit. Neglectus ab his reges adit. Mox populares singulos ambiens, suam calamitatem conqueritur. Quæ quum omnia frustra cecidissent, tum uerò Scedasus mediam per urbem currere, manus ad solem tendere, tum

ferire humum, furias inuocare, postq; hæc omnia sibi mortem conscisse. Haud multò igitur pœnas Lacedæmonij dederunt. Nam quum uniuersæ Græciæ imperitarent, omneisq; urbes præsidijs firmassent, Thebanus Epaminondas quotquot suæ urbis præsidium tenerent, ad unum trucidauit. Insurgentibus uerò in bellum Lacedæmonijs, occurrunt Thebani ad Leuctra, loci uidelicet auspicium captantes. Nam & antea eo ipso loco libertatem recuperarant, quo uidelicet tempore Amphictyon à Sthenelo in exilium pulsus in Thebanorum urbem cõfugit: qui quum Chalcidenses uectigales fecisset, tributi immunes Thebanos reddidit, quippe qui Chalcodontem Eubœensium regem interfecerit. Fusi igitur cæsiq; ad unum Lacedæmonij omnes, ad ipsum natarum Scedasi monumentũ. Ferunt autem priusquam in pugnã prodiretur, Pelopidæ uni ex Thebani exercitus militibus, signis quibusdam, quæ aduersa putarentur, exterrito, Scedasum in somnijs uisum, qui bono esse animo iuberet: uenire enim in Leuctra Lacedæmonios, supplicium sibi suisq; natabus persoluturos, simulq; iuberet, ne antè in pugnã prodirent, quàm equi candidũ pullum, qui paratus afforet, ad uirginum sepulcrum immolarent. Pelopidam uerò militantibus adhuc in Tegea Lacedæmonijs misisse in Leuctra dicunt, qui de eo sepulchro inquirerent, req; omni ab indigenis comperta, optima imbutum spe eduxisse exercitum, atq; ita uictoriã reportasse. Phocus Bœotius quidam genere erat, utpote ex Clisante: Vnicam hic filiam habuit, forma atq; modestia præcellentẽ. Triginta illã Bœotiorũ primarij adolescentes uxorẽ sibi quisq; postulabãt. Phocus uerò alias ex alijs nuptiarũ moras nectebat, metuẽs uidelicet, nequa uis inferretur. Postremo rogãtibus illis, Pythiũ dixit eius se optionis consulturũ. Id illi auditũ ægerrime tulerũt, Pho-

cumq; ipsum facto impetu interemerũt. In ipso autẽ tumultu fugitas puella per agros errabat, sequebãtur uerò adolescẽtes. Sed quum ea in agricolas incidisset, qui triticum in area coaderuarent, salutem per eos consequuta est: occuluerunt enim ipsam agricolæ in tritico, atq; ita à persequentibus transmissa est. Quæ quum euasisset, celebritate, quæ Bœotijs omnibus communis foret, obseruata, Coroneam profectã, ad Itoniæ Mineruæ aram supplex consedit. Ibi procorum iniquitatem narrans, nomen simul cuiusq;, ac patriam edocebat. Miserabantur itaque Bœotij puellam, atq; adolescentibus succensebatur. Ei uerò, quũ hæc audissent, in Orchomenum confugiunt, à quibus repulsi ad Hippotas abierunt, qui uicus prope Heliconem inter Thebas & Coroneam situs erat. Ab his igitur susceptí sunt. Post hæc mittunt Thebani qui Phoci interfectores sibi dedi postulent. Quod ubi minimè impetrant, bellum eis Thebani unà cum cæteris Bœotijs inferunt. Eius belli imperator Phœdus fuit, qui tum princeps Thebanorum erat. Expugnato igitur uico munitissimo quiq; intra ipsum erant ad extremam sitim redactis, cõprehensos Phoci interfectores comburunt, indigenas uerò ipsos in seruitutem abducunt, dirutisq; mœnibus ac domibus, agrum Thebani inter se Coronciq; diuiserunt. Fertur uerò nocte ipsa, quæ Hippotarum captiuitatem præcesserit, uocem sæpius ex Helicone auditam, quæ diceret, adsum. Procos autem triginta uocem illam, ut quæ Phoci esset, agnouisse. Qua uerò die ad bellum prodierunt, monumentum senis, quod in Clisante foret, croco fluxisse traditur. Phœdo autem Thebanorum principi atq; imperatori à pugna redeunti nunciatum, filiam sibi natam, quam ille accepto auspicio Nicostratã appellauerit. Alcippus genere

Alcippi filiæ.

nere quidem Lacedæmonium erat, ducta uerò Damocrita uxore, binos ex ea fœminei sexus liberos suscepit. Is quũ & optimè ciuitati cõsuleret, & ea ageret, quæ esse è rep. intelligeret, inuidiam in se eorum concitauit, qui aduersas ei parteis in rep. fouerent: à quibus falsis sermonibus persuasi Ephori, uelle Alcippũ leges dissoluere, exilio uirum mulctarunt. Exiuit ille quidem Sparta, Damocrita uerò uxor, quæ se uiro comitem unà cum filiabus præbere uelet, prohibita est. Quin & eius bona publicarunt, ne dos uirginibus superesset. Sed quum nonnulli puellas sibi ob paternam uirtutem uxores postularent, senatusconsulto ab inimicis prohibiti sunt uxores illas accipere, quippe qui de ipsarum matre uotum dicerent auditum, ut sibi quamocyßime liberi ex natabus orirentur, qui patrẽ ulciscarent. Quum igitur undecunq; Damocrita impugnaretur, communem quandam totius populi celebritatem obseruauit, ad quam mos erat, ut unà cum uirginibus, domesticisq; omnibus, atq; infantibus mulieres conuenirent. Quæ uerò ex nobilitate essent, seorsum ipsæ à cæteris in magno quodam Androne pernoctabant. Ibi illa gladio sub ueste accincta, comites secum filias educit, noctuq; in templum proficiscitur, obseruatoq; tempore, quo omnes mysterio interforent, quum occlusæ fores essent, magnam lignorum uim ad eas cõstipauit: quippe quæ ad manum, præstoq; forent, ad sacrorum usum conuecta. Tum ignem immisit. Accurrẽtibus autem auxilio uiris, filias ipsa suas, tum sese ipsam Democrita gladio interfecit. Quapropter quum minimè haberent in quos iram effunderent, extra fines Damocritæ naturumq; corpora proiciunt. Quamobrem irato deo, ingens ille traditur Lacedæmone terræmotus extitisse.

FINIS.

OPVSCVLORVM PLVTARCHI TOMVS SECVNDVS.

GVLIELMI BVDAEI REGII SECRETARIJ, ac Electi Parisiensis, ad Iulium Secundum Pontificem Maximum, in librum Plutarchi, de Tranquillitate animi Præfatio.

QVVM dudum ad te legatus, beatissime pater, Iuli Secunde, Pontifex Maxime, cum alijs clarissimis uiris à Christianissimo rege missus essem, emetiendaq; nobis essent itinera longa ac impeditissima, librorum quendam fasciculum inter sarcinas nostras inculcauerã, qui nobis tot dierum tædia leuare aliquantulum possent, quasiq; animo nostro uiatici loco esse. Hunc tertio aut quarto quàm uiam iniuimus die, exolescente sensim domesticarum rerum memoria, liberioreq; iam & feriato ab extrarijs curis animo resoluere tum demum ac recensere cœpimus. In ijs uolumen quoddam Græcũ PLVTARCHI CHAERONENSIS, Traiani olim Principis præceptoris, sese obtulit, quod de Euthymia illa à Philosophis celebrata inscribitur, quæ, ut Latinorum doctissimis placuit, *Secura ac tranquilla animi constantia* dicitur. Huiusmodi inscriptionis illecebra captus, confestim librum auidissimè legi. Cuius explicatio quum expectatione mea non ferè minor esset, nec plus mihi liber fronte promittere, quàm recessu præstare uideretur, primum idoneum ducebam, in quo traducendo ingenioli nostri uires alere possemus, industriamq; nostram quum per ocium licuisset exercere, dixissem expe-

riri, sed non nunc primum specimen nostri hoc in genere facimus. Quum uerò hoc animo aliquàndiu agitassem, in mentem mihi uenit, non ultrà cunctandum esse, sed quo ocio, quoq; negotio primo quoque die hoc mihi aggrediendum esse, ut librum tumultuario stylo conuersum sub nomine tuo ederem, simul quandoquidem cum eximijs uariorum ordinum uiris legatus ego à secretis regis renuntiatus eram (atqueadeo non ut unusquiuis ex numerosa illa decuria, sed ut certus quidam, ut spero, nonnulliusq; commendationis, ne quid insolentius dicam) ut regis, primariorumq; aulicorum expectationi gratum aliquid facerem, qui ad exhibendæ tibi obedientiæ munus, spectatißimos uiros collegatos meos delegisse, atque futuros tibi ex sententia animi uidebantur, simul quoniam ad sacrosanctam istam tuam amplitudinem uenire ab obseruantißimo, eodemq; maximo eius filio iussi eramus, ut emerendæ paternæ indulgentiæ, quantum ad me pertineret, hoc ueluti thusculo numini tuæ sanctitatis oblato, facilius litaremus. Præclarè uerò mecum actum iri arbitrabar, quòd hoc facultatulæ nostræ documentum nominis istius uelamento quodam quasi amuleto ab omni aut carie uetustatis, aut etiam liuore atque obtrectatione tutum posteritatis memoriæ commendaretur. Munus autem est, si ad amplitudinem aut tuam, aut Pontificiam spectes, prorsus indignum quod in conspectum tuum ueniat: sin ad nostram tenuitatem, non modò ad humanitatis conditionem descenderis (quod te hauddubie facturum festiuus ille ingenij tui candor spondet) dignißima, nisi nimium mihi mea placent, inscriptione, quæ maiestati isti dicetur. Est enim beatitudo duntaxat sublunaris,

& quam

& quam mortalium capere conditio potest, compositus & sedatus animus, omni perturbatione uacans, uirtutis fiducia subnixus, conscientia sua fretus, imminentium omnium securus, ut quem nihil perueller quicquam, nedum offensare posßit & lædere, id quod omnino liber noster effecturum se pollicetur. Porrò in ista augustißima amplitudine hanc esse beatitudinem sitam, cum consensus mortalium admittit, qui non alio eam nomine uocandam esse censeant, tum uerò æstimatione ipsarum rerum facilè colligi potest. Siquidem quum huiusmodi beatitudinem esse ex summorum uirorum sententia dixerimus, quonam alio potius in statu, quàm in hoc: imò uerò in quonam præterea esse dicemus? Qua enim iam uoluptate immodica, aut inofficiosa, titillari potest omnium hæc uirtutum choro apta atq; conserta dignatio? Qua ægritudine animi, aut quo mœrore contrahi, omnibus felicitatis numeris cumulata mortalitatis conditio? Quid timere denique ista deo æqua potestas? Cuius uestigijs reges supra etiam humanum fastigium eminentes maiestatis splendore præstricti, nec obtutum eius ferentes, summißis Christo fascibus, æquo animo aduoluuntur? Postremo quid ultrà potest quàm cœlestia cupere, qui nihil iam supra se dignum uideat, in quo animi sui affectum explere queat? Hanc igitur industriæ nostræ fœturam uere nouo excusam plausibilißimo nomini tuo dicamus, opus si ex autoris ipsius maiestate expenderis, argumentiq; grauitate, dignum certè quod Iulianas glandes, Pontificiorumq; insignium decus gestet: Sin ex nostra facultate stylo'que metiaris, ne carioßißimo quidem bibliothecæ tuæ forulo dignum. Verum condonabis non-

nihil incommoditatis rei. Fortasse enim liber tersior limatiorq; exiret, si in officina illa domestica & statuaria, instrumentoq; iusto, non uiatorio excuderetur. Quod enim succisiui temporis requieti iustæ subducere, quod uespertina antelucanaq; lucubratione comparcere mansionatim potuimus, hoc totum in hoc opere instituendo, excudendo, limando consumpsimus. Vale columen Christiani nominis, hocq; munusculum nostrum ea benignitate prosequere, qua legationis nostræ aduentum excepisti. Romæ Calendis Maij.

M. D. V.

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER DE TRANQVILLITATE ET SECVRITATE ANIMI.

Gulielmo Budæo Parisiensi, Regio Secretario, interprete.

PLVTARCHVS PACCIO S.

SERIVS tuam epistolam accepi, in qua me hortabaris, ut quippiam ad te & de animi tranquillitate scriberē, & de his quæ in Timæo accuratiore indigere tibi enarratione uidentur. Equidem quū Eroti amico nostro nauigandum actutum Romam esset, literis raptim à Fundano optimo uiro acceptis, nec ideo spacium habercm meo modo incumbendi ad ea quæ optabas, nec rursus sustinerē uacuis omnino manibus hominē à nobis amissum esse uideri, delecta quædam de tranquillitate animi ex cōmentarijs confectis olim nobis decerpsimus. Nec uerò, ut opinor, in huiusmodi cōmentatione dicēdi lautitias, exquisitumq; anxiè sermonis lepōrem cōsectaris, tantumq; rationē habes doctrinæ cuiusdam ad instituendā uitam admuniculatricis. Atq; bene quidem actum esse puto, quòd quum necessitudinum tibi iura, eaq; nō uulgaria, cum principibus intercedant, forensiq; gloria nemini cedas in iudicijs agentū, non ideo

ut tragicus ille Meropŝ ad ſuſpicietis, beatiſq; tẽ coro-
næ plauſum futiliter obſtupeſcis. Sæpe quoque te audire
meminiſti, nec articularium morbum calceo quamuis pre-
cioſo leuari, nec anulo reduuiam, ut nec capitis dolorem
ſedari diademate. Quis enim tandem pecuniarum uſus ad
uitandam animi ægritudinem, aut ad uitam placidè ac ſe-
curè trãſigendam? quis aut gloriæ, aut inter aulicos emi-
nentiæ, niſi quibus hæc habere contigit, ipſi ſcitè ijs quæ
habuerint, uti norint, rurſuſq; quum caruerint, eorũ deſi-
deriũ ferre? Hoc autem quid eſt aliud, quam ratio aſſue-
ta & præmeditata, patibilẽ animæ partem, rationiſq; ex-
pertem, erumpentem identidem reprehendere conſeſtim,
nec ultrà expatiari, & ab inſtantibus affectibus trãſuer-
ſam ferri ſineret? Proinde quẽadmodum Xenophon iube-
bat ſecundis maximè rebus homines deorum meminiſſe,
eoſq; tum enixius uenerari, uidelicet ut quũ res tuliſſet,
maiore eos fiducia quicquid ipſis opus eſſet, poſcerẽt cõ-
ciliatos iam & propitios, haud aliter cõmentationes eas,
quæ ſedandis perturbationibus appoſitiſſimæ ſunt, præ-
ſumptas reconditasq; eſſe oportet, duntaxat apud mentis
compotes, ut multò ante præparatæ longè ſint utiliſſimè.
Vt enim truculenti canes, & ad omnem uociferationem
conſternabiles, ab una tamen uoce ſolita & nota ſibi de-
mulcentur, ſic animæ efferatos affectus non parui eſt ne-
gocij componere ac permulcere, niſi commentationes ſo-
litæ ac familiares præſto ſint & ad manum, quæ turbulẽ-
tos eos & percitos, protinus cõſopiant. Cæterum qui ita
cẽſent ad uitã per tranquillitatẽ agendam nõ multa age-
re oportere, nec priuatim, nec publicè, hi primò magno
nobis parabilẽ animi tranquillitatem faciunt, utpote in-
ertia ſegnitiaq; uenalem, & tanquam ægrotũ ſic unum-
quenq;

quenq; hortantur uerſu illo tragico:

Mane miſelle tuis in lectis immotus.

Siquidem quum noxium eſt medicamentum corpori ſe-
pultæ illa ſegnities, tum nihilo melior animæ medicus eſt
ægritudinis & turbulentiæ torpor & mollitia, ſocor-
diaq; amicorum, neceſſariorum, patriæq; deſertrix. Dein-
de etiam falſum eſt, homines minimè actuoſos tranquillè
uitam ducere, alioqui tranquilliorem mulierum uitam,
quàm uirorum eſſe oportuerit: nempe quæ domi plerunq;
excubare ſeſitantes ſolent, ſellularijs in officijs occu-
patæ. Nunc uerò quum Aquilo ad tenellas uirgines per-
rumpere non poſſit, ut Heſiodus inquit, animi tamẽ ægri-
tudines, perturbationes, malæ mentis habitudines ex ze-
lotypia, ſuperſtitione, ambitioneq;, & inani gloria, qua-
rum rerum numerum nemo inire poteſt, gynæcum etiam
irrepunt. Laertes uerò annis uiginti in agro ſecum, ut di
citur, uiuens unica tantum cum anu, inter cibos ei po-
tuſq; ancillante, patriam & domum, atqueadeo regiam
fugitabat, & nihilo ſecius tamen mœrorem uultuoſamq;
deſidiam contubernales habebat. Quid quòd hocipſum
nihil agere nonnullos ſæpe ab recta animi conſtitutione
deturbauit? ut ecce apud Homerum:

Aſſidet hic pedibus pernix Ioue natus Achilles
Nauibus, indulgens iræ, fugitansq; tenaci
Propoſito pugnam, procerum populiq; coronæ
Concilia auerſans, hominum illuſtrantia nomen,
Corde liqueſcit iners, rurſuſq; ſubinde requirit
Prælia, feq; ciet ſæui in certamina Martis.

Propterea ipſe marceſcere ſe ocio ægrè ferens, ſtoma-
chanter inquit:

Pondus iners terræ ſedeo cuſtodia claſsis.

Itaq; ne Epicurus quidem, ille uoluptatis assertor, autor est ijs, qui aut ambitiosi natura, aut sunt auidi gloriæ, ut se ocio dedant, sed ut ad gerendam Rempublicam natura duce accedant: quippe homines ad agendum natos haudquaquã æquo animo inturbidoq; laturos, se ea re orbatos esse, quam in primis concupierint. Quanquam ille ineptus, qui ad Rempublicã adsciscat eos, qui sibi ab ea temperare nequeant, & non eos potius, qui gerendæ Reipublicæ facultatem habeant. Neq; uerò multitudine paucitateq; negociorũ securitatẽ animi anxietatemq; metiri conuenit. Honesta enim omittere nõ minus quàm turpia agere molestum est, ut prædiximus, & turbulentum. Qui autem unam sibi agendam uitam, & omni anxietate uacuam præciderunt, ut agricolarum nonnulli, aut cœlibum, aut regum, hos scitè Menander his ferè uerbis tota errare uia, ut dicitur, admonet. Opinor ego locupletes homines, ò Phania, quibus necesse non est uersuram fœnerato facere, nec noctu ingemiscere, nec sursum deorsum se uertentes, hei mihi, dictitare, suauioremq; quendam somnum mollioremq; dormire. Vt uerò is accedens locupletes itidem atq; inopes afficei animaducrtit: Nimirum, inquit, cognatum quiddam sunt atq; cõgenitum, uita & mœstitia. Voluptuariæ enim uitæ comes ea est, per inopiam tra ductæ consenescit. Enimuero quemadmodum meticulosi, & inter nauigandum nauseantes, in prægrande subinde nauigium ex nauicula transiliunt, atq; illinc rursus in triremẽ, melius iam iamq; sibi fore sperantes, quoad sese tandem nihil promouere, & (ut ita dixerim) actum agere senserint, ut qui bilem quoquo secum gentium ignauiamq; circunferant, sic uitæ genus aliud atque aliud identidem capessere, à molestijs perturbationibusq; animũ eximere nequit.

Cuiusmodi sunt imperitia rerum, inconsiderata temeritas, nec scire, nec posse rectè pro re nata præsentibus uti. Hæc opulentos iuxtà inopesq; exercent, hæc & maritos & cœlibes mœrore afficiunt. Non aliam ob causam salutem multum foro quidam dicentes, uitam rursus umbratilem non perferunt. Propter hæc eadem in aulas sese regum nonnullos omni ope insinuantes, incepti rursus piget. Implacidissima res est ægrotantes, ut inquit Ion: nam uxor fastidio est, medicum incusant, lectulo succensent, denique amicus inuisens molestus est, abiẽsq; rursus offendit. Postmodum uerò remittẽte morbo, tempe ramentoq; reddito sensim uenit sanitas, iucunda iam omnia faciens & placida, adeò qui oua pridie, amylum, & primarium panem fastidiose expuerat, cibarium postridie panem auidissimè cum nasturtio comest. Tantum est in ratiocinatione momentum, ad unumquodque uitæ institutum immutabundum, ea uis ad uitam feliciter traducendam. Alexander quum audiret Anaxarchum mundos esse infinitos disserentẽ illachrymasse dicitur, percontantibusq; amicis, ecquid lachrymis dignũ ei contigisset? An indignũ est, inquit, nos flere, si quum infiniti mundi esse dicantur, hauddum unius domini facti simus? Crates contrà manticam sordidumq; palliolum gestans, per lusus & risum uitã quasi dies festos aduscq; extremum egit. Atqui Agamemnoni graue erat quòd multis imperitaret.

Noueris Atriden Agamemnona, quem super omneis
Iuppiter exercet, penitusq; laboribus angit.

Diogenes quum inter uenales de lapide addiceretur, auctionantem præconem cauillabatur humi iacens, assurgereq; illo iubẽte nolebat: Quid tandẽ, inquiẽs, si piscẽ addiceres? Iã uerò Socrates è uinculis philosophabatur, inter

inter sectatores suos disserẽs: Ecce tibi alia ex parte Phaëthon in cælũ scãdens, lacrymabũdè expostulãs, q; nemo patris ei currus equosq; aurigandos præbet. Porrò quemadmodum calceus ad uari pedis figuram obtorqueri etiã solet, pes uerò non item ad obtorti calcei, hunc in modum mentis habitudines quamlibet oblatam uiuendi rationem simulem sibi reddiderint atq; consentaneam. Nec uerò ijs qui optimam uitam elegerunt, suauẽ quoq; uitam consuetudo efficit, ut quidam uoluerunt, sed prudentia potius uitam optimam eandem suauissimamq; facit. Agedum igitur scaturientem in nobis fontem animi securitatis defecatissimum atque expurgatissimum facere aggrediamur, ut quæ nobis extraria aduentitiaq; impendent, accõmodata quadrantiaq; ingenti æquitate animi ferendo faciamus. Siquidem rebus ipsis malè cedentibus iracundè succensere non conuenit, utpote ad quas ira nostra prorsus nihil pertineat. Cui uerò id contigit, si malè cedentia arte emendauerit, is sanè commendabiliter egerit. Proinde Plato humanam uitam cum alea comparabat, in qua optimus quisque iactus aleatori maximè expetendus est, sed uteũque tamen ceciderit, adhibenda artificiosa cura est, ut eo quod casus tulerit quamrectissime utatur. Quorum tamen ipsorum alterum in nobis situm non esse, aleæ uidelicet iactum, alterum situm esse, si sapientes sumus, id quod sors attulerit æquo ut animo excipiamus, & ut unicuique locum distribuamus, quò magis commodet id quod bene ceciderit, quoq; minus incommodet id quod retrouersum cesserit. Verum inertes homines, degendæq; uitæ ignari, instar morbosi corporis hominum, qui nec æstum ferunt, nec rigorem, ut in rebus secundis exporrecta fronte perfusi, seruare modum nequeunt, ita in aduersis obducta atq;ue

atque caperata fœdissimè contrahuntur. Conturbantur igitur ab utrisque, uel in utrisque potius à se, nihiloq; secius in ijs quæ bona esse creduntur. Theodorus ille cognomento Atheus dictitare solebat, uerba se auditoribus dextera porrigere manu, sed illos sinistra accipere. Indocti autem fortunam sæpenumero dexteram se eis applicantem, ad læuam indecorè uertentes sese statuunt. Prudentes melius, qui ueluti apes ex thymo aridissima, asperrimiq; succi herba, mel rem suauissimam conficiunt, sic ex rebus ipsi incommodissimis sæpe quippiam conducibile sibi, accommodatumq; eliciunt. Id quod maximè meditandum est, ac multa animi exercitatione laborandum. Vt enim qui in proteruam canem lapidem librans, quum ab illa aberrans nouercam non destinatò percussisset: ne hoc quidem, inquit, modo malè: sic & fortunam retrorsum quàm uolumus cedentem emendare, aliorsumq; uertere licet. Exilij causa solum uertit Diogenes, ne sic quidem malè: philosophiæ enim ansam illud ei præbuit exilium. Zenoni Citieo unica nauis reliqua erat, hanc ut audisset ipsam cum uectoribus, cum mercibus, cum puluisculo, ut dicitur, periisse: præclarè inquit, mecum fortuna agis, quæ me ad palliũ illud obsoletũ atq; ad porticum impellis philosophicam. Quid igitur tandem nobis obstat, quò minus illos imitemur? A magistratu quopiam excidisti, ruri uitam ages. Circa tua priuatim negocia satagens, in principis amicitiam insinuare te magno ambitu contendens repulsam tulisti, tuto nulloq; undecunq; tibi exhibito negotio uiues. Rursus negotijs multis curisq; implicaris, ne aqua quidẽ calida usqueadeo mollia mẽbra fouet, quod ait Pindarus, ut honores & gloria cum potestate iuncta suauẽ laborem faciunt & facilè exudabilem.

At enim

Atenim quædam te angit offensio ex delatione, aut inuidia, aut atroci ignominia: secundus hic status est, ad Musas & in Academiã frẽs, id quod Platoni accidit, quũ in Dionysij amicitia quasi sæua tempestate deprehẽsus esset. Proinde non minimũ momentum ad animi trãquillitatem facit, diligẽter insignes et fãmigeratos homines animaduertere, si quid forte simile aliquando ijsdem ex causis perpessi sunt. Orbitas, exẽpli gratia, mœstitiã tibi affert, respice Romanorum reges, quorum ne unus quidem moriens filio regnum reliquit. Inopiam æquo ferre animo nequis, quisnam igitur aut Bœotiorum esse malles, quàm Epaminondas, aut Romanorum, quàm Fabricius? Sed demus uxorem tuam adulteratam esse, nosti'ne illud Agidis epigramma apud Delphos? Audistin' Alcibiadem uxorem eius Timæam constuprasse, puerumq; ipsum quem pepererat Alcibiadem uocitare solitum ad ancillas insusurrantem? Hoc tamen Agidi non obstitit quò minus clarissimus uir maximusq; euaderet, non magis quàm Stilponi filia impudica, quò minus hilarissimè uiueret omnium seculi sui philosophorum. Quod ei opprobriam quum Metrocles obijceret: Hoecine igitur, inquit, peccatum meum est, an filiæ? Filiæ, inquit, peccatum est, sed tuum infortunium. Qui fieri, inquit, potest? non'ne peccata etiam lapsus sunt? Prorsus, inquit ille. At lapsus non eorum quorum lapsus sunt aberramenta quoq; sunt? Certè, inquit: quid aberramenta? non eorum quorum aberramenta etiam infortunia? Huiusmodi ille sermone placido, & è philosophica placabilitate Cynici ille hominis maledicta inania, & irrita oblatramenta esse docuit. Age iam plerosque non modò amicorum ac propinquorum uitia, sed etiam, si dijs placet, inimicorum

Epigramma deest.

exacuunt.

exacuunt. Conuicia enim, iræ, inuidiæ, improbitates, insestissimæq; riualitates eorum sunt maximè exibes, in quibus ipsa insunt, conturbant tamen & irritant imperitos non aliter atq; uicinorum iracundiæ, aut familiarium morositates, aut seruitiorum praua quædam ingenia, quibus tu ipsis permoueri solitus uidere mihi. Vt illi apud Sophoclem medici amaram bilem amaro quoque medicamento eluunt, sic tu haud è dignitate tua morbis illorũ, prauisq; animi affectionibus obscuire, pariliq; mẽtis acerbitate respondere. Quas uerò res agis, nec simplicibus eæ, nec frugi moribus quasi organis appositissimis, sed asperis bona ex parte cõtortisq; mouentur. Porrò hæc corrigere cum maius est, quàm ut præstare possis, tum uerò ne alioq; quidem facile. Quòd si istis, ut ita dicam, natis utens non aliter atq; medici dentarijs, scalpellis ancteribusq; utuntur (ita uocant fibulas quasdam, quibus uulnera cõmissa coalescunt.) Si igitur ijs utens mansuetudinem, moderationemq; præ te ubiq; pro re nata tuleris, profectò nõ magis alienæ petulantia atq; improbitate offendere, quàm tuæ ipsius affectionis conscientia lætabere. Nam eos ita agere non ab re arbitraberis, non magis quàm canes quũ oblatrant, indignè natura sua facere. Alioqui si huic imbecillitati atq; pusillanimitati indulgens alienis te etiam malis uelut in loeũ quẽdã depressum subsidentemq; influentia. Quid quòd nonnulli philosophorũ miserationem improbauerunt, qua ad aspectum calamitosorũ hominum afficimur, boni uiri cõtendentes esse, opitulari propinquis afflictis & iacentibus, non etiã condolescere, aut pari animi remissione fortunæ concedere? Iam quod maius esse nemo inficias ibit, nec si nosmetipsos peccasse quid

cæsse quid senserimus, ac prauo ingenio esse, propterea nos animo cõcidere ac mente ægrescere sinũt: citra enim tristitiam hæc emendanda esse. Quæ quũ ita sint, uide etiã atq; etiam, ne perabsurdum sit, permittere nobis usquequaq; indignari atq; succensere, si nõ nemo eorum, queis cum cõmercij quid habemus, parum blandè aut etiã inclementiusculè nobiscum forte agit. Equidem uereor, Pacci amicissime, ne nos amor nostri fallat, nec tam infensum in oblocutorum proteruiam animum, quàm nimium de nobismetipsis merentem præferamus. Etenim uehementius ad res quasdam quodam cum stupore affici, præterq; dignitatem expetere eas & consectari, aut rursus auersari & ab eis abhorrere, nimiram simultates hæc inter homines offensionesq; afferunt, quum alij alijs acceptum ferant, aut hæc sibi intercepta esse, aut quòd in illa incurrerint. Quòd si quis pro rerum euentis uersatilẽ præbere quoquo se uersum seruata moderatione adsueuerit, dextera ille sanè facilitate cum hominibus uersari passim didicerit. Age uerò intermissum illum nobis sermonem de rebus ipsis resumamus. Quomodo enim febrientibus amara omnia atque uesca statim gustata uidentur, quoadusq; alios uiderint eadem illa, quæ morosè ipsi expuerint, nulla prorsus sumentes ingrati saporis significatione, quo loco demum non in cibum iam aut potum, sed in sese potius culpã, in morbumq; reijciunt: Sic nos si quæ non sine querulo mœrore transigimus, ijsdem alios defungi magna animi æquitate, atqueadeo hilari uultu uiderimus, nimirum rebus succensere ipsis tantopere desinemus. Verumenimuero ut animi constantiam in rebus aduersis retineamus, operæprecium est non transmittere illa communibus, ut aiunt, oculis, quæ præclarè aliquando nobis, atq;

ex ani

ex animi sententia cesserint, concinnaq; mixtura cum deterrimo, quoq; euentu secundiores compẽsare. Nunc uerò quum oculos prænitẽtium rerum aspectu præstrictos, ad floridos herbaceosq; colores auertere recreandi causa soleamus, contrà mentem nostram ad mœstifica intendimus, uimq; ei afferentes cogimus ad pœnitendarum maximè rerum recordationem incumbere, eamq; à prædicabilibus præ seq; ferendis inuitam, propè dixerim, renitentemq; conuellimus. Atqui subit nunc mihi appositißime huc transferri posse id quod in hominem olim curiosum dictum est, aliena ad se nihil pertinentia perscrutantem: Quid, malum, homo maleuolentißime, aliena uitia multiunis oculis cernis, tua uerò transmittis noctuinis & cõniuentibus? Quid mala tua, uir beate, tam accuratè perspicis, præsentariaq; semper & recentia iugi recordatione facis, à præsentibus autem bonis auersam mentẽ habes? Et quemadmodum cucurbitulæ medicinales deterrimum sanguinem ex carne eliciunt, sic tu pessima quæque tuorum in te congeris ipsum, nihilo illo Chio negociatore melior, qui quum uinum multum, primaq; bonitatis uenderet, ipse sibi acidum in uappamq; deprauatum conquirebat. Cuius seruus quum ab eo forte aufugisset, scisciturq; ab illo quispiam, qua causa impulsus dominum reliquisset, quia quum in manibus, inquit, ei bona essent, mala tamen conquirebat. Huius simules multi suauissima potulenta transmittentes ad aspera prauaq; se conferunt. Non sic Aristippus idoneus ipse quasi in libra ad propendentem malorum lancem non uergere, sed ad leuiorem sublimem sese tollere. Hic quum prædium amœnissimũ perdidisset, percontatus est ab uno eorum qui sese ei maximè condolescere simulabant, fortunæq; succensere. Non'ne

unicum, inquit, tibi prædiolum esse nosti, mihi uerè agros reliquos tres esse? certè, inquit ille. Quin igitur, inquit, tibi potius cõdolescimus? Furori enim simile est perditis indolescere rebus, nõ illætari uerò incolumibus. Vtq; pusilli pueruli quum quis eis unum ex multis ludicrum inuolauerit, reliqua omnia disijcientes lachrymantur & eiulant, ad hunc modũ à fortuna una nos in particula conturbatos, reliquas omnes res nobis inutiles facere lamentantes & queribundos. Atenim quid habemus? dicet aliquis: Imò uerò quid non habemus? hic gloriam, ille domum, hic uxorem ex sententia, ille amicum fidelem. Antipater Tarsensis quum moriens bona quæ in uita habuerat in digitos mitteret, ne prosperam quidem Athenas natigationem ex Cilicia omisit. Neq; uerò communia hæc & translatitia prætereunda sunt, ratioq; horum uteunq; habenda, quòd uiuimus, quòd ualemus, quòd solem conspicimus, quòd nec bellum est, nec seditio, quòd terra arabilem se præbet, & mare nullo propè negocio cuiuis nauigabile. Postremo quòd loqui, quòd tacere liberum est, & negociari, & ociari. Enimuerò harum rerum præsentia tranquilli animi materiam pinguiorem nobis dederit, si earundem absentiæ, desiderijq; imaginem animo nostro affixerimus, subinde nos ipsi admonẽtes, quàm sit ægrotantibus exoptata sanitas, paxq; bello implicitis, quàm inuotis peregrino sit & ignobili, gloriam nomenq; tali tantaq; in ciuitate adipisci. Rursus quàm acerbũ sit iam quæsitis excidere. Nec enim, ut opinor, horum & huiusmodi magnum tum quicquam ac optabile erit, quum deperditum fuerit, incolume nihil erit: quippe nihil eo magis censetur quod esse desierit, nec posßidenda hæc nobis ut præclara, nec tanta anxietate seruanda sunt, excubantibus

Omnes habemus unde lætemur.

aßiduè, ne ijs tanquam dignis, uisendisq; rebus spoliemur, habita autem & salua negligenda & quasi translatitia parùipendenda. Hæc enim utenda, fruendaq; cum gaudio uel eò maximè sunt, quò iacturam eorum, si sors ita tulerit, placabilius moderatiusq; feramus. At uerò multi poëmata, ut Archesilaus aiebat, aliena, imagines, & statuas operæprecium esse putant exquisitè & ad manus singuli uicißim accedentes, accurataq; mentis atque oculorum intentione contueri, suam ipsi uitam negligentes, quanquam considerationes permultas, animaduersionesq; habentem, easq; non iniucundißimas extrorsum spectantes, alienas sortes sußicientes, adulterorum simules, qui suas uxores fastidientes, alienis inhiant, toto quidem illi cœlo, ut est in prouerbio, aberrantes. Permagni enim refert ad constantem illum animi statum se in primis ipsum, suaq; unius atque peculiaria æstimare: sin minus, ad inferiores certè perpendendos intentionem auertere: non ut uulgus hominum in diuersißimam partẽ ad admirandos eos, quos summa ad fastigia rerum extollat, quoties uoluit fortuna iocari. Exempli gratia, uincti & nexi solutos beatos esse autumant, bi uerò liberos, liberi rursus eos qui ciuitatis ius habeant, bi item diuites, atq; bi præsides, præsides itidem reges, postremo reges deos, quos etiam ipsos regni pœnitet, nisi fulminis, propemodum dixerim, fulguriq; potentes sint. Ita fit ut quum superiorũ esse pares non possint, intra suam, quod aiunt, classem haud unquam acquiescant. Non mihi curæ sunt opes Gygis illius prædiuitis, inquit ille Thasius, nec dum me magna eorũ admiratio cepit, neq; deorum mirificis operibus æmulor, neq; itẽ magnificè inhio tyrãnidi: longè enim longè hæc ab oculis meis absunt. Hæc ille

Thasius. Ecce tibi contrà alius quidam Chius, atq; item alius Galates, aut Bithynus, non contentus ipse, quòd aut gloriam, aut magistratũ inter ciues adeptus sit, sed etiam (si dijs placet) lachrymabundè expostulat, nisi senatoria gestet. Hoc etiam ut dederis, nisi prætura gerat, atque ut hoc indulseris, nisi & consulatum. Deniq; consulatũ addideris, pœnitenda omnia uidebuntur, nisi renuntiatus quoq; prior sit. At hoc quæso quid est aliud, quàm ingratitudinis causas in fortunam colligentem sese excruciare, atq; ipsum sibi perpetuò pœnas pendere? Compos uerò mentis homo, non si unus aut alter mortalium, qui sexcenties centena millia solis spectatores alumniq; terræ sumus, nominis eum gloria præstat, aut etiam diuitiarum affluentia, lamentabundus protinus & abiectus compressis, ut inquiunt, manibus sedet, imò uerò quum bene præclareq; actum esse secum præ infinita ærumnosorum hominum multitudine uideat, sortem suam uitamq; quoties in publicum prodierit, amplectitur. Porrò apud Olympia uictori nemini esse licuit unquam, ut non cum primo quoque prodeunte committeretur, nullo arbitrio permisso deligendi secum congressuri, in uita uerò nostra rerum conditio facultatem unicuiq; præstat, se sortemq; suam cum multis multorumq; contendenti, celsum erectumq; animi esse, magisq; adeò uisendum alijs et admirabilem se præbere, quam ipsum alios admirantem, nisi tamẽ tanta sit præditus improbitate, ut Briarei æmulum se, aut Herculis facere non uereatur. Itaq; quũ primarium quendam uirum lectica uehentem mirabundus suspicies, demissis continuò oculis lecticarios etiam despicito. Rursus quũ Xerxem illũ rate nauibus apta Hellespontũ traijcientẽ mirabere ut beatũ, respice & illos territãtibus flagris maris

maris emissarium per Athon effodientes, atq; item alios naso, auribusq; demutilatis excarnificatos ob ratem illam æstu quatiente solutam, simul arbitrare eos te tuamq; conditionem ingenti commendatione prosequentes. Socrates quum amicorum quidam dixisset, Magno omnia ueneunt in urbe, mina enim Chium uinum, purpura tribus minis constat, mellis autẽ hemina quinq; drachmis, manu eum prehendens, in penumq; farinariam ducens, obolo, inquit, semisextarius uenit, nulis igitur annona. Inde in olearium traducens, duobus, inquit, æreis sextarius, non magno igitur omnia in urbe. Simili modo & nos si quem audierimus dictitantem, tenuem ac pudendam fortunam nostram esse, quòd nec consulatum geramus, nec alium magistratum, dicere illi possumus, præclaram splendidamq; nostram conditionem esse, nec eam stipem ostiatim petimus, nec inter phalangarios, uecturiosq; subeundis ac moliendis oneribus fatigamur, nec assentatorum more supparasitari potentibus cogimur. Tametsi (quandoquidem eò iam amentiæ uentum est, ut ex aliorum magis nostra cuiusq; uita, quàm ex sese ipsa pendeat, naturaq; nostra in degenerem quãdam, inuidamq; affectationem deprauata, non tam proprijs lætari solet, quam alienis bonis angi) si non modò tu uisenda illa & famigerata in illis inspexeris, quos tu perquam beatos, atq; in gremio Iouis, quod aiunt, esse putas, sed tanquã reducto ac retracto uelo speciosissimo, transmissa gloria illorũ & externa specie, penitus introspexeris, profectò intestina multa, peracerba, permolestaq; deprehendes. Pittacus ille, quem & sapientia, & fortitudine, & iustitia præditũ fuisse constans admodum fama est, quum conuiuas quosdã hospites suos acciperet, superueniens mulier mensam euertisse iracundè

cundè dicitur. Quo facto quum cõturbatos hospites animaduertisset: Vnusquisq; uestrûm, inquit, malo quopiam affectus est, mecum uerò ne hoc quidem rerum statu nunquam non præclarè agitur. Hic in foro beatus esse existimatus, quum primum limen domus contigit, iam non dico miser, sed miseria esse uidetur, uxor ibi omnia obtinet, omnia imperiosissimè arbitratur, ibi semper et passim cum ea pugnandum est. Permulta uobis dolent, mihi omnino nihil dolet. Huiusmodi complura tum gloriæ, tum opibus, tum regno etiam hærent, sed uidelicet multitudini pullatæ prorsus inanimaduersa, obtenditur enim ille fastus, post quem ea omnia latent.

Felix Atride Graiûm decus, undiq; cedunt
Fata beate tibi, dum fors extollit alumnum.

Extraria ista beatitudo circunfusis armis, equis, & exercitu, age audi uicissim penitissimam uocem malè affectæ mentis ad istam gloriæ insolentiam reclamantis:

Iuppiter implicuit grauibus me sortibus ingens.

Et, ô felices ac beatos, qui procul omni discrimine ignobiles, inglorij, hac uita defuncti sunt. His alijsq; huiusce modi cõmentationibus exhaurire sensim licet querelosam illam animi iniquitatẽ & fortunæ cõuiciatricem, abijciẽtemq; sese præ aliorum admiratione animum, & se suaq; prementem erigere. Enimuero constantem illum tranquillumq; statum animi mirum in modum frangit, altioribus spiritibus ad assequendum quippiam quam pro uiribus niti, quasiq; grandioribus uelis proportione uehi: quippe immodica nobis atq; immensa affulgente uteunq; spe temere pollicentes, deinde non respondente successu fortunam statim iniquitatis geniumq; nostrum postulamus, quum temeritatis potius nosmetipsos damnare deberemus

remus. Ceu uerò fortunæ succensendum sit, quòd uel aratro sagittam eiaculari nequeas, aut boue incitato uenari lepusculum, quasiq; iniquus quispiam deus ijs aduersetur, qui cuerriculis cernos irrito conatu uenantur, & nõ uesania potius atq; improbitate sua impossibilia etiam persẽcere aggrediantur. Huius uerò erroris causa est perditus amor sui. Homines enim nimium de se meriti dum primas ubiq; partes sibi magna contentione tribuunt, peruicacia prouecti nihil intentatum relinquunt: nec enim illis satis est, locupletibus simul & facundis & cõuiuis festiuissimis iucundissimisq; esse, adhæc regum amicis, & in magistratu esse, nisi & canes & equos primæ bonitatis habuerint, atque adeo, si dijs placet, coturnices & gallinaceos, alioqui animo esse composito nequeant. Dionysius senior non satis habuit, se maximũ sui temporis tyrannorum esse, sed indignũ esse ratus quòd Philoxeno poëta in poëtica, Platoni autẽ esset in disserendi facultate secũdus, præ impotẽti ira percitus, illũ quidẽ in latumias demisit, hunc uerò in Aeginam uenundatũ ablegauit. Nõ sic Alexander, cui quum Brison, quicum in curriculo de pernicitate certabat, consulta tarditate blandiens uisus esset de suo iure decessisse, uehementer indignatum esse ferũt. Scitè igitur Homerus quum de Achille dixisset:

Qualis erat Danaûm Martis certamine nemo,

Subdidit & illud:

Egerit ast alius causas præstantius illo.

Megabysus Perses quum in officinam Apellis aliquando conscẽdisset, loquitari nescio quid de arte picloria cœpit. Huius ineptias non ferens Apelles: Priusquam, inquit, sermone te proderes, nonnullam de te opinionem præbuisti, auro scilicet isto cum purpura silentium honestantibus,

nunc uerò officinarij etiamnum pueri, qui pigmenta mihi terunt, tua ista blacteramenta rident. Sunt qui Stoicos ludificari nos putent, quum sapientem illum suum, quẽ ipsi sibi fingunt, non modò prudentem esse, & iustum, & fortem cõstituunt, sed & oratorem, & imperatorẽ, & poëtam, & regem deniq; uocant, atq; ijdem illi omnia hæc sibi nomina nihilominus asciscere non erubescant, & si sibi tandem desperanda esse senserint, cõtinuò ægreferãt: quod quàm sit rationi consentaneum, ipsi uiderint, quum deos quoq; nouerint ipsos alium alio numine contentos acquiescere, ut hic Enyalius cognomento dicatur, quòd bellico furori præsit, ille Mantous, quòd uaticinijs, alius Cerdous, quòd lucris. Vnde Iupiter apud Homerum Veneri rebus bellicis interdicit, ut nihil ad eam pertinentibus, nuptiarias autẽ & geniales curare eam iubet. Adde quòd quædam natura dissident, eorum quæ nobis exopeanda uidentur: ut uerbi gratia, qui dicendi studium aut disciplinarium artium capessit, hunc negotiosum esse oportet, omniq; negocio uacantem. Ciuiles rursus magistratus & regum amicitiæ negocia facessere solent, crebráq; auocamenta afferre. Vini & carniũ plenior usus corpus quidem ualidum athleticáq; firmitate facit, animum uerò imbecillum & fragilem. Postremo immodica in re aut augenda diligentia, aut seruanda anxietas, diuitijs cogendis cumulandisq; conuenit. Contemptus contrà & despicientia magnum auspicandæ philosophiæ instrumentum est, & philosophandi propè dixerim tyrocinium. Itaque non omnium sunt omnia, uerum elogio Pythico obtemperantem sese nosse statim oportet, ita naturam consulere, eaq; autore unum quiddam potius capessere, quàm ad aliud aliudq; institutu uitæ transeunte naturæ ipsi uim afferre.

Curribus

Curribus equus, aratro bos cõgruit, acceleranti naui adnare aptus delphin, uenando autẽ apro canis ferox accõmodatus. Quòd si quis ideo angitur, quòd leo strenuus idẽ ac catellus blandulus in uiduæ gremio alitus esse non potest, is ingenti nimirũ stoliditate præditus est. Atqui hoc nihilo melior est ille, qui simul Empedoclis modo, aut Platonis, aut Democriti de mundo scribere uult, entiumq; naturam peruestigare, simul cum prædiuite uetula concumbere, ut Euphorion, aut eorum similis esse, qui cum Alexandro ad multam noctem comessari solebant, ut Medius ille, idem indignum esse censens atq; uix ferẽdum, nisi & propter immensas opes insignis nõ minus Ismenia sit, & propter uirtutem non minus Epaminonda. Cursores porrò suis præmijs acquiescentes, luctatores facilè suas sibi coronas habere patiuntur. Spartam sortitus es, inquit Solon, hãc legibus, institutisq; ornato. Minimè uerò, inquit: idem, diuitias uobiscum uirtute permutauerimus, quũ hæc propria res ac stabilis sit, diuitiæ uerò precariæ, & ad aliũ atq; alium subinde transeuntes. Strato Physicus quũ audijsset Menedemũ plures multò discipulos, quàm se habere: Ecquid, inquit, magnopere mirandum est, si plures sunt qui lauari, quàm qui ungi uolunt? Aristoteles ad Antipatrum scribens: Alexandro, inquit, prædicabile id ac præ se ferendum est, non modò quòd quamplurimis gentibus imperitet, sed etiam quòd rectum de diuinis præter alios opinionem habere possit. Proinde qui hoc modo lætabilia sua ipsorum prædicandáq; dixerint, nec usqueadeo nihili facienda, hi proculdubio admirandis alienis haudquaquam intabescent. Nunc uerò quum nemo nostrũm uitem ficus ferre dignum censeat, nec oleam uuas, nos tamen ipsi criminamur assiduè, ingra-

tátq; inexplebilitate premimus, nosq; adeò nostri pœnitet, nisi primas partes inter diuites simul & disertos, domi & militiæ, inter philosophos & nulites, deniq; inter assentatores, & eos qui fidenti ingenuaq; simplicitate ueraces esse nosciuntur, postremo inter præparcos profusosq; feramus. Tametsi naturam cernimus mirè nos cõdocefacientem. Vt enim fera animalia alijs alia uictitare natura comparatum est, nec omnia aut seminibus lectis ali, aut esu carnium, aut effossis radicibus uoluit, sed alia alios esitare cibos, similiter eadem ipsa natura uaria uiuendi instituta humano generi dedit, armentario, aratori, aucupi, piscatori. Oportet igitur unumquenq; nostrûm quod appositissimum sibi esse intellexit, id sumere, totoq; opere incumbentem ad illud, de possessione eorum decedere, quæ ad alios pertinere senserit: alioqui ridiculus erit Hesiodus quum dicit:

Æmulus est figulus figulo, atq; fabro æmulus artis
Protinus est consors.

Siquidem non iam artis aut instituti consortio ducuntur ad æmulationem homines, sed & diuites disertorũ, & nobiles diuitum, & causidici captiosorũ, atqueadeo histrionum plausibiliter in theatris fabulas peragentũ, aut saltatorum, aut deniq; seruorum in aulis regum successus, liberi homines atque ingenui antiquis familijs orti, ad stuporem usq; admirãtes, dum sua omnia pœnitenda ducũt, conturbant ipsi sese, nec mediocri animi ægritudine cõficiunt. Quòd autẽ unusquisq; securitatis, anxietatisq; conditoria ac conceptacula quasiq; scaturigines in suopte animo habeat, & omnino bonorum malorumq; Homerica illa dolia, nõ quidem, ut aiebat ille, in Iouis limine deposita, sed intus in anima sita, hominum sanè discrimina declarant

declarant, quos affectionibus animi uariè moderari uidemus. Etenim insipientes bona quoq; præsentia transmittunt, pereuntiaq; negligunt, usqueadeo ad futurum uergunt intentissimæ semper eorum curæ. Prudentes contrà acri se recordatione in rem præsentem reducentes, uel ea quæ iam non sunt instare etiam atque adesse faciunt. Quippe id quod adest, quodq; præsens est, momento tantum temporis contingendum se præbens, secundum hoc sensum effugiens, nec nostrum ulla esse, nec nostra interesse insipientibus uidetur. Atque ut funarius ille in Plutonis æde piclus quicquid funis ex sparto intorsit, asellum propter se astantem exedere totum ignauiter sinit, haud secus ingrata ac torpens multorum obliuio, prætereuntia commodum bona excipiens, præclarè res omneis gestas, egregia facinora, suauissima ocia, amœnos hilaresq; conuictus, denique omnem uitæ partem genio & uoluptati datum obliterans atque exolescens, non sinit eorum uitam unam atque eandem esse ex præteritis præsentibusq; rebus aptam atque consertam, hesternamq; uitam à præsenti, præsentemq; rursus à crastina discriminans, facta omnia infecta exolescente eorum memoria reddit. Porrò qui in philosophorum scholis augmenta corporum sustulerunt, uidelicet perpeti exhaustu uanescente substantia, uerbo quidem ij faciunt unumquenque nostrûm alium atque alium à seipso. At qui præterita non continent tanquam perfluente memoria, nec identidem repetunt, hi iam non uerbo, sed re ipsa sese faciunt in dies inopiores, inaniores, ex crastino pendentes, quasi ucrò nihil iam ad eos annotina, nuperrima, hesterna pertineant, atque etiam quasi ipsis prorsus ea non obtigerint. Itaque constans animi status hoc modo interpellatur.

Age

Age uerò quemadmodum muscæ in terſißimis ſpeculis arreptantes delabuntur, aſperis uerò hærent crenuloſiſq; locis facillimè, ſic homines ex iucundißimis placidißimisq; rebus decidentes triſtißimarũ rerum recordationẽ tenaciter apprehendunt: imò uerò quemadmodũ apud Olynthios locum quendam eſſe aiunt, quod ex re ſumpto nomine Cantharoletron dicitur, in quem cõgeſti ſcarabei ſoras erepere nequeunt, ſed diu multumq; intus uolutati, orbesq; nequiequã ducentes intereunt ad extremũ, ſic homines in malorum memoriam reuoluti eniti poſthac non poſſunt, nec reſpirare. Proinde ut pictores ficſcos in tabulis colores, omninoq; ſubducendos oculis, prænitentibus alijs & uiſendis coloribus inducere, atq; interlinere ſolent, ſic homines in ſuo ſibi animo triſtia quæq; maximè ſilendaq; euenta, memorandis alijs, & prædicabilibus premere oportet, & tanquam obruere. Nam deleri omnino præterita non poſſunt, nec item in poſterum præſtari prorſus, duntaxat ab homine. Tam eſt enim uaria, multiplex, reciprocabilis mundi huius harmonia quàm lyræ eſt, aut arcus, nec in humanis quicquam eſt quod purum, ſyncerum, ſimplexq; ſit. Verum ut muſica ſonis acutis & grauibus conſtat, & grãmatica literis, uocalibus & mutis, at muſicus grammaticusq; eſt nõ qui horum alterutris illorumq; offenditur, ſed qui utriſq; uti miſcereq; accommodatiſſimè nouit, haud aliter ſapienter is demum inſtituiſſe uitam uidetur, qui diuerſißimos rerum euentus, mutuoq; ſibi obuerſarios miſcere ſcitè didicit ſecundos eum aduerſis compenſando: nam ut ſeorſum bona, mala, ponantur, humanæ uitæ commoditas non admittit, ſed temperamentum quoddam ex utriſq; conflari conuenit, ſi rectè de ijs ſtatuere uolamus. Non eſt igitur conſentaneum alteris

alteris eorum ingemiſcere, & tanquam oneri iniquo ſuccumbere animo concidentes, ſed deterrimi cuiuſq; eũctus uim atq; impreßionem meliorum rerum recordatione retundere, omninoq; commodis incommoda ueluti inuolucro quodam uelantes, totius uitæ tenorem ex proſperis, aduerſiſq; rebus concretum, ac coagmẽtatum, quaſi concentum quendam efficere harmonica ratione temperatum. Nec uerò, ut Menander putauit, homini ſtatim nato præſto Genius eſt aliquis auſpicandæ bene uitæ initiator, rectéq; degendæ magiſter, ſed ut Empedocles potius, bini nos Genij, biſariæ ſortes, quibus ille multa nomina uariaq; indidit, in lucem protinus æditos accipiunt, iam inde auctoratos ſibi datoſq; pari propè dixerim mancipij iure. Harum omnium affectionum impendentia ſemina aiebat genituram noſtram ſuſcipere, ideoq; ductum uitæ noſtræ non libratum & æquabilem, ſed ſalebroſum potius atq; aſperum eſſe: proinde ſapienti meliora in uotis eße, deteriora uerò etiam in expectatione, utrorunque autem temperamento ipſum uti ſapientem neutram in partem nimium. Nec enim is ſolum ſuauiter ad craſtinum diem accedit, quod Epicurus ait, qui peruenturus ad eum nec ne ſit ſuſq; deq; facit, ſed & opes, & gloria, & potentia, & dominium eos maximè exhilarant & perfundunt lætitia, qui obuerſarias uitæ conditiones, atque è regione poſitas, ſi res ita tulerit, æqui boni facturi ſunt. Quippe uehemens cuiuſque rei appetitio comitem formidinem habet illius amittendæ, quæ hebetem ipſa lætitiam atque identidem interpellabilem facit, perinde atque flammam flatu uiolentiore inhibitam. Quem uerò ratio docuit, præfidenter & intrepidè ita fortunam alloqui:

Si dederis, perlætus ero: repetieris, æquus:

hunc

hunc nimirum sese fretum præsentarijs rebus suauissimè frui oportet, nec succurrente iacturæ cogitatione metu subinde uellicari. Anaxagoras accepto de filij morte nuncio: ego, inquit, quum genuit interiturum sciui, & ei expectationi fuistuli. Hæc Anaxagoræ affectio tam nobis imitanda est, quàm est admirabilis. Vnicuique certè infortunio subtestari illico licet: sciebam precarias me opes, nec trabali clauo fixas, ut aiunt, possidere, omninoq; utendas accepisse. Haud ignarus eram, qui mihi potentiam dedissent, eosdem adimere quoque posse. Noueram uxorem probam esse, sed mulierem quoq;. Deniq; non me latebat amicum hominẽ esse, animal natura facilè depraua bili, ut Plato dictitabat. Profecto qui affectuũ suorum rationẽ hoc modo comparauerit, illaq; sibi subsidia rationis præstruxerit, si quid ei præter uotum aut retrorsum forte cesserit, nec tamen improuisum, quum uulgaria illa nunquã admiserit, haud unquam existimasse m, in magna spe eram, hoc nũquam futurũ arbitratus sum, tum uerò subsiliẽtis micãtisq; cordis inæquabilitatẽ absterserit, cõfestimq; ex turbulento & percito compositum constansq; sibi reddiderit. Carneades aduersorum casuum prosperis maximè in rebus admonere solebat, quòd omne improuisum cum ægritudine animi totum, & quodam quasi deliquio excipi natum esset. Iam primum Macedonia quota tandem pars est imperij Romani? At Perses quum illam amisisset, non modò fœdis lamẽtis fortunam ipse suam prosecutus est, sed plerisq; etiam miserabilis in primis atq; infortunatissimus hominum uidebatur. Ecce tibi eadem ex parte Aemulius prouincia deuicto illo decedens, terræ ac maris imperio successori cedens, coronis & plausu excipiebatur, quum omnes eum inter sacrificia laudibus in cœlum

in cœlum ferrent, idq; haud immerito, atqueadeo meritissimò: quippe hic precarium se imperium accepisse meminerat, ille contrà nec opinato impræceptoq; sibi casu à regni fastigio deturbatus erat. Enimuero Homerus luculento admodum exemplo docuisse mihi uidetur quàm nullificentiora sint ea quæ improuiso inopinatoq; feriunt. Vlysses peregre reuersus repentinæ morti canis sui illacrymauit: uxori suæ flenti assidens non illacrymauit. Siquidem iam inde aduentans præsumpta lacrymantis uxoris imagine, erupturum haud dubie in re præsenti affectũ ociosè mancipauerat sibi, offirmatoq; prius animo in potestatem redegerat, canis uerò nec opinato interitu perturbatus est, quũ spatium in re improuisa non haberet affectus uim inhibendi. Vt in summa dicam, rerũ contra uotum cedentium partim natura ægrè grauateq; feruntur, partim deprauata opinione grauari corruptiq; consuetudine didicimus, quæ ipsa maxima pars est. Aduersus illa precium est operæ promptum & ad manus Menandri illud habere: Nihil admodum atrox passus es, nisi id tu tibi fingis, nam quid id tua refert, si nec carnem perstringit, nec ad animã penetrat? uerbi causa, ignobilitas patris, stuprum matris, primi subsellij adempta dignatio, præceptæ palmæ iniuria, quid ad te hæc attinent? Siquidẽ his quoq; præsentibus nihil te uetat corpore atque animo rectè atqueadeo rectissimè affectum esse. Aduersus hæc quæ natura ipsa offensionis aliquid habẽt, morbos puta & ærũnas, & mortes necessariorum, opponendum est illud: Hei mihi: sed quid hei mihi? nihil enim nõ humanum passi sumus. Etenim nullus magis sermo nec celerius reprehendit patibilem animæ partem, quum transuersa trahitur ab affectibus, & ut ita dicam, rationis frena momordit,

quàm

quàm qui communis nos, naturalisq; necessitatis admonet, cui necessitati coalitus homo, atq; implicitus est corporis concretione, quem unum nexum in sese obluctanti fortunæ præbet, cætera omnia tutus, quæ præcipua ipsa sunt & maxima. Demetrius quum Megarensium urbem cepisset, à Stilpone percontatus esse dicitur, ecquid suarum rerum direptum fuisset? Ad quem ille, neminẽ, inquit, auferentẽ mea uidi, nam quum fortuna cætera omnia diripere, populariq; sibi permiserit, adhuc tamen huiusmodi quippiam in nobis habemus ipsi quale nec ferre Achiui, nec agere possint. Non igitur æquũ est, obterere usq; eò naturam atq; abijcere, tanquam nihil fortitudinis, nihil tolerantiæ habentem, neutiquam fortunæ uiolentiæ parem. Sed quum probè norimus id quod in homine fortunæ obnoxium est, contemnendum, & exiguam nostri partem esse, futilem & ad primam quanq; impressionem cedentem, mollitie propemodum friabili, potioris uerò partis imperium nos tenere, in qua ipsa maxima quæque bona quasi illabefactabili loco sita, uera quoque gloria, disciplinæ, & studia ad uirtutem pertinentia essentiam suam habent nulla ui exemptibilem, nunquam interituram. Hæc inquam nos scientes, inuictos animi, præfidentes nobis, futurorum securos esse decet, idq; ad fortunam dicere quod Socrates ad Anytum & Melitũ criminatores suos simulans se dicere, reuera dicebat ad iudices: Anytus & Melitus interficere me possunt, incõmodo aut detrimento afficere non possunt. Vt enim fortuna morbis uarijs obruere, opes interuertere, ad tyrãnum aut populum criminari potuerit, nõ potuit certè malum, aut socordem, aut demissum, degeneremq; animi, aut etiã maleuolum facere, duntaxat uirum bonum, uirilitate ac magnitudine animi

animi præditum, & ut semel dicam, non potuit rectam animi constitutionem adimere, quæ multò plus certè homini confert ad uitam transigendam, quam ars gubernatoria ad emetienda maria. Neq; enim gubernator, quantumuis peritus, æstuantem undam cõponere, nec impetum sæuientis flatus retũdere quoquo modo potest, non magis quàm portũ ubiuis nanciscì, quoties ei ex alto reuehi libitum sit. Sed ne illud quidem ars ei præstiterit, ut tempestate deprehensus constanter ac intrepidè necessitate defungatur, hactenusq; ipsa iuuat, ut tantisper dum locum arti esse non desperat, expansa uela deducens utcunque cum tempestate decidat, ab hoc iam ignauus compressis manibus sedet, atq; interim dum mãlus existit uentorum ui demersus, uibranti pauore contremiscit. At in homine prudente compositus animus cum corpori serenitatem affert, continentia uidelicet & uictu laboreq; temperatis morborũ causas materiamq; abstergentibus, tum si quod extrinsecus forte argumentum perturbationis existat, in quod animus hominis quasi in saxosum uadum incurrerit, expedita, inquit Asclepiades, suspensaq; antenna transilit. Quòd si quid atrocius ingruerit, maiusq; quam ut præstari ab homine, aut etiam perferri potuerit, nõ longè est portus, enarẽque est è corpore, perinde atque è lembo solutili, uectorem que iam non capiente. Stulti uerò non tam uitæ desiderio quàm mortis terrore tanquam de corpore penduli consertis cancellatim manibus hærent, non aliter atque Vlysses è caprifico pependit, quum sub se frementem charybdim perhorresceret, quem Homerus scribit deprehensum in freto Siculo eò redactum esse, ut nec consistere posset præ uiolentia protrudentis eum flatus, nec rursus enauigare, eodem inhibente, quasi que

lupum auribus teneret, ut est in prouerbio, nec prehensam arborem tenere ultrà præ lassescentia reiq; natæ incommoditate, nec item posset dimittere præ territantis monstri pauore. Enimuero si quis naturam animæ nostræ, uel quoquo modo subodoratus sit, secumq; reputauerit transitum ex hac uitæ conditione ad aliam, meliorem fieri per mortem, aut certè nõ deteriorẽ, profectò is non modicum iam uiaticum habet, quo se ad securitatem animi ac tranquillitatem conferat, mortis scilicet contemptum. Etenim cui licet tum prævalente uirtute, quæ propria & peculiaris est hominis, suauiter uiuere, tum alienis ab homine rebus & præter naturam inditis, præpotentibus, propriisq; res ipsas obruentibus, demum præsidenter animum despondere, ut secum ipse dicat: abire sanè abire mihi licebit primo quoque tempore, atque bona dei uenia quum ipse uoluero: ecquando huic obsecro, aut molestum quid, aut inextricabile, aut turbulentum denique accidere posse arbitremur? Quisquis uerò ille est qui celebratum illud protulit: Anteuerti tibi fortuna, teq; occupaui, atque omnes tuos aditus quamlibet arctos intercepi, is nimirum non pessulis, non clauibus, non structuris animasse sese erexisseq; uidetur, sed decretis potius philosophicis, elogijsq; sapientum, quæ tamen ipsa in medio posita sunt, obuiaq; omnibus, atqueadeo in manibus, duntaxat sumere uolentibus. Neque uerò deroganda ijs fides est, quæ posteritatis memoriæ consecrata sunt, neque eorum quicquam desperandum ueluti inimitabile, sed quàm mirari ea & suspicere decet, & quodam quasi afflatu numinis eorum obstupescere, tam sese oportet ad æmulationem comparantem ita specimen sui facere, ut rudimento in paruis posito, maiora deinceps maioraq; audendo

dendo proficiatur in summam. Verum summopere uidẽdum, ne harum rerum meditationes ex animo excutiamus, neue sæpe hæc animo agitare grauemur, totoq;, ut dicitur, pectore cogitare. Neq; hoc magnopere negocium faceſſet, siquidẽ ut molestiam nobis affert, socordiq; imbuit atque inexercita mollitie suauitas quædam animi, quæ in prona quaque re maximè, nullius q; negocij uersata, ex ingratis infestiusq; rebus referre pedem, & ad suauissimas quasq; conuerti, praua quadã indulgentia permittere sibi didicit, ita si quis morbi, laborum, exilij imagines agitandas animo affingere assuescat, & ad unumquodq; singillatim perpendendum excutere diligenter ratiocinationis suæ uires imperauerit sibi, hic hic proculdubio deprehendet quæ molesta, atrocia, horrenda uidentur, uana reuera atq; aspernabilia magna ex parte existere, atq; ut semel dicam, plura fronte minitari quàm recessu efficere. Atenim multitudo Menandrium illud perhorrescit: Non est qui uiuus gloriari possit: hoc ego non patiar: nempe ignorãtes quantum ad uitandam tristitiam conferat meditari & assuescere incõniuentibus atq; etiam ferocientibus oculis fortunam obtueri, nec cogitationibus indulgere tenellis, ac uersatilibus delitijs & umbratili uitæ coalitis, ad omnem spei fulgorem præstrictis, nulli non rei cedẽtibus. Tametsi Menandro ita responderi potest: Non est omnino dicere, uiuus hoc non patiar. ne sit sanè: at est dicere, uiuus hoc non faciam, non mentiar, non ueteratoria uersutia circunscribendis hominibus utar, non interuertam, non insidiosè captabo. Hoc enim quum in nobis sit positum, maximum iam est adminiculum erigentibus sese ad animi securitatem, quo modo uiceuersa facinorosa conscientia instar est in anima ulceris in corpore, utpote quæ pœnitentiam

fœdamus plerunque atq; funeſtamus. Indigniſſimum certè illud quòd quum organis in concentum pulſatis, inflatis, tactis oblectemur, atq; auiculis itidem concinentibus, ad hæc animalia luſitantia, tripudiantia, libentes ſpectemus, rurſus ululatu, fremitu toruo, trucíq; eorundem aſpectu offendamur, nihilominus noſtram ipſorum uitam triſtem, tetricam, uultuoſam, infeſtiſſimis affectibus, negocijs, curisq; inexplicabilibus obrutam, omninoq; intemperijs actam cernentes, non modò laxamentum quoddam nobis reſpirandiq; ſpacium implorare nequeamus, ſed neq; alios ad id nos hortantes audiamus. Quorum ſi monitis feriatis, ut aiunt, auribus, & ut inquit Comicus, perpurgatis daremus operam, ſimul præſentibus pro re nata citra ullius reprehenſionem uteremur, ſimul præteritorum grata recordatione acquieſceremus, poſtremoq; ad futura intrepide ac præfidenter certa atque alacri prælucente ſpe nobis accederemus.

FINIS.

GVLIELMI BVDAEI PARIſienſis, Regij Secretarij, in libros Plutarchi de fortuna Romanorum, & Alexandri Magni, præfatio, ad clariſſimũ, eruditiſſimũq; uirum, Petrum Cothardum, primũ Parlamenti Præſidem.

QVVM in animo mihi eſſet, Petre Cothарde, aliquod tibi documentum ingenioli noſtri dare, quumq; toto ut dicitur, pectore cogitarem, cuius tandẽ generis id tibi gratiſſimum foret, inter euoluenda Plutarchi Chæronenſis ſcripta, incidi in libros ipſius duos, quos de fortuna Romanorum, & Alexandri Magni compoſuit. In his quum animaduertiſſem eum fortunam ac uirtutem ueluti in certamen committere, inter ſe contendentes utrius earum priores partes in tantis amplificandis imperijs fuerint, in mentem mihi uenit, ſi hoc opuſculum Latinum feciſſem, id nimirum appoſitiſſime me tibi dicaturum. Siquidem non facilè dici poteſt, uirtus an fortuna, utra maior in te fuerit. Nam ſi mihi per pudorem liceat (imò uerò ſi per te, cui omnium minimè aſſentationem placere intellexi) merita tua percenſere, nullus, ſat ſcio, erit ab liuore modò liber, quin tecum etiam fortunam malignè egiſſe putet, ſi tamen præclarius cum illo agere potuit. Sed rurſus eadem mihi uidetur æquiſſima in te fuiſſe, ut cui contigerit principem auguſtiſſimi ordinis eſſe, ex quo ueluti uno ſuggeſtu tot tantaq; animi ornamẽta ſatis eluceſcere poterant, illudq; amœniſſimum, quod habere te dicunt in numerato ingenium, exaudibiliſſimè ſeſe ac teſtatiſſimè promere: quanquam in nonnullos alios noſtri quoque ordinis, illos etiamnum ad unguem factos homines haud iniquior hæc ipſa fortuna fuerit, quibus quum ipſis tibiq; forte, ut fit, obuiam in publico factus ſum, aues mihi albas uidere, ut dicitur, uideor, ita mihi in diem illum totum bene augurari ſoleo. Quippe in hac temporum iniquitate, quum integri homines & priſcæ dignationis uiri in publicum prodeant, haud dubie maiore admiratione ab omnibus ſuſpiciuntur: ſi quidem quò rarior uirtus, eò plauſibilior. Hanc igitur noſtri ingenioli fœturã, tumultuario ſanè incubatu excuſam, ut tibi iandudum debitam, nuncupamus. Verumenimuero antequam hoc ſpectaculum committimus, duo mihi præfanda

sunt. Prius te monẽdũ habeo, ne tantam tibi expectationẽ huius spectaculi facias, quasi in scena Roscius, ut aiunt, futurus sit. Vide, obsecro te, ne si actor inscite quid enunciauerit, continuò morosè fabulam ipsam exigas. Putato te autorem ipsum, id est Plutarchum, audire, erratum suppliciter deprecantem, si quid insulse elocutus sub alieno cœlo fuerit. Tametsi apud te in eo etiã iure ueniam petere possum, qui quum me scires non exotica eruditione, non Transalpina imbutum, sed hac modò Cisalpina, & propè dixerim, adulterina leuiter illutũ (Cisalpinam dico, imò uerò Cisponticam) non indignum tamen censueris, qui inter hoc scriptorũ uulgus nomen darem. Fidem enim mihi interdum fecisti, haud inuita me prorsus Minerua genus hoc scribendi capessisse. Alterum enim nunc eruditiunculæ nostræ specimen ædimus. Illud alterum à te impetrandum nobis est, ne priusquam totum opus perlegis, aliquid de eo statuas. Hoc ideo autem dico: quidam istius ordinis uir in primis doctus ac perpolitus, sed censorij supercilij, cui libellum hunc nostrum percensendum miseram, ut eo familiarissimè utor, quum ad eum postridie uenissem: Vereor, inquit, ô noster, ne tuum opusculum lectorem malè lecturientem inueniat. Cur? inquam: Quia quum uendibiliora, inquit, sua scripta reliqui plerunque facere soliti sint blandis lenociniosisq; principijs, tu contrà subobscuro tetroq; principio lectorem de industria, propè dixerim, deterres: nisi fortasse, inquit, sepiam imitatus es: illa enim in liquida aqua deprehẽsa ut piscatorem effugiat, atramẽtum effundere sibi solet, quò magis intra turbidã atramq; undam fallat. Ita tu uide, inquit, ne quod non satis intellexeris, uerborum sententiarumq; ambage inuolueris, ut lectori iudicium eripias. Quid, malum, inquam,

quam, facerem? interpretem me meministin' esse non enarratorẽ? Sed uereor, ait, ne ut semel de principio sibi lectores persuaserint, de toto perinde opere statuant. Quasi uerò, inquam, horum iudicium flocci faciam, qui à prima charta oscitabundi ad extremam transultare solent, sicq; de unoquoque scribente iudicare. Tibi enim illisq; paucis scribimus, pulsu dignoscere cautis quid solidum crepet, quorum prorsus à uulgo abhorret iudicium. Cæteris displiceam licet, dum ijs perpaucis approbãtibus ratio mihi iudicij mei constet, in quos literarum spes ueluti inclinata recumbit. Te igitur Petre candidissime, imò uerò lectores omneis rogo, ut si in libelli nostri fronte tanquam in luto hæserint, ut certè ipsi hæsitauimus, fortasse exemplaris uitio, quod uix unum nacti sumus, ne ideò minus alacriter ad penetralia pergant. His etenim Plutarchus non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat. Vale felicissime.

Parisijs. x v. Calendas Septemb.

M. D. III.

GVLIELMI BVDAEI
ad lectorem tetrastichon.

Fortunæ elogium blandus mihi perlege lector,
Pollice sic presso fauerit ipsa tibi.
Mox quoq; propensus uirtutem audire memento,
Sic tibi uirtutis detur amore capi.

PLVTARCHI CHAERONEI PHILOSOPHI CLARISSIMI, LIBER DE FORTVNA ROMANORVM.

Gulielmo Budæo Parisiensi, Regio Secretario interprete.

CVM multa sæpe ingentiaq; certamina uirtus & fortuna inter se decertauerunt, tum uerò hoc in præsentia decreturæ sunt, de Romanorum utiq; imperio ueluti iudicio contendentes, utrius tandem hoc facinus, utra hanc genuit tantam potentiam, haud immerito. Locuples enim hoc erit ei testimonium secundum quam iudicatum fuerit, uel non leue potius erit aduersus crimina refutamentum. Etenim malè audit uirtus, ut bonũ sed dispendiosum, fortuna uerò ut instabile quid, tametsi bonum, illam nullo se operæprecio affligere, hanc nullo trabali, ut dicitur, clauo beneficia sua figere. Proinde quis neget utri earum addicta Roma fuerit, aut commodissimam uirtutem, quæ bona in bonos tanta contulit, aut fidelissimam felicitatem, tanto iam tempore dona sua incolumia asseruantem. Non igitur poëta in ijs quæ prosa oratione scripsit, fortunam inquit, & sapientiam res diuersissimas simillimarum rerum effectrices esse, utranque enim uiros augere, ornare, in gloriam euehere, in opes, in imperia. Quid uerbis opus percensendis omnibus? ipsam omnia nobis ædentẽ, conferentemq; naturam quidam fortunam

tunam esse autumant, quidam uerò sapientiã. Itaq; speciosam huiusmodi disceptatio, mirificamq; dignationem urbi Romæ comparabit, ut cuius gratia in quæstionẽ ueniat, terra, mare, cœlum, astra, utrum à fortuna sint, an potius à prouidentia condita. Equidem (quanquam ferè uirtus & fortuna inter se pugnare dissidereq; solent) de tãti nimirũ imperij potentiæq; coagmento fœdere eas icto conspirasse, ex compositoq; coëunteis, humanarum rerum pulcherrimam consumasse, sartamq; adeò & tectam reddidisse, nõ ab re mihi persuasisse uideor. Et quemadmodum Plato ex igne inquit, & terra, ut necessarijs & primis, uniuersum procreatũ mundũ, ut uisibilis tractabilisq; esset, hac utiq; libramentũ firmamentumq; conferente, illo colorem, formam, & motũ, at medias naturas aquam & aërem, extremorum dissimilitudinem mitigantes, accõmodantesq; coagmentasse per se ipsas, commiscuisseq; materiam, hunc in modum existimo tempus quod Romanũ nactum est oriẽs imperium, benignitate deum fortunam uirtutemq; commiscuisse & coniugasse, ut sumpta accommodata utriusque ui augustum prorsus beneficumq; sacellum humano generi absolueret, firmamentumq; adeò stabile, & sempiternum elementum, quod aberrantibus fluctuabundisq; humanis rebus ancoræ instar esset, ut inquit Democritus. Rursus quemadmodum Physici dicũt, mundum non fuisse mundum, nec potuisse corpora in unum coëuntia communem ex omnibus speciem ædidisse, sed eorum partim minutis huc temere, & illuc iactatis & dilapsantibus, & complexus fugientibus, partim crassioribus compactioribusq; aeria inter se certamina, turbidosq; motus concientibus, iactationem magnopere, & ueluti æstum extitisse, corruptionibusq; & erroribus, & tanquam naufragijs permixta

Vt in carminibus sibyllinis τεῦχος κόσμου ἄτευχος μοῦ, id est, erit mundus immũdus, hoc est inconditus.

permixta omnia fuisse, antequam terra ex concretis inter se corporibus iustam magnitudinem indepta, suopte ipsa libramento fixa cæteris quoq; naturis fixam sedem præbuit: ad hunc propè modum maximis inter homines potentatibus & imperijs, prout fortuna tulisset agitatis, interq; se offensantibus, quòd uidelicet nulli præualerent, omnes autem adniterentur, incredibilis internicio, errorq; & omnium immutatio fuit. Quoad inualescente, augescenteq; urbe Roma, partimq; sui sibi cœli gentes populosq;, partim genere abhorrentes, transmarinosq; regum principatus accommodante, sedem tandem eam maximæ quæq; habuerunt præsidiumq;, & tanquam pacis mundiq; imperijq; orbem nullo errore uersatilem, omnimoda quidem ijs uirtute ingenita, qui huiusmodi rerum competentiam præmoliti sunt, multa uerò fortuna conspirante, ut hinc iam licebit procedente oratione demonstrare. Enimuero nũc mihi uideor uelut ab edita specula Fortunã Virtutemq; despicere, ad huius cõmissum certaminis ingrediẽteis, sed Virtutis quidem mutis incessus, & aspectus æquabilis, adhibetq; ad contentionem uerecundam quandam ambitionem in uultu eminentem, sed longè relinquitur præ properante Fortuna. Deducunt autem eam et cæteratim stipant Arma cruenta uiri gestantes Marte perempti, aduersis ijdem uulneribus obsiti, sanguine stillantes sudore mixto, semifractis innitentes spolijs. Agedum percontemur, si placet, qui tandẽ hi sint. Fabricios esse aiunt, & Camillos, & Lucios, et Cincinnatos, & Fabios Maximos, Claudios Marcellos, & Scipiones. Video & C. Marium Fortunæ infensum. Mutius etiãnum Scæuola ustulatam manum ostentat uociferans: Num hanc quoq; Fortunæ dabis? Marcus quoq; Horatius, uir ille strenuus pro-

pter

pter ripam Tyberis Tyrrhenis telis obrutus, claudicante crure exultãs, uelut ex imo uertice succlamat: an ego Fortuitu etiam mutilatus sum? Huiusce modi habitu comitatus Virtutis ad committendum certamen incedit. At uerò Fortunæ pernix quidem motus, & cõfidẽtiores spiritus, spesq; strocies. Relicta autem Virtute longè anteuertens præsto est, nec solitis tamen ipsa pennis sublimis, aut summos in ungues arrecta uolubili pilæ insistens lubrica anceps q; accedit, subindeq; acerba discedit, sed ut Spartiatæ Venerem aiunt Eurotam trajicientem, speculo, mundo, cestoq; positis, hastam scutumq; sumere, Lycurgo sese commentem, sic Fortuna destitutis Persis & Assyrijs Macedoniam celeris peruolitauit, excollatoq; protinus Alexãdro Aegyptum & Syriam regna circunferens peragrauit, identidemq; conuersa Carthaginenses succollauit. Postremo in palatium se conferens, traiecto Tyberi, positis (ut credere par est) aris, exutis talaribus, abiecta instabili uestigiaq; fallente pila, ita Romã ingressa est, ut constanter permansura, talisq; nunc sese ad iudicium sistit, nõ incomperta, ut inquit Pindarus, nec geminum temonẽ uersans, sed Iustitiæ Suadæq; soror Prouidentiæq; filia quomodo generis eius ductum explicuit Alcman, inter manus gestans decantatissimum illud Copiæ cornu, non pomorum exuberantium assiduè plenum, uerum quæ fert cunq; omnis terra omneq; mare, ad hæc quæ amnes, portus, metallorumq; uenæ, largiter copioseq; fundens. Clari egregijq; uiri nõ pauci eum illa uisuntur. Numa Pompilius ex Sabinis, & Priscus ex Tarquinijs, quos aduenas peregrinosq; reges in Romuli solio constituit. Paulus Aemilius à Perse & Macedonibus illibatum & integrum exercitum reportans incruenta uictoria triumphans fortunam in

cœlum

cælum laudibus effert. Effertq; & Cæcilius Metellus Macedonicus senex, succollantibus elatus quatuor filijs consularibus, duobusq; item consularibus generis, nepotibusq; ornatißimis uiris, clarißimis rebus domi militiæq; gestis. Aemilius Scaurus ex obscura uita, obscuriore genere ortus, nouus homo, & ut dicitur, terræ filius, ab ipsa sublatus magni princeps consessus eligitur. At uerò Cornelium Syllam ex Nicopolis meretriculæ sinu assumptum sustollès ipsa super Cimbricos etiam Marij triumphos septemq; consulatus, imperijs dictaturisq; affecit. Is se suasq; res gestas omneis fortunæ uendicans cum Sophoclis Oedipo uociferat: Fortuna ego me parente prognatum fero. Et Romana quidem lingua felix uocitabatur, Græcis uerò hunc in modum scripsit: Lucius Cornelius Sylla uenustus: hoc enim modo apud nos Chæroneæ trophæa & Mithridatica inscripta sunt, nec ab re: quippe plurimum ueneris habet non nox, ut Menander tradidit, sed fortuna potius. Non'ne igitur siquis in auspicanda hac concertatione à fortuna steterit, posit Romanos testes ipsos citare ueluti fortunæ plus quàm uirtuti tribuentes? Nempe uirtutis apud eos Numantinus Scipio templum fero multisq; pòst annis sacrauit: post quod Marius uirtutis & honoris, ab hoc Mẽtis Aemilius Scaurus, sub Cimbrici belli tempora natus. Hi quum iam oratorum rhetorumq; argutiæ in urbem irrepsissent, huiusmodi nomina rerum honoribus prosecuti sunt. Sapientiæ uerò ad memoriam nostram nulladũ ædes sacrata est, non magis quàm prudentiæ, aut magnanimitatis, aut tolerantiæ, aut continentiæ. At fortunæ delubra eximia, & antiqua, & propè dixerim cum primis urbis fundamẽtis conjecta sunt. Primus fortunæ delubrum Ancus Martius substruxit,

struxit, nepos idem Romuli, rexq; ab eo quartus. Is fortunã uirili nomine dicauit, propterea fortasse quòd in uictoria fortiter obtinenda priores sunt etiam fortunæ partes. Muliebris uerò Fortunæ templũ ante Camillum extructũ est, quum Marcum Coriolanum infesto Volscorum exercitu in urbẽ uadentem muliebres retro blanditiæ in Volscos auerterunt. Hæ mulieres cum matre uxoreq; eius legatione susceptæ exorauere pernicereq; tandem ut patriæ parceret, Barbarorumq; illinc exercitum abduceret. Quo tempore fortunæ fertur simulachrũ hãc quum sacraretur uocem edidisse: Sanctè me legibusq; patrijs fœminæ consecratote. Furius porrò Camillus quum Celticum ignem restinxit, Romãq; oppensam auri æquilibrio à libræ lance decussit, nec prudentiæ, nec fortitudinis ædem, sed Aij tantum Locutij in uia noua extruxit, quo in loco ante bellum Gallicum uocem à Marco Decio auditam noctu illac transeunte inquiunt, bellum illud instare denũciantem. Quam uerò ad Tyberim fortem Fortunam uocant, quod est ualidam, strenuam, & bellacem, perinde atque omnem in ea egregiè uincendi uim ponẽtes, in hortis extruxerunt à Cæsare populo legatis, utiq; illum existimãtes fortunæ quoque benignitate maximum euasisse, quod ipse testatus est. Nam Caium Cæsarem dicere uererer in tantum ab ea fastigium euectum, nisi hoc ipse profitetur. Qui ubi Pompeius à Brundusio soluit, pridie Nonas Ianuarias sole in bruma existente, mare quidem in nullo negocio traiecit, fortuna dubio procul hyemẽ inhibente. Assecutus autem Põpeium copijs ingentibus instructum, tum maritimis, tum terrestribus, in statiuisq; tum agentẽ, ipse contrà paruis transportatis copijs, reliquijs quæ sub Antonio Sabinoq; erant subsequi cunctantibus, sustinuit

nauiculam

nauiculam elàm ingressus, in seruiq; adeò habitum compositus, ut nauicularium gubernatoremq; falleret, ipse se se fluctibus committere. Porrò quum ad fluminis ostium gubernatorem oblectantibus undis citatoq; æstu erumpendi spem abiecisse cerneret, tum demũ retecto uultu se se prodens: Age uir, inquit, generose, aude, nihil quicquã timeas, fortunæ tantum uela uentisq; permitte. Denique quum Cæsarem uehas, Cæsarisq; fortunam, aude fidentissimè cum eo nauigare, peregre ire, militare, exercitum agere. Profecto fortunæ unius fuit tranquillitatem mari, calorem hyemi, segnibus pernicitatem, ignauis strenuitatem imperare, quodq; fide maius est, fugam Pompeio, Ptolemæo hospitis necem, uidelicet fortuna præstante, ut & Pompeius interiret, nec Cæsar scelere obstringeretur. Quid? filius eius qui primus Augustus dictus est, non'ne nepotẽ in militiam mittens à dijs fortitudinem quidem Scipionis ut illi darent optauit, Pompeij autem benenolentiam, suamq; ipsius fortunam? nempe sibi adscribens ut ingenti operi fortunam artificem, quippe quæ ipsum Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hircio, Antonio & Marco commendans, rebus illorum gestis, manibus, & uictorijs in insolitam amplitudinem sustollens, hosq; uicissim premens, uni ei gradum reliquit ad tantum scandenti fastigium. Illi nanque Cicero res urbicas, Lepidus bellicas administrabat, Pansa uincebat, Hirtius cadebat. Denique Antonius illi à senatu bonisq; desciscebat. Nam Cleopatram quoq; Cæsaris ego fortunæ assignauerim, ad quem uelut scopulum illius ille, & tandem absorptus est, ut unus supereesset Cæsar. Memoriæ proditum est, quum mutua consuetudine familiarissimè uterentur, sæpenumero sese ludo illis oblectantibus aut pilæ, aut tesserarum, aut altilium

altilium etiam certamine coturnicum, aut gallinaceorum, nunquã non uictũ Antonium abire, reprehensumq; eum ingenuè sæpe ab uno amicorũ, qui uaticinãdi peritia sese apud eum uenditabat, ijsq; ferè uerbis admonitum: Quid tibi cum hoc iuuene? facesse ab eo primo quoq; tempore. Clarior es rerum gestarum gloria, ætate senior es, pluribus imperas, operã in bellis nauasti, rei militaris usu præstas: uerum tuus, inquit, genius geniũ huius ueretur, tuaq; fortuna, alioqui per se ampla, illius fortunæ assentatur. Quod nisi longissimè hinc abeas, haud dubie te deserto ad eum iã iamq; transibit. Hos habuit fortuna testes, quos ad hoc iudicium citaret. Veniamus nunc ad ipsarum rerũ testimonia, quæ disquisitio nobis à primordijs urbis repetenda est. Iam inde igitur quis neget ad Romuli genituram, salutem, educationem, & auctum, præstantissimarum quidem ueluti fundamenta uirtutum iacta, uerum à fortuna substructa? Principio enim quod ad genituram partumq; ipsorum urbis conditorum pertinet, hurificæ cuiusdam felicitatis fuisse uidetur, utpote quorum mater ex diuino compressu peperisse dicitur: & ut Herculem genitum longissima nocte inquiunt, die contrà quàm per naturam licet, inhibito remorato'que sole, haud aliter sub conceptũ proseminationemq; Romuli memoriæ proditum est, solem deliquium passum iusto eius cũ luna coitu. Simliter atque Mars Deus Syluiaq; mortalis id horæ coierant. Quod idem quoque ipsi Romulo cõtigit quum è uita migrauit. Aiunt enim Nonis eum Capratinis sub solis deliquium non comparuisse, quam diem ad hoc tempus celebrem, solennemq; habent. Verumenimuero genitos eos tyranno interimere uolente fortunæ beneficio suscepit non barbarus, non trux facinoris minister, sed clementia

mentia quidam & humanitate præditus, ita ut ne interficeret. Fluminis ripa, qua alluuies expatiari solebat, herbido prato uestita erat, hanc obumbrabāt arbusta humilia, ibi ille infantes exponit propter caprificum, quam ruminalem uocant. Lupa tum forte orba, lacte exuberās, distentisq; supra modū grauata uberibus, leuari onere cupiens, infantibus amplexabunda incubans sugendas papillas præbuit. Auis autē sacra, quem Picum Martiū uocant, ad eos uentitans, leniterq; eis insidens, eorum oscula unguiculis diducens, in ea turundam indebat cōsueti sibi cibi. Propterea ruminalem caprificū nuncuparunt, priscis utiq; Latinis rumam papillā uocitantibus, quam lupa ingeniculans infantibus summiserat. Ex eo factum, ut loci illius accolæ diu infantes nullos omnino exponerent, sed omnes quotquot geniti essent tollerent, in Romuliq; honorem & imitationem educarēt. Profectò quòd tandiu fefellerunt apud Gabios educati & instituti, ut à nullo non ignoraretur Syluiæ filios Numitorisq; nepotes esse, uaframentum id fortunæ commentumq; uidetur, nimirum id agentis, ne ante ædita facinora generis modò inuidia interirent, sed ut rebus potius egregijs gestis hominibus innotescerent, uirtutisq; exemplis æditis documenta sui prima darent. Hic mihi in mentem uenit dictum quoddam Themistoclis, magni prudentisq; imperatoris. Quū enim Athenis iuniores quidam eo imperatore prospere rebus gestis Themistocli sese præferendos censerent, ita respondit Themistocles, ut diceret posterum olim diem festo cum die contendisse, obstrepentem illum sollicitumq; esse dicentem, se uerò pridie apparata fruēda per ocium præbere. At illum respondisse, uera prorsus posterum dicm dicere, sed si non fuissem, inquit, ubinam terrarum esses? Sic

Sic absq; me foret ille inquit, Medis aduentantibus, quisnam uestri nunc usus esset? Hoc itidem mihi uidere fortunam uideor ad uirtutem Romuli dicere, splendida quidē & ampla tua gesta, documentumq; dedisti diuino te ortam sanguine genereq; esse, sed cernis tamen quàm longè tibi præstem: nisi enim ego tum beneuola officiosaq; assuissem, aut si deseruissem prodidissemq; paruulos, tu quo tandem modo, aut unde effulgeres? Nisi fera tum, inquā, fœmina occurrisset, lactis exuberantia præturgida, magisq; quem aleret quàm quo aleretur ipsa quæritans, sed aut natura efferata, aut fame stimulante, uide ne hæc insignia quæ nūc sunt fana, regiæ, theatra, ambulationes, fora, basilicæ, gurgustia pastorum esse oportuerit armentariorūq; stabula, Albano uiro Tyrrheno ue aut Latino seruientiū. Proinde cū omnibus in rebus potissima principiū pars est, tum maximè in cōdendis urbibus, quòd hæc urbs ipsa fortunæ haud dubie debet, quæ eius conditorem seruauit. Virtus Romulum magnum fecit: at fortuna quoad fieret seruauit. Age uerò Numæ regnum quod diuturnum fuit, quanta omnium consensu felicitas traduxit? Nam Aegeriam nympham Dryadum unam, scitam quandam deam, uiri huius amore captam sui illi indulsisse consuetudinem instituentem informantemq; ueluti ado lescentem rempublicam, fortasse fabulosum sit: siquidem qui dearum alij connubia assecuti traduntur, dijsq; chari alioqui fuisse, Peleï, Anchisæ, Aemathiones, haud omnibus usquequaq; uoto competentibus mœstitia nulla ad extremum beatitudinem interpellante uixerunt. At uerò Numa secundam planè fortunam contubernalē habuisse uidetur, disceptandisq; in rebus assessitantem, imperijq; adeò sociam, quippe quæ ciuitatem Romanam in finitimo

nitimorũ infestißimis odijs, ueluti turbidißimis æstuarijs undabundoq; mari agitatam excipiens, intestinis tot insuper malis discordijsq; languẽtem, furores omnes aduersos odiaq; tanquam flatus restinxit. Et ut alcyonũ niduamenta mare benignè suscipiens connutricanti trãquillitate hyeme seruat incolumia, haud aliã fortuna trãquillitatem rebus inducens obtendensq;, nullo prorsus morbo, periculo, tumultu'ue insignem, recẽs instituto populo, & adhuc (ut ita dixerim) uibranti, spacium altius dedit radices agendi, inualescẽtemq; indies ciuitatẽ institutis legibusq; firmandi ociosè nullioq; negocio. Porrò quemadmodum onerariam actuariam'ue nauem non sine plagis multis cõtingit multaq; ui fabricari compingiq;, malleis, clauis, coagmentis, serris, & bipennibus, cessare autẽ absolutam ad certũ quoddã tempus necesse est, quoad tenaces nexus clauiq; consuetudine fiant, alioqui si mollibus adhuc fluidisq; commissuris deducatur, continuò mare transmissiuam laxatis hiulcisq; compagibus, sic qui primus Romã rex condidit, ex agrestium pastorumq; turba uelut ex roboribus ualidis eam coagmẽtans, labores haud spernendos protulit, non minimis in bellis periculisq; cõflictatus necessitate coactus in ortu statim urbis lacessentes hostes arcere. At qui secũdum hunc regnum suscepit, firmando irroborandoq; urbis augmento benignitate fortunæ laxamẽtum adeptus est. Quòd si tum Porsena quidam infesto mœnia exercitu Tyrrhenoq; uallo tum etiã fluida tremebũdaq; cinxisset, aut Bellonæ instinctu percitus aliquis Marsicæ dejectionis princeps, aut Lucanus quispiam turbulentus homo rerumq; nouarum studiosus, aut urbi infensus, aut pacis aduersus consilijs, qualis postea Mulius aut Sylla ille ferox, aut postremo Telesinus, unico

unico ueluti ex composito signo dato tota armata Italia philosophum Numam inter sacrificia supplicialiq; deorũ classicis undique oppressisset bellicum occinentibus, profecto haudquaquam parta tantis rerum finctibus ac procellis rudimenta urbis fuissent, nec in tantam clarissimorum hominum coaluissent multitudinem. Nũc autem mihi uidentur id temporis quietæ res apparatus & uiaticũ ad sequentia bella fuisse, populusq; Romanus athletæ modo à multis sub Romulo certaminibus initis, tribus & quadraginta annis per ocium se exercens, uires futuris hostibus pares colegisse: nihil enim aduersi infestam Romam habuisse tempore illo dicitur, non famem, non pestẽ, non soli sterilitatem, non aut æstatis denique, aut hyemis intemperiem, facilè cerneres non humano tempora illa consilio, sed diuina quadam procurari fortuna. Clausæ igitur ea tempestate Iani portæ, quas belli fortunam uocant, utpote quæ belli tempore reserabantur, pacis uerò occludebantur. At uerò mortuo Numa apertæ sunt Albano commisso bello. Rursusq; alijs sexcentis super alia bellis continenter excipientibus per annos quadringentos & octoginta, pace clausæ sunt post Carthaginense bellum composita Caio Attilio Titoq; Cõsulibus. A' quo iterum anno exeratæ sunt continentibus ad Actiacam usque Cæsaris uictoriam bellis. Tum demum Romana arma haud ita multo tempore cessauere: etenim Cantabrorum, Galatarum'que tumultus in Germanos grassantium, pacem illam disturbarunt. Hactenus testimonia prosperæ Numæ fortunæ memoriæ sunt prodita. Enimuero qui deinceps reges ab hoc fuere, fortunam mirificè coluerunt, ut urbis Romæ caput, ut urbis altricem, ut denique urbis columen, ut Pindarus inquit. Hoc autem sic

æstimare licet. Fanum est magno Romæ honori habitum, quod uirtutis ipsi uocāt, sero multisq; pòst seculis à Marco Marcello extructum, eo qui Syracusas cepit. Est & alterum eius quam ipsi Mentem uocāt, sed & hoc Scaurus consecrauit Aemilius, circiter Cimbrica tempora natus, quum iam Græcorū logi & argutiolæ scitaq; differendi genera in urbē immigrassent. Sapientiæ uerò fānū ad hoc æui nullum habent, non magis quam temperantiæ, aut tolerantiæ, aut magnanimitatis. Fortunæ permulta habent tum antiquā, tū eximia, in omnibus propè insignibus urbis locis regionibusq; dicata. Et uirilis quidem fortunæ templum ab Anco Martio quarto eorū rege extructum, FORTVNA Virilis. quòd plusculam sibi fortunam ad indipiscendam uictoriā adiuisse quam fortitudinem crediderat, ideo sic uocatum. Muliebris. At muliebris fortunæ à mulieribus, quæ Coriolanū auertertunt exercitum in urbem hostiliter agentem, consecratum nullus non nouit. Quid quòd Seruius Tullius, qui regum omnium maximè popularis fuit, iusq; ciuile maximè tuetus est, à quo suffragiorum militiæq; iura diligenter constituta sunt, quiq; Censor primus fuit, idem uitæ & temperantiæ obseruator, fortissimus idem & uir prudentissimus, sese tamen ipse fortunæ uendicabat, suiq; regni opes acceptas illi ferebat, uulgo ut prædicaret cōsuetudinem sibi cum fortuna intercedere, quam per senestrā quandam delabi ad se in cubiculum aiebat, quam nūc Fenestellam portam uocant. Primigenia. Extruxit igitur in Capitolio fortunæ fānum primigeniæ dictæ, nec non obsequētis fortunæ, quasi dicas indulgentis, aut ut nonnulli interpretantur, clementis. Sed Romanis hactenus nominibus usi iam hinc Græcè huiusmodi consecrationū numina percensere Idia. conabimur. Iam primum igitur Idiæ, id est priuatæ fortunæ delu

næ delubrum in palatio situm est. Est & Ixeutriæ, id est uisēatricis, tametsi id nominis ridiculum est, sed non ab re tamen translatione id dante, ac si dicas, tenaciter attrahentis quicquid illi hæsisset. Ad fontem muscosum Partheni, id est uirginis fortunæ fanum est. In magno angiportu fortunæ Euelpidis. Est & ad Veneris, masculæ fortunæ ædicula, ad hæc sexcēta alia honorifica fortunæ cognomēta, quorum Seruius bonā partem sacrauit, nimirum animaduertens, in administrādis rebus humanis maximū, uel potius unicum fortunam momentum esse, quod ipse uel omnium maximè expertus esset, quippe ex hostili captiuoque genere ad regium fastigium euectus. Nam Coriolanorum oppido ab Romanis ui capto, Ocrisia uirgo captiua, cuius nec uultum obscurare, nec mores fortuna potuit, Tanaquili dono data Tarquinij regis uxori seruiuit. Hæc ex assecla quodam (quos clientes Romani uocant) Seruiū genuit quanquam sunt qui id negēt, uirginemque affirment Ocrisiam primitias assumere ex regia mēsa, libamētaq; solitam, ad focumq; ferre, olim quū pro more id faciens in ignē libamenta porriceret, prolificū uiri genitale ex fauilla surrectū sensisse, hocq; illā stupore attonitā Tanaquili uni detulisse, illam autē (ut erat perspicaci solertiq; ingenio) in honore puellā habuisse nō secus ac nymphā, ut quæ huiusmodi usum nō sine Deūm numine accidisse existimaret. Alij quidā autumant hunc amorē fuisse, nonnulli Vulcani. Aedito porrò Seruio, quū adhuc infantulus esset, affulgere è capite eius splendor nō absimilis fulgetræ usus est. Antias aliter tradit, Seruio enim ait Getaniā uxorem fuisse. Qua morte sublata quum ex mœrore ægritudineq; animi in somnū, ut fit, delapsus esset, uisam facie eius matri comitibusq;, quæ tum aderāt,

Ixeutria.
Parthenos.
Euelpis.
Mascula.

igne obſplenduiſſe, quod uiſum fidem feciſſe, ex igne eum genitum, omneq; haud dubium fuiſſe ad nec opinatum illi regnum, quod Tanaquilis opera poſt Tarquinij mortem adeptus eſt, tametſi omnium minimè regum ad regnum appoſitus, aut regni auidus fuit. Quippe qui deponendi regni, ni uxor obſtitiſſet, conſilia agitauerat. Moriens enim illa creditur ad iuſiurandum eum adegiſſe, ſe in imperio permanſurum, quæq; ad triumphum Romanorum moribus obtinendum pertinerent, eorum nihil nõ admiſſurum. Proinde Seruij regnum uſquequaq; fortunæ delegandum eſt, ut quod inſperatò nactus, inuitus quoq; retinuerit. Verum ne uideamur in priſca ſecula uelut in loca cæca ex illuſtribus perſpicuisq; pedem referre, age relictis regibus ad notiora iam geſta nobilioraq; bella, oratione traducamus. Quibus fiduciã ipſis fortitudinemq; aſſuiſſe quis tandem non fateatur cum uirtutis adiutrice, ut inquit, Timotheus? Sed tam facilè rerũ ſucceſſus affluens, undæq;, ut ita dicam, impetus in tantas opes amplitudinemq; euehentis, non manibus homunum, non ui humana hoc eſſe comparatum imperium clamitat, ſed deorum ductu potius auſpicijsq;, urgentisq; adeò fortunæ uelis. Trophæa alia ſuper alia eriguntur, triumphi triumphos excipiunt, arma ſanguine calentia nouo ſubinde ſanguine abluuntur, uictorias numerant non cadauerum ſpoliorum'ue aceruis, ſed ſubactis regnis, populisq; in ſeruitutem reductis, inſulis contiuentibusq; claſſibus ſuis patefactis: ea eſt Romanorũ imperij magnitudo. Vna pugna Philippus Macedoniam perdidit, una clade accepta Antiochus Aſia ceſſit, uno prælio uicti Carthaginenſes Libyem amiſerunt. Denique uir unus unius exercitus impetu imperio Armeniam adiecit, Pontum, Euxinon, Syriam, Arabiam, Albanos, Iberas, & omnino quæ cis Hyrcanos Caucaſumq; ſunt. Ter illum uictorẽ uidit Oceanus terras ambiens. Numidas in Libya ad littora uſq; meridiana repulit. Hiſpaniam Atlantico tenus ſubegit cum Sertorio deſciſcentem. Albanorum reges inſectans intra Caſpiũ pelagus compulit. Bella hæc omnia egregiè profligauit publicæ fortunæ ope adiutus, ab ea uerò deſtitutus ſua tandem ipſius ſorte cecidit. Enimuero magnus ille Romanorum genius non ut Macedonum ad dieculam aſpirans, aut breuiculo tempore florẽs, nec terreſtris modò ut Lacedæmoniorum, aut maritimus ut Atheniẽſium, non ſero excitus ut Perſarum, aut confeſtim elangueſcẽs ut Colophoniorum, ſed iam inde à primo urbis ortu compubeſcens, coaleſcens, rempublicam contrectans, uno deinde tenore terra, mari, in pace, in bello, in Græcos, in Barbaros fideliter permanens. Is Annibalem Pœnum, torrentis inſtar per Italiam effuſum, inteſtinis inibi ſimultatibus ciuilibusq; diſcordijs exhauſit, nullo Carthagine ſupplemento pecuniá'ue miſſis. Is Cimbrorum, Teutonumq; exercitus magna diremit locorum temporumq; intercapedine, unus ut par eſſet Marius uicißim cũ utriſq; confligens, neu, *ſemel irruentia trecenta nullia inuictorum armis hominum Italiam obruerent. Non aliam ob cauſam Antiochus belligerante Philippo diſtinebatur, uicißimq; Philippus periclitante Antiocho antè iam fractus ocio ſeneſcebat. Mithridates, Marſico flagrante bello Italia, Sarmaticis diſtringebatur Baſternicisq; bellis. Denique Tigranem ſuſpicio Mithridatici belli tempore inuidiaq; inhibebant, quoad illo demum uicto ſeſe ſimul ut perditum iret, intulit. Age uerò in maximis reipublicæ calamitatibus fortuna non'ne afflictam ciuitatẽ erexit?

*ſimul

Castra metantibus ob Capitolium Gallis, arcemq; obsidentibus, exitiosa citat populis contagia morbi, ijdem euadere noctu aggressi quum mortales omnes latuissent, fortuna tamen mire exaudibiles temerariosq; casus fecerunt. De qua aggressione non absurdum forsitan fuerit pluscullis disserere. Ab insigni illa Romanorum ad Alliam clade pars Romam cursu quàm poterant concitatissimo cõtendentes terrore omnia tumultuq; complent. Ad quorũ trepidos nuncios maxima pars populi quà cuiq; proximum fuit dilapsi, paucis in Capitolium confugientibus, quæq; tolerandæ obsidioni erant illuc raptim comportantibus, pars à prælio effusa statim fuga Veios conuenientes dictatorem Furium Camillum creant. Hunc prosperis olim rebus populus elatus damnatum peculatus urbe ejecerat, tum autem aduersis perculsus afflictusq; casibus suppliciter ab exilio reuocabat, ultro imperium deferẽs iudicio non obnoxium. Verum ne temporum iniquitate magis ille quàm è legum præscripto magistratum accepisse uideretur, neu tanquam complorata republica palantis conuenæq; exercitus armis ad imperium raptus, oportere occurrebat castrensem imperij delationem senatus auctoritate affirmari, qui in Capitolio obsidebatur. Caius igitur Pontius erat uir impiger, hic mandata ad senatum quum se perlaturum recepisset, ingens adijt periculum, eunti fallendum per medios hostes erat, quũ excubijs nalloq; circundata arx undique esset. Is ut ad amnem peruenit, suberibus latis incubans, corpus uectabuli leuitati credens, secundo se flumini permisit, à quo clemẽter placideq; deuectus, alteram ad ripam nullo negocio peruenit. Vnde disgressus per hostium rarissima uadebat, ex ignium ipsa raritate silentioq; captans. Ad collis inde prærupta quum

ueniisset, qua molliorem cunq; ascensum compererat arrepens, quaq; aspera supinitas enitendi præbebat adminicula, ad hæc in salebrarum anfractus sese insinuans, omni ope, omnibusq;, ut aiunt, ungulis connixus ad summum tandem euasit: ibi à uigilibus admissus, mandata obsessis exposuit, acceptoq; decreto rursus quà uenerat ad Camillum regressus est. Cæterum postridie luce orta Barbarus quidam locum tenere oculis, ut fit lustrans, cum summa pedum uestigia fallentisq; se pedis lapsus, tum in obtrito flaccescenteq; gramine qua terrena loca erant obliquos corporis tractus & surreptantis uestigia animaduertens, popularibus suis detulit. Hi uiam interpretati se ab hostibus edoctos, tentandæ rei consilium capiunt, noctuq; qua infrequentissima interdiu obseruauerant scandẽtes, canes etiam excubitores uigilumq; comites, nedum uigiles ipsos somno sopitos latuerunt. Nec ideo tamen Romana fortuna uocis indiga fuit, quæ tantum malum prodere indicareq; posset. Anseres Iunoni sacri ad deæ templum alebantur. Hoc animal cum natura facilè consternabile est, & ad omnem strepitum sollicitum, tum id temporis premente cibariorum inopia neglectum, tenuis à fame somni erat, proinde illico senserunt hostes iugum superasse, turbidoq; admodum id clamore prodidere aduolitantes. Armorum deinde splendore consternati, clangore uehementi Romanos, & ad omnia collis loca pertingente exciuere, qui re, ut erat, animaduersa hostes celerrimè deturbatos in præceps impulerunt. Miratur se nunc etiam fortuna commemorandis his casibus. Canis in crucem sublatus, anser in eleganti grabatulo gesta oriolo'ue quamdecentissime sedens. Mirificas hæc species fortunæ opes ostentat, ad resq; omnes explicãdas atq; unde

minime

mínime pararet solertißimam facultatem, quippe quæ absoluendis suis cœptis mentem quidem amentibus & rationis expertibus suggerat, animos autem & fiduciam exanimatis & excordibus. Nam quis tandem nõ stupeat, reiq; adeò miraculo in torporem mentis abeat, qui temporis illius mœstitiam, sequentiumq; seculorum felicitatem attentius reputauerit? Qui sursum uersus intuens, nobilitatem & precia donariorum, arcium specimina, ambitiosißimas urbium liberalitates, coronas regũ, deniq; quæ fert cunq; terra, mare, insulæ, & continentes, postremo
*colles. quæ amnes, quæ stirpes, quæ campestria collina & metalla: qui omnium, inquam, horum primitias decorè inter se certantes, speciéq; locum illum uenustatéq; honestantes pro rei dignitate æstimauerit, ut hæc parũ abfuerit nihil quicquam ut essent, nusquam ut uiscerentur, utq; quũ horrendaq; tetraq; caligine barbarisq; gladijs & sanguinarijs animis omnia tenerentur, abiecta rationisq; expertia ac secordia altilia ansam urbi salutis præbuerint? Vt deniq; & magnos illos ciuitatis principes optimosq; bello uiros Manlios, Posthumios, Papyrios nobilium posteritati familiarum proautores, anseres tantum non perditos excitarint, ut patriam patriumq; Deum tuerentur. Quod si id uerum est, quod Polybius in secundo historiarũ tradit, quas de Gallis scripsit, qui urbem tum ceperũt, Gallos accepto nuncio uri se domestico bello, finitimis Barbaris per occasionem ac solitudinem fines eorum ingressis, omniaq; armis obtinentibus, facta cum Camillo pace digressos, ne tum quidem in disceptationem uenit Romanis fortunam salutis causam attulisse, quippe distinentem hostes, aut etiam Roma nec opinato modo conuellẽtem. Tametsi quod satis dignũ operæpreciũ circa hæc diutius immora

immorari, quæ nihil certi satis exploratiue habent? Nam prisca Romanorum gesta corrupta, ut Polybius tradit, confusisq; cõmentarijs multa rerum obscuritate inuoluta sunt. Sequentis æui clariora illustrioraq; acta benignitatem fortunæ manifestius cernendam præbent. Nam Alexandri mortem huic quoq; ipsi adscripserim, uiri cum felicibus cœptis, tum clarißimis facinoribus, tum inaudita spirituum ferocia, ab exortu ad occasum emicantis astri cuiusdam modo, iamiamq; in Italiam armorum fulgetras eiaculaturi, ut erat illi expeditionis prætextus Alexander Molossus à Brutijs Lucanisq; ad Pandæsiam obtruncatus. Quanquam reuera in omnes æquè ferebatur homines, cum gloriæ indipiscendæ ampliandiq; imperij cupidine, tum uerò æmulatione Herculis Liberiq; patris expeditionum terminos superandi. Romanam uerò potentiam audiebat, bellicumq; robur Italiam ingressuro exacuti mucronis instar oppositum: etenim celebre eorũ nomẽ ad eum peruenerat, eximiaq; fama ueluti pugilum bellis innumeris exercitorum. Et profecto haud incruẽto Marte decerni potuisset, ut arbitror, si inuictis ad id temporis armis, tum celsi iugiq; impatientes spiritus inter se conflixissent. Multitudine enim erant ad centum & triginta millia bellicosi omnes & strenui, equestri ijdẽ pedestriq; certamine perinde rem gerere assueti.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI, LIBER PRIOR DE ALEXANDRI FORTVNA VEL VIRTVTE.

Interprete Gulielmo Budæo.

HAEC uerò fortunæ oratio est, propriũ suumq; unius opus censentis Alexandrũ regem esse: refellenda uerò ex parte philosophiæ, imò Alexandri potius frementis stomachantisq;, si gratuitum adeptus fortuitumq; imperium uidebitur, quod sanguine multo uulneribusq;, alijs super alia acceptis cumulãs noctes cõplureis insomnes belligeransq; dies traduxit Marte cruentos, cum inuictis bello imperijs innumerisq; gentibus, amnes idem incommeabiles, editissimasq; rupes consilio, tolerantia, fortitudine, & moderatione superans. Equidẽ eum existimo egregijs ipsius gestis sese inscribentem fortunam hunc in modum alloqui: Apage te à me Fortuna, desine quæso meæ obtrectare uirtuti, noli mihi conuulsam adimere gloriam. Tuum erat facinus Darius, quem ex seruo & astande Persarum regni compotem fecisti. Tuus etiam Sardanapalus, cui regni insignia purpuram carminanti detulisti. Ego uerò per Arbela ad usque Susa peruasi obuia quæq; subigens, Cilicia mihi Aegyptum latè patentem aperuit, Ciliciamq; Granicus, quẽ, ut scis, ipsum per Mithridatis Spithridatisq; corpora traieci. Miraris tete per me tibi licet in incruentis integrisque regibus, nempe illi fortunati erant Ochi, Artaxerxæ, quos in lucem

cem statim æditos in Cyri solio statuisti. At meum quidem corpus non pauciss̃ima uestigia fert obluctantis fortunæ; non à me stantis. Iam primum in Illyrijs caput mihi saxum, pistillum uerò collum contudit: ad Granicum caput barbaricus ensis discidit, ut ad Issum femur: apud Mecadartas sagitta suræ osse diffisso defunctus sum. Reliqua iam Indorum uulnera, tum humero sagittæ ictu traiecto, tum in Gandridis crure, adhæc apud Mallotas sagitta arcu missa accepto in pectus uulnere ferro penitissime immerso, postremo pistillo in ceruicem adacto quum fractæ sunt admotæ mœnibus scalæ, ibi unum fortuna me deprehensum intercipit, non claris ipsa tantum illud facinus, sed Barbaris ignobilibus condonãs. Quòd nisi Ptolemæus cetram mihi sedulus prætendisset, Limnæusq; mille pro me telis exceptis tutabundus cecidisset, denique ni Macedones ira animiq; impotentia instincti mœnia subruissent, Barbarus ille certè ignobilisq; uicus monumentũ Alexandri fuisset. Ipsa uerò expeditio mea quid aliud quàm procellæ, squalores, fluminum uoragines, præcipitia auibus inaccessa, belluarũ inusitatæ species, feri uictus, præfectorũ mutationes, subindeq; proditiones? Nam quod ad præcedentia pertinet, uniuersa Græcia post Philippica decem bella ueluti ab animi deliquio palpitabunda subsultabat. Thebæ abiectis armis Chæronicum puluerẽ suo cursu excitauerant. Athenæ iunctas manus suppliciter protẽdebant. Macedonia malè cogitans ad rebellionẽ spectabat Aeropiq; filios. Irruperãt Illyrij, Scythæ occasioni imminebant, si forte finitimi res nouas molirentur. Persicum aurũ per populares ubiq; homines affluens Pelopõnesum sollicitabat. Ad hæc exhaustis Philippi thesauris fœnus etiã accesserat ducentorum, Alex. ĩopia.

ut One

ut Oneſicritus inquit, talentorum. In tanta ille rerũ omnũ inopia, tam turbulentis rebus cõmodum adoleſcens, uix dũ adeò puerili ætate exacta, Babylonem auſus eſt Suſaq; ila ſperare. Babylonem Suſaq; dico? imò uerò gentium omnium imperiũ ſpondere ipſe ſibi, triginta peditũ millia, quatuor equitum numero fretus. Tot enim erãt, ſi Ariſtobolo credimus: Sin Ptolemæo regi, triginta millia peditũ, quinq; equitum: Si uerò Aneraximeni, ad tria & quadraginta peditum, quinq; equitum & quingentos. Egregiũ uerò permagnumq; ei fortuna uiaticum in hanc expeditionem ſeptuaginta prærogauit talenta, ut Ariſtobolus prodidit, ut Duris tradidit, triginta dierum commeatus. At enim inconſultus temerariusq; Alexander tam ſpernendo apparatu in tantas opes profectus? Minimè. Quis enim maioribus unquam pulchrioribusq; rerum opportunitatibus fretus ad res gerendas profectus eſt? animi magnitudine, rerum intelligentia, moderatione, fortitudine, quibus eum rebus philoſophia ad hanc obeundam expeditionem inſtruxerat. Profecto ab Ariſtotele præceptore pluſculum quàm à Philippo patre habens potiendarum rerum inſtrumẽtum in Perſas tranſijt. Verumenimuero ſcribentibus Alexandrũ dictitare ſolitum, Iliadem & Odyſſeam uſque ſe quaque ſecutas uiatici ſibi inſtar fuiſſe, Homero hoc tribuentes credimus. Si quis uerò dixerit, Iliadem, & Odyſſeam pro laborũ ſolamẽto fuiſſe amœnoq; ocio, uiaticum autẽ ei fuiſſe reuera elogia philoſophiæ cõmentariosq; ſapientum de animi fiducia, fortitudine, moderatione, animiq; magnitudine æditos, aſpernamur continuò: nimirum quòd ipſe nihil aut de argumentis colligẽdis, aut de effandis ſcripſerit ſentẽtijs, quos ſyllogiſmos quæq; axiomata uocãt, quòd nec in Lyceo

Ilias & Odyſſea Alex. pro uiatico.

ceo Peripateticorum more ambulauerit, nec in Academia quæſtiones diſceptauerit: his enim rebus philoſophiam finiunt, qui in ediſſertandis eam rebus, non in gerendis eſſe putant. Quaſi uerò Pythagoras & Socrates aliquid in uita ſcriptitarint, aut Archeſilaus & Carneades philoſophorum longè nobiliſſimi, tametſi nullis illi profligandis huiuſcemodi diſtringebantur bellis, non barbaris regibus ueluti cicurandis, non urbibus Græcis inter feras gentes condendis, non leges fœderumq; iura docendis illegibus inhumanisq; gentibus, in ocio illi uitam traducentes, ſcribendi tamen parteis ſophiſtis reliquerunt. Vnde porrò tandem philoſophari crediti ſunt? ex dictis? uitæ inſtitutis? an uerò ex præceptis? Agedum ex ijſdem Alexandrum quoque ſpectemus, ex ijs ſanè quæ dictitauit, actitauit, docuit, philoſophus inuenietur. Iam primum id quod maximè mirũ eſt, ſi tibi ita uidetur, æſtimemus. Alexandri diſcipulos cum Platonis Socratisq; contendamus. Hi igitur dociles homines linguæ quoque commercio opportunos docebant, ſi nihil aliud, certè Græcæ linguæ gnaros, & ne ſic quidem tamen multis perſuaſerunt: nam Critiæ, & Alcibiadæ, & Clitophontes philoſophiæ præſcripta quaſi frenos reſpuentes, quà eos impetus tulit aliò ſe propipuere. Alexandri uerò diſciplinam ſi attendas, Hyrcanos connubia docuit, ut agricultura Arachoſios. Sogdianos parentes alere perpulit, nec in poſterum interimere, Perſas matres reuereri, earumq; connubijs abſtinere. Admirabilẽ philoſophiam, propter quã Indi Græcos deos colunt, Scythæ mortuos iam ſepeliunt, non colunt. Et Carneadis eloquentiam miramur, quòd Clitomachum, Haſdrubalem prius dictum, genere Carthaginenſem, ad Græcorum ſe inſtituta formare perpulerit. Zenonis

Philoſophi nihil ſcriptum reliquerint.

nis obstupescimus affectus, quòd Diogenem Babylonium ad philosophandum perlicere potuerit. Alexãdro Asiam perdomitante Homerus passim legebatur. Persarum, Susianorum, ac Gedrosiorum pueri Euripidis atq; Sophoclis tragœdias canebant. Socrates peregrinos Athenis deos inducens delatorum crimina uitare non potuit: propter Alexandrum Bactra & Caucasus Græcorum deos adoranere. Denique Plato unicam Reipublicæ formam præscribens, nulli ut ea uteretur persuadere potuit, ut supra modum seuera. Alexander oppidis supra septuaginta inter barbaras gentes conditis, disseminatis per Asiam Græcorum uitibus, immitem tandem efferatamq; uitam ut exuerent perpulit. Postremo Platonis quidem leges unus & alter forsitan legimus, Alexandri uerò hominum millia permulta usi sunt & utuntur. Proinde beatiores mihi uidentur multò qui ab Alexandro subacti sunt, quàm qui eum effugerunt. Quippe hos nullus perditissimè uitam agentes arcuit, illos ad feliciorem uitam uel inuitos uictor traduxit. Itaq; ut Themistocles dixisse fertur, quũ extoris patria ingentibus affectus est à Persarum rege donis, urbes idem stipendiarias treis adeptus in frumentum, singulas in uinum & in pulmentaria: sed ut dixisse fertur: O pueri pueri perieramus nisi perijssemus, hoc itidẽ mihi uidetur, iustiusq; adeò diei posse de ijs qui ab Alexandrò in ditionem redacti sunt: haudquaquam mansuescerent, nisi prius uincerentur: haudquaquam Alexandriam Aegyptus habuijsset, nec Mesopotamia Seleuciam, nec Sogdiana Prophthasiam, nec Bucephaliam India, nec accolam Græcam Caucasus urbem. Quibus urbibus pristina exoleta feritate deterrimi quique mores in meliores usu transierunt. Quòd si philosophi in eo sibi maximè pla-

mè placent, quòd asperos sæuosq; hominum mores mitiores dexterioresq; reddere se autument, permulta uerò populorum millia ad humanitatem Alexander commutasse, efferatasq;, ut ita dicam, interpolasse ingenia reperitur, certè philosophum eum censeri existimariq; par est. Porrò quam in primis admirantur Zenonis rempublicam, qui ipse stoicæ sectæ fundamenta iecit, hæc in unam illam summam colligitur, ne oppidatim aut per singulos diseriminatim populos habitemus, suis quiq; legibus institutisq; dirempti, sed ut omnes * existimemus homines populares nostros municipesq; esse, una ut sit uita perinde ut mundus unus, ueluti unius armenti cõpascuo in agro compascentis. Hoc Zeno scriptum reliquit, quasi insomnium quoddam aut simulachrum philosophicæ ciuilitatis legum'ue æquabilitatis effingens. At uerò Alexander quod uerbis traditum acceperat, re ipsa præstitit. Non enim quemadmodũ Aristoteles ei autor fuerat, ut Græcis se ducem, Barbaris dominũ præberet, utq; illos ut amicos & necessarios honori haberet, cum his uerò ut cum belluis, atque adeo stirpibus ageret, ita sese comparans, exilijs quæ plerunq; bellorum semina sunt, discordijsq; insidis imperiũ suũ fœdauit. Verum quũ se diuinitus missum communẽ uniuersorũ disceptatorẽ existimaret, constituendisq; mundi rebus arbitrum, quos uerbis inter se conciliare non poterat, armorum ui subigens, in unum omnia componens, perinde atque propinatitio poculo uitas, mores, connubia, uiuendi instituta miscens, patriam quidem omnes orbem terrarum existimare uoluit, cognatos uerò uiros bonos, alienigenasq; prauos: adhæc Græcos & Barbaros non chlamydem, non petam, non acynacem, non candyn (apud Persas regium capitis gestamẽ

*permittamus

est) dirimere, sed Græcos uirtute potius, Barbaros uitio internosci. Deniq; uestes, mensas, matrimonia, uiuendi modum communia existimare, sanguine utiq; inter se liberorumq; pignoribus uincta. Demaratus, ut aiunt, Corinthius hospes amicusq; Philippi, quum Alexandrum Susis uidisset, gaudio perfusus & illachrymans, ingentis dixit gaudij exortes fuisse Græcos qui antea obierant, quandoquidem Alexandrum non uidissent in Darij solio sedentem. Equidem quod ad me attinet, quibus id Græcis cernere licuit, eos non magnopere beatos censuerim duntaxat propter hoc spectaculum, utpote quod fortunæ fuerit, uulgariumq; regum, illa uerò uisenda augustaq; sponsalia auidè mihi spectaturus fuisse uideor, quum sub uno auro insigni tentorio coactis in eosdem penates, eandemq; mensam centum Persidibus sponsis, totidemq; Macedonibus & Græcis, coronatus ipse, primus hymenæum orsus, & tanquã Philothesium canticum accinens, maximis potentissimisq; populis in amicitiam coëuntibus, unius ipse sponsus, omnium uerò auspex idem & conciliator, hos cum illis legitimo coniugio uinciebat: præcupide enim dixissem, I nunc barbare stolideq; Xerxes, multis te nequicquã laboribus iungendo Hellesponto angito, hoc potius pacto mentis reges cõpotes Asiam Europæ iungunt, non lignis, non ratibus, non inanimis affectuumq; expertibus uinculis, sed amore legitimo, castis coniugijs, liberorũ pignoribus gẽtes inter se uincientes. Cæterũ Alexãder Persarũ cultu inspecto Medicã quidem uestẽ admittere noluit, Persicam uerò sumpsit illa longè uiliorẽ: ex barbarico enim ornatu insolentissima quæq;, & propè dixerim, tragica respuens, ut tiarã, ut cãdyn, ut subligacula, muscellaneũ quoddã gestamẽ ex Persico Macedo

cedonicoq; habitu instituit, ut autor est Eratosthenes, diuersis quidem ut philosophus utens, ut communis autem imperatorq; rexq; clementia præditus honore uesti habito, eorum quos armis obtinuerat animos sibi concilians, quò magis in fide permanerent, Macedones ut sibi imperantes amore non ut hostes odio prosequentes. Contrà uerò insulsi rebusq; secundis insolescentis animi erat, puram quidem chlamydem admirari, purpura uerò intextam tunicam grauari. Aut rursus illa aspernari, hæc uerò suspicere, pueri more infantuli mordicus amictum retentantem, quo ipsum patrius mos ueluti nutrix induit. Belluas captantes homines ceruorum sibi tergora obuoluunt, plumatisq; tuniculis amiciuntur qui ad aucupia exeunt, taurorum conspectum uitant qui puniceas uestes gestant, ut elephantorum qui candidas, nimirum quòd ijs coloribus irritentur & efferẽtur belluæ. At si magnus ille rex gẽtes indomitas ferarum in modum mansuefaciẽs uernaculis eas uestibus assuetisq; uiuẽdi institutis demulsit, placidioresq; reddidit, cum animi eorum iniquitatem ad obsequium reuocans, tum uerò ægritudinem leniens, uitio etiamnum, si dijs placet, uertunt, nedum sapientiam admirantur, quòd leuiculo momento in quemlibet habitum se formãdo uniuersæ Asiæ moderatus est, ueluti populariter obsequenti, corpora quidem armis subigens, animos uerò cultus genere pelliciens. Quid, malum, Aristippum Socraticum laudibus efferent, quòd sordido amictu Milesiaq; uicissim chlamyde utens in utroq; tamen decentiam seruabat. Alexandro crimini dabunt, quòd patria ueste honori habita, non etiam eorum aspernatus est quos ditionis suæ fecerat? quanquam ingentium rerum cœpta moliens in huiusmodi sese habitum componebat: haudquaquam enim

Asiam latrocinij modo persultans lacerare passim diuexareq; instituit, perinde atq; prædam spoliaq; insperatæ felicitatis futuram, quomodo postea Annibal Italiam, & antea Treres Ioniam, & Scythæ Mediam inuaserant: uerum uni omnino uerbo omnia quæ ubiq; terrarum sunt audientia, unum unicæ Reipublicæ populum cunctos homines efficere uolens, ita se comparabat. Proinde ni Deus ille, qui Alexandri huc animam demiserat, eam præpropere reuocasset, haud scio an lex una cunctos homines regeret, unumq; ius ueluti cõmune lumẽ ad uniuersos pertineret, nunc uerò terra qua parte cunq; Alexandrum nõ uidit, perpetuis propè dixerim tenebris damnata est. Primum igitur expeditionis eius cõsiliũ philosophũ fuisse uirum eum declarat. Quippe qui nõ sibi delitias, non opes cõquisiuerit, sed uniuerso mortaliũ generi concordiã, sed pacẽ, sed inter se cõmercium efficere cogitarit. Videamus iam uoces eius, quãdoquidem regum principumq; mores maximè ex mente uocibus depromũtur. Antigonus senex sophiste quodam ei cõmentariolum de iustitia inscriptum porrigente: Stolidus es, inquit, qui quum me uideas alicenas urbes uexantem, nihilominus apud me sermonẽ de iustitia habeas. Dionysius tyrannus censere se dictitabat, ut pueros talis, sic uiros iureiurando faliendos. In Sardanapali inscriptum monumento hoc uisitur: Hæc habui quæ uoraui, quæq; per iniuriam abstuli. Quis istis dicterijs tum uoluptariam uitam neget, tum impietatem, tum iniuriam, uiolentißimamq; improbitatem proui? Ab Alexandri dictis regia modò insignia, & ab Ammone ortum, natalesq; tolle, iam Socratis, aut Platonis, aut Pythagoræ uidebuntur. Sed nunc non illas expendimus uerborum insolentias, quas simulachris eius poetæ statuisq; asculpere

sculpere solent, nõ ad ipsius modestiam respicientes, sed opes potius & potentiã attẽdẽtes, cuiusmodi illud est:

Aereus in cœlum suspectans fare quid aiat:
Iuppiter, asserui terrã mihi, tu asscre cœlũ. Et rursus:
Alexander ego Ioue natus. Hæc igitur poetæ, ut diximus, fortunæ ipsius blandientes affingere soliti sunt. At uerò usurpatorũ ab ipso reuera dictorũ puerilia primum percensenda sunt. Hic igitur quum pedum pernicitate Alexãdri æquales omnes facilè præstaret, amicis ut ad Olympia se pophthegcõferret flagitãtibus scisciatus est, nũ reges Olympiæ certarent. Quibus id negãtibus: Iniquũ, inquit, certamen esse oportet, in quo uictori quidẽ priuato esse licet, regi uerò uicto. Quum pater eius Philippus apud Triballos femore lancea traiecto, periculo defunctus, mœrore tamẽ angeretur claudicãtis cruris deformitate: Sustine, inqt ille, pater, ne uereare in publicũ te agere, quò magis uirtutis ingredicdo memineris. Hæc et huiusmodi alia nõne animi dicta sunt philosophiæ præceptis inbuti, qui honesti splendore captus flocci iam faciat corporis detrimẽta? Aut nũ tandẽ potest aliusmodi esse, qui suis ipse uulneribus insultet? qui in nulla nõ corporis parte uictoriæ monumẽta gestet, urbium expugnatarum, dedentium se suáq; regum, nõ erubescens ipse, non cicatrices tegens, sed tanquam uirtutis expressa simulachra strenuitatisq; documẽta circũferens? At si quãdo Homeri carminũ perpensio, aut in ludis literarijs, aut super conuiuiũ fieret, alio aliud, ut fit, præponente, hoc ipse ut omnium præstantißimum probabat:

Regnatorq; bonus simul atq; acerrimus hasta.

Videlicet interpretatus, quã laudẽ Homerus aliquot anteà seculis de Agamemnone temere scripsisset, legem hanc sibi latam esse, adeò dicere solitũ ferunt eodem uersu Homerum

Universidad de Deusto
Biblioteca

merum Agamemnonis uirtutẽ cõmendasse, Alexandri uerò uaticinatũ esse. Proinde quũ traiecto Hellesponto iam Troiam cõspicatus heroica gesta cogitabundus recoleret, ad eumq; indigena quidam uenisset, pollicens se si uellet, Paridis ei lyrã daturũ: Minimè, inquit, illa mihi opus est, quandoquidẽ Achillis lyram habeo, ad quam ille recreabatur. Hæc uirorũ, inquit, fortium laudes canebat, illa uerò Paridis mollem quandam & effœminatam harmoniam amatorijs modis psallebat. Philosophi porrò animi est, sapientiæ amore capi, sapientesq; uiros in primis suspicere. Hoc in Alexandro autẽ ut in regũ fuit nemine. Et quonã modo apud Aristotelẽ se habuerit, satis, ut arbitror, dictũ est. Quòd uerò harmonicũ Anaxarchũ inter paucos amicorũ honorificè habuerit, quòd Heleo Pyrrhoni primum sibi obuio mullia decem aureorũ dederit, quòd Xenocrati Platonis familiari quinquaginta dono talenta miserit, denicq; quòd Onesicritũ Diogenis Cynici discipulum gubernatorum præfectura ornauerit, á pleriscq; traditum. Iam uerò cum Diogene ipso ad Corinthum agẽte collocutus, adeò uitam eius obstupuit, animiq; eius dignitatem admiratus est, ut sæpe quum in mentionem eius incideret, diceret: Nisi Alexander essem, Diogenes forsan essem: id est, literarum studijs me addicerem, nisi reapse philosopharer. Non dicit, nisi rex essem, Diogenes forsan fuissem, nec nisi diues, nec nisi Argeades: non enim fortunam sapientiæ præferebat, nec purpuram & diadema manticæ & soradido amiculo. Sed nisi Alexander essem, haud scio an Diogenes fuissem, id est, si mihi in animo non esset Græca barbaricis confundere, totumq; cõtinentem peragrãdo ad humaniorem uictum perducere, adhæc terræ oceaniq; finibus repertis, oceano Macedoniam admouere, in omneq;

genus

genus hominum disseminare Græciam, iuraq; & pacem transfundere, nequaquam certè insigni delitiarũ affluentia sessitarem, sed æmularer, ut opinor, Diogenis inopiã. Nunc mihi bona tua uenia, Diogenes, liceat exequi id quod in animo habeo. Ad Herculis imitationem me contuli, ad æmulandum Perseum me comparaui, uolo Liberi patris, mei progenitoris, generisq; mei proautoris uestigia persequi, uolo rursus in India uictores Græcos festiuis choris saltabundos cernere, uolo Caucasi ulteriores accolas, montanos ferosq; homines, Bacchanaliorum admonere. Iam uerò uiri quidam illic perhibentur esse solidiori cuidam, atqueadeo nudæ assueti philosophiæ, sancti homines, suis legibus uiuentes, deo prorsus addicti, supra Diogenem etiam frugi, adhæc manticæ non egentes, ut qui in diem horamq; uiuant, terra ipsis assiduè cibaria recentia suppeditante, potumq; fluminibus: cubile uerò illis strata passim arborum folia herbaq; solum scatens. Per me illi Diogenem noscẽt, Diogenesq; illos. Percutere habeo Barbaris numum Græcæ ciuilitatis notã signandum. Age iam in gestis eius fortunæ ne temeritas, & imperiosa quædam uis impotentiaq; bellica eminet, an strenua potius uirilitas, iustitia, moderatio, clementia, adhæc in gerendis rebus decentia ingenijq; acrimonia uigilanti solertiq; consilio omnia transigentis? Profectò in actibus eius uirtutum discrimina neutiquã adnotare licet, ut hoc fortitudinis fuisse dicas, illud humanitatis, & aliud continentiæ, sed unumquodq; eius facinus ex uniuersis concretum uirtutibus uidetur, ut uerissimè de eo Stoicum illud dici decretum posit: Quicquid sapiẽs agit, id omne ex uirtute agere, ut in omni actu certæ cuiusdam uirtutis primæ esse partes uideantur, aduocet autẽ & alias illa

eundem in finem contendentes. Proinde in Alexãdro cernere est humanitatem belligerantißimam,mitẽ fortitudinem,frugi liberalitatem,iracundiam exorabilem, amorem modestum, animi remißionem non uacantem, lassescentiã haud irrecreabilem. Ecquis tandem bellis præter eum dies festos inseruit? ecquis inter lasciuas comessationes expeditiones sumpsit? ecquis inter res gerendas urbesq; adeò obsidendas bacchabundis choris nuptijsq; & hymenæis indulsit? ecquis denique inimicis lacessentibus infestior, aut miseris clementior, aut indigis benignior? Hic mihi succurrit ut referrem illud de Poro rege memoriæ proditum,qui quum ad Alexãdrum uinctus adductus esset,percontante Alexandro,quonam modo de se uictore statuere censeret? Regio,inquit, modo. Rursus percontante Alexãdro,ecquo alio modo? Prorsus,inquit,nullo:in illo enim omnia insunt. Haud secus nunc mihi subit, singulis Alexandri gestis succlamare philosophicè: in hoc enim omnia. Rhoxanes amore captus, Oxyatræ filiæ,quum inter bella captas saltaret, non illi uim attulit, sed in uxorem accepit,haud dubie philosophicè. Darium cõspicatus iaculis multis confossum,non continuò sacra dijs fecit,tanquam diuturno profligato bello,aut pæana cecinit. Quid igitur? nempe adempta sibi chlamyde defunctum Darium texit,uidelicet fortunæ regiæ genituram occulens philosophicè. Matris olim arcanam epistolam legens, quum Hephæstion forte,ut fit,assidens ingenua simplicitate adlegeret, hoc animaduerso ipsum quidem non inhibuit, admoto uerò ori eius anulo quasi obstricta amici fide silenda obsignauit:id quoq; philosophicè. Nam si hæc philosophicè facta non sunt, quæ tandem alia sunt? Agedum contendamus nunc cum huius aliorum facinora, qui sine

contro

controuersia philosophi ipsi habiti sunt. Socrates Alcibiadem eodem secum lecto cubitantem illibatum abire perpessus est. Alexander Philoxeno maritimæ oræ præfecto scribenti ad eum,puerum in Ionia esse inusitata formæ uenustate, flore ætatis præstantißimo, sciscitanteq; per literas, nunquid uellet ad se mitti, acerbißimè rescripsit:O perditißime hominum,ecquid unquam huiusmodi in me nosti, qui mihi hisce lenocineris uoluptuarijs obsequijs? Xenocratem suspicimus omnes, quòd Alexandro talenta ei quinquaginta dono mittente,ipse illa nõ attigit, dedisse uerò non? quid ni? non perinde quæso aspernari pecunias arbitramur eum qui largitur, atq; eum qui non admittit? Illorum memoriam colimus, qui contemnendæ mortis nobis elogia reliquerunt. Hoc quoties autem Alexander telis impetitus,in territantem mortẽ obnixus usurpauit? tametsi recta quidem iudicia omnibus ineſſe remur, natura suapte sponte ducem nobis sese ad honestũ capessendum offerẽte. Atqui philosophi uel eo præcipuè uulgo longè præstant,quòd ualida solidaq; iudicia habeant ad adeunda discrimina: quippe qui huiusmodi quædam anticipata in animis habeant,quale illud Homeri:

Augurium felix patriam tutarier unum.

Aut illud Demosthenis: Finis etenim uitæ mors est omnibus,uel si se quis in cõclaue penitus abstruserit. Atqui uiros bonos egregijs semper cœptis incumbere bonam sibi spem proponentes decet, quicquid uerò Deus dederit id generosè ferre. Sed hi tum franguntur animorum habitus,quum horrenda instare cernũtur, iudiciaq; elidũt aduentantia pericula. Pauor enim non modò memoriam, ut Thucydides inquit,excutit, sed quoduis etiam constitutum,quemuis conatum,quemuis mentis impetum.

PLV

PLVTARCHI CHAERONEI, LIBER POSTERIOR DE FORTVNA AVT VIRTVTE ALEXANDRI.

EXCIDIT heri nobis, ut opinor, dicere, artificijs multis Alexandri seculum clarisq; felix ingenijs fuisse: quanquam id non tam Alexandri, quam fortunæ illorum habendum est, ut quibus testem cõtigerit arbitrumq; nanciſci, cum acri ad æstimanda artium specimina iudicio, tum uerò suppeditantibus opibus ad maxima quæque operæprecia autoribus ipsis persoluenda. Proinde quum aliquot pòst annis Archestratus uenustius admodum poëta, in multa inopia nominisq; obscuritate senesceret, ad eum quidam dixisse fertur: At si Alexandri contemporaneus fuisses, in singulos ille tibi uersus Cyprum aut Phœnicem daret. Equidem existimo, qui tum fuerunt artifices, eorum præstantißimum quenque non tam sub Alexandri tempora, quàm propter Alexandrum fiässe. Vt enim fruges aëris temperie liquidioreq; cœlo exuberant, haud secius bonæ artes eximiaq; ingenia benignitate, honorificentia, humanitateq; regia euocantur, contraq; inuidia, sordibus, morositate eorum qui rerum potiuntur restinguuntur & languescunt. Dionysius, ut fertur, tyrannus quum quendam citharœdum primi nominis audiret, talentum ei se daturum spopondit: postero uerò die hesternam sponsionem reposcenti: Heri, inquit, oblectatus à te tantisper dum canebas, te quoque uicißim

uicißim iniecta spe oblectare uolui, proinde congruum operæprecium recepisti hilarans idem, & mox redhilaratus. Alexander Pheræorum tyrannus (sic enim solum appellandus est, ne cognomentum suggilletur) tragœdum quendam quum spectaret, supra modum in misericordiam uersus est, ita afficiente eum aurium uoluptate. Prosiliens igitur ex theatro accelerato gradu abibat, indignum esse fremens, si qui tot ciues excarnificatus sit, is Hecubæ Polyxenæq; casibus illachrymasse uidebitur. Nec multum abfuit, quin tragœdum malè mulctaret, uidelicet quòd animum eius tanquam ferrum mollierat. Archelaus quum uideretur malignè munera dare, non semel hoc cauillo à Timotheo cantore taxatus est: Scilicet tu terrigenæ pecuniæ faues. Cui Archelaus non inconcinnißimè: At tute aues. Scytharum rex Antæas Ismeniam tibicinem bello captum iußit super cœnam canere. Omnibus autem admirantibus & præ uoluptate plaudentibus, iureiurando affirmauit, suauius se interdum equum hinnientem audisse, usqueadeo aures habebat à Musis abhorrentes, animamq; in præsepijs, imò uerò audiendis asinis quàm equis appositiorem. Quod igitur artium augmentũ apud huiusmodi reges? Quis artibus honor, aut Musis haberi potest? Quanquã ne apud illos quidem ius suum obtineãt, qui artium peritiã se tenere profitentur, utpote qui æmulatione & odio iustos euertant artifices. Qualis rursum Dionysius, qui Philoxenũ poëtam in lacumias demisit, quòd tragœdiam eius emendare iussus, ab exordio totam ad umbilicum una litura circunduxit. Erat autẽ in huiusce modi rebus Philippus quoq; seipso minor, & iuniori similior, ut qui hæc serò doceri occepisset. Vnde disceptante eo cum quodã fidicine de pulsandarum

fidium

fidium ratione, quum sibi probè hominem refellere uide-
*ridens retur, * renidens, ut inquiunt, ille: Dij melius, ô rex, ait,
nec usqueadeo miser sis, ut hæc me melius scias. At uerò
Alexander probè sciens quarum se rerum spectatorẽ atq;
auscultatorem præbere oportet, quarumq; item certato-
rem, suapteq; manu actorem, meditabatur assiduè strenuus
armis euadere, & ut inquit Aeschylus, grauis armiluctа-
tor, formidolosus hostibus. Hanc auitam artem habens, &
per manus ab Aeacidis & Hercule traditam, cæteras etiã-
num artes honori habendas censebat, non æmulandas
quoq;, & ut nobilitatem amplectebatur uenustatemq; ar-
tificum, ita earum oblectamento haud temere sese ad imi-
tationẽ conferebat. Aequales eius fuerunt tragœdi quidẽ
Thessalus et Athenodorus. Hi quum inter se de arte con-
tendentes in certamen aliquando uenissent, chorago-
rum quidem uice Cypri regibus fungentibus, iudicum
uerò præfectorum nobilissimis, victorq; ad extremum
Athenodorus euasisset: Parte, inquit, emptum regni uel-
lem, ne Thessalum victum uiderem: nec quicquã ultrà uer
borum cum iudicibus fecit, aut ullo prorsus modo iudi-
cium improbauit: nimirum dignum esse ratus, cæteris se
omnibus antecellere, iuri uerò concedere. At comœdi
fuerunt Lycon & Scapheus. Huic quum in comœdia
quadam flagitatorium uersum inseruisset, arridens decem
talenta dedit. Citharœdi fuerunt cum alij, tum Aristoni-
cus, qui quum in pugna suppetias cuidam ferret, egregiè
pugnans cecidit. Huic Alexander statuam Pythijs æream
ponendam curauit, citharam tenentem hastamq; pro-
tentam, non hoc modò uiro illi tribuens, sed & musicam
quoq; hoc honore prosequens, quæ uiros faceret, quæq;
instinctu lymphatico impetuq; impleret eos qui in ea rite
educati

educati essent. Nã & ipse olim Antigenide tibicine Har-
mation nomon modulante, usqueadeo mẽte captus, modu
lamenti incitatu exarsit, ut cõcussis armis proripiens sese,
manus in astantes intẽderet, testimonium Spartiatis præ-
bens illud canere solitis: Vrget enim in ferrum scitè fidi-
bus canere. Erant etiam æquales eius Apelles pictor &
Lysippus statuarius. Horũ ille fulminiferũ pinxit eousq;
expressè ac concinnè, uulgo ut dicerent, duorum Alexan-
drorũ illum quidẽ Philippi nulla ui superabilẽ, hunc uerò
Apellis nulla arte imitabilem. At uerò Lysippus quũ pri-
mum Alexandrũ finxisset supina cœlum facie suspectan-
tem, quomodo Alexander ipse suspicere solitus erat, assle-
xa leuiter ceruice, adscripsit quidam haud illepidè:

Aereus in cœlum suspectans fare quid aiat:
Iuppiter, asserui terram mihi, tu assere cœlum.

Quam ob causam Alexander Lysippum unum statuae
sibi fingere uoluit: solus enim uidebatur affectus eius ære
exprimere, Alexandriq; uirtutem cum lineamentis refer-
re. Cæteri uerò * supinantem ceruicis, oculorum festiuita- * resupinita-
tem, blandamq; alacritatem imitari studentes, uirilem leo- tem
ninumq; aspectum retinere nequiuerunt. Inter aliorũ ar-
tificum turbam Stasicrates architectus erat: Hic nihil le-
nocinij, nihil leporis, nihil festiui assequi in facie cupiens,
ad magnificẽtissimum opus se cõparabat, dignumq; quod
Alexandri unius opibus faciendum susciperetur. Quo-
dam igitur tempore ad eum insinuatus improbauit ima-
gines eius pictas, statuasq; tum fusiles, tum sculptas, ope-
ra esse dictitans inertium ignauorumq; artificum. Ego
enim uero, ô rex, inquit, corporis tui simulachrum conde-
re deponereq; constitui in uiua, ac nunquam interitura
materia, & eũ perpetuis radicibus fibrata, tum uerò mole
libra

libramentoq; nulla ui agitabilibus. Thracius enim Athos, quà eminentißimus conſpicuusq; maximè eſt, latitudines altitudinesq; habet proportione inter ſe accommodatas, membraq; & artus, & eorum interſtitia corporis ſpeciē præbentia: hic ſi affermetur elaboreturq;, Alexandri effigies & eſſe & uocitari poteſt, ut mare quidem imis ſedimentis attingat, at uerò manibus, ſiniſtra quidem amplum admodum oppidum amplexabunda geſtet, dextra uerò perennem fluuium ex ampulla libans effundat in mare. Aurum uerò, inquit, æs, ebur, ligna, pigmēta, ſigilla minuta & uenalia abijciamus, quæ aut furto intercidere, aut igni liqueſcere poſſunt. His Alexander auditis, excelſos artificis ſpiritus fiduciamq; admiratus collaudauit. Cæterum, ò Staſicrates, inquit, Athon quieſcere ſinito, etenim abunde eſt petulantiæ, regis unius eum eſſe monumētum, me uerò Caucaſus oſtēdet, & Emoda, & Tanais, & Caſpiū pelagus. Hæc operū certè meorū ſimulacra erūt. Sed per deos immortales, eſt'ne aliquis, qui ſi huiuſmodi opus abſolutū cernat, exiſtimet eius formam, habitum, & ſpeciē fortuitu & temere facta? nullus certè, ut arbitror: quid ſil miniſcrum? quid quem cuſpide nitentem uocant? quid (malum) ſtatuæ amplitudo ſine arte à fortuna abſolui non poterit, aurum, æs, ebur, multam & precioſam materiā ſuppeditante affatim, largeq; ſuggerente, uir uerò amplus, imò uerò hominū ampliſſimus ſine uirtute à fortuna effici poterit, arma, ſtipendia, urbes, equosq; comparante? ecu uerò imperito hæc duci uires, aut ornatum offerant, & non inertiæ potius ſocordiæq; documētum magno quoq; ſuo periculo præbeant. Præclare enim Antiſthenes hoſtibus optanda omnia à dijs eſſe bona dicebat, præter fortitudinem: etenim illa tandem armis præſtantium fore, non illa

illa poßidentium. Quapropter naturam inquiunt cerno animali ignauißimo cornua magnitudine uiſenda aſperitateq; ingeneraſſe, nimirum ſpecimen dantem, qui audere ipſi fiduciamq; imperare ſibi nequeunt, nullum ijs armorum apparatum belliq; inſtrumentum uſui eſſe. Hoc ſæpe modo fortuna ſocordibus ſtolidisq; opes & imperia aſciſcens, quibus ipſi demum degeneres arguūtur, aſtruit honeſtatiq; uirtutem, utpote in qua una ſita ſint amplitudo decorq; uiri. Enimuero, ut inquit Epicharmus, mens cernit, mens audit, reliqua autem ſurda cæcaq; ſunt, & rationis indiga. Atqui ſenſus facultates quaſdam peculiares habere uidētur, mens uerò quòd proſit, quòd ornet, quòd deniq; uincat, quòd præſtet, quòd imperet, reliqua uerò ſurda, cæca, *inanima redundēt & morentur, deformētiq; ſe abſq; uirtute poßidentes, ſic reapſe deprehēdere licet. Siquidem ijſdem opibus, eodem imperio freta Semiramis fœmina claſſes inſtruebat, phalangas armabat, Babylones condebat, rubrum dēniq; mare nauigio perluſtrabat, Aethiopiæ atq; Arabiæ ſubigendis populis: Sardanapalusq; uir quidem natus, domi purpuram carminabat, inter pallacarum turbam ſupinus in humeroſq; iacens. Cui lapideam ponentes ſtatuam, ſecum ipſam ſaltantem barbarico ritu, argutiliſq; digitis ſupra caput ueluti concrepitantem, adſcripſerunt: Ede, bibe, ueneri indulge, nam cætera prorſus nihil omnia. Crates aureā Phrynes meretriculæ effigiem Delphis poſitam quum uidiſſet, exclamauit: Græcorum id petulantiæ trophæum erectum eſſe. At qui Sardanapali aut uitam, aut monumentum (nihil enim, ut arbitror, differunt) uiderit, hoc fortunæ bonorum trophæum ſanè eſſe dixerit. Quid igitur tandem? ſinemus fortunam poſt Sardanapalum extremis etiam, quod aiunt,

*inania

digitis Alexãdrum attingere? aut amplitudinem eius sibi & potentiam uendicare? Ecquid autem ab illa præcipuum supra quàm cæteri assolent reges accepit, armorum, equorum, telorum, pecuniarum, militum? Quin igitur istis fortuna, si potest, magnum Aridæum facit? quin magnum Amasin, aut Ochon, aut Oarsin, aut Tigranem Armenium, aut Bithynium Nicomedem? quorum ille candidam fasciam, insigne regni, ad Pompeij pedes abijciẽs, fœdissimè regnum deposuit ueluti in prædam concedens. Nicomedes uerò raso capite pileum assumens, Romanorum sese libertum pronũciauit. Proinde rectius fortunam dixerimus humiles, meticulosos, animúq; demissos facere. Quemadmodum porrò prauitatem non rectè infortunio dederis, ita fortitudinem & prudentiam non sine iniuria accepta felicitati tuleris, tametsi Alexandri imperio præcipue fortuna censetur, quippe quæ illustris in illo, inuicta, celsa animi innocentia prædita clementiaq; fuerit. At uerò occumbente eo, Leosthenes dicebat, hanc immensam potentiam errabundam, & huc illuc incurrentem Cyclopi similem fuisse, qui post exoculationem manus quoquo uersus intentabat, nunquam non aberrantes à destinato proposito. Haud absimili, inquit, uertigine sub imperatoris desiderio ferebatur hallucinabunda imperij magnitudo, irritis ubique conatibus se fatigans. Rursus quemadmodum emortua corpora ab anima deserta non iam concrescunt coalescunt ue, sed desinunt dissoluunturq; à sese, uanescuntq; & exolescunt, hunc in modum imperium amisso Alexandro moribundũ palpitabat, motabatur, languebat, Perdiccis, Seleucis, Meleagris, & Antigonis inter se dissidentibus, tanquam spiritibus adhuc calentibus pulsibusq; micantibus, ad extremum marcescens

cescens, & iam tabidum ut obortis undique scatuit lumbricis, degeneribus regibus fractiq; animi dueibus. Enimuero ipse Hephæstionem aliquando castigans, ut fertur, cum Cratero simultates exercentem: Quæ tandem, ait, tuæ sunt opes, aut quod tuum facinus, si quis tuum tibi Alexandrum demat? Hoc itidem nunc ego ad illius æui fortunam dicere non dubitarim: Ecqua tua amplitudo, ecqua tua gloria? Nunc ubi tua autem potentia, nunc ubi inuicta uirtus, si quis tibi Alexandrum dempserit? Siquis, inquã, dẽpserit in armis peritiam, in opibus liberalitatẽ, in magnificẽtia moderationẽ, in certaminis discrimine fiduciã, in uictoria clementiã? Age fac, si potes, alium magnũ ducem, ut opibus liberaliter non utatur, ut non ante acies suas progressus discrimina subeat, ut amicos honori non habeat, ut non in captos misericordem se præbeat, ut in fruendis uoluptatibus sibi tẽperare nequeat, ut in occasiones bene gerendæ rei nõ immineat, ut à uictoria exorabilis non sit, postremo ut inceptorum compos clementem se non præstet. Iam uerò quis magnus in potẽtatu cum stultitia & flagitijs? Tolle uirtutẽ fortunati hominis, iam usquequaq; paruus erit, in cõferendis beneficijs ob sordidã parsimoniã, in exudandis laboribus ob mollitiẽ, apud deos ob superstitionẽ, erga bonos ob inuidiã, inter uiros ob socordiam, inter mulieres ob affectus uoluptarios. Et ut ignari artifices simulachra parua prægrandibus sedimẽtis fulcientes ipsorum breuitatem arguunt: haud aliter fortuna quum exiguum hominis animum conspicuis effert rebus & molem habentibus, conspectiorem eum, & propè dixerim traductiorem per ora hominum facit leuitate errabundum & fluitantem. Ideirco nõ in habendis rebus, sed in utendis potius magnitudo sita est, quandoquidem

regni paterni infantes etiamnũ pueri hæredes esse solẽt, ut uerbi causa Charillus ille, quem una cum crepundijs Lycurgus in Phidition delatum loco sui Spartæ regem renunciauit. Non enim protinus magnus erat infans, sed qui infanti potius paternum regnum quum interuertere posset, integra tutelari fide restituit. Aridæum uerò quis magnum facere posset, quem nihilo ab infante distrentem purpura modo infantiliter inuolutum Meleager in Alexandri solio constituit? Quanquam ô bene factum, ut pauculos intra dies appareret, quo tandem modo uirtute regnant homines, & quo forte fortuna. Pro imperio enim certanti ueluti histrionem ipse submisit, imò uerò diadema orbis terrarũ tanquã per scenã traduxit.

Fœmina onus tulerit scapulis, si sustulerit uir.

E' contrario uerò dixerit aliquis, assumere potentatũ, & tanquam in humeros tollere opes & imperia, & mulieris fuerit & pueri fortasse. Siquidem Oarsæ & Dario Bagoas eunuchus Persarum regnum humeris sublatum imposuit, at magnũ iam assumptũ imperiũ ueluti contẽto corpore ferre uersareq; sine magno negocio, nec oneri succumbentẽ contundi contorqueri'ue pondere, molecq; rerũ, uiri id est profecto, uirtute et solertia celsisq; animis præditi. Quæ quidẽ omnia in Alexandro fuerunt, cui etiam, si dijs placet, temulentiã nõnulli obijciũt. Fuit enim in rebus gerendis cum magnus in primis, tum uerò sobrius & uigilans, nõ temulentus, nõ imperij licentia bacchabũdus, cuius qui minimã partẽ nacti sunt, temperare sibi nequiuerunt. Leuissimus enim quisq; quũ aut re numaria auctus fuerit alios, aut in ciuileis quoquo modo honores incurrerit, inopinata statim felicitate lasciuire solet. Ecce tibi Clitus ad Amorgum tribus, aut ad summum quatuor depressis

depressis Græcorum nauibus, uocitari se Neptunũ passus, tridentemq; gestans. Parte alia Demetrius (cui quoniam ipsi partem fortunæ ex Alexandri opibus duobus, ut dicitur, digitulis primoribus carpens attribuerat?) Iouem se uocari æquis sustinuit auribus, nec iam ad eum legati mittebantur ab urbibus, sed theori, id est oracula scisciturj, respõsaq; eius oracula dicebãtur. Iam uerò Lysimachus, qui loca ad Thraciam uergẽtia quasi regni extrema obtinebat, eousque insolentiæ, ferociæq; euasit, ut diceret: Nunc demum Byzantij ad me ueniunt, quum lanceæ cœlum attigi. Ibi Pasiades Byzantius, qui tum forte aderat, Approperemus, inquit, ne lanceæ iste mucrone mediũ cœlum pertundat. Tametsi quid in istis magnopere reprehẽdi potest, quibus licebat ipsis propter Alexandrum animi esse elatissimos, quum iam Clearchus, Heracliæ tyrannus, gestauerit fulmen, unumq; liberorum tonitrum appellarit? Quid quòd Dionysius Apollinis se filium nominauit in epigrammate scribens?

Doride de nympha Phœbi complexibus ortus.

Quid quòd pater eius mille, atqueadeo decem milibus ciuium interfectis, prodito per inuidiam hostibus fratre, matre quoq; anicula, non expectato, ut paucis è uita diebus cederet, truculente præfocata, ad hæc in tragœdia scribens: Etenim tyrannis est genitrix iniuriæ: Filiarum tamen unam Virtutem, Temperantiam alteram, & aliam Iustitiã nominauit. Sunt qui sese Euergetas uocitarint, id est beneficos. Sunt qui Callinicos, id est egregiè uictores. Nonnulli Soteras, id est seruatores. Quidam Megalos, id est magnos. Atque eorum nuptias alias super alias admissariorum more inter mulierum greges propalam pernoctantium, puerorumq; stupra quis est qui scribendo

Tyrannis. Euergetæ. Callinici. Soteres. Megali.

assequi posit? adhæc aleam interdiu, cantus in theatris, noctem cœnas, diemq; prandia deficientem? Contrà uerò Alexander prandio quum primum diluculasset accumbebat, cœnæ uerò iam appetente nocte. Bibebat inter sacrificandum, alea ludebat cum Medio febricitans. Ludebat iter faciens simul & sagittare discens, & è curru desilire. Rhoxanes amore captus eam unam uxorem soli sibi duxit, Darij uerò Statiram imperio rebusq; ita exposcentibus. Erat enim operæprecium hoc pacto genera inter se uinciri. Cæteras omneis Persides tanto modestia præstitit, quanto fortitudine Persas. Inuitam nullam uidit: quas uidit autē, magis etiam aspernatus est, quàm quas nō uidit. Mireq; quum cæteris omnibus blandus esset, solis uenustis superbum se præbebat. Nam de Darij uxore, eleganti in primis forma, nullum unquam uerbum commendanda eius uenustate emisit, defunctæ uerò regiè usqueadeo iusta fecit misericorditerq; fleuit, ut fidem eius integritas non faceret prætanta humanitate, summaq; probitas iniuriæ arcesseretur. Siquidem Darius primum admodum commotus est potētiæ eius ætatisq; licentia, erat enim tum eorum unus, qui rerum potiri Alexandrum fortunæ beneficio rebantur: simulac autem accurate omnia perscrutatus id quod erat comperit: Non usqueadeo igitur, inquit, res Persarum comploratæ sunt, nec prorsus ignauos nos imbelleisq; dixerit, qui ab huiusmodi hoste superatos audierit. Equidem quod ad me attinet, prosperum rerū euētum, in summamq; belli uictoriam à dijs opto, ut beneficentia quoq; Alexandrum superem: ambitiosa enim quædam me cepit æmulatio, clementiorem eo uideri. Sin de me actum est, Iuppiter auite Persarum, uosq; dij regij oro obtestorq;, nullus in Cyri solio præter unum Alexādrum

sedeat

sedeat. Ita asciscebatur Alexāder testibus ipsis dijs: usqueadeo omnia uirtus uincit. Adscribe si placet, Arbela fortunæ, & Ciliciam, & cætera imponentis manus belliq; opera. Fortuna sanè Tyron ipsi exciderit, fortuna Aegyptum ei aperuerit, per fortunam Alicarnassus ceciderit, et Miletus capta sit. Fac fortunæ beneficio Euphratē deseruisse Mæsum, Babyloniamq; planitiē cæsorum corporibus stratam, num etiam à fortuna temperās, aut bene uolente fortuna continens fuit? Aut num fortuna præsidio quodam munito animum eius securū præstare potuit, ut ne à uoluptatibus lancinaretur, neu libidinibus saucia retur? Atqui hæc & huiusmodi erant, quibus Darium uicit, cætera armorum equorumq; strages erant, prælia, cædes, fugæq; hominum. Ingenti uerò, & haud dubie decretoria clade uictus est Darius, quum Alexandrum uoluptatibus, laboribus, beneficijs inuictum admiratus, uirtuti eius, animi magnitudini, fortitudini, iustitiæq; ueluti fasces summisit. Enimuero peltis, sarissis, in bellico impetu, in conserenda manu, in armorum dimicatione inuicti erant Tarrias Dinomenis, Antigenes Pellenæus, Philotas Parmenionis. At aduersus libidines, mulieres, aurum & argentum nihilo meliores bello captis. Nam Tarrias quidem quo tempore Alexander Macedonas obæratos liberauit, fœneratoribus ære alieno pro omnibus dissoluto, allegato ex composito creditore falsò professus se debere, fraudisq; tandem compertus, sese propè perdidit, nisi Alexander re cognita hoc eum crimine liberasset, simul etiam permisso ut argentum auferret, utique postquam recordatus est, Philippo quondam ad Perinthum pugnāte, sagitta in oculo ictum, non antequam hostes fusos fugatosq; cerneret, eximendum telum præbuisse. Antige-

nes uerò inter causarios, qui in Macedoniam remittebā-
tur, fallere sperans, quum in turba profiteretur, manifes-
tus simulatæ ualetudinis, fuit integris ipse uiribus, uir cū
bello strenuus, tum corpore cicatricibus obsito. Quam ob
causam stomachante Alexandro, causamq; percontante,
Telesippes se amore deperire fassus est, à qua quum di-
uelli perpeti non potuisset, abeuntem ad mare prosequi
constituisse. Rursus cuius esset mulierecula Alexandro ro-
gitante, & quicum de ea agendum esset, quum ille inge-
nuam esse dixisset: Quin igitur, inquit, donis illā & pro-
missis ut resistat perpellimus? usqueadeo nulli non amanti
indulgentior quàm sibi ipse fuit. Iam uerò Philotas, Par-
menionis filius, nescio quomodo & ipse incōtinentia la-
psus est. Antigona in captiuorum turba ad Damascū ca-
ptorum Pellæa quædam mulierecula erat specie commen-
dabilis, eadem olim ab Autophradate capta quum in Sa-
mothraciam nauigaret. Huius amore uecors Philotas, uir
alioqui ferreus, ita tum mollis fluxusq; fuit, ut præ uolu-
ptate compos mentis non esset, atqueadeo incautus silen-
da pleraq; mulierculæ effutiret. Quid enim, inquit, Philip
pus ille nisi Parmenio? quid hic Alexander nisi Philotas?
ubi porrò Ammon, ubi Dracones, si nolimus ipsi? Huius-
modi mulier sermones ad quandam familiarium detulit,
illa rursus ad Craterum, subindeq; Craterus Antigonam
clàm captiuam ad Alexādrum admisit, qui Philotæ quidē
manū neutiquā adiecit, opera uerò mulierculæ totum eū
clàm excussit, plusq; septem annis nusquā suspicionē pro-
didit, nō in uino temulentus, nō ob iram iracundus, demq;
non ad amicum, qui nihil nō credere Hephæstioni solitus
esset, nullorumq; non consiliorum conscium eum faceret.
Quippe ferunt olim matris eū epistolam resignantē lectī-
tantemq;

tantemq; secum mussitabundè, quū admoto sensim capite
Hephæstion adlegeret, inhibere eum non sustinuisse, exem
pto uerò è digito anulo, signaculum ori eius appressisse.
Vocem certè obtuderim, si omnia percensea, quibus ipse
optimè imperiū administrasse, maximeq; è dignitate regia
probatur. Vt enim magnus propter fortunam fuerit, ma-
ior certè uel ob idipsum, quòd fortuna rectè usus est: quo-
que magis fortunam eius extuleris, uirtutē eò magis cō-
mendaris, nempe propter quam dignus fortuna fuit. Age
iam incrementiæ eius primordia, imperijq; auspicatū re-
petamus, uideamusq; quod tandem in ipsis fortunæ faci-
nus fuerit, propter quod Alexādrū fortunæ beneficio ma-
gnum euasisse contendant. Prò dij immortales, quin igitur
eum integrum, incruentum, sarctum, ut dicitur, & tectū,
nullis denique copijs adhinniens modò equus in Cyri so-
lium erexit, ut Darium olim Hystaspæ filium? aut quin
id ei mulier eblandiebatur à uiro, ut Atossa quondam
Xerxi à Dario eblandita est, ita ut ad uestibulum ei dia-
dema accederet ultro? Aut ut Paysatis Diabagoæ, qui
posito habitu tabellarij regiam arrectamq; citarim sum-
psit? Huic enim repente, nec opinatum orbis sorte impe-
rū obtigit, haud secus atq; Athenis Thesmothetæ & Ar-
chontes sortito creari solent. Vis igitur doceā, quonā pa-
cto homines propter fortunam imperant? Deficiente olim
Argiuis Heraclidarum familia, ex qua regem creari mos
illis antiquus erat, sciscitātibusq; illis deus respōdit, aqui-
lam ostensuram, paucisq; diebus aquila superne deuolans
super Aegonis domo sedit, sic rex creatus est Aegon. Rur
sus in Papho rege ob flagitia ab Alexandro ejecto, quum
rex alter nō reperiretur, quòd Cinyradarum gens funditus
deleta existimaretur, unum tandem tradunt inuentum

inopem,ultimúq; nominis hominem in hortulo quodã neglectum,uixq; se ex eo tolerantẽ. Ad hunc qui missi erãt quum uenissent,aquam elicibus deducentem offenderunt. Terrore uerò perculsus est,militibus manum in eum inijcientibus, præireq; porrò iubentibus,quoad ad Alexandrum deductus,obsoleta plagula amictus,rex est pronunciatus,assumptaq; purpura unus eorum esse cœpit qui regis sodales uocitabantur. Erat tum ei nomen Alynomo. Sic reges efficiunt fortunæ beneficia,ad noua honorũ insignia promouentia nec opinantes, celeriterq; transcribẽtia nihil minus quàm id sperantes. Alexãdro uerò quid supra dignationem? quid citra sudorem,quid incruẽta uictoria? quid citra pulueris, ut dicitur, tactum? postremo quid illaboratum obtigit? Amnes sanguine mixtos bibebat, quos cæsorum corporibus iunctos traijciebat: herbam fame enectus edebat,quam primam offendisset:obrutas altis niuibus gentes adijt,urbes sub terram mersas excidit,pugnãtia maria nauigauit,arida Gedrosiorũ, Arachosiorumq; littora permensus,in mari prius etiam quàm in terra stirpes uidit. Quòd si ut hominem ita fortunam affari liceat,ita sanè dixerim: Nuncubi tu,aut ecquando Alexandri rebus gestis aditum præbuisti? ecquod tandem saxum incruento per te Marte cepit? ecquam ei urbem præsidio uacuam obiecisti? ecquam inermem phalangem? ecquis aut rex ignauus,aut imperator socors,aut dormitabundus custos inuẽtus? ecquis amnis facilè commeabilis? ecqua mediocris hyems? ecqua æstas nõ infesta? Apagesis hinc fortuna,facesse ad Antiochũ Seleuci, facesse ad Artaxerxem Cyri fratrem, proripe te ad Ptolemæum Philadelphũ: illos enim superstites etiã patres reges appellitarũt,prælijs illi uincebant illamentabilibus,festos illi dies per pom

per pompas & spectacula ad extremum uitæ agebant: deniq; illorum quisque per summam felicitatem in regno consenuit. En tibi Alexandri corpus, si nihil aliud, certè ab imis unguibus ad uerticem saucium,accisum,cõtusum, ab hostibus deniq; cæsum, & iaculo, & gladio, & torti libramine saxi. Propter amnem Granicum ense dissecta galea capillo tenus. Ad Gazam sagitta humero saucius. In Maragandis sagittæ ictu sura, ita ut à tibiæ radio fractũ os dissiliret. In Hyrcania oblæso lapide collo,quo ictu tenebris ob oculos offusis ad dies multos cæcitatem timuit. Propter Assacanos talo Indico telo icto, quo tempore ad assentatores *renidens dixisse fertur: hic quidem sanguis *ridens meus nõ saniosum quid,quale ex deorũ uulneribus effluere creditur. Ad Issum ense femore traiecto à Dario, ut Chares inquit,manus cum eo cõserente. Ipse uerò Alexãder magna cum fide ad Antipatrum scribens: Contigit, inquit, mihi pugione sauciari in femur adacto, sed unde nulla pernities aut illico,aut postea secuta sit. Apud Malos tripedanea sagitta ictus, spiculo per loricã & pectus ad ceruicẽ pertingente,ut autor est Aristobolus. Traiecto Tanai Scythas in fugam uersos, equo etiam ad centum & quinquaginta stadia insectatus est, infesto alui profluuio remorante. Euge fortuna, quæ Alexandrum Magnum facis, nouisq; subinde macte esse incrementis iubes, undiq; corpus eius lancinans, omnem corporis partem uulneribus patefaciens, non ut Minerua quondam pro Menelao stans, tela in firmissima quæq; armorum ueluti manu dirigens, obiectisq; lorica fascia & balteo tenorem iactus frangẽs,summũ tantũ corpus scarificãs, eliciẽdo in speciẽ cruore, sed nuda potius telis uitalia præbens, uulnera per media ossa infligens, deprehẽso undiq; corpore uisum

uisum insuper ingressumq; obsidens, insequentem interpellans, uincentem distringens, spes denique eius ludificans. Profecto nullus mihi regum infestiore fortuna usus esse uidetur, etsi in multos ingruit aspera ac inuidēs. Siquidem quum alios fulminis instar abscidisset, & ad internitionem perdidisset, aduersus hunc unum pertinax & inexpiabile odium, ineluctabileq; exercere obstinauerat, ut aduersus Herculem antea. Quos enim Typhonas ei prodigiososq; gigantas non allegauit cum ipso dimicaturos? Quos hostes autem aduersus eum non munit armorum apparatu, animum altitudine, præcipitiorum salebris, insitata belluarum feritate? An nisi celsi essent eius animi, maioreq; uirtute subnixi, quam ut fortunæ præsidio fretus esse, ex eaq; pendere uideretur, posset non de statu deijci? non tantæ rerum moli succumbere, toties instruenda acie, toties armandis copijs, tot obsidendis urbibus, tot insectandis hostibus, deniq; toties desciscentibus populis, & mox susceptum regem auersantibus? postremo populis contempto rectore, equorum more lasciuientibus, regibusq; improbissimè ferocientibus, emorsis, ut dicitur, frenis, Bactra, Maracanda, Sogdianos gentes infidas hydræ instar excidēs assiduè suboleſcētis alijs atq; alijs bellis? Dicā aliquid absurdū fortasse, sed dicā tamen, idq; uerum. Non pridem Alexander hac opinione propter fortunam excidit, ut crederetur Ammonis filius esse. Quis enim dijs genitus periculosa æquè & molesta, & operosa exantlauit certamina, præter Iouis Herculem? tametsi illi quidem uir improbus leones prehēdere, apros insectari, aues absterrere imperitabat, uidelicet his eum distinens, ne maioribus perlustrando orbe uacaret, aut ulciscendis Anthæis, aut Busiridibus ab hominū cædibus inhibendis.

Alexandro uerò uirtus diuinū, & è dignitate regia certamen imperabat, cuius erat finis non aurū illud, quod mille camelis circunferebatur, non delitiæ Medicæ, aut mensæ, aut mulieres, nō Calydonīi uinum, aut Hyrcani pisces, sed ut ijsdem institutis uniuersos institutos homines, uni quoq; imperio audientes, uniq; uiuendi rationi assuetos redderet. Hunc quum à teneris, ut aiunt, unguiculis insitum amorē coalitumq; haberet, uenientibus olim à Persarum rege legatis ad Philippum (& erat tum peregre Philippus) fistiuè eos Alexander, admodumq; hospitaliter excipiens, nihil quicquam puerile ab eis perconatus est, qualia multa solent alij, aut de aureo arbusto, aut de pensilibus hortis, aut quibus rex utitur insignibus, sed totus in ea uersus, quibus imperia censeri maximè solent, rogitabat quātæ Persarū copiæ, quo in loco rex acie instructa dimicaret, quale illud Vlyssis:

Arma ubi sunt illi Mauortia, & unde caballi?

Quæ uiarum compendia sursum uersus à mari tendentibus, ita ut stupescentes peregrini dicerent: Puer hic rex magnus, noster uerò opulentus. Quum autem mortuo Philippo in animo haberet Hellespontum traijcere, totusq; in spem apparatumq; gerendarum rerum uersus copias Asiæ admouere gestiret, ecce tibi fortuna distinere eum, auerteréq; adeò insistit, & retrorsus inhibere, exhibitisq; idētidem negocijs moras undiq; nectere. Iam primū finitimis Barbarorū sollicitatis, Illyrica Triballicaq; bella commenta est, quibus à superioribus bellis ad Scythiam usque & Histrū reuulsus, longè lateq; procurrens, omnibus periculis, ingentibus dimicationibusq; perdomitis, porrò denuo profectus ad transitū festinabat, quum illa rursus ei Thebas ob pedes incussit, Græciaq;

bellum

bellum pro offensaculo obiecit, acerba illi tristissimaq; exitus necessitate imposita, cum quibus ei gentibus generis cognationisq; necessitudo intercederet, eas cæde, ferro, igneq; propulsandi. Inde iam transijt, ut Philarchus autor est, sumptis triginta dierum commeatibus, ut Aristobolus, septuaginta talentis. Quo tempore quum domesticas possessiones regiosq; redditus maxima ex parte inter amicos distribueret, Perdiccas unus offerente eo, nihil quicquam accipere uoluit, percontatusq; ab eo: Tibi uerò Alexander ecquid ipse recepisti? quum ille spes se sibi relinquere diceret: Et nos igitur, inquit, harum participes erimus. Indignum enim est tua potius accipere, quàm quæ Darij sunt sperare. Sed quæ tandem spes erant, quibus ille fretus in Asiam exercitum transmittere constituit? Nempe non opes erant amplissimis urbium mœnibus metiendæ, non classes per medios montes uelificantes, non flagra, non compedes, barbarica cruciamenta maris. Quid igitur? Nimirum quod ad æterna pertinet, oppidò quam generosus in paucis armis ambitiosissimusq; conatus, æqualium æmulatio, certamenq; sese contendentis cum gloria & uirtute sodalium. Ipse uerò in sese ingentes spes habebat, pietatem in deos, fidem erga amicos, frugalitatem, continentiam, beneficentiã, aduersus mortẽ intrepidã expectationem, robur animi, humanitatẽ, appellãdi dexteritatẽ, ingenij candorẽ, in explicãdis cõsilijs cõstãtiã, in gerẽdis rebus celeritatẽ, & in primis adipiscẽdæ gloriæ propositũ, quod luculẽta exẽpla per decus absoluere solet. Quocirca nec concinnè Homerus, nec ut par erat, qui Agamẽnonis speciem tribus ex imaginibus aptã coalitãq; similitudine illa finxit:

Assimilis caput atq; oculos patri altitonanti,
Balteus

Balteus est Martis, Neptunum pectus adæquat.

Etenim Alexandri ingenium, si quidem ex multis ab ipso creante deo aptum & consertum uirtutibus est, non ne Cyri spiritus, Agesilai temperantiam, Themistoclis solertiam, Philippi experientiam, Brasidæ fiduciam, Periclis dicendi uim, administrandæq; Reipublicæ scientiam habere iure dixerimus? Quanquam si uetustiores repetamus, Agamemnone temperantior erat: quippe ille captiuam iustæ uxori prætulit, hic à captis abstinere sibi imperare sustinuit, antequam iustè nuptæ fuerunt. Animi uerò magnitudine uel magnũ Achillem præstitit: quippe parua pecunia Hectoris defunctum uendidit, hic uerò grandi ære Darium funerauit. Rursus ille munera ab amicis, iræq; ponendæ precium accepit, hic hostes armis uictos etiamnum opibus cumulauit. Nam Diomedem quidem pietate antecelluit: etenim ille cum dijs pugnare confidentissimè sustinuit, hic autem omnia deorum cœpta per decus euadere semper arbitratus est. Postremo charior necessarijs Vlysse quoque fuit: siquidem illius mater mortem mœrore obijt: huius uerò hostis mater præ desiderio eius commori obstinauit. Ad summam, si & Solon è fortuna in administranda domi Republica uersatus est, & Miltiades foris, militiæq; rem gessit, si denique Aristides innocens fortunæ benignitate fuit, nullum iam protinus uirtutis opus erit, hocq; nomnis uerbiq; inane quiddam uitæ nequiequam gloriam meretur, nimirum id sophistis commentis, legumq; latoribus. Sin horum unusquisque omniumq; similium egens aut diues, debilis aut ualidus, deformis aut pulcher, longæuus aut breuis æui pro fortunæ ipsius uarietate esse solet, at magnum Imperatorem, aut magnum legumlatorem, aut deniq; magnũ in magistratibus,

stratibus,& publicè fungendis officijs sese quisq; uirtute rationeq; præstat,agedum Alexandrũ consideremus uniuersorum contentione. Iam primum igitur Solon Athenis tabulas nouas instituit,quã Sisachthiam nũcupauit, quasi dicas,oneris excussum. Alexander pro ijs qui uersuram fecerant,fœneratoribus dissoluit. Pericles Græcis tributorum collatione exhaustis, extructis passim fanis arcem Athenarum adornauit. Alexander Barbarorum opes raptas in Græciam importandas curauit, templaq; dijs exstruenda locari decem talentorum millibus iussit. Brasidan in Græcia famigeratum fecit auditum ad Methonẽ eum ferociter percursasse,disiecto circa maritimam orã hostiũ exercitu. Alexandri uerò atrocem illum saltum,& auditu incredibilem,& uisu horrendũ,præcipiti saltu sese è muro librantis in hostes, hastis,spiculis,ensibus,protinus illũ excepturos,cui æquius quàm fulmineo igni assimilare possumus erumpenti è nube, & à turbine rapto? cuiusmodi quondam uisa ignitis armis offulgentia,deorsum ferri uidentur. Cæterũ illi stupore primũ perculsi,qua cuiq; proximũ fuit trepidi refugerunt. Deinde quum hominẽ unum animaduertissent multos ferociter impetentem, restitere. Ibi uerò fortuna magna egregiaq; beneuolẽtiæ exempla in Alexandrum ædidit. Quippe ipsum ignobili in uico deprehẽsum,murisq; interceptum incluſit. Hos uerò qui suppetias ei ferre properabant,ob idq; in muros iam scãdentes,suffractis contritisq; scalis deturbatos pessundedit. Ex ijs autem qui tres omnino mœnibus arrepenti, indeq; sese librantes Alexandrum seduli circunsteterant, unũ confestim abripuit,nulloq; dum tentato certamine, è medio sustulit. Crebris alter sagittis confixus hoc modo à morte aberat, quòd & uisus & sensus compos erat. At uerò

Σλάχθια.

uerò foris irritæ Macedonum uociferationes nequicquã mœnia offensantium,quum in promptu nec machina, nec tormentum ullum esset: quinimo opitulandi studio ensibus mœnia tundentium, inermiq; adeò manu cemẽta perrumpere,tantumq; non mordicus conuellere adluctantium. Ibi ille uerò rex fortunatus, ille fortunæ assiduæ custodia, & propè dixerim satellitio tutus, ferè tum bestiæ modo indagine cinctus, proditus, auxilij inops, non de Susis aut Babylone,non de Bactris expugnandis, dignus satis operæprecijs dimicabat. Nam ingentia claraq; certamina ut successum non habeant, dedecoris certè nullam notam inurunt. Verum infesta usqueadeo fortuna fuit & Barbarorum fautrix,contraq; Alexandrum perosa,ut nomẽ etiam eius, quantum in ipsa fuit, deleuerit, totq; rerum gestarum gloriã defòrmarit,nedum corpus uitamq; peremerit. Haud enim pœnitenda fortuna fuisset,si propter Euphratis ripas, aut ad Hydaspem mortem ipse oppetiisset, nec pudendus exitus,si ad manus cum Dario ueniens Persarum impetu opprimeretur,equis,ensibus, copidibus (falcati gladij genus est) confertim pro rege pugnantiũ, aut si Babylonis muros superare nixus,ab ingenti spe deuolueretur. Sic Pelopida,sic Epaminondas,quorum certè integritas uirtuti decus potius, quàm aduersæ fortunæ testimonium attulerunt. Huius uerò fortunæ,de qua nunc agimus,cuiusmodi tandem præ illis exemplum fuit? in extrema barbarie intra ignobilis oppiduli mœnia orbis terrarum dominum intercipientis occultantisq;, pudendisq; eundem armis temereq; inuento missili pulsatum diu & impetitum, ad extremum conficientis. Etenim discissa copide galea uulnus etiam in capite accepit, excussa arcu sagitta perfracto thorace papillaribus ossibus adacta est,

hastili prælongo emunente, & uulnus aggrauante, cuspidis uerò ferro quadrantali latitudine, trientali siciliquo minus longitudine. Porrò (quod summum aduersorum est) quum rectà & contemptim grassantem in se quendam ense territabundũ exceptum ipse pugione confodisset, trepidus interim quidam pistillum ex pistrino raptum in ceruicem illi inflixit: Quo ictu tenebris ob oculos offusis, sensibus quoq; cõturbatus est. Ipsa uerò uirtus præsto tum illi affuit, quæ cum fiduciam ei, tum uerò robur, acreq; opitulandi studium circunsistentibus cum accendit. Lemnæi enim & Ptolemæi, & Lennati, & qui mœnia cunque aut superauerant aut perruperant, circunstantes eum ueluti uirtutis munimentum erant, charitate, amoreq; regis corpora, facies, animus discrimini obijcietes. Haud enim pro seruãdis bonis regibus fortunæ fauore cæteri discrimina subeũt, aut etiam mortẽ oppetunt, sed uirtutis amore potius, haud secus atque apes regi sese suo philtrorũ ui comites addere, eumq; stipare cernimus. Quotus enim quisq; qui huius rei spectator sui ipse securus fuisset, non hoc dixisset, ingens se fortunæ certamen cum uirtute spectare, in quo barbariæ partes indignissimè per fortunam prævalerent, Græciæ uerò supra uires per uirtutem obsisterent? Quòd si illi ad extremam superiores euaserint, fortunæ nimirum, inuidiq; genij, Nemesisq; opus id fore. Sin hi tandem prævaluerint, uirtutem, fortitudinem, charitatẽ, fidemq;, palmam reportaturas, ut quæ solæ Alexandri fuerint. Quippe reliqua, potentiam & apparatum, classes & equitatum, & omnino exercitus medio fortuna muro interseperat. Cæterum Barbaros in fugam uersos Macedones, subindeq; occidione occisos, urbis etiam excidio sepelierunt, Alexãdri uerò nullus iam

usus

usus erat, ut qui raptim exportatus, telum, atque adeo bellum in præcordijs haberet, uinciq; & clauo instar erat sagitta thorace cum corpore traiecto. Telum autem ex uulnere conuellere conantes ferrum non sequebatur, penitus enim insederat in pectoris solidissimis, quæ cordi prætenduntur. Sed rursus arundinem quatenus extabat excindere cunctabantur, ueriti ne penitus os discuneatum intolerabiles cruciatus cieret, ac sanguinis multa ius intus eramperet. Quam cunctationem Alexander quum uideret, ipse primũ conatus quæ è thorace prominebat arũdinem execare, deficiente deinde manu, ex uulneriq; tumore torpido pondere grauescente, medicos iussit intrepidos id agere, animum integris saucius ipse addens, imò uerò circunsistentium partim grauiter increpitans flenteis & præter modum condolenteis, partim desertores appellans opem ei afferre nõ sustinenteis, interim ipse ad amicos inclamitans: Quid, malum, tantopere pro me meticulosi estis? Fidem ergo non facio, mortem me non timere, si quidem mihi timetis.

FINIS.

GVLIELMI BVDAEI PARIsiensis, Regij Secretarij, in libros Plutarchi de placitis Philosophorum naturalibus, ad clarissimũ uirũ Germanum Ganeium Parlamentarem Consiliarium, Beluacẽsis ecclesiæ Decanum, præfatio.

PLEROSQVE seculi nostri scriptores uidemus, Germane Ganei, lucubrationum suarum præfationes duabus in rebus consumere, in emerenda eorum quibus eas dicant gratia, aucupandaq; apud lectorum uulgus inani fama: illos quidem perfricta, quod aiunt, fronte supra humanum fastigium efferendo, apud hos uerò uendibiliora sua scripta uerborum lenocinijs faciendo. Ego uerò quum ab hoc more nostrates ferè homines usqueadeo abhorrere uideã (de elegantibus & omnis gnaris humanitatis loquor) ut etiam ultro oderint huiusmodi prostituta ingenia, nedum ut impudentes putidasq; adeò laudationes auribus deuorare possint: tum uerò quòd si cuiusquã, certè minimè meum est, potentibus per ambitionem industriam uenditare meam: prorsus aliter me comparaui. Nec enim ingenium tuũ, nec mores, nec famæ integritatem (quæ in primis prædicari solent) attingam, genus, necessitudines, opes nihilo magis, omnino in adsentationis opinionem incurrere nolo. Tametsi quum uir Parlamẽtarius sis, unusq; ex augustissima ille decuria, nec unus adeò nescio quis, sed certæ cuiusdam notæ, quam ne si sciam quidem dicere ausim. Quum igitur in amplissimi ordinis oculis iam diu uitam agas, in quo quidem germanus tuus unus est è quatuor tanquam ordinis uisendi consessus insignibus, urbisq; adeò

adeò huius, uel regni potius decoribus, quali dignatione sis in obscuro esse non potest, sicut ferè umbratilis hominum uita innotescere in publicum nequit. Commendabilius foreasse plausibiliusq; laudandi genus apud omneis ordines sit, si commemorem, quàm literarum amans fautorq; sis, quàm eruditissimorum uirorum studiosus, queis cum conuiuere soles, ut de literatissimo quoq; optimè meritus. Verum hæc omnia ne perstringere quidem nunc rei dignitate uacat. Quod autem ad me attinet, ita omneis existimare uelim, hanc me accepisse prouinciam, non mihi sumpsisse. Nam quum superiore anno Lascaris Rhyndacenus, uir natione Græcus, sed Græcorum Latinissimus, naturalia Plutarchi decreta Latinè interpretanda te posscente recepisset, idq; per ocium ei facere non licuisset, quòd iam annum eum inter aulicos agẽtem desideramus, tu altero abhinc mense quum ex secessu in urbem redissem, continuò huius incepti onus in humeros profecto impares ei inclinasti, usq; eò heluo librorum es, quod de Catone Cicero dixit. Habes igitur uicariũ & tanquam succidaneum Plutarchi interpretamentum, quod quum iam sesquimensem à me crebris nuncijs efflagitas: circa alia nonnihil occupato, quod & si in nonum saltem mensem premendum fuit, si per te mihi intra ueniæ spem licuisset esse cauto, non recuso tamen quin tibi editum specimen putes facultatulæ industriæq; nostræ sub iudiciorũq; aleã, si ita res feret, cadat. Candidos tantum lectores huius nostræ lucubratiunculæ admonitos peruelim, ut si quæ in eo erratu offenderint (ut certè non pauca offendent) ea si haud ita inexpiabilia sint, tibi imputent, mihi uerò tua in culpa ignoscant, ut qui hoc mihi extruderis, uel potius expresseris, mordicus, propè dixerim, retentanti. Nam

ſtylum noſtrum, ſat ſcio, duriorem uiſum iri, ſed non ijs adeò foriaſſe qui Græcè quoque legerint. Huic enim ſcribendi generi cõtracto, preſſo, & conciſo, non facilè addi fuſæ fluentiſq; orationis nitor perſpicuitaſq; poteſt. Adde rerum obſcuritatem, uerborumq; interdum inſolentiam. Vnũ affirmare poßum, opus me breue aggreßũ, ſed quod pluris quàm pro chartarum numero eſtimandum ſit. Laborandum enim mihi fuit, ne aut ineptè fidus interpres eſſem, aut quum ad uerbũ omnia uertere nollem, ne quædam etiam ad ſenſum non uerterem: interdumq; uerba clauſulaſq; appendere magis quàm adnumerare conati ſumus, contraq; nonnunquam ſupernumerarijs, ut ita dixerim, uerbis Græcarum dictionum pondera repẽdere. Quæ omnia ſi in ullo unquam ſcribendi genere, in hoc ſanè facienda fuerunt, ut in quo certè Latinitas Græcæ non reſpondet opulentiæ. Colligenda uerò corrogãdaq; ex non paucis autoribus, ijſq; claßiarijs, Latina uerba fuerunt, non facilè cuilibet obuia, ne ſi Græcis uterer, etſi iam in triuijs tritis (ut ferè iam in naturalibus Latina uerba obſoleuerũt) hoſpitari in urbe noſtra peregrinariq; uiderer, perinde atq; inter patrium peregrinumq; cultum delectũ habere non didiciſſem. Qui conatus an euaſerint, uiderint illi quibus utriuſq; linguæ facultas comparata eſt. Quamquam qui Latinè ſciunt, de toto propemodum opere iudicare poſſunt, non modò de ſtructura, quid cui conſentaneum diſſentaneumue ſit, quid cohærens aut pugnans. Tametſi in huiuſmodi offenſaculis ſi unum forſan aut alterum reperietur, cauſari poſſem, id quod tu probè noſti, in emendando exemplari Græco exudandam mihi laboris partem non contemnendam fuiſſe. Quippe quod unicum in hac librorum inopia nactus ſum, literis iam exoleſcentibus

tibus. Vtcunq;, confido probè te atque etiam candidè de toto opere arbitraturum, ſi præſertim non ſine Theſeo, ut aiunt, tuo legeris, id eſt, ſi Ioannem Guacierium adhibueris, uirum cum humaniorum diſciplinarum peritum, tum uerò Theologorum decus. Cæterum lectores rurſus, ſi qui moroſiores ſunt, exoratos uelim, ne merx hæc noſtra propterea eis ſordeat, quòd Ciſalpina eſt, atqueadeo domeſtica, non importata, non aduentitia, non, ut inquit Plautus, exotica. Nos enim uerbis tropiſq; utimur, ut intra parietes, non modò intra pomœria natis. Proinde ne mihi dicant, unde tibi frontem interpretandiq; fiduciam, qui nunquam à patrio ſolo abnoctaueris, nũquam, ut dici ſolet, unguem latum à matre diſceſſeris? Nam ſi mihi per conditionem inſtitutumq; uitæ inter doctos uerſari meo modo licuiſſet, profecto excultiorem interpretem terſioremq; habuiſſes. Verum ne in hac quidem rerum incommoditate literas deſpondimus. Sed iam uereor ne tantuli operis exordium proportione maiuſculum ſit. Vale. Pariſijs, Calendis Ianuarijs. M. D. II.

GVLIELMI BVDAEI AD Germanum Ganeium Hexaſtichon.

Accipe primitias noſtræ Germane Mineruæ,
Nare ſed infeſta ne precor ipſe legas.
Egerit egregiè mecum fortuna, cauere
Si potui culpam, gloria nulla licet.
Gloria quæretur forſan, limatior olim
Si ſtylus euadet, Parca nec inuideat.

PLVTARCHI CHAERONEI, LIBER PRIMVS DE PLACITIS DECRETISQVE PHILOSOPHORVM NATVRALIBVS.

Guilelmo Budæo Parisiensi, Regio Secretario interprete.

TRADITVRI naturæ enarrationẽ, necessarium duximus, in principio statim tractationem philosophiæ in parteis distribuere, ut noscamus & quid sit philosophia, & quota pars eius naturæ explicatio. Stoici igitur quidem dicunt Sapientiam diuinarum humanarumq; rerum scientiam esse: Philosophiam uerò accommodatæ uitæ artis meditationẽ. Hanc autem unam esse & eandem summam uirtutem. Virtutes porrò generalissimas treis, naturalem, moralem, rationalem. Ex quo & tripartitam philosophiam. Eius enim partem unam naturalem, aliam moralem, & rationalẽ aliam. Et naturalis quidem est, inquiunt, quum aut de mundo, aut de ijs quæ in mundo sunt, quærimus. Moralis in humanæ degendæ uitæ ratione occupata est. Rationalis in disserẽdi ratione, quam ipsam & dialecticam, id est sermocinatricem uocant. Aristoteles autem & Theophrastus, & ferè Peripatetici hoc modo philosophiã partiti sunt. Necesse est, inquiunt, consummatũ uirum & eorũ quæ sunt contemplatorem esse, & eorũ quæ decent actorem. Hoc autem sic intelligere licet. Si uerbi gratia quæratur, animãs nec'ne sit sol:

sol: esse enim uidetur. Qui hoc igitur quærit, is contẽplator est: quippe qui nihil aliud quàm id quod est, quærit. Si item quæratur, mũdus'ne infinitus sit, & si quid est præter mundũ. Hæc nanq; omnia in cõtemplatione sunt. Rursum quæritur, quomodo instituẽda uita, aut liberi, aut gerendus magistratus, aut sanciẽdæ leges. Hæc igitur omnia agendi gratia quæruntur, huiusq; modi uir actuosus est.

Quid sit natura. 1.

QVoniã igitur proposita nobis est rerũ naturaliũ cõsideratio, necessariũ esse duximus explanare, qd sit natura. Etenim absurdũ sit, eũ qui de natura disserere conetur, huius ipsius ignorare naturæ potẽtiã. Est igitur natura, ut Aristoteli placuit, principium motus atq; quietis dũtaxat in quo primigeniè ineſt, nõ etiã per accidẽs. Siquidem quæ uidẽtur omnia, quæ quidẽ neq; à fortuna, neq; à necessitate, neq; à diuinõ numine, aut huiusmodi causam habẽt, naturalia dicũtur, suamq; ipsorum naturam habẽt, ueluti terra, ignis, aqua, aër, stirpes, animalia. Hæc præterea quæ fieri uidemus, imbres, grandines, fulmina, turbines, uenti. Hæc enim principium quoddam habent, utpote quæ ante prima secula non fuerint, sed suum ortum habeant. Hæc igitur ueluti animantes, stirpes, generationis principiũ habẽt, in eisq; natura principium in primis est, atque adeo motus nedum quietis: nam quæcunque motus principiũ habent, eadem interitum quoq; capere possunt. Meritò itaq; natura motionis principium est atq; quietis.

In quo differunt principium & elementum. 11

ARistoteles igitur & Plato differre putant principiũ, & elemẽtũ. Thales uerò Milesius idẽ esse arbitratur principiũ & elementũ. Verũ hæc magnopere differũt inuicẽ. Siquidẽ elementa cõposita sunt, principia autem nec

remur esse compositu, nec confectum quiddam. Verbi gratia, elementa uocamus terram, aquam, aërem, ignem. Principia uerò propterea uocamus, quòd nihil se prius habeat ex quo procreata sint, alioqui principia non essent, uerum illud potius ex quo genita essent. Terra autem & aqua priora quædam sunt, ex quibus procreata sunt: hyle nimirum illa, id est sylua rudis & informis, speciesq; ipsa, quã uocamus Entelechiam, id est actum quendam continuum & perpetem, nec non priuatio. Lapsus igitur Thales, principium dicens idem atq; elementum esse.

De principijs. III.

VErumenimuero Thales ille Milesius principiũ rerũ aquam existimauit esse. Is autẽ uidetur philosophiæ princeps fuisse, à quo quidẽ Ionica secta appellata est. Fuerunt enim plurimæ deinceps philosophiæ successiones. Hic diu in Aegypto philosophatus, tam senior Miletũ se contulit. Isq; ex aqua omnia sensit esse, & in aquam uicissim redire. Adducitur autẽ huiusmodi cõiectura: primo, quòd animantiũ omnium principiũ genitura sit, eadem humida, ex quo simule esse ueri, ex humore omnia principiũ ducere. Deinde, quòd stirpes omnes humido alãtur, & ad frugem euadant, humoris autem expertia actutum arescant. Postremo, quòd ipse solis ignis siderumq; aquarum expiramentis alatur, quinimo & mundus ipse. Quæ de causa Homerum eandem mundi procreationem posuisse uult.

Oceanus, de quo primum sunt omnia nata.

Anaximãder Milesius omnium quæ sunt principium naturæ infinitatem esse putat: ex hac enim omnia esse, & in hac omnia tabescere, propterea & infinitos gigni mundos, & eos rursum cadere in id unde orti sint. Nam cur, inquit, infinitũ est? nempe ut ne quo deficiatur procreatio,

tio, quæ omnia cõstituit, à quaq; omnia subsistentiam habent. Fallitur autẽ ut qui nõ addat quid infinitus sit, num aër sit, an terra, an aqua, an alia quædã corpora. Fallitur igitur quũ materiã putet, efficientem uerò causam tollat. Infinitas autem nihil aliud quam materia est. Atqui materia efficientia esse non potest, nisi efficiens subsit. Anaximenes autem Milesius principium rerum aërem esse dixit, ex eo enim omnia constare, in eumq; tandem resolui. Veluti anima, inquit, nostra aër quum sit nos continet & tuetur, & mundum uniuersum spiritus & aër complectitur & continet. Dicuntur uerò spiritus & aër mutuo cognomento. Hallucinatus autem est & hic, utpote qui ex simplici & uniformi aëre & spiritu constare animalia opinatus sit. Non enim unicum rerum esse principium potest materia ex qua cuncta substantiam ceperint. Sed efficientem quoq; causam subdere necesse est: quemadmodum in faciendo poculo non sat est argentum, nisi efficiens quoq; ipsũ adsit, id est uascularius, similiter atq; in ligno & ære, & alia id genus materia. Anaxagoras Clazomenius principia rerum particulas inter se similes, quas similaritates uocare possumus, arbitratus est. Inexplicatissimum enim ei uidebatur, quonam modo ex eo quod nusquam esset, posset quid oriri: aut rursum in id quod nullibi esset, interire quid. Proinde cibum, inquit, sumimus simplicem & uniformem ueluti cereale munus, aquamq; bibimus. Hoc autem cibo alitur capillus, uena, arteria, nerui, ossa, & cæteræ item partes. Quæ quũ ita sint, necesse habemus fateri in illo ineesse cibo quæ usquã sunt omnia, ex ijsq; augeri omnia, atq; in huiusce modi esse alimento procreaticulas sanguinis partes, neruorumq;, item ossiumq;, aliarumq; partium quas cogitatione percipere possumus.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd igitur ſimules ijs quæ procreantur eſſent in alimẽto partes, propterea homœomerias, id eſt ſimilaritates uocauit, quos principia rerum eſſe cenſuit. Atq; has quidem inter ſe ſimules particulas materiam: cauſam uerò efficientem, mentem omnia ordinate digerentem. Sic autem exorditur. Vnà, inquit, omnes res erant, mens uerò diſtraxit illas, decenterq; compoſuit. Itaq; probãdus hic uel eò maximè, quòd materiæ opificem adiunxit. Archelaus Apollodori filius Athenienſis aërem infinitum, & quæ circa eum eſſent ſpiſſitudinem ac raritatem: horum alterum ignẽ eſſe, alterum aquam. Hi omnes prædicti deinceps ſibi ſuccedentes Ionicam (quæ dicitur) ſectam à Thalete impleuere. Rurſus ab alterius auſpicatu philoſophiæ Pythagoras Mneſarchi Samius, qui primus philoſophiam hoc nomine appellauit, principia rerum numeros eſſe cenſuit, & eorũ ſymmetrias, id eſt accõmodatas proportiones, quas & harmonias, id eſt concentus cohærentiaſq; uocat, ex ijſq; compoſita elementa, quæ geometrica uocantur. Idem rurſus unitatem infinibilemq; binarium inter principia ponit. Spectant autem principia eius alterum in efficientem formalemq; cauſam, quæ mens & idem deus, alterum in patibilem materialemq;, qui mundus eſt uiſibilis. Eſſe autem autumat numeri naturam denarium: ad decem enim omnes numerare tum Græcos, tum Barbaros: ad quæ quum peruenerint, rurſus ad unitatem redire. Cæterum denarij uim in quaternario ſitam eſſe. Huius autem cauſam ex eo intelligi poſſe. Siquis ab uno profectus, numerali deinceps adiectione ad quatuor progrediatur, expleturũ eum denarium. Quòd ſi quaternarium huiuſmodi adiectione excedat, ultra denarium quoque excurſurum. Si quis, uerbi gratia, unum ponat, & huic duo addat

dat, & deinde tria, & ijs deniq; quatuor, hactenus denarium expleuerit. Quapropter numerus ſingulatim quidem collectus in decem erit, ex ui autem ſua ſpectatus, in quatuor. Vnde Pythagorei quaſi ſanctiſſimum quaternarius iuſiurandum eſſet, ita aiebant: Iuro per omnipotentem animæ, qui tetrada noſtræ perpetuos fonteis naturæ inſudit habentem. Noſtra, inquiunt, anima ex tetrade conſtat. Siquidem eſſe mentem, ſcientiam, opinionem, ſenſum. Ex quibus ars omnis & ſcientia, noſq; ipſi rationis compotes ſumus. Mens quidem igitur monas eſt, id eſt unitas: hæc enim ſingulariter ſpectatur. Velut cum permulti ſint homines, ſi hi partim, id eſt uiritim conſiderentur, ſenſu perſpici comprehendiq; non poſſunt, utpote infiniti. Verum hoc ipſum ſolum intelligimus hominem unum, cuius nullus ſimilis, non ſecus ac equum unum ſolum intelligimus. Quòd ſi partim, id eſt non uniuerſim conſiderentur, infinita ſunt. Hæ enim ſpecies generaq; omnia ſingulariter perſpiciuntur, ideoq; in unoquoq; eorum huiuſmodi definitionem reddunt. Animal, inquiunt, rationis particeps, aut animal hinnibile. Proinde mens idcirco monas eſt, quia hoc intelligimus. At dyas, id eſt binarius, ſcientia eſt, infinibilis: meritò. Omnis enim demonſtratio, omniſq; ſcientiæ fiducia, omniſq; inſuper ratiocinatio ex quibuſdam conceſſis id quod controuerſum eſt colligit, facileq; demonſtrat, quorum comprehenſio ſcientia eſt. Propterea fuerit quidem fortaſſe dyas. Trias uerò, id eſt ternio, opinio eſt ex perceptione, nec immerito: quippe multorum eſt opinio: at ternio multitudo, ut O terq; quaterq; beati. Ideoq; non admittit Pythagoras ternarium. Heraclitus atq; Hippaſus Metapontinus uniuerſæ naturæ principium ignem dixerunt. Ex igne enim

omnia

omnia nasci, & in ignem omnia desinere, quo extincto, in hanc mundi formam omnia digesta esse. Nam primum crassissimum quodq; compactibili in se nixu in terræ formam coactũ, qua deinde ab igne soluta naturæ ui aquam confectam, deniq; aquæ suffitu aërem procreatũ, rursusq; mundum atq; omnia corpora in uniuersi olim conflagratione solutum iri. Principium igitur ignis, quandoquidem ex hoc omnia. Finis etiamnum ignis, quoniam in ipsum intereunt omnia. Epicurus Neoclis filius Athenĕsis Democriti uestigia philosophando persecutus, principia rerum corpora dixit mẽte percepta, solida, non creata, sempiterna, quæ nec corrumpi possent, nec contundi, nec informari ex parte, aut quouis modo immutari. Esse autem illa mente percepta, moueriq; illa in inani, perq; inane, essęq; ipsum inane infinitum, ut corpora quoq; infinita. Cæterum tria ijs accidere, formam, magnitudinem, pondus: quanquam Democritus tantum illis dabat magnitudinem & formam. Epicurus nanq; tertium addidit pondus. Necesse enim, inquit, moueri corpora ponderis pulsu, alioqui moueri non posse. Esse autem huiusmodi corporum, quas Atomos uocant, comprehendibiles formas, non infinitas, neq; hamatas esse, nec uncinatas, nec anulatas, nam id genus formas facile contusiles, atomos autem infrangibiles, impatibiles, suas uerò habere formas mente perceptibiles. Deniq; atomos, id est individua corpuscula, non quia minutissimæ sint, sed quia indiuisibiles, quippe impatibiles inanisq; expertes. Itaq; qui individuum dicit, continuò infractumq; quoque dicit, impatibile, inanis expers. Empedocles Metaonis Agrigentinus elementa quidem quatuor esse dixit, duas uerò principales potentias, amicitiam & dissidium: harum illam esse coniunctiuam, hoc dissociatiuum

ciatiuum. Sic enim inquit:

Quatuor imprimis cunctarum semina rerum,
Iuppiter æthereus, Pluto inferus, almaq; Iuno,
Nestis quæ lacrymis hominum riuos alit hudis.

Iouem autem intelligit feruorem & æthera. Almam uerò Iunonem aëra, Plutonemq; terram. Nestim deniq; humanosq; riuos, tanquam genituram & aquam. Socrates Sophroniſci Atheniensis, Platoq; Aristonis item Atheniensis (eædem enim de uniuerso utriusq; sententiæ) principia tria posuerũt, deum, materiam, ideam. Est autẽ deus mens. Materia uerò, quod primum generationi subiacet & corruptioni. Idea autem substãtia sine corpore in diuinis sensis animi ui usque dei. At deus mens mundi. Aristoteles Nicomachi Stagirites principia quidem Entelechiam, siue speciem, id est continuatam quandam motionem & perennem, materiam, & priuationem. Elementa autem quatuor, quintum uerò corpus quoddam immutabile. Zeno Mnasſei filius Citiensis principia quidem deum & materiam, quorum illum agendi causam esse, hanc patiendi. Elementa autem quatuor. Horum autem secta Italica dicta est, nimirum propter Pythagoram qui in Italia philosophiam professus est: migrauerat enim patria Samo, Polycratis tyrannidi infensus.

Quomodo coagmentatus mundus. IIII.

MVndus autem coagmentatus est circunflexa forma, hoc propè modo configuratus. Quum individua corpuscula temerario fortuitoq; motu assidue celeriterq; mouerentur, corpora in unum multa glomerata sunt, uaria tum magnitudine, tum forma. His unum in locum coactis, quæcunque maiuscula grauiusculaq; erant, penitus subsederunt. Quæ autem minuta, rotunda, leuia, lubrica,

hæc

hæc in concursu corporum elidebantur, sursumq; uersus ferebantur. Simulac autem impulsiua illa ui & subuehente defecta ipsa non iam sublimè efferebantur, nec deorsum ferri poterant, ad loca appellebantur eorum capacia, hi autem erant in ambitu: postea huiusmodi corporum coagmentum undiq; circunflectebatur, in qua circunflexione cõplexa inter se corpuscula cœlum procreauere. Eadem naturæ ui uaria, ut prædictum est, indiuidua sublimè deducta siderales naturas confecere. At multitudine exhalatorum corporum impulsus aër elisusq; est: qui rursus agitatu in spiritum uersus, rapta secum uersabat sidera, quæ eorum uertigo adhuc sublimis asseruat. Est. Ex considentibus porrò induiduis concreta est terra, ex cuctis autem cœlum, ignis, aër, genita. Residua uerò in terra materia multa, eaq; uentorũ impulsu stellarumq; auris addensata, quacũq; rarius concreuerat terra, natura humoris expressa est. Quæ fluxa quum esset, facilè concaua in loca séq; concipere arcereq; nata, delapsa est, aut suapte etiam ipsa sponte subsistens, alueos sibi depressioribus in locis cauauit. Præcipuæ igitur mũdi partes hunc in modum genitæ sunt.

An unum uniuersum. v.

ENimuero Stoici unicum esse mundum censuerunt, quem & uniuersum esse dixerũt, & quicquid corpore constaret. Empedocles mundum unum quidem, uerum mundum non esse uniuersum: esse autem perparuã naturæ uniuersæ partem, reliquam uerò & magnam partem uacantem esse materiam. At Plato ex tribus, ut uidetur, unum esse mundũ coniecit, & uniuersum unum, quòd uideri consummatus non posset, nisi omnia comprehendat: quòd nisi unus sit, exemplaris, id est dei simulus esse non

posset: quòd deniq; siquid extra eum est, perpetuò incolume esse nequeat. Ad Platonem igitur responderi potest, mundum consummatum non esse, nec enim omnia continet, alioqui homo quoq; cõsummatus esset, sed non omnia continet. Exemplaria autem multa esse, quemadmodũ in statuis, ædificijs, picturis: nam quomodo perfectus, siquid extra ipsum circũuersari potest? Iam uerò immortalis non est, nec esse quidem potest, quippe qui natiuus sit. Metrodorus absurdum esse ait, in latifundijs unicam spicam nasci, unumq; in infinito mundum. Quòd autem innumeri sint, ex hoc liquere, quòd innumerabiles sint eorũ causæ. Si enim quibusdam suis finibus finitus est mundus, causæ autem infinitæ ex quibus constat, necesse est infinitos esse: ubi enim sunt causæ, inibi effectus quoq;: atqui causæ, indiuidua aut elementa.

Vnde notionem Dei homines habuerint. v i.

STOici numinis essentiam hoc modo definiunt, ignitum spiritum intelligentiæ participem, formam nullam habentem, in quam uerò cunq; uelit se uertentem, omniaq; assimulantem. Habuerunt autem notionem eius à decẽtia primum sumptam eorum quæ uisuntur. Nihil enim pulchri temere nec fortuitò fit. Fit autem adhibita arte quadam concinnatrice. Pulchrum uerò esse mundum ex forma, colore, amplitudine, stellarumq; mundum ambientiũ uarietate patet. Globosus etiam, quæ in primis forma censetur: hæc enim suarum ipsa partium simulis est. Rotundus autem quum sit, partes etiamnum rotundas habet. Propterea inquit Plato, Mens quæ in homine angustissima pars est, in capite constituta est. Mundi quoq; color honestus est, cœruleo enim coloratus est, qui purpureo fuscior, splẽdenti qualitate nitet, qua maximè gratia intensissimi ui

coloris immensam adeò aëris uastitatem perrumpens, ex tanto interuallo conspicitur. Pulcher etiamnũ mundus ex amplitudine. Omnium enim rerũ ambitus summus & obtentus in suo quisq; genere pulcherrimus est, ut in animãte, ut in arbore. Absoluunt & cœli decorem ea quæ in eo conspicua sunt. Obliquus enim circulus uarijs distinctus est simulacris, in eo cãcer est, post quẽ leo, postq; hũc uirgo, ab hac chelæ, id est forcipata brachia scorpionis, post quas scorpius ipse, sagittarius & capricornus, à capricorno aquarius, stellatiq; duo pisces, ad hæc aries, & taurus, geminiq;. Innumerabilia id genus alia Deus idem per cœli conuexitates sparsit. Vnde inquit Euripides: Stellãtem cœli splendorem chronon, honestè distinctum opus fabri periti. Profecto notitiam Dei hinc magnopere cepimus: perpetuo enim tenore sol, luna, reliquaq; sidera sub terras mersa, uno existunt denuo colore, æqua præterea magnitudine, ex issdemq; locis eodemq; prorsus tempore. Proinde qui nobis cultum deorum tradidere, tres omnino ad hoc formas instituerunt. Primam à natura ductam, secundam à fabulis, tertiam legum autoritate testatum. Naturalis à philosophis docetur, Fabularis à poëtis, Legalis ab unaquaq; ciuitate cõstitui ferè solet. Porrò hæc omnis institutio septem in partes tribuitur. Prima ab his quæ supra uisuntur ducitur. Dei enim notionem ex apparentibus primum habuere stellis, quum ab his miræ rerũ congruentiæ causas existere uiderent, ueluti ratas diei noctisq; uices, hyemisq; & æstatis, ortusq; & occasus. Ad hæc eorum quæ ex terra animarentur, in fruges ue enascerentur. Idcirco cœlum omnium horum patrem arbitrati sunt, terram uerò matrem. Et aërem quidem propterea patrem, quòd aquarum lapsus seminis uicem præbeat,

beat, terramq; matrem, quòd matris uice has excipiat, & deinde pariat. Cæterum stellas illi quũ uiderent perenni cursu irrequietas, solemq; & lunam lumunis nobis autores esse, ab eo quod theasthæ, id est spectare dicunt, & thein, id est currere, theos (unde nos deos) appellauerũt. Altero tertioq; loco deos in cõmodos, incõmodosq; partiti sunt, & cõmodantes quidẽ, Iouem, Iunonem, Mercurium, Cererem: incommodantes autem pœnas ultrices, Furias, Martem, quorum uiolenta noxiaq; numina uotis redimunt, à seq; depellunt. Quarti quintiq; ordinis deos, cũ gerendis rebus, tum uerò animi perturbationibus præfecerunt. His Amorem, Venerem, Cupidinem: illis Spem, Iustitiam, Acquisitem. Sextum sibi locum uendicant fictitia poëtarum numina. Hesiodus enim natiuis dijs parentem constituere uolens, huiusmodi eis genitores induxit, Cœonq;, Creonq;, Hyperiona, Iapetonq;. Propterea hoc genus deorum fabulare uocatur. Septimæ, postremæq; notæ ac dignationis sunt, qui humano more geniti propter suã in homines beneficentiam diuinos honores meruerunt. Cuiusmodi Hercules, Dioscoridæ seu Tindaridæ, Liber pater. Humana autem specie hos esse deos propterea perhibent, quòd omnium quæ sunt numen haud dubie præpotentissimum est, homo autem animantium omnium honestissima est natura, quippe uirtute multifariam ornatus in mentis suæ constitutione, quæ præstantissima pars est. Hac de causa eos qui inter homines optimè uitam egerunt, præstabilissima eodem modo parte honestatos esse animaduerterunt. θεᾶσθαι. θεῖν. θεοὺς.

Quis Deus. VII.

VErumenimuero nonnulli philosophorum, quemadmodum Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenẽsis,

Euemerus Tegeates, deos prorsus nullos esse censuerunt. Euemerum autem Callimachus Cyrenensis in iambis suis taxat hunc in modum scribens: In suburbanum delubrum conferti ite, in quo iampridem æreum qui finxit Iouem, insolens senex, improba uolumina scribat. Hæc pro ea opinione dicta sint, quæ negat esse deos. Verum Euripides tragicus hoc quidem aperte in medium afferre noluit, uidelicet uerens Areopagi iudicium. Significat autem hunc in modum, Syſiphon enim huius autorem opinionis induxit, huiusmodiq; sententiæ eius astipulatur ipse. Fuit enim tempus, inquit, quum soluta erat mortalium uita, & beluina, uiolentiæq; administra. Postea, inquit, ex lex uita inductis antiquata est legibus. Pòst ubi, inquit, manifesta ria arcere delicta lex poterat, clàm uerò delinquebant multi, tum quidam peritus uir mendaci adorsus oratione ueritatem restringere, & suadere mortalibus, quòd Deus esset insenescibili perenans uita, qui hæc & audit, & uidet menteq; præpollet. Tollamus, inquit, poëtica deliramenta, congruenter Callimacho ita dicenti: Si Deum nosti, scito quoq; quòd factu nil non Deo possibile. Atqui Deus non omnia potest. Quandoquidē si Deus est, faciat, inquit, atram niuem, ignem gelidū, & quod sedet ut stet, uiceq; uersa. Proinde Plato ille grandiloquus, quum inquit, Deus afformauit mundū ad sui exemplū ipsius, olet obsoleta, ut inquiunt Comici, Arcadum Cascorumq; nugamenta. Nam quo pacto Deus se intuens ipse mundum affinxit? aut quomodo globosum, quum sit etiā ipse breuior homine? Anaxagoras autem hoc modo inquit: Promiscue ab initio manebant corpora, mens uerò diuina digessit ea, omniumq; procreationes confecit. Plato non mentia prima corpora, sed temere huc illuc agitata posuit.

Anim

Animaduertens, inquit, Deus quòd rerum compositio inconditæ positioni obstaret, omnia ordine digessit. Horū igitur uterq; pariliter labitur, uel eò maximè, quòd deum res humanas procurare, aut hominum causa mundum cō struxisse censuerunt. Animal enim cum beatum & senij expers, tum bonorum numeris omnibus cumulatū, omnis q; omnino exors mali, cohærente quidem illa beatitudine ac perennitate, humanarū proculdubio rerum securus est: alioqui quī miser non sit, si opificis structorisq; more efferendas onerum moles subeat, architectandiue mundi cura angatur? Tametsi deus ille quem perhibent, superiore illo æuo, quum corpora immota erant, aut non erat omnino, aut temere mouebatur, aut deniq; somno indulgebat, & rursus insomniæ, aut postremò horum neutri. Primum admitti non potest, quum deus sit æternus. Nec secundū: Si enim ab æterno somno indulgebat, mortuus erat, quū mors æternus sit somnus. Quanquā somno opprimi deus quī potest? Immortalitas enim, qua deus præditus est, cum eo quod proxime mortem accedit, multū admodum dissidet. Restat ut uigilarit deus. Quod si est, uel quo deficiebatur ad beatitudinem indipiscendam, aut omnibus eam partibus expleuerat. Illo modo beatus esse non poterat, quum beatitudo non sit, si quid eam deficiat. Hoc nihilo magis, frustra enim hoc moliebatur, si rei nullius indigus erat. Age uerò si Deus est, huiusq; procuratione administrantur humana, quamobrem cum deterrimo quoq; fortuna præclarè agere solet, cōtrà cū præstantissimo quoq; pessime? Ecce tibi Agamemnon regnator que bonus simul atque acerrimus armis, ab adultero adulteraq; acceptus, doloq; interemptus est. Huic item cognatione iunctus Hercules, quum de rebus humanis optimè meruisset,

noxijs pleriſq; monſtris orbe defecato, à Deianira uene-
natus & incautus confectus eſt. Thales mundi mentem
deum. Anaximander cœleſtia ſydera deos eſſe. Democri-
tus deum, mentem ignitam, mundi animam. Pythagoras
principiorum monada quidem deum, qui bonum quoq;,
quæ eſt unius natura, mensq; ipſa. Infinitibilem autem dya
da, genium, qui & malum, circa quam multitudo uerſa-
tur materialis. Eſt autẽ etiamnum uiſibilis mundus, deus.
Socrates & Plato unum, unigenitum ſuapte ipſum ſpon
te natum, ſingulare, uerum, germanumq; bonum. Hæc au
tem nomina, omnia in mentem ſpectant. Mẽs igitur deus,
abiuncta quædam forma, id eſt nulli omnino materiæ mi-
xta, nulli patibili rei coalita. Ariſtoteles ſummum qui-
dem deum formam abiunctam, uniuerſi ſphæræ inniten-
tem, æthereo corpore, quod ab ipſo quintum uocatur.
Hoc autem in ſphæras diuiſo natura quidem cohærentes,
opinione autem ſecretas, unamquanque ſphærarum ani-
mal eſſe exiſtimat, ex anima corporeq; conſtans, corpusq;
æthereum eſſe uerſatiliter mobile, animam uerò ratio-
nem immobilem, motus cauſam efficientem. Stoici com-
muniter cenſent deum ignem eſſe artificem, uia proce-
dentem in mundi creatione uniuerſas ſeminales intra ſe
rationes complectentis, per quas omnia è fato fiunt. Spi-
ritum inſuper per uniuerſum quidem mundum pertinen-
tem, appellationes autem identidem mutantem per uni-
uerſæ quam peruadit naturæ confinia. Deum etiam mun-
dum, & ſtellas & terram, ſupremamq; omnium in æthere
mentem. Epicurus ſpecie humana deos, cogitatione autem
non ſenſu perſpectiles præ exiliſſima imaginum natura.
Idem naturas quatuor alias cenſet, genere quidem incor-
ruptibiles, indiuidua, inane, infinitum, ſimilitudines. Hæ
autem

autem dicuntur ſimilaritates & elementa.

De Genijs & Heroibus. VIII.

COnſequenter huic de dijs commentationi, Geniorum
Heroumq; enarranda natura. Thales, Pythagoras,
Plato, Stoici Genios animales eſſe ſubſtantias, eſſe etiam
Heroas abſtractas à corporibus animas, bonos quidem
bonas, malos uerò prauas. Epicurus nihil non improbat
horum.

De Materia. IX.

MAteria eſt quod primum generationi corruptio-
niq; ſubiacet, reliquisq; mutationibus. Thaletis Py
thagoræq; diſcipuli, Stoiciq;, uertibilem, alterabilem, mu
tabilem, fluxamq; omnem omnino materiam dicunt. De-
mocriti impartibilia prima, indiuiduum, inane, & quæ
corpore carent. Ariſtoteles & Plato materiam corpore-
am, informem, ſpecie, figura, qualitate uacuam quantum
in ſuaipſius natura ſitum eſt, formarum tamen ſuſceptri-
cem, ut nutricis matrisq; in ſigillis uicem impleat. Cæte-
rum qui aquam dicunt aut terram, aut ignem materiam,
iam non informem illam dicunt, ſed corpus. Qui autem
impartilia, & indiuidua, informem.

De Ideis. X.

IDea, id eſt ſpecies, ſubſtantia eſt uacua corporis, ipſa
quidem ex ſe non ſubſiſtens, materias uerò informes
effigians, cauſa'que earum demonſtratrix. Socrates &
Plato Ideas ſeiunctas à materia ſubſtantias exiſtimant,
in ſenſis uiſis'que Dei, id eſt mentis ſubſtantes. Ariſto-
teles ſpecies quidem & Ideas reliquit, ſed neutiquam
à materia diſiunctas. Stoici, qui à Zenone originem
ducunt, notiones in animis noſtris anticipatas, Ideas eſſe
dixerunt.

De Cauſis. XI.

CAuſa eſt ex qua effectus, uel propter quam cõtingit quid. Plato trifariam cauſam poſuit. Eſt enim, ut ipſe inquit, à qua, ex qua, ad quam. Præcipuam autem putat eam, ex qua. Hæc autẽ eſt rerum efficiens, quæ eadẽ mens. Pythagoras, Ariſtoteles primas quidem cauſas corpore uacantes, quæ autẽ participatu ex accidẽtiq; cauſæ ſunt, corporeæ eſſe ſubſtantiæ, ut ſit mundus corpus. Stoici cauſas omnes corporeas, utpote ſpiritus.

De Corporibus. XII.

COrpus eſt quod trifariam diuiſibile eſt, longitudine, latitudine, altitudine: uel concrementum pulſum ſenſiliter admittens duntaxat quantum è natura ſua eſt, uel quicquid locũ obtinet. Plato, quod nec graue natura, nec leue in ſuo quidẽ loco ſitum, in alieno autem ſtatutũ continuò nutum habet, ex nutuq; momentũ aut ad grauitatẽ aut ad leuitatem. Ariſtoteles terram rem prorſus grauiſſimam eſſe, ut leuiſſimam ignem. Aërem autem & aquã alter alibi. Stoici duo quidem ex quatuor elementis leuia, ignem & aërem, duo uerò grauia, aquam & terram. Leuia enim ſunt natura, nõ nutu à proprio ipſorum medio. Graue eſt autem quod in meditullium uergit, non graue meditullium. Epicurus incomprehenſa corpora, & prima quidã ſimplicia, quæ autẽ ex ijs cõcreta, omnia põdus habere. Indiuiduorũ autẽ partim ad lineam moueri, partim obliquare, nonnulla ſurſum uerſus pulſu concuſſuq; ferri.

De minimis corpuſculis. XIII.

EMpedocles ante quatuor elementa, fragmenta minutiſſima introduxit, tanquam elementorum elementa, ſimilaria, rotunda. Heraclitus ramenta quædam minima & impartilia.

De for

De formis. XIIII.

FOrma, ſuperficies & circunſcriptio lineamentumq; corporis. Pythagorici globoſa elementorum quatuor corpora autumant, ignem autem ſupremum turbinatum.

De Coloribus. XV.

COlor eſt corporis qualitas uiſibilis. Pythagorici colorem uocabant ſuperficiem corporis. Empedocles quod meatibus uiſus congrueret. Plato flammam ex corporibus prodeuntem, accommodatas uiſui particulas habentem. Zeno Stoicus colores, primas materiæ configurationes. Pythagorei genera colorum, album, nigrum, rubens, luteum. Differentias autem colorum, album & nigrum, rubens ac luteum. Has autem fieri mixtionibus quibuſdam elementorum, eaſdemq; in animantibus propter locorum cœlorumq; uarietates accipere.

De ſectione corporum. XVI.

QVi Thaletis Pythagoræq; ueſtigijs inſiſtiterunt, partibilia corpora in infinitum ſectilia dicũt. Alij indiuidua impartiliaq; huiuſcemodi eſſe negant, nec ad infinitum ſectionem procedere. Ariſtoteles potentia quidem in infinitum, actu autem nequaquam.

De mixtione & temperatura. XVII.

VEtuſtiſſimi elementorum mixturas alteratione fieri dicunt. Anaxagoras Democritusq; appoſitione. Empedocles ex minimis compagunculis elementa componit, quæ minutiſſima quædam ſunt & tanquam elementorum elementa. Plato tria quidem corpora (negat enim illa aut iuſta eſſe, aut propriè uocari elementa) ignem, aërem, aquam, inter ſe uertibilia. Terram autem in eorum nullum immutari.

De Inani. XVIII.

QVi à Thalete ad Platonem usque de philosophia scripsere, inane omnes nõ agnouerunt. Vnde Empedocles: Aut uacat aut uacuum est nihil omni prorsus in orbe. Leucippus, Demetrius, Metrodorus, Epicurus, individua quidem multitudine infinita, inane autem magnitudine infinitum. Stoici intra mundum uacui nihil esse, extra mundum uerò immensum. Aristoteles tantum esse uacui extra mundum ut respirare cœlum possit, utiq; quod sit igneum.

De Loco. XIX.

PLato locum definit, id quod formas assumere natum est, translatione quadam materiam dicens tanquam nutricem & susceptricem. Aristoteles extremum continentis cum contento committens.

De loculamento, seu conceptaculo. XX.

SToici & Epicurus differre inane, locum, loculamentum. Inane enim uacuitatem esse corporis. Locum autem quod obtinetur à corpore. Loculamentum uerò quod ex parte obtinetur, ut in uini uegete.

De tempore. XXI.

PYthagoras tempus sphæram extremi ambientis esse. Plato æui effigiem mobilem, uel mundanæ motionis intercapedinem. Eratosthenes solis iter.

De essentia temporis. XXII.

PLato essentiam temporis cœli motum. Stoicorum pleriq; motionem ipsam. Philosophi ferè ingenitum esse mundum. Plato genitum, quatenus ad deprehensionis nostræ captum pertinet.

De mo

De motu. XXIII.

PYthagoras, Plato motum differentiam esse quandam, aut alterationem in materia. Aristoteles mobilis perpetem actum. Democritus genus unum motionis agnoscit, quod in obliquum uergit. Epicurus motus genera duo, quod ad lineam, & quod per inflexum. Herophilus motionum unam quidem mente perceptibilem, alteram uerò sensu. Heraclitus quietem ac consistentiam ex uniuersis naturis tollebat, ut quæ mortuorum essent. Motum uerò dabat, æternum quidem æternis, interiturum autem interituris.

De ortu & interitu. XXIIII.

PArmenides, Melissus, Zeno, generationem corruptionemq; propterea sustulerunt, quòd uniuersum immobile arbitrarentur. Empedocles, Epicurus, omnesq; quotquot ex minutulorum congerie corporum construxere mundum, concretiones quidem & dissipationes introducunt, ortus autem & interitus non proprie. Non enim ex qualitate per alterationem, uerum ex quantitate per congeriem fieri. Pythagoras omnesq; quotquot passibilem materiam ponunt, creationes proprie internitionesq; fieri, quippe quæ alteratione elementorum conuersioneq; & solutione fiant.

De necessitate. XXV.

THales: Validissimum quiddã necessitas, quippe quæ naturæ prævaleat uniuersæ. Pythagoras mundum necessitate circundatum inquit. Parmenides ac Democritus omnia è necessitatis præscripto fieri. Hanc autem eandem atque fatum esse, iustitiam præterea & prouidentiam, & mundi architectricem.

De essen

De essentia necessitatis. XXVI.

PLato euentorum partim prouidentiæ adscribit, partim necessitati. Empedocles necessitatis essentiam causam principijs elementisq; utẽdis aptam. Democritus rerũ dissidentiam, internicionẽ, & materiæ pulsum. Plato tum materiam, tum agentis ad materiam habitum.

De fato. XXVII.

HEraclitus omnia ex fati præscripto euadere. Hãc autem eandem ac necessitatem esse. Plato fatum quidem admittit in humanis animis, degendaq; hominum uita, sed adhibet & causam à nobis proficiscentem. Stoicis cum Platone conuenit. Et necessitatem quidem fixam causam dicunt & uiolentam, fatum autem ratum stabilemq; causarum complexionem. In qua ipsa complexione adnexam eam quoque causam, quæ à nobis proficiscitur, ut sint quædam fata, quædam uerò resata.

De substantia fati. XXVIII.

HEraclitus substantiam fati mentem per uniuersæ essentiam naturæ pertinentem. Eam autem esse æthereum corpus, semen procreationis uniuersi. Plato sempiternam rationem, legemq; æternam uniuersalis naturæ. Chrysippus potentiam spiritalem, certa quadam ratione uniuersi constitutricem. Et rursus in definitionibus: Fatum est, inquit, mundi ratio, uel lex eorum quæ in mundo prouidentia constituuntur, aut ratio, ad quam rationem omnia quæ fiere facta sunt, quæq; sunt fiunt, fientq; quæ futura sunt. Stoici causarum seriem, hoc est ordinem, & ueluti ductum restis intransgressilem. Posidonius fatum secundum, Iouem tertium. Primum enim esse Iouem, secundum naturam, tertium fatum.

De for

De fortuna. XXIX.

PLato fortunam causam in propositis cõstitutisq; per accidentiam & consecutionem. Aristoteles causam per accidens in ijs quæ ex animi appetẽtia propter quid fiunt. Obscuram illam quidem & instabilem. Differre autem à fortuna spontaneum temerariumq; casum. Quod enim à fortuna, idem à temeritate quoq; fieri: hocq; gerendis in rebus esse. Quod autem temerarium spontinumq; sit, non continuò idem à fortuna fieri, idq; citra omnem rerum administrationem usuuenire. Porrò fortunam rationalium esse, suæ autem spontis casum, tum rationalium, tum rationis expertium animantium, tum inanimatorum corporum. Epicurus causam non sibi constantem personis, temporibus, modis. Anaxagoras & Stoici in deprehensam humano captui causam. Siquidem euentorũ quædam è necessitate, quædam è fato, quædam ex libero & constituto, quædam è fortuna, nonnulla è suæ spõtis casu.

De natura. XXX.

EMpedocles naturam quidem nihil esse, mixturam uerò elementorum & discriminationem. Sic enim scribit in primo naturali:

Dixero præterea, naturæ nullus in orbe
Est locus, & fictum lethi exitiabile nomen.
Sed modò miscери, rursus quoq; mixta retexi
Cuncta ferunt, homines sed apud natura uocatur.

Anaxagoras similiter naturam concretionem dissipationemq;, id est generationem & interitum.

PLV

PLVTARCHI CHAERONEI De Decretis naturalibus Philosophorumq; placitis, Liber II.

ABSOLVTA igitur principiorũ elementorumq; enarratione, necnõ eorũ quæ eiusdẽ cum eis ordinis sunt, flectendus protinus ad eã stylus quæ de effectis disserit. Ab eo autẽ quod omnium capacissimũ est, potissimũ auspicabimur.

De mundo. I.

PYthagoras primus uniuersorum cõplexionem, mundum uocauit, ob eam nimirum quæ in eo uisitur, elegantem rerum digestionem. Thales Thaletisq; studiosi mundum unum esse censuerunt. Democritus, Epicurus, eorumq; discipulus Metrodorus, innumerabiles in infinito mundos per omnem eius complexum in immensum expatiantem. Empedocles circinationem solis, circunscriptionem esse mundi, hocq; eius circunferens lineamentũ. Seleucus infinibilem mundum. Diogenes uniuersum infinibile, mundum uerò finitum. Stoici omne quicquid est ab uniuerso differre, omne enim esse infinitum cum inani, uniuersum autem absq; inani. Mundũ proinde unum, & idem non esse uniuersum ac mundum.

De forma mundi. II.

SToici globosum mundum, alij turbinatum, nonnulli ouatum. Epicurus posse quosdam globos esse mundos, posse etiam alios aliam sortiri formam.

Animans ne mundus. III.

CAeteri quidem omnes animantem mundum, & prouidentia administratum. Democritus uerò, Epicurus, & qui indiuidua eunq; inducunt & inane, nec animatum,

matum, nec prouidentia administratum, sed naturæ quadam rationis exorte. Aristoteles nec usquequaq; animantem esse, nec sensibilem, nec rationis compotem, nec intellectus. Deniq; ne prouidentia quidem regi. Cœlestia enim horum omnium participia esse, ut quæ à suis ipsa sphæris ambiantur animatis, & spirabilibus, terræ autem obuersantia nullius non eorum expertia, & si decentis participantia compositionis, duntaxat accidentariæ, non etiam primigeniæ.

An corruptionis immunis sit mundus. IIII.

PYthagoras & Stoici genitum à deo mundũ, & corruptioni obiectũ, suæ quidẽ naturæ respectu, utpote qui sensibilis sit propter corpulentiam, nec ideo tamẽ interiturũ: diuina enim eum cõtinente natura perennaturũ. Epicurus interiturum. Quippe genitum ut animal, ut stirpem. Xenophanes ingenitum, sempiternum, corruptionis immunem. Aristoteles sublunarem mundi partem patibilem, utpote in qua terræ proximantia marcescant.

Vnde alatur mundus. V.

ARistoteles: Si alitur, inquit, mundus, interibit quoq;. Atqui nulla prorsus indiget alimonia, sempiternus igitur. Plato ipsum sibi mundum ex tabescentibus alimoniam per alterationem suggerere. Philolaus bifariam corruptionem, tum ex cœlo ignis defluxu, tum ex aqua, luna ri uertigine ex aëre effusa. Horum enim suffimenta mundi esse alimoniam.

A quo elemẽto adoriatur fabricã mũdi deus. VI.

PHysici à terra mundi creationẽ deum rentur auspicatum, uidelicet tanquam à centro. Nam globi principium centrum. Pythagoras ab igne quintoq; elemento. Empedocles aërem primum discriminatũ, deinde ignem, post

post quẽ terrã, ex qua uersatili cœli impetu astricta aquã excaturijsse, ex hacq; rursus uaporatum aërem. Et factũ quidem cœlũ ex æthere, solem autẽ ex igne, terræ autem proxima ex alijs coagulata. Plato uisibilem mundum ad exemplum intellectilis mundi factum: uisilis autem mundi priorem quidẽ animam factam, posterius uerò corpulentum, huiusq; quod ex igne terraq; constat prius, deinde quod ex aëre & aqua. Pythagoras quinq; quũ sint solidæ figuræ quæ mathematicæ dicuntur, ex quadrantali terram factam, ex meta ignem: ex octaëdro, id est octonorum sessuũ corpore, aërem: ex icosaëdro uerò, id est uicenorũ, aquam: ex dodecaëdro uerò, id est duodenos in situs sessuli, uniuersi globum. Plato in omnibus his pythagorissat.

De mundi structura. VII.

Parmenides tanquam coronas inter se complexas, ex denso raroq; deinceps alterantes, inuicemq; ex lumine & caligine intersitis mixtas, eorum uerò supremum, ambitum muri instar solidum. Leucippus, Democritus, tunicam mundo membranamq; obducunt. Epicurus quorundam mundorum ambitum rarum, quorundam spissũ, eorumque quosdam cieri, quosdam immotos esse. Plato ignem primum cõfectum, deinde æthera, post quem aëra, ab hoc q; aquam, nouissimamq; omnium terram. *Horum uerò cœlestibus quidem orbicularem motionem tribuit: infra eos autem locatis, leuibus quidem sursum uersum, grauibus uerò deorsum. Empedocles nec usquequaq; manentia, nec stata elementorum loca, sed omnia uicissim alterius alterum capessere locum.

Desunt hic quædam.

Quam ob causam cernuus mundus. VIII.

Diogenes, Anaxagoras post mundi absolutum compagem, animaliaq; è terra educta, inclinatũ quodãmodo

modo suapte sponte mundum in austrinam sui partẽ, fortasse hoc agente prouidentia, ut partim habitabilis, partim inhabitabilis esset, pro rigore æstu uue eorumq; temperatione per has atq; illas mundi partes euariatibus. Empedocles aëre impetui solari cedente emotas ursas, sicq; aquilonares erectas esse partes, contraq; austrinas ijsse pessum, ex quo & uniuersum mundum.

De extrarijs mundi partibus, & nuncubi uacuum. IX.

Pythagorei extra mundum esse uacuum, quo & unde mundus respirat. Stoici quo in conflagratione uniuersi infinitum resoluetur. Posidonius nõ infinitum, sed quantum ad dissolutionem sat est. In primo de inani Aristoteles uacuum esse dixit. Plato nec extra mundum, nec intra, uacuum esse censuit.

Quæ mundi dextræ, quæ læuæ partes. X.

Pythagoras, Plato, Aristoteles dextera mundi orientales dixere partes, à quibus initium motus. Læua autem occiduas. Empedocles dexteras mundi partes solstitiales, sinistrasq; brumales.

De cœlo, & quæ eius substantia. XI.

Anaximenes circunferentiam cœli extimam, terream. Empedocles solidum esse cœlum, ex aëreq; constans, in crystalli duritiam ab igne compacto, igneam aëreamq; immensitatem in utroq; hemisphærio continens. Aristoteles ex quinto corpore, uel ex igne, uel ex caloris rigorisq; mixtura.

De cœli sectione, & in quot secetur circulos. XII.

Thales, Pythagoras, Pythagorei uniuersum globum quinq; in circulos distributũ esse, quas zonas, id est

cingula uocant. Appellatur autem eorum unus Arcticus, id est ursinus, & semper sublimis. Alius solstitialis. Alius æquidialis. Alius brumalis. Postremus antarcticus, id est ursino obuersus, idemq; abstrusus. At qui obliquus, signiferq; dictus est, tribus mediis subditus est, perq; eos transuersus attigue fertur. Hos autē omneis ab ursis & aquilone demetitur meridianus ad angulos iustos in oppositā è regione partem. Signiferi uerò obliquationem Pythagoras primus animaduertisse fertur, tametsi hoc inuentum Oenopides Chius ueluti proprium sibi ipse asserit.

Quæ siderum substantia, & quomodo composita sint. XIII.

THales glebulenta quidem, sed ignita sidera. Empedocles ignea, ex igne constantia, quem æther in se conceptum in prima elisit elemētorum discriminatione. Anaxagoras circundatum ætherem, igneum quidem suapte essentia esse, suæ autem impetu uertiginis saxa à terra raptantem, suo ipsum igne in stellas succendisse. Diogenes pumicosa sidera, mundiq; spiracula putat. Idemq; rursus inuisibiles lapides sæpenumero cœlo deciduos in terra restingui perhibet, haud secus atq; olim in Aegos flumen saxeam stellam igni simillimè dilapsam. Empedocles inerrantes stellas crystallo adnexas esse, errantes autem solutas. Plato maxima ex parte igneas, participantes uerò aliorū quoq; elementorum ad glutinis instar. Xenophanes ex nubibus ignitis concretas, extinctas autem interdiu, noctu carbonum modo recandescere. Exortusq; & occasus solis earum esse accensus restinctusq;. Heraclitus & Pythagorei unamquanque stellam mundū esse terram suam ambientem, aëremq; adeò & ætherem in infinito æthere. Huiusmodi decreta in Orphicis esse perhibētur.

tur. Singulos enim mūdos in singulas architectantur stellas. Epicurus nihil horū refellit, contingētibus adhærens.

De formis stellarum. XIIII.

SToici globosas stellas quemadmodū & mūdū, solē, & lunam. Cleanthes turbinales. Anaximenes clauorū in modum crystallaceo quodā suffixas. Sūt qui bracteas esse ignitas putent, tanquam picturamenta.

De ordine & situ stellarum. XV.

XEnocrates una eademq; in superficie stellas moueri putat. Cæteri Stoicorum uaria inter se humilitate & sublimitate. Democritus stratas, summas: de quibus erraticas, infraq; has solem, luciferū, lunam. Plato post hærentium situm, primum Phænonta, qui dicitur Saturni. Secundum Phaëthonta, qui Iouis. Tertium Pyroëntа, qui Martis. Quartū Luciferum, qui Veneris. Quintū Stilbōta, qui Mercurij. Solem deniq; sextum. Et septimam lunam. Mathematicorū quidam Platoni assentiuntur, quidā medium omnium solem. Anaximander, Metrodorus Chius, Crates, solem omnium supremum constitutum. Post quem lunam, infra hos errantes inerrantesq;.

De stellarum uectatione & motu. XVIII.

XEnophanes stellas quæ in nauigiorū summitatibus uisuntur, nubeculas esse ad motū nescio quē præterfluentes. Metrodorus emicantes ex oculis fulgetras quum pauidi perculsiq; cernunt.

De significatione siderum, siue (ut nonnulli) assignatione, & quomodo hyems & æstas fiant. XIX.

PLato significationes (ita uocant aëris insignes mutationes) æstiuasq; & hybernas sub stellarum ortus occasusq; fieri, solis, lunæ, reliquarumq; tum errantium,

tum hæretiũ. Anaximenes propter lunã nihil, sed propter solem modò. Eudoxus, Aratus propter cunctas cõmuniter stellas. Hoc enim in his uersibus inquit:

Nanq; hæc signa deus per cælũ splendida fixit
Sidera distinguens, totum prouidit in annum
Tempore quæq; suo rerum stellantia signa.

De substantia solis. XX.

ANaximander orbem esse dixit octo & uiginti partibus terra maiorem, absidem curriculi rotæ simulem habentem, cauam, ignis plenam. Huius quadam ex parte effulgere ignem, similiter atque per tibiæ foramen ad nos emissum, quem esse solem. Xenophanes ex igniculis solem coagmentatum ex humidis uaporibus collectis, aut nubem ustulantem. Stoici ignitum, quod intelligentiæ particeps ex mari existens & permulto igne compactum. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, globũ ferri candentem, aut saxum ignitum. Aristoteles globum ex quinto corpore coactum. Philolaus Pythagoreus solem uitri modo perlucentem, accipere ab igne cælesti splendorem, acceptumq; ad nos transmittere, & tanquam percolare, adeò cælestẽ ignem soli assimilem esse, ex quo prodire solem & simile quid speculi, tertiamq; inde à speculo lucem ad nos per reflexionem dissipari. Hanc enim nos solem uocare, quasi imaginis imaginem. Empedocles soles duos. Horum unum quidem ignem primarium, & (ut ita dicam) exemplarem, è regione semper reflexi simulachri sui constitutum. Hunc autem solem qui uisitur, repercussum simulacrum esse eius qui in altero est hemisphærio, ære ignito illo quidem pleno, ab orbiculata uerò illud terra in solẽ crystallinũ repercussum, unaq; cũ ignei illius motu raptũ, ad summã effulgentiam esse ignis terrã ambientis

bientis. Epicurus glebulentũ spissamentum, pumicosum, exesos intra meatus ignitum.

De magnitudine solis. XXI.

ANaximander solem quidem terræ æqualem, circulum uerò quo uectatur, & unde spiraculũ habet, septies & uicies terra maiorem. Anaxagoras multis partibus Peloponneso maiorem. Heraclitus latitudine pedali. Epicurus omnia prædicta probabilia esse dixit, aut etiam tantum esse quantulus apparet, maiusculum minusculum.

De forma solis. XXII.

ANaximenes dilatatilem ad modum lamæ solem. Heraclitus scaphæ modo leuiter pandum. Stoici cõglobatum, ut mundum, ut sidera. Epicurus prædicta omnia defendi posse.

De Solstitio & bruma. XXIII.

ANaximenes concretiore aëre, & magis magisq; retinente relidi sidera. Anaxagoras aquilonalis aëris obliquo, quem sol ipse protrudens spissiorem sensim obnixioremq; facit. Empedocles solem à sphærico uectabulo suo arceri reflectiq;, necnon à circulis solstitiali brumaliq;. Diogenes solem quum ad tropicos peruenerit, occursante æstui rigore extingui. Stoici solem subiecti sibi alimenti percurrere tractum, nec ultra progredi, esse autem oceanum terramue, cuius expiratibus pascitur. Plato, Pythagoras, Aristoteles propter obliquitatem signiferi hoc existimant fieri, per quem sol transuersus fertur, necnon tropicis latera solis utrinque cingentibus. Hæc autem omnia facilè in sphæra cernuntur.

De deliquio solis. XXIIII.

THales primus solem deficere dixit, luna eum ad perpendiculum subeunte, ut quæ terrosa natura sit: hoc

autem speculariter cerni subdito disco. Anaximander obstructo solaris in absside spiraculo. Heraclitus solem scaphæ simulem esse, quo inuerso defectiũ fieri, ut cauum sursum uersus euadat, conuexum uerò deorsum, ad conspectumq; nostrum uergat. Xenophanes solem extingui, iterumq; ad orientem alterum fieri. Hic etiamnum menstruam solis defectionẽ prodidit, atq; absolutam defectionem, ut noctis dies speciem præbeat. Sunt qui agglomeratas sub sole nubes nostrum fallentes conspectum, solis aspectum nobis adimere putent. Aristarchus solem hærentibus stellis annumerat, terram uerò circum solis orbem uersat: itaq; eius inclinationibus obumbrari solem uoluit. Xenophanes cõplureis esse soles lunasq; per alies atque alios terrarum tractus segmentaq; & zonas. Quodam igitur tempore incidere solem in aliquod terræ segmentum hominibus incultum, sicq; tanquam per inane errabundum deliquium pati solem. Idem solem in infinitum progredi dixit, uideri uerò orbiculariter ferri præ immensa capedine.

De substantia lunæ. XXV.

ANaximander circulum esse decem & nouem partibus terra maiorem, igne ueluti solis quoq; circulum plenum. Sic deficere lunam rotæ conuersionibus: similem enim esse uehiculari rotæ absidem cauam habenti. Hanc autem ignis plenam uno tantum spiraculo. Xenophanes nubem esse constipatam. Stoici temperamentum ex igne aëreq;. Plato bona ex parte igne constare. Anaxagoras, Democritus ignitum conglobamentum campestria in se colleis conualleisq; complectens. Heraclitus terram nebula obuolutam. Pythagoras quoque ignitum lunæ corpus.

De

De magnitudine lunæ. XXVI.

SToici maiorem terra arbitrantur, quemadmodum & solẽ. Parmenides soli æquam, à quo illuminari ipsam.

De forma lunæ. XXVII.

SToici conglobatam esse, sicuti & solem. Empedocles disci simulem. Heraclitus scaphæ, nõnulli cylindri. Cõfigurari autem eam in septem modos: quum enim æditur lunatam apparere, id est corniculantem, deinde diuiduam, inde cõuexam utrinq;, postea plenam. Ab hinc uerò cessim iam euntem deinceps utrinq; conuexam, diuiduam, lunatam fieri, postremoq; sub nouilunium intermestrem latere. Configurari autem hoc modo aiunt, obumbrante eam ubiq; terra, tum quadantenus, tum uerò usquequaq;, utiq; subeuntem è regione concauitatis terræ.

De illuminatione lunæ. XXVIII.

ANaximander peculiare ipsam lumen habere, etsi rariusculum. Antiphon proprio lunam fulgore splendere, uerum solis ingruentibus radijs obrutũ id hebescere. Quippe ita natura comparato languidum ignẽ à prævalido hebetari, quod æquè in alijs usuuenire stellis. Thales, quiq; ab eo denominati, lunã à sole illustrari autumãt. Heraclitus solem atq; lunã eodẽ modo affici, ambas enim stellas in scapham configuratas esse. Illustrari autem ipsas sorbendis spiraminibus humidis ut conspicuæ sint, solem quidem splendidius, ut qui in aëre liquidiore uectetur, at lunam turbidiore, ex quo & fusciorem esse.

De deliquio lunæ. XXIX.

ANaximenes absidis ore obturato fieri autumat. Beroſus restincta eius parte ad nos cõuersa. Heraclitus scaphæ conuexitate inuersa, Pythagoreorũ quidã luminis repercussum obstructumq; posuere. Illum ab hac nostra

terra, hunc ab antipodũ fieri. Recentiores flãmæ suffectu sensim inardescentes, quoad statis temporibus plenilunii absoluat, uicissimq; ad interluniũ usq; tabescẽtia, sub quo prorsus extingui. Plato, Aristoteles, Stoici, Mathematici consentiunt, menstruas occultationes cum sole coëuntem lunã eiusq; splendore obrutã præstrictamq; facere. Defectiones uerò in umbram terræ incurrente luna fieri, terræq; inter utrunq; sidus obiectu, aut luna potius obsepta.

Quam præbeat speciem luna, & cur terrea uideatur. XXX.

PYthagorei glebaceã propterea uideri lunã, quòd habitetur quomodo & hæc terra nostra. Sed & prægrandibus animantibus, & plãtis amœnioribus: esse enim decies & quinquies uiribus illas his præstantiores, nihil excrementitiũ emittentes. Diẽ præterea totidem partibus longiorem. Anaxagoras inæqualitatem coagmenti ex rigido glebulentoq; pro parte concreti: ignem enim & caliginem admixtã, indeq; lunam adulterinæ lucis stellam dictam. Stoici propterea non esse insolutile eius concremẽtum, quòd multiplici substantia constet.

De intercapedine lunæ quam à sole distat. XXXI.

EMpedocles lunam duplex quàm à terra à sole interuallum abesse. Mathematici undeuiginti partes à sole abesse lunam, quantum à terra ipsam. Eratosthenes lunam à terra abesse septingenta & octoginta stadiorum milia.

De anno uertente, & quantus uniuscuiusq; errantium magnus sit annus. XXXII.

ANnus est, Saturni quidem annorum ambitus uertentiũ triginta, Iouis autẽ duodecim, Martis duorũ, solis duodecim menses, totidem Mercurij & Veneris, pares enim eorũ cursus, Lunæ dies triginta. Hic enim perfectus mensis ab luna ad intermenstruam. Cæterum quidam annum octennium esse existimauerunt, nõnulli annos undeuicenos: sunt qui undesexagenos. Heraclitus ex duodeuicenis annorum millibus constare putat. Diogenes ex trecenis quinquagenisquinis supra Heracliti annum. Alij ex septenis milibus tricenis septuagenis septenis.

PLVTARCHI CHAERONEI
De Placitis Philosophorum naturalibus, Lib. III.

CIRCVNSCRIPTA in compendiũ in superioribus libris cœlestiũ explicatione, quorũ ipsorum & sequẽtium luna constitũ est, conuertar in hoc demũ tertio ad ea quæ Meteora, id est sublimia sublunariaue dicuntur. Ea autẽ sunt quæ à circulo lunæ ad sitũ usq; terræ pertinẽt, quam ipsam in sphæræ comprehensione centri uicem obtinere putant. Hinc autem exordiar.

De lacteo circulo. I.

CIrculus est nubeculaceus, in aëre quidẽ assiduè uisitatus, appellatur autem lacteus propter candicantiam. Pythagoreorum quidam stellæ esse efflagrantiam à sua sede deciduæ. Hanc autem quà peruolitauit tractũ circulariter perussisse, quo tempore aurigante Phaëthonte cœlum conflagrasse dicitur. Quidam solem iam inde ab initio illac iter fecisse. Sunt qui speculare esse uisum putent, sole fulgores in cœlum referiente. Quod & in arcu cœlesti & in nubibus contingit. Metrodorus solis transmeatu

meatu fieri, esse enim hunc solarem circulum. Parmenides spissi rariq; mixturam lacteū reddere colorē. Anaxagoras terræ umbram hac cœli parte consistere, quum sol terras subiens cœlum usquequaq; illustrare nō potest. Democritus stellarum collucentiam multarū, paruarum, contiguarumq; inter se collustrantium propter adstipationē. Aristoteles aridæ exhalationis flammigantiam permultæ & continuæ. Quo eodem modo crinitum ignem fieri, id est cometen. Hæc enim ambo sub æthera infraq; errātes fiūt. Posidonius ignis coagmentationem, sidere quidem rariorem, splendore uerò densiorem.

De crinitis & emicantibus, & trabibus, & aliis id genus. 1 1.

Pythagoreorum quidam crinitam dixerūt stellā esse ex earum numero quæ in cœlo comparent neutiquam assidue, sed quæ statis temporibus ambitu certo peracto exoriri denuo solent. Alij obtutus nostri repercussum ad solem, specularibus simillime speciebus. Anaxagoras Democritusq; duarum aut plurium stellarū coitum inuicem se illustrantium. Aristoteles ignitam siccæ exhalationis concretionem. Strato sideris lumen densa nube obtentum, quo modo & in sicibus fit. Heraclitus Ponticus prealtam nubem putat ab lumine supero illustratam. Hic causam affert pogoniæ, id est barbatæ, asteaq;, & trabis, & columnæ, & huiusmodi, quo modo sanè & omnes Peripatetici. Hæc enim propter nubis configurationes fieri. Epigenes spiritum terreni quid habentem sublimè ferri, imbiq; ignescere. Boēthus liquatum aërem huiusmodi speciem præbere. Diogenes crinitas stellas reuera esse. Anaxagoras micantes, quæ dicuntur ab æthere scintillarum instar delabi, ideoq; continuò extin

nuò extingui. Metrodorus solem uiolentius in nubes ingerentem scintillare. Xenophanes hoc genus omnia ignitarum glomeramenta nubium aut uibramenta esse.

De tonitribus, fulguribus, fulminibus, turbinibus, & uorticibus. 1 1 1.

Anaximander à flatu hæc fieri omnia. Quum enim obducta nube crassa uiolentius enixus, naturæ subtilitate atque leuitate erumpit, ruptura quidem sonitum, distractio uerò effulgentiam propter nigricantiam nubis efficit. Metrodorus: Quum in nubem spissitudine concretam adigitur flatus, fractura quidē fragorē efficit, hiatu uerò scissuraq; diffulget. Quòd si pernici impetu à sole feruorem rapuerit, fulmen intorquet: languidum uerò fulmen in turbinem uertit. Anaxagoras: Quum æstus in rigorem impegerit, id est ætherea pars in aërem, sonitu quidem tonitrum, nigricantis autem nubis colore fulgetram efficit. Porrò idem multitudine magnitudineq; luminis colligit fulmen, corpulentiore uerò igne conficit uorticem, ut nubilo turbinem. Stoici tonitru nubium collisionem, fulgur accensionem ex earum attritu, fulmē uegetiorem effulgentiam, ut turbinem languidiorem. Aristoteles ex arida etiamnum uaporatione hæc fieri, quæ ipsa cū in uuidā incidit, exitumq; eluctata est, attritu quidem atq; effractura tonitrui fragorem ædit, aridi autem calefactione fulgetram, turbines uerò ac uortices materiæ redundātia, quam uterq; secum arripit, feruidiorem quidem turbo, crassiorem uerò uortex.

De nubibus, pluuijs, niuibus, grādinibus. 1111.

Anaximander nubes quidem fieri crassescente quantamaxime aëre, uel potius eo coacto imbres exprimi, niuem autem quum aqua delapsando glaciatur, grandinem

nem uerò quum quid mãdo ſpiritui obducitur. Metrodorus aquoſo uaporis ſubductu concreſcere nubes. Epicurus ab expirationibus: conuolui autem grandinem ac pluuiam longo præcipitio compactibilem.

De arcu cœleſti. V.

AFfectionum quæ ſublimè fiunt, partim per ſubſtantiam fiunt, ut imber, ut grando, partim per ſpeciem nullam ſuam habentes ſubſtantiam, ut ecce tibi nauigantibus nobis continens cieri uidetur. Per huiuſmodi nimirum ſpeciem exiſtit arcus cœleſtis. Plato à Thaumante genus eum ducere mortales rei miraculo adductos finxiſſe, adludente uidelicet ad nominis originem fabula. Vnde Homerus: Purpuream, ueluti mortalibus explicat Irim. Quocirca fabulantur quidam taurino illam capite ſorbere flumina. At uerò quonam modo fiat quæritur. Videre igitur nos conſtat per lineas aut rectas, aut flexas, aut denique refractas: lineas inquam, incertas cogitatione perſpectiles, & corporis expertes. Ac per rectas quidem ea quæ in aëre ſunt uidemus, aut quæ poſt gemmas perlucẽteis, aut cornu perſpicuum, hæc enim ſubtiliſſima natura conſtant. Flecti autem lineas in aqua cernimus, flectitur enim uiſus propter aquæ materiam denſiorem, quæ cauſa eſt cur in mari flexos procul remos uideamus. Tertio modo refracta uidemus, cuiuſmodi ſpecularia ſunt. Huius generis cœleſtis arcus affectio. Siquidem animaduerteret oportet, uuidam exhalationem in nubem uerti, ſubindeq; in exiguas ſenſim ſtirias rotantes. Proinde in occiduales uergente ſole partes, neceſſe eſt arcum totum ex aduerſo ſoli uiſitari, quandoquidem uiſus ſtirijs offenſis refringitur, ex quo fit arcus. Sunt autem ſtillæ non figuræ forma, ſed coloris, eſtq; primus eius color rutilus, ſecundus puro

puriſſeus

puriſſeus ac purpureus, cœruleusq; tertius ac uiridis. Videamus igitur ne rutilus propterea ſit, quòd claritas ſolis ingruens, ſimulq; ſyncerus ſolis ſplendor refractus, rubẽtem efficiant puniceumq; colorem. Secũda pars eius turbidior propter ſtellas, ſplendoreq; dilutior, propterea purpuriſſea, quòd hoc rubentis remiſſio ſit. Turbidus item ille irroranſq; color in uiridem tandem deſinit. Hoc re ipſa ſic probare licet. Si quis enim ſoli aduerſus aquam ore ſumat, & ita inſputet, ut ſtiricidia repercuſſum in ſolem habeant, acutum comperit cœleſtis arcus imaginem factam, hocq; lippientibus contingere ſolet, cum in lucernam intuentur. Anaximenes arcum fieri autumat radios ſole ſuos in nubem eiaculante denſam, craſſam, atramq;, cogi enim eos ſuper eam nubem quam penitus dirimere non ualeant. Anaxagoras ſolis irradiationem denſa nube repercuti, ex quo exiſtere arcum, nunquam non aduerſum illũ ſideri ſpeculariter ipſum afformanti. Itidemq; cauſatur idẽ in geminatis ſolibus qui circa Pontũ exiſtere ſolent. Metrodorus: Cum trans nubem ſol perſplẽduerit, nubem quidem cœruleam reddit, ſplẽdorem uerò rutilat.

De uirgulis. VI.

AFfectiones quæ in uirgulis & geminis ſolibus exiſtunt, partim per ſubſtantiam, partim per ſpeciem fiunt. Quippe quum nubes quidẽ cernantur, colore uerò non proprio, ſed alieno, cuius ſpeciem præferunt. In his autem omnibus quæ per naturã affectiones exiſtũt, quæq; per acceßionem, iuxtà contingunt.

De uentis. VII.

ANaximander, uentum aërem fluidũ, ſubtiliſſimis eius humidiſq; partibus à ſole ciatis aut illiquefactis. Stoici omnẽ flatum aërem eſſe fluxum, pro locorũ autem

uarietate

uaricitate appellationes inde ædi. Veluti à caligine & occasu Zephyrus, id est Fauonius dicitur, ab exortu & sole Subsolanus. At qui à septentrionibus flat, Aquilo, & qui ab humentibus locis, Aphricus. Metrodorus humido expiramento à sole efferuefacto flatus impetum cieri. Stato s uerò anniuersariosq; aquilones crassescente ad septentriones aere existere, cum sole nimirum collapsanti iam à solstitio retrogrado.

De hyeme & æstate. VIII.

EMpedocles & Stoici hyemẽ quidẽ fieri aëre præualente, suaq; densitate sursum uersus enitente, contrà æstatem igne aërem deorsum protrudente. Circunscriptis à nobis superis, terrestria quoq; mente peragranda.

De terra, & quæ eius essentia, quãtaq;. IX.

THales & qui eum secuti sunt, unam esse terram, Oecetes Pythagoreus duas, hanc & antipodum, quam Antichthona uocant. Stoici hanc unã finitam. Xenophanes inferna ex parte in infinibilem altitudinem radices egisse, igne autẽ & aëre concretã. Metrodorus terrã sedimentum fecemq; aquæ, solem uerò aëris.

De figura terræ. X.

THales, & Stoici, eorumq; studiosi globosam terram. Anaximander columarem. Anaximenes mẽsæ similẽ. Leucippus tympani. Democritus latitudine disco assimilem, in medio autem cauam.

De situ terræ. XI.

THaletis æmuli terram mediam. Xenophanes primã in infinitum fibratam. Philolaus Pythagoreus ignẽ medium, quippe uniuersi focum. Secundam antichthonem id est antipodum terram. Tertiam quam incolimus, cum antichthoni è regione sitã, tum circũ eam uersatilem: quæ causa

causa est, ut qui illam habitant, à nobis nõ uideantur. Parmenides primus habitabiles tractus præfiniuit citra duos circulos, solstitialem brumalemq;.

De inclinatione terræ. XII.

LEucippus procubuisse terram meridiem uersus propter illarum partium solutilem raritudinem, nimirũ aquilonaribus partibus quòd frigoribus obriguerint cõgelatis, austrinis contrà æstu fatiscẽtibus. Democritus meridianam uniuersi partem infirmiorem esse, ex quo augescentem terram illa parte cernuam procidisse. Aquilonares enim partes intemperie, austrinas contrà tẽperie prædictas. Idcirco non ab re terrã illa degrauatam parte, qua & frugibus exuberat & auctu.

De motione terræ. XIII.

CAeteri terram manere. Philolaus uerò Pythagoreus circum ignem uerti obliquo in circulo similiter soli & lunæ. Heraclides Ponticus, Ecphantus Pythagoreus cient quidem terram, uerum haudquaquam promouenter, rotæ uerò instar cardine suo nixam, ab occasu ad exortum circa eum uolui. Democritus iam inde à principio multiuagam fuisse, tum quòd parua, tum quòd leuis esset, procedẽte uerò tempore addensatam, sua præ mole librata consistisse.

De dimensione terræ, quotq; eius circuli. XIIII.

PYthagoras terram proportione extremi ambientis in quinq; zonas distribuens, Septentrionalem, Solstitialem, Hyemalem, Aequinoctialem, Australem. Media qua dimetitur terram, propter hoc torrida dicta. Hæc autem tanquam habitaculum est quæ æstiuæ hybernæq; media est, inter utranq; temperata.

De terræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

De terræ motibus. XV.

THales ac Democritus terræ motuũ causam aquæ assignant. Stoici uerò hoc modo dicunt: Terræ motus humor est in terra in aërem dissipatus & erumpẽs. Anaximenes ariditatem raritudinemq; terræ in causa esse terræ motuum, quarum illam generare æstus, hanc uerò imbres continuos. Anaxagoras aëra terram subeuntẽ, rursusq; callosam eius superficiem offensantem, nec erumpere ualentẽ, tremule qua arcetur quatere. Aristotcles propter frigoris circunobsistentiam superne ipsam inferneq; ambientis. Calor enim utpote leuis sursum semper euadere gestit, ex quo arida euaporatio discluſa & intercepta terræ rimas discuneare luctans, intuq; fluctuans, terram hunc in modum concutit. Metrodorus nullũ corpus accõmodato sibi loco moueri, nisi quis impulerit aut actu detraxerit. Quamobrẽ nec terram ut è natura sua positã moueri, quædam uerò eius loca migrare in alia. Parmenides, Democritus, terram tantundem undiq; cœlo distantẽ in æquilibrio manere, nullo ipsam momento quò magis huc atq; illuc uergat pellente, eapropter uibrare modò, non etiã moueri. Anaximenes terram propterea moueri, quòd eius latitudo inuectetur aëre. Sunt qui terram dicãt innare aquæ platani in modũ assamentorum'ue, quæ causa est ut moueatur. Plato motus omneis sex in modos tribui, sursum, deorsum, dextrorsum, læuorsum, ultro deniq; & citro. At nullo eorum terram moueri posse, quippe in infimo undiq; sitam. Ita hac de causa immotam manere, ut nulla prorsus in parte prægrauans quid habentem, quò magis illorsum propendeat. At uerò locos quosdam eius præ raritate quati. Epicurus non abhorrere à uero pulsari ipsam, & ueluti succussã motari subiecto illi aere crasso & uuido

& uuido. Consentaneum etiam esse rimulentis eius imis partibus subeunte flatu, in cuniculosasq; cauernas eius insinuante ipsam contremescere.

De mari, unde constet, & cur amarulentum. XVI.

ANaximander mare primariæ humiditatis reliquias esse, cuius ignem plusculam absiccasse partem, reliquam autem feruoris ui in alienum degenerasse saporem. Anaxagoras: Principio, inquit, humore stagnante solis circunflexu obusto, sicq; pingui euaporato, reliquum in salsuginem amarulentiamq; subsedit. Empedocles perustæ terræ sudorem elutis per summa terris amaruisse. Antiphon sudorem æstus ex quo residuus humor amarescãlus, effernescendoq; in salsilaginem incoctus est, ut in omni sudore accidere solet. Metrodorus mare per terras excolatum terrenam lentorem resipuisse, perinde atque solent quæ per cinerem diffunduntur. Platonici quantum elementaris aquæ rigoris ui ex aëre concretum est, dulce euasisse, quantum uerò à terra obustulata conflagranteq; suffitum est, salsum.

Quomodo reciprocationes maris & æstus fiant. XVII.

ARistoteles, Heraclitus, à sole ea fieri autumant, plerosq; enim illum flatus sua secum circunflectere uertigine, quibus ingruẽtibus Atlanticumq; mare protrudẽtibus, ipsum extumescere, æstumq; efficere, quibus tandem sopitis sese æstum colligentẽ cessim ire, idq; esse reciprocationẽ. Pytheas Massiliensis maris accessus lunæ incremento fieri, decremẽto autem recessus. Plato in elationem quandã causam confert, aquas enim cuiusdã specus hiatu sustolli & late effluere, subindeq; eodem refluere, ex quo

undabunda maria iactari. Timæus flumina causatur per Celtarum montes Atlanticum irrumpentia. Protrudendo enim impetu suo mari æstum ciere. Contraq; remisso mare retro denuo agere, æstumq; refluum facere. Seleucus mathematicus mouens ipse quoq; terram, circumactui motuiq; eius occursare lunæ uertiginẽ dicit, quo impetu colligente se inter hæc duo corpora flatu, & in Atlanticum irruente, probabili ratione conturbari mare.

De Area. XVIII.

ENinuero area hunc in modum cõficitur. Quum inter lunam aliud'ue sidus uisumq; nostrum crassus aër nebulosusq; interuenit, ab illo uisus noster confestim reflectitur, laxiusq; circũfunditur, quo deinde in sideris orbem incurrente duntaxat secundum circunferentiã, continuò circulus uidetur circa sidus existere. Huiusmodi autẽ uisitatus circulus area propterea dicitur, quoniam illic assidue est area: esse enim ibi huiusmodi simulachrum uidetur, quo nuper uisus crassior inciderat.

PLVTARCHI CHAERONENsis De placitis decretisq; Philosophorum naturalibus, Lib. IIII.

PErlustratis mundi partibus pergam iam inde ad ea quæ singulatim explicantur.

De Nili exuperantia. I.

THales Aquilones anniuersarios aduersos Aegypto flanteis, Nili exuperãtiam attollere, utiq; emissarijs eius turgefaciẽdo mari obstructis. Euthymenes Massilien sis oceano & exteriore mari suapte natura dulci Nilum expleri. Anaxagoras Aethiopiæ niuibus æstate quidẽ liquefactis

liquefactis, hyeme uerò uigentibus. Democritus ad septentrionem soluta diffusaq; sub solstitium niue, nubila ex uaporibus cogi: quibus a statis Aquilonibus in meridiẽ Aegyptũq; propulsis, citatissimos imbres fundi, quibus stagna redundent, ipseq; amnis Nilus. Herodotus illũ ex suis tantundẽ fontibus hyeme æstateq; inuehere, hyemeq; tamen minorẽ uideri. Cuius causam in sole esse, quippe qui illo tẽpore anni proxime Aegyptũ accedat, eiusq; fluenta sorbeat. Ephorus historiæ scriptor Aegyptum prodidit æstate totam laxari, & ueluti uim undarũ exudare: suggerere etiamnũ illi Arabiã & Libyen soluto earũ arenidoq; solo. Eudoxus Aegyptiorũ sacerdotes huius causam in pluuias referre aquas tradit, anniq; temporum circumobsistentiã, id est antiperistasim. Etenim quum nobis est æstas, qui sub solstitiali circulo agimus, tunc illis hyẽs est, qui sub brumali ad perpendiculũ incolũt: propterea Nili aqua alueos superans expatiatur per Aegyptum.

De anima. II.

THales primus animam cẽsuit naturam esse irrequietam, uel suapte ui citabilem. Pythagoras numerum, seipsum cientem. Numerum autem pro mente accipit. Plato substantiam intellectilem, per sese agitabilem, ad numerum se mouentem harmonice emodulatũ. Aristoteles entelechian primam corporis, naturalis potentia instrumenti uitam habentis. Entelechian autem, id est uerbum ex uerbo, perfectihabiam, pro efficiẽtia intelligere oportet. Dicæarchus elementorum quatuor harmoniã. Asclepiades medicus sensuum coëxercitamentum.

An corpus anima, & quæ eius essentia. III.

HI omnes prædicti corporis expertem animã ponunt, suapte ipsam natura citabilem dicẽtes, substantiamq;

intelligibilem, naturalis insuper instrumentarij actum perpetuum uitam habentis. Anaxagorei aëris esse instar dixerunt, corpusq; Stoici spiritum. Democritus ignitum quoddam ex naturis concretum mente perceptis, globosas ijs quidem ideas habentibus, igneam autem potentiam, idq; corpus esse. Epicurus temperamentum ex quatuor, ex quali igneo, ex quali aëreo, ex quali spirabili, ex quarto quodam innominato, quod ipsum sensile est. Heraclitus animã mundi expirationẽ corũ quæ in eo sunt humidorũ, animantiũ uerò animũ simul ab extraria expiratione, simul ab ea quæ intra eas fit congenitam esse.

De partibus animæ. IIII.

PYthagoras, Plato, summa quidem ratione animã bipertitam, hinc enim rationẽ, illinc stare irrationalitatem, accuratiore uerò & exquisitiore, tripertitã. Irrationalem enim partem in iracundam aiunt cupidamq; dimẽsilem. Stoici octo ex partibus constare dicunt animam, quinq; quidem sensibilibus, uisitatrice, auditrice, odoratrice, gustatrice, tactrice, sexta uerò locutrice, septima proseminatrice. Octaua denique principe ipsa, à qua ipsa prædictæ omnes per accommodata sibi instrumenta instruuntur, octonis polypi simillimæ brachijs. Democritus ac Epicurus bipertitam animam, & rationem quidem habentem, in pectore sitam, irrationabilitatem uerò sparsam per totius compaginem corporis. Democritus, Omnia, inquit, corpora cuiusdam modi animæ participantia sunt. Vel mortua enim, inquit, perspicimus ea coloris cuiusdam participia esse plusculo iam difflato.

Quid animæ principatus, & qua in parte. V.

PLato, Democritus in toto capite. Strato in superciliorum interstitio. Erasistratus circa membranam cerebri

rebri, quam epicranidem uocat, quasi dicas procaluium. Herophilus in uentriculo cerebri, qui idem basis eius est. Parmenides, Epicurus, in toto pectore. Stoici ad unum, toto in corde, uel in cordi obuersante spiritu. Diogenes in arteriaco cordis uentriculo, qui animalis, id est spirabilis est. Empedocles in sanguinis concretione. Sunt qui in ceruice cordis: non desunt qui in inuolucro cordis: nonnulli in præcordijs. Recentiorum quidam peruadere à capite ad præcordia. Pythagoras uniuersã uim circa cor, rationatiuam autem & intellectiuam circa caput esse.

De motu animæ. VI.

PLato nunquã non mouentem animã, mentẽ autẽ immotã duntaxat transgressibili motu. Aristoteles immobilem animam motione omni primigenia, accidentariæ uerò non exortem, quemadmodum species corporum.

De immortalitate animæ. VII.

PYthagoras, Plato animã mortalitatis immunẽ: exeuntem enim in animam uniuersi ad sui generis naturas subuolare. Stoici animã corpore exeuntẽ si inualidior sit, unà cum concrementis subsistere, cuiusmodi esse imperitorum animas: Sin strenua sit, quales sunt sapientum, ad flagrantes usque naturas euadere. Democritus, Epicurus mortalẽ, unaq; cum corpore emorientẽ. Pythagoras, Platoq;, rationis quidem compotẽ partem, non interituram: Animam enim tametsi Deus nõ sit, opus certè æterni Dei esse, rationis autem exortem partem interituram.

De sensibus sensibilibusq;. VIII.

SToici sensum hoc modo definiunt. Sensus est apprehensio sensorij uel comprehensio. Sensus autem multifariã dicitur, & habitus enim, et potẽtia, & actus imaginatioq; cõprehensiua per sensorium fiunt, ipseq; insuper

octauus principatus, à quo cætera omnia constituuntur. Rursus sensus dicuntur spiritus intelligẽtiæ compotes ab ipso principatu ad instrumẽtarias partes stationes agẽtes. Epicurus, Pars est, inquit, sensoria sensus, quæ eadem facultas est, sensumq; ipsum, quod est sensus effectum: ut bifariam ab eo sensus dicatur, sensus quidem facultas ipsa, sensibile autem effectum. Plato sensum existimat animæ & corporis cõmunionem ad externa spectãtem: uis enim est animæ, instrumentum uerò corporis, ambo autẽ apprehendentia sunt eorum quæ extrinsecus educuntur. Leucippus, Democritus, sensum & intelligentiam simulacris rerum fieri extrinsecus occurrentibus, nulliq; sensum contingere, cui non huiusmodi imago occurrerit.

Veri nec'ne sint sensus, & uisa, id est phantasiæ. IX.

STOici sensus quidem ueros, uisorum autem quædã uera, quædam uerò uana. Epicurus omnem sensum, omneq; uisum uerum: opinionum autem partim veras, partim uerò falsas. Enimuero sensus uno modo fallitur, quod est in mente explorabilibus: uisum uerò duobus. Sensilium enim simul uisum est & intellectilium. Empedocles & Heraclides singulos sensus propter accommodatos meatuum commensus fieri unoquoq; sensilium congruenter singulis hærente.

Quot sint sensus. X.

STOici speciales quinq; sensus, uisum, auditum, odorãtum, gustum, tactum. Aristoteles sextum quidem non ponit, uerum communem sensum, compositarum specierum existimatorem, ad quem sensus omnes simplices sua quisq; uisa referunt, in quo ipso transitus ab uno ad alterum ueluti figuræ aut motus spectatur. Democritus plures

plures obuersari sensus animãtibus rationis compotibus, dijsq;, & sapientibus.

Quonam modo fiat sensus & prænotio seu anticipatio, & rationis habitus. XI.

STOici cum homo natus est, inquiunt, principem habet animæ partem, uicem implentem membranæ scriptoriæ. Etenim in ea singulas notiones adnotat, & tanquam literis mandat. Primũ adnotandi genus est quod per sensus fit. Qui enim cuiusuis rei sensum apprehenderunt, uerbi gratia, candidi, abeunte confestim eo memoriam eius habent. Vbi autẽ eiusdem generis complures factæ sunt memoriæ, tum usum habere dicunt. Vsus enim & experimẽtum multitudo est eiusdem generis sensuum. At uerò notionum naturales quidem prædictis modis fiunt, citraq; ullum artis adminiculum, alteræ autem iam disciplina curaq; adhibitis. Cæterum hæ notiones modò uocantur, illæ uerò prænotiones quoq;. Proinde ratio, à qua rationales nuncupamur, ex prænotionibus consummari dicitur per primum septenarium. Porrò conceptus mentis uisum est cognitionis animalis rationabilis: nam uisum quũ animæ appellitur rationabili, tum demum sensum uocatur, à mente nomen Græcè denominatum. Proinde cæteris omnino animantibus huiusmodi uisa non accidunt, cuiusmodi certè dijs nobisq; adeò accidunt, illaq; uisa tantum sunt, non etiam sensa. Quæ uerò nobis accidunt, genere quidem uisa sunt, specie autem sensa. Perinde atq; stateres & denarij, ipsi quidem per se denarij & stateres sunt: quòd si in nauigij mercedẽ dentur, tum præterquã quòd denarij sunt, portoria etiam fiunt.

Quid interſit inter phantasiam, id est uisum, & phantaſton, id est uisi efficiens, phanta-

sticonq́, & phantasma, id est adulterinum & inane uisum. XII.

CHrysippus differre inter se quatuor hæc. Phantasia quidem igitur affectio est in anima facta, quæ sui quoque efficiens præfert: ueluti cum oculis perspicimus album, affectio est in anima per uisum facta, huicq́; affectioni dicere possumus subesse album quod ciet, perindeq́; erit si per tactum aut odoratum huiusmodi affectio fiat. Dicta est igitur Græcè phantasia à lumine: ut enim lumen & ea quæ collustrat demonstrat: ita phantasia ipsa se demonstrat, & sui quoque conficiens. Phantaston est phantasiæ efficiens, ut album, ut frigidum, & omnino quicquid animam citare potest, id est phantaston. Phantasticon inanis est attractus: affectus, inquam, in anima à nullo phantasto factus, ueluti accidit in umbratilem pugnam exercentibus, manuq́; inaniter intentantibus. Proinde uiso subiacet uisi quiddam conficiens, inani autem uiso non item. At phantasma est ad quod rapimur phantastico & inani attractu, cuiusmodi in mente captis furoreq́; percitis fiunt. Itaq; tragicus Oreste quum inquit, O mater supplex oro te, ne incute mihi sanguinarias coruscasq́; pupillas, ipsæ enim ipsæ propter assiliunt me. Dicit hæc quidem ille ut furibundus, nihil uerò uidet, etsi uidere uidetur. Propter quod ad illum Electra ita inquit: Sta miserande tuis immote in stragulis, cernis horum nihil quæ coram cernere reris. Quemadmodum & apud Homerum Theoclymenus uates.

De uisu, & quomodo uideamus. XIII.

DEmocritus, Epicurus per imaginum insertus uisuales arbitrantur potentiam accidere, radiosq́; quosdam ab oculis exertos simul atque subiectæ rei insiterint,

rint, rursusq́; in eosdem redire insertariq́;. Empedocles imaginibus radios immiscuit, idq́; coniunctum imaginis radios uocauit. Hipparchus autumat ab utroq́; oculo ad corporum lineamenta exporrectos, perinde atq́; manuum admotu corpora summa pertrectante, apprehensionē eorum ad uisualem uim referre. Plato per corradiantiam uisum fieri existimat, lumine ab oculis quidē exerto ad aliquantum interualli per cognatum sibi aërem effluente, à corporibus uerò illato occursante illi, aëremq́; intermedium diffusu emolituq́; facilem cum uisuali igne intendente: hæc enim dicitur corradiantia Platonica.

De speciebus in speculis æditis. XIIII.

EMpedocles per effluuia fieri censet in speculi superficie coëuntia, absolui autem ab igne ex speculo excreto, prætentumq́; speculo aërem in quem profluuia coguntur secum transferente. Democritus, Epicurus speculares species ædi per imaginum subsistētias à nobis proeuntium, super speculum uerò consertarum, relisuq́; circumactarum. Pythagorici per uisus refractionem. Ferri enim uisum ueluti in æs intentum. Simulac autem in spissitudinem eius ac tersitudinem adactus sit, redire ipsum in sese perinde ac si manus porrecta retro humerum uersus reuocetur. Possumus etiam his capitibus uti, ubi suprà de uidendi ratione quærebamus.

An uisibiles tenebræ. XV.

SToici uisibiles tenebras esse. Ex uisu enim splendoris quid illis obduci, ac ne interim quidem falli uisum, nam reuera uidet quòd tenebræ sunt. Porrò tenebræ cogunt aggregantq́; uisum, propterea q́; hebetant, contraq́; lumen disgregat ac deducit uisum nostrum ad res usq́; uisui obiectas per aërem intermediū, eapropter non

cernere nos in tenebris, uerum tenebras modò ipsas cernere. Chrysippus intermedij aeris cõtentione cernere nos existimat. Lancinari enim aërem à spiritu uisuali, qui ab animæ principatu ad usque pupillam pertingit, qui ipse quum in obiectum aëra incurrerit, intendit eum turbinaliter, si modò sui generis nactus aëra sit. Prodeunt autem ignei ex oculis radij haudquaquã atri caliginosi'ue, propter quod uisibiles tenebras esse.

De auditu. XVI.

EMpedocles auditum fieri spiritus allisu in clauiculatam aurium partem introrsus adnexam, quam tintinabuli uicem præbere dicit, utpote celso loco sitam pulsuiq; obuiam. Alcmæon audire nos inani intestinaq; aurium parte, hocq; esse quod spiritu irrumpente personet: omnia nanq; uacua sonitum ædere solere. Diogenes interno capitis aëre à uoce pulsato citatoq;. Plato Platonicq; feriri intestinũ capitis aërem, ad principatumq; repercuti, sicq; auditus sensum existere.

De odoratu. XVII.

ALcmæon principatum in cerebro esse: hoc igitur nos odorari, respirationibus ad sese odores euocanti. Empedocles cum pulmonum respirationibus odorem coinsertari. Quum igitur grauescit respiratio, propter asperitatem nos non sentire, ut in ijs uidere est, qui graueline infestantur.

De gustatu. XVIII.

ALcmæon humore teporeq;, atqueadeo mollitie linguæ internosci sapores. Diogenes propter fungositatem mollitiemq; linguæ, propterq; cõmissas illi corporis uenas perfundi sapores ad sensum elicitos animæq; principatum, non aliter atque à spongia exactos.

De uoce.

De uoce. XIX.

PLato uocem definit spiritum per os à mente ductum, aëremq; ictum per aures ac cerebrum, & sanguinem ad animam usque traiectum. Dicitur autẽ abusiue uox de brutis & inanimis, & est crepitus. Vox autem proprie dicitur articulata, quæ est ex eo Græcè phone dicta, quòd mente concepta illuminet. Epicurus uocem emissum esse à loquentibus profluuium sonantibusq; & strepentibus. Id autem profluuium in conformia fragmenta. Conformia uerò dici teretia teretibus, & scalena, id est imparium inter se laterum triangula, scalenis, & triangula sui generis figuris. His fragmentis in aureis incidentibus uocis sensum confici. Manifestè uerò hoc declarari in utribus effluentibus, fullonibusq; in uestes insputantibus. Democritus quoque aërem in corpora uniformia frangi, unaq; cum fragmentis uocis conuolui. Etenim monedulæ monedula assidet, ut est adagio uulgatum, atque solet similem simili Deus addere semper, ut in littoribus similes scrupi ijsdem in locis uisuntur, alibi globosi, teretes alibi, & in cribrãtium incerniculis uniformia coëunt in unum legumina, ita ut seorsum fabæ sint, & seorsum cicera. Posset autem his obijci: atenim quonam modo paucula spiritus fragmenta numerosum spectaculi consessum explere possunt? Enimuero Stoici negant aërem ex frustulis constare, continentemq; illum & perpetuum dicunt, nihil uacui prorsus habentem. Simulatq; autem spiritu pulsetur, undabundum ferri orbibus rectis in infinitum, quoad obiectum aërem impleuerit, haud secus atque in piscinam lapide misso, quanquam ipsa orbiculariter mouetur, aër uerò globose. Anaxagoras uocem ædi durius culum aërem offensante spiritu, à quo relisum illum ad aureis

perferri

perferri, quo eodem modo echo quoque fieri.

An incorporea uox, & quomodo fiat echo. XX.

PYthagoras, Plato, Aristoteles incorpoream echo: non enim aërem esse, sed figuram aëri hærentem, aërisq; superficiem certo quodam pulsu factam. At superficies omnis corporis expers est. Etenim tametsi cum corpore agitetur, nullo tamen prorsus corpore constat. Similiter atq; inflexa uirga superficies quidem nihil patitur, materia autem est quæ flectitur. Stoici uocem corpus esse sic colligunt. Omne agens, inquiunt, aut faciens, corpus. Atqui uox & facit et agit. Quippe quã audimus sentimusq; auribus appulsam, & in eis exprimentem ueluti annulũ in ceram. Adhæc omne oblectans aut cõturbans corpus est. At oblectat nos concentus, & conturbat discrepantia. Deniq; omne agitabile corpus est: uox autem agitatur, & in locos leues incidit, repercutiturq; pilæ in modum in parietem adactæ. Proinde in Aegypti pyramidibus unica uox fracta quaternos quinosq; adeò sonos ædit.

Vnde sensibilis anima, quidq; principatus eius. XXI.

SToici censent summam animæ partem principatũ esse, uisorumq; illum & assensuum, sensuum & appetitionum effectorem, quam ratiocinationem uocant. Ab hac autem animæ principe parte aliæ septem enatæ, et tanquã appendices ad corpus traducuntur cirrorũ polypodis instar. Harum septẽ animæ partium quinq; sunt sensoriæ, uisus, odoratus, auditus, gustus, tactus. Quarũ uisus spiritus est, à principali animæ parte ad oculos ptingẽs. Auditus, spiritus à principatu ad aures usq; pertingens. Odoratus spiritus pertingẽs à principatu ad narũ fauces. Gustus à princi

principatu ad usq; linguam pertingens. Tactus spiritus à principatu ad superficiem pertendens rerum tractui facilè sensili obnoxiarum. Reliquarum partium altera semen dicitur, quod ipsum etiamnum spiritus est à principe animæ parte peruadens ad genitaleis usq; meatus. Altera uerò uocalis à Zenone dicta, quam & uocem uocant, spiritus est principatu ad linguam & arteriam pertinens, aliasq; sibi accommodatas instrumentarias parteis. Ipse autem principatus in capite nostro constitutus est, tanquã in mundo, utpote conglobato.

De respiratione. XXII.

EMpedocles primam animantis respirationem fieri humore recens æditorum partuum abscedente, externo autem aëre in exhaustam inanitatem subeunte, atque ad hiantia uascula peruadente: deinde expirationem, insito iam feruore erumpendi impetu ingressum aëra extrorsus propellente: ab his inspirationem, aëre illo extrorsus redeunte, aditumq; uicissim extrario præbente. Qua ipsa obtinente quum sanguis per faciem suffusus, aërem affluentia sua per nares reliserit, sub ipsius excessu expirationem fieri. Quo rursus sanguine sua per uestigia redeunte, aëreq; in destitutos ab eo locos subeunte, inspirationem. Hoc autem Asclepiades clepsydræ docet exemplo, id est uasculi in imo pertusi oblonga in summo fistula. Et quidem pulmonem infundibuli, id est fistulæ instar constituit, respirationis autem causam intestinã pectoris subtilitatẽ autumat, ad quẽ extrarũ aëra effluere crassiore natura concretũ, uicissimq; retroagi, pectore nec eum admittere, nec eo carere ualente, residuaq; semper in pectore subtilioris aëris parte (nõ omnis enim excernitur) hanc iterum extrinsecus ab illo grauiore impetu.

impetu. Hæc autẽ Aſclepiades cucurbitulis medicinalibus ſimilia eſſe dicebat. Porrò reſpirationem liberam ſpontaneamq; contractis fieri aiebat tenuiſſimis pulmonum meatibus inteſtiniſq;, eorum coartatis fiſtulis. Hæc enim noſtræ eſſe ſpontis arbitrijq;. Herophilus potentias reliquit cicatriculas corporibus hærentes, in neruis, in arterijs, in muſculis. Pulmonem igitur exiſtimat diſtractionis contractioniſq; naturaliter appetentem, unde & alias pulmonis functiones eſſe, ut ſpiritus attractum extrinſecus. Quem quidem ipſum ſimul atque extrario aëre diſtentus non iam attrahere poteſt, eius aëris redundantiam in pectus reijcere, continuoq; per ſecundam pulmonis appetitionem hunc eundem ſpiritum pectus ad ſeſe traducere. Expleto deinde, nec iam ad ſe trahere ualenti pectore, demum in pulmonem redundantiam ſpiritus reſluere, inde foras excerni, ita corporis partes inter ſe afficere, reddendis ſubinde uicibus expletu exhauſtuq; facto. Proinde in pulmonibus quatuor omnino motiones eſſe. Primam, per quam aërem extrinſecus euocant. Secundam, per quam id aëris externi quod intra ſe conceperunt, ad pectus demigrat. Tertiam, per quam id quod ab illis pectus ſibi contraxerat, rurſus ad ſeſe recipiunt. Quartum denique, per quam à pectore receptum ſubinde foras regeſtant. Harumq; motionum duas diſtenſiones eſſe, unam intrinſecus, & alteram à pectore: duasq; item contractiones, unam qua ſpiritũ ad ſe pectus elicit, alteram quũ inſinuatũ ſpiritum in aëra egerũt ipſi. Pectoris uerò duas tantũ motiones eſſe, dilatationem quidem quum à pulmone ſpiritum euocat, contractionem uerò quum acceptum uicißim reddit.

De affectionibus corporis, & an condoleſcat nec ne illi anima. XXIII.

STOici affectiones quidem in locis eſſe affectis, ſenſus autem in animæ principe parte. Epicurus & affectiones & ſenſus in locis eſſe affectis. Principatum enim affectionis immunem eſſe. Strato & affectus animæ & ſenſus in principatu eſſe, non autem in locis affectis conſtitutos. Quippe quum in anima ſita ſit tolerãtia. Quod profecto in atrocibus aſperiſq; rebus deprehendi, nec non in uiris fortibus ignauiſq;.

PLVTARCHI CHAERONEI De placitis Philoſophorum Naturalibus, Liber V.

De diuinatione. I.

PLATO & Stoici diuinationem introducunt per inſtinctũ afflatumq; diuinũ, qui fanaticus furor eſt, ſtruorq; lymphaticus, per ſomniorum imaginamenta, Chaldæorumq; obſeruationes, & augurum diſciplinam. Hi autẽ pleraſq; diuinationis partes probant. Xenophanes & Epicurus diuinationem omnem ſuſtulerunt. Pythagoras immolatricem tantum improbat. Ariſtoteles & Dicæarchus per inſtinctum ſolum lymphaticum inducunt, perq; ſomnia, immortalem ipſi quidem animam neutiquã putantes, cuiuſdam uerò numinis participem.

Quomodo ſomnia fiant. II.

DEmocritus ſomnia fieri aduentitijs appulſisq; imaginibus. Strato mẽte in ſomnis ea natura quæ rationis expers eſt, quodammodo prævalentius ſentiente, propterea q; citra à cognitiua potẽtia. Herophilus ſomnia diuinitus

uinitus inspirata è necessitate esse, naturalia autē fieri anima cōmodarum sibi rerum effingēte simulacra, quæq; ab his futura sunt. Ex utroq; uerò genere temperata imaginum appulsu fieri, quum quæ expetimus uidemus, cuiusmodi ijs accidūt qui amicas in somnis attrectare uidētur.

Quænam genitalis seminis substantia sit. III.

ARistoteles semen esse inquit, quod cieri in sese potest ad tale quiddam conficiendum, quale id est ex quo ipsum concretum est. Pythagoras genituram probissimi sanguinis spumam, alimenti retrimentum, ut sanguinem quoq; & medullam. Alcmæon cerebri partem. Plato uertebralis medullæ defluuium. Epicurus conuulsum quiddam à corpore & anima. Democritus: Ex totis prodit genitura corporibus, præcipuisq; eorum partibus, ueluti carnosis fibris & ossibus.

An corpus genitura. IIII.

LEucippus & Zeno, corpus: esse enim animæ conuulsuram. Pythagoras, Plato, Aristoteles uim quidem genituræ incorpoream, ueluti mentem motricem, corpoream uerò materiam profluentem. Strato uim quoque seminis corpus, utpote spiritalem.

An fœminæ semen emittant. V.

PYthagoras, Democritus, Epicurus, fœminam quoque semen emittere: seminales enim meatus auersos habere: propter quod ab usu, inquiunt, coitus appetentiam habet. Aristoteles Platoq; materiam quidem uuidam emittere tanquam sudorem à colluctatione, sed haudquaquā seminalē. Hippo emittere quidem fœminas semen nō nunus mæribus, sed quod ad generationem non cōferat, ut quod citra uuluam excidat: unde nonnullas sæpenumero citra coitū ullum semen emittere, præsertim quæ uiduæ degāt. Sunt

Sunt qui à mare ossa, carnes uerò à fœmina esse contēdāt.

Quomodo conceptus fiant. VI.

ARistoteles conceptus fieri præducta proxima purgatione uulua, menstruisq; à totius corporis cōpage puri partem sanguinis euocantibus, sicut in genituræ quoque uirilis concreatione contingit. Conceptus autem non euadere aut propter mensium defectum, aut inflatilem uuluam, aut pauorem, aut ægritudinē, aut mulierum imbecillitatem, aut uirorum deniq; lassescentiam.

Quomodo mares gignantur aut fœminæ. VII.

EMpedocles mares aut fœminas pro caliditate frigiditateq; gigni, indeq; esse quod perhibent, primos olim mares ad exortum & meridiem terra enatos, fœminas uerò ad septentriones. Parmenides uicissim ad septentriones mares enatos, quippe qui spissitudinis plus haberent, contraq; ad meridiem fœminas, utpote solutiores. Hipponax prout cuibile ualidumq; fuerit semen, fluxum ue & languidum, mares aut fœminas gigni. Anaxagoras, Parmenides, quod à dextris corporis partibus migrarit, in dextras quoq; uuluæ partes manare: itemq; quod à sinistris, in sinistras quoque. Quòd si huiusmodi delapsus uicissim euaserit, fœminas gigni. Leucippus partium immutatione per quam mas colem, fœmina uuluam habet, hacq; tenus Leucippus. Democritus promiscuas partes ab utroque contigerit cunque, peculiaris uerò pro alterutrius prævalentia gigni. Hipponax, si quidem genitale semē prævaluerit, marē gigni: sin alimentū, fœminā.

Quomodo monstra fiant. VIII

EMpedocles monstra fieri per exuberantiam defectum ue seminis, aut propter agitationis turbulentiam, aut si in plusculas parteis secetur, aut si aberrauerit

Has ferè causas monstrorum cõmentus ille uidetur. Strato per additamentum ademptionem'ue aut transpositionem, aut inflationem. Medicorũ quidam propter distortum id temporis uuluam distendente spiritu.

Cur mulier frequentius ueneri indulgens non concipiat. IX.

Diocles medicus, aut quòd nonnullæ semen omnino non emittant, aut quòd minus quàm necesse est, aut quòd tale in quo potẽtia uiuifica non sit, aut propter caloris, uel frigoris inopiam, aut humiditatis siccitatis'ue, aut propter genitalium resolutionem. Stoici propter genitalis obliquitatem rectè emittere genituram non ualentis, aut propter genitalium incommensurabilitatem abstrusiore quàm pro modo eorum uulua. Erasistratus locorum uitio, si calloſi carnosíq; sint, aut rariores quàm pro natura sua, aut si minores.

Quomodo gemini trigeminíq; gignantur. X.

Empedocles geminos trigeminosq; gigni exuperante scissili'ue semine. Asclepiades propter seminum præstantiam, haud secus atq; hordeaceas spicas binis trinisq; granorum uersibus constantes, huiusce modi enim semina prolificentissima esse. Erasistratus propter superfœtationes, quo modo & in brutis animantibus. Vulua enim quæ probè expurgata est, ea demum superfœtationem capit. Stoici propter uuluæ loculamenta, quum in primum secundumq; incidit semen, tunc enim superfœtari, & gemenos trigeminosq; interdum gigni.

Vnde existant parentum similitudines & progenitorum. XI.

Empedocles similitudines fieri corporum semine inualescente, dissimilitudines uerò seminali calore in uaporem

porem euanido. Parmenides quum à dextra uuluæ parte fœtus æditur, patrem referre, quum uerò ab læua, matrem. Stoici à toto corpore, atq; ab anima semina prodire, unde & similaritates affingere figuras formasq; ijsdem ex generibus, haud secus atq; pictorem ijsdem ex pigmentis effigiem facientem eius quem imitari studet. Cæterum emittere mulierem etiamnum semen: quòd si euicerit mulieris semen, partum mulierem referre: sin uiri, uirum.

Quonam modo alienis similes nascantur, parentibus uero non item. XII.

Medicorũ pleriq; fortuitu & temere, prout refrixerit tum uiri, tum mulieris semẽ, parẽtibus nasci dissimiles pueros. Empedocles uiso sub conceptũ oblato informari infantem. Etenim mulieres simulachra sæpiuscule statuasq; in delitijs habuisse, simulesq; ijs partus enixas. Stoici concordia mentis & radiorũ atq; imaginũ sub defluuiorũ insinuationes, fieri parẽtũ prolisq; similitudines.

Quibus modis sterilescant tum mulieres, tum uiri. XIII.

Medici steriles fieri propter uuluam aut densiorem, aut rariorem, aut duriorem, aut si calla quædam obduxerit, aut carnosiór sit. Denique similiter languido animo sit, aut tabido corpore, aut mala habitudine. Postremo propter contortam uuluæ configurationem conuulsionem'ue. Diocles uiros sterilescere aut quoniam genituram nullam omnino emittant, aut quoniam minus quàm quanto opus est, aut quia minimè fœtificam, aut si lassescant genitalia, aut propter penis obliquitatem, si modò genituram recto tenore egerere nequeat. Deniq; si proportione penis uulua immodice reducta sit. Stoici cauſantur potentias qualitatesq; in utroque coëuntium in-

ter se abhorrentes, quas, si dissociari contigerit, suiq; generis aliis coniungi, tum deniq; mixturam è natura temperari: sicq; infantem absolui.

Cur steriles mulæ. XIIII.

ALcmæon mulini generis mares quidem steriles propter genituræ tenuitatem, id est semnis frigiditatem. Fœminas uerò propter uuluam non debiscentem, id est non se laxantem. Sic enim dixit ille. Empedocles propter uulùam breuem, pumilam, restrictam, uentriq; auersè coalitam. Neq; enim genituram rectà in eam illabi, nec si cuadat, illam excipere posse. Huic autē Diocles astipulatur: nam in dissectionibus, inquit, non rarissime huiusce modi mularum uuluas uidimus. Consentaneumq; est propter hoc genus causas mulieres etiamnum sterilescere.

An infans in utero animans sit. XV.

PLato infantem in utero animantem esse, moueri enim in utero uegetariq;. Stoici uentris esse partem, non animal: ut enim fructus qui partes sunt arborum, simul atq; maturuere defluūt, ita & partus. Empedocles fœtum in utero animal non esse, sed spirantem tamen. Enimuero primam animalis respirationem ædito statim partu existere, humore quidem partuam abscessum capiente, extrario uerò aëre ad exinanimentum subeunte, utpote introrsus hiantibus cōceptaculis. Diogenes nasci quidem infantes inanimos, sed in calore tamen, exquo effuso statim fœtu ingenitum calorem in pulmonem elici. Herophilus naturalem motum immaturo partui reliquit, non etiam animalem, id est spirabilem. Neruos autem in causa huiusmodi motus esse ait. Animantes autem tum denique esse, quum in lucem æditi aëris quid sumpserint.

Vnde alantur infantes in utero. XVI.

Demo

DEmocritus, infantem in locis ore alimentum sumere. Vnde statim æditū mordicus in mammam ferri, esse enim in locis fœmineis papillas quasdam intellectu perceptas, & osculà quibus alantur. Stoici per fecūdas & umbilicum alimentum sumere, ideircoq; obstetricantes confestim eum adnectere, osq; infantis diducere, ut alimenti genus aliud meditetur. Alcmæon per totum corpus ali: exugere enim eum spongiæ in modū alimenta uegetantia.

Quid primum absoluatur in utero. XVII.

SToici in plerisque membra simul omnia absolui putant. Aristoteles lumbos primum absolui carinæ nauis instar. Alcmæon caput, ut in quo principatus est. Medici cor, ut in quo uenarum arteriarumq; principium. Sunt qui maximam digitum pedis: non desunt qui umbilicum dicant.

Cur septimestres infantes natales. XVIII.

EMpedocles, quum primum genus hominum è terra enatum est, tantum longitudine temporis diem fuisse propter solis segnitiem, quanta nunc decē sit mensiū dies: procedente deinde tempore tantum fuisse quanta nunc septem mensium, propterea decimestres infantes, septimestresq; natales. Itaq; nimirū natura comparante uno partum adolescere die, qua prima poneretur nocte. Timæus non decem menses, sed nouem esse existimat. Verum quandoquidem & ante conceptus menstrua sisterentur, propterea decem existimatos. Sic quoq; septimestres uideri qui septimestres non sint. Quippe quum à conceptu quoq; uulua nonnūquam menstruis affluat: ignorari enim & post conceptum purgationum numerum. Polybus & Diocles empirici uel octauum mensem agnouere genitalem, etsi languidiorem quodāmodo, quoniam permulti ex

infirmitate perierint, ferè tamen octimestres non pauci in uiros euaserint. Aristoteles uerò Hippocratesq; putant, si uulua mensibus expleatur septẽ, tum deniq; erumpere infantes, uitalesq; nasci: quòd si erumpãt, nec tamen alantur umbilico languẽte (id quod accidere solet, si dolẽte uulua concrementum partus fiat) tunc infantem tabescere. Sin uerò nouem menses in utero manserit, tum demũ numeris omnibus suis cõsummatũ esse. Polybus centũ & octoginta duos dies dimidiatumq; natales efficere. Quod semestre tempus esse, quanto tempore sol ab uno solstitio ad alterũ peruenit. Septimestres uerò ideo dici, quandoquidẽ sexti mensis dies in septimo implent. Enimuero mathematici octo omnis genituræ menses dissociabiles esse aiunt, septẽ uerò fœderabiles. Dissociata autẽ disiunctaq; signa sunt, stellas quas œcodespotas, id est domicilij dominas uocant, maleficas nactæ sunt, nam siqua harum uitæ uiuendiq; instituti auspicatum sit, infortunatos non perennaturosq; portendit. Abiuncta autem signa nulloq; mutui conspectus commercio uincta, numero sunt octo, ueluti aries ad scorpionem abiunctus, & taurus ad sagittarũ, gemini ad capricornum, ad aquarium cancer, ad pisces leo, denique abiuncta uirgo ad arietem. Quare & septimestres uitales & decimestres esse, contrà octimestres enecari propter mundi dissidentiam.

De generatione animaliũ, quomodo genita animalia, & an interitui obnoxia. XIX.

SEcundum quos natiuus mundus, natiua etiamnũ animalia & corruptioni obiecta sunt. Epicurus, secundum quem ingenita, degenerantia ait, inter se nasci animalia, esse enim ea huius mũdi partes. Similiter atq; Anaxagoras & Euripides. Intercrit nihil eorum quæ nata sunt,

sunt, transilientia uerò aliud in aliud, figuras alias atque alias induunt. Anaximãder tradit prima in humore enata esse animalia, aculeatis ipsa obducta corticibus, processu deinde temporis exuctiora euasisse, ruptoq; tandẽ cortice ad breue tempus uixisse. Empedocles primas animalium procreationes omnibus suis partibus neutiquam absolutas fuisse, uerum incoalitis partibus dissolutas hiulcasq;. Secundas uerò coalescentibus partibus in simulacri speciem. Tertias autem enascentibus ex se inuicẽ partibus. Quartas non iam eiusdem modi ueluti ex terra & aqua, uerum ex sese uicißim genitis gignentibusq;, illa quidem ad stipata, hac in alimentum cedente, fœminarum uerò forma seminalis motus irritamentum ingenerante. Cæterum animalium omnium genera certis quibusdam temperamentis dirempta. Aquæ enim accommodatiora in aquam appetitu duci, quædam in aëra aspirare, prout ignis participantiora sunt. At grauiora terræ hæsisse. Quæ uerò æquabili ex omnibus temperamento sint, pectoribus elocuta.

Quot genera animantium, & an omnia sensu rationeq; prædita sint. XX.

ESt Aristotelis tractatus quidam, in quo animaliũ genera quadripartita esse dicit, terrestria, aquatilia, uolucria, cœlestia. Etenim cœlestiũ quoq; orbium animalia dici non secus atq; terræ. Animalia autem rationalia immortalia Democritus atq; Epicurus cœlestia existimant. Anaxagoras animalia omnia rationem habere duntaxat actiuam: nam passiuam rationem & tanquam mentem, quamq; mentis interpretẽ dicunt, neutiquam habere. Pythagoras, Plato, rationales animas esse, uel earum animãtium quæ irrationabiles uocentur, tametsi rationabiliter non agentes, cum propter distemperantiam corportum,

tum uerò quòd differẽdi facultate careant, ut in simijs cernere est, ut in canibus: blaterare enim has animantes, non loqui. Diogenes has etiã intelligentiæ aërisq; participes, uerum quòd earũ partim cõpactiliores sint, partim humore redundantes, nec animaduertere nec sentire, perinde autem atq; furentes affici, animæ principatu hallucinãte.

Quanto tandem tempore animalia in utero conformentur. XXI.

EMpedocles in humano genere fœtum membraturam à sexto & trigesimo die auspicari, absolucreq; undequinquagesimo. Asclepiades in maribus propter feruorem commissuras artuum à sexto & uigesimo die fieri, in multisq; etiam citra, suis autem partibus omnibus ad quinquagesimum consummari. In fœminis uerò intra bimestre incipere, ad quadrimestreq; confici propter caloris inopiã. In genere autem brutorum consummate pariter mẽbrari, propter elementorum contemperationes.

Ex quibus elementis constent singulæ generales corporis partes. XXII.

EMpedocles carnes procreatas ex quatuor internorum elementorum temperatione, neruos autem igne & terra duplici proportione mixtis, ungues uerò in animalibus gigni neruis obrigentibus quatenus aëri obiecti sunt. At uerò ossa ex aqua internaq; terra cõstare uideri, ex quatuor deniq; commixtis sudorem lacrymamq; composita, liquefacto utiq; sanguine extenuatuq; diffuso.

Quando & quomodo incipiat homo perfici. XXIII.

HEraclitus & Stoici homines cœptos esse perfici circiter secundum septenarium, sub quem sanè seminale iam serum prodit. Etenim arbores, inquiunt, perfici cœptæ

ptæ sunt quum semina gignere cœperunt, antehac uerò imperfectæ, immaturæ, atque adeo infructuosæ sunt. Proinde perfectus tum denique est homo. Aristoteles circiter septenarium secundum honesti prauiq; notionem existere, utique quum disciplinis initiantur. Sunt qui putent tertia hebdomade consumari hominem, ut quum uiribus suis utitur.

Vnde somnus fiat, aut mors. XXIIII.

ALcmæõ somnum fieri sanguinis receptu in uenarum confluuiũ putat, perfusu uerò expergiscẽtiam, collectu autem eiusdẽ absoluto, mortem. Empedocles somnum sanguinarij caloris refrigerationem esse: quæ quidem si modice tẽperata sit, sequi somnum, sin immodica sit mortem. Diogenes, si penitus sanguis diffusus uenas corporis implerit, intestinumq; earum aërem ad pectus subditumq; illi uentrem propulerit, tum denique somnum fieri, ex quo præcordia concalescere. Quòd si omnis funditus aër ex uenis eruperit, mortem existere. Plato & Stoici somnum fieri sensilis quidem spiritus remissione & tanquam laxatione, quemadmodum & super terram considente flatu, eodem uerò se recipiente ad superciliorum interstitium, id est animæ principatum. At uerò quum omnifaria fit spiritus sensilis remissio, tum demum consequi mortem.

Vtrius tandem somnus & mors, animæ an corporis. XXV.

ARistoteles communem somnum corporis & animæ autumat. Est enim eius functio humor à pectore ad capitalia loca suffitus, subiectoq; alimento cordis feruor refrigeratus. Mortem uerò esse absolutam refrigerationẽ, quam ipsam corporis solius esse, non etiam animæ, cuius neutiquam mors sit. Anaxagoras somnum corporalis functionis

ctionis esse, corporalẽ enim affectionẽ esse non animalem, esse autẽ uel animæ mortẽ, uidelicet direptionẽ. Empedocles mortẽ eorũ esse diremptũ, ex quibus concrementũ hominis constat. Quapropter communẽ esse mortem corporis & animæ. Somnum uerò ignis interni secretionẽ esse.

Quomodo augescant stirpes, & an sint animantes. XXVI.

PLato, Empedocles, stirpes quoq; animatos animantesq;. Manifesta uerò argumenta, quòd uibrent, quòd porrectos ramos habeant, quòd tractanti eos arboratori non sine uiolentia cedant, rursumq; laxati in pristinum usqueadeo habitũ crescendo se reuocent, ut etiam renitentia pondera euincant. Aristoteles animatos quidem, nec tamen animantes. Quippe quum animantes appetitrices sint, sensibilesq; ac rationabiles. Stoici Epicureiq; animatos negant. Siquidem animatorũ partim appetitrice anima esse, & concupitrice, partim uerò rationis compote, at stirpes temeritate quadam nasci, non animæ ui. Empedocles arbores primas animalium è terra extitisse antequam circũflexus solis expansus est, antè etiam quàm nox diesq; discriminata sunt, marisq; & fœminæ rationẽ obtinuisse propter temperamenti commoditatem, augeri autem a calore terræ interno ad hoc se distribuente. Proindè plantas terræ esse partes nõ secus ac infantes in utero uuluæ, fructus uerò in plantis ignis & aquæ excrementa esse. At uerò plãtas quæ humoris inopes sint, æstu exustas defrondescere, quæ uerò humoris plenæ, frondes non amittere, ut laurum, oleam, palmam. Succorum porrò differentias euarianteis causas efficere, particularumq; multitudines. Quas quidem differentias ab altricis similaritatibus referunt, uelati in uineis: nam generum differentiæ uini præstan

præstantiam nõ efficiunt, sed nutricij potius soli pabulũ.

De uegetatione & auctu. XXVII.

EMpedocles quidem animãtes alimenti substantia naturæ suæ accõmodari, augescere autem caloris accessu, minui uerò utriusq; defectu. Huius autem ætui homines præ illis primis hominibus instar obtinere infantium.

Vnde appetentiæ animalibus fiant & uoluptates. XXVIII.

EMpedocles appetentias fieri animalibus elementorum defectibus uniuscuiusq; conficientium, uoluptates uerò ex humido.

Quomodo fiat febris, & an adnatus consectariusq; sit affectus. XXIX.

ERasistratus febrem hunc in modum definit. Febris est cicamentum sanguinis in spiritalia illapsum conceptacula, idq; nulla nostra sponte. Vt enim mare cum flatu nullo cietur, conquiescit, uiolento uerò flatu præter naturam irruente, imtus conturbatur, nihilo secius in corpore quum cietur sanguis in spirituum cõceptacula irrumpit, inibiq; efferuescens concalefacit totum corpus. Placet autem illi febrem posterum & consequentem affectum esse. At uerò Dioeles hoc modo inquit: Conspectus introrsus latentium comparentia sanè sunt, & per summa erumpentia. Atqui id genus affectionibus adnasci febrem uidemus, & in uulneribus & pituitosis collectionibus & inguinarijs abscessibus. Herophilus nulla etiamnum præcedente causa nonnullos interdum febricitare.

De prospera aduersaq; ualetudine & senectute. XXX.

ALcmæon sanitatis conseruatricem potentiarum æquabilitatem, humoris, caloris, siccitatis, frigoris, amaritudi

amaritudinis, dulcedinis, & reliquarum. Contrà unius dominatum præpotentem ualetudinis effectorem: tabificum enim esse utrarumuis partium dominatũ impotentẽ, morborumq; omnium causam. Atq; illam quidem tum à qua, ut caloris exuperantiam aut frigoris, tum uerò ex qua, ut redundantiam & defectum, ut in nonnullis sanguinis inopiam aut etiam cerebri. Sanitatem autem esse modice accommodatum qualitatum temperamentum. Diocles morbos ferè fieri propter inæquabilitatem elementorum corporalium habituúmq; æris. Strato morbos propter alimẽti exuberantiam cruditatemq; & corruptionem fieri, contrà prosperam ualetudinem, rectam corporis constitutionem alimentiq; quod satis est esse. Stoici concorditer senium caloris inopia fieri censent, eos enim qui pluſculum calorem habeant, diutius uiuere. Aſclepiades Aethiopas celeriter senescere, atque adeo trigesimo anno, eorũ enim corpora supra modum calfactari, à sole utique deusta. Enimuero in Britannia centum & uiginti annis homines senescere, quandoquidẽ obrigefacta loca introrsus calorem arcent. Etenim Aethiopũ corpora ideo exuctiora esse, quòd à sole relaxata sint, aliter prorsus atq; ad aquilonẽ, ubi densa corpora sunt, propter quod & longæua.

REVẼ

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER, DE HIS QVI TARDE A NVMINE CORRIPIVNTVR.

Bilibaldo Pirckheymero, Patritio ac senatore Nurenbergensi, interprete.

ITALIA Cynie Epicurus quum dixisset, ac priusquam ullum tulisset responsum (quandoquidem iuxta porticus uersabamur extremitatẽ) oppido se nostro propripiens, è conspectu abijt. Nos uerò tanquam hominis admirati importunitatem, taciti inuicemq; defixi, aliquantisper constitimus. Inde rursus ad pristinam reuersi sumus deambulationẽ. Prior itaq; Patrocles: quin, inquit, si ita uidetur, quæstionẽ hanc discutiamus, sermonibusq; illatis, tanquã eo præsente, & nõ præsente, respõdeamus. Suscipiens uerò Timon: sed minimè, inſit, rectè se habet protectio, si iaculãs imminentẽ nescit euitare sagittã. Brasidas etenim, ut cernere licet, euulsa è corpore hasta, eadẽ ipsa iaculantẽ percutiens, sustulit. Nos uerò uerbis temerarijs ac mẽdacibus in nos emißis, repugnare operæpretiũ haud est: sat erit, si opinionẽ istam intactã explodamus. Quidnã igitur, inquam, maximè ex dictis suis uos commouit? Nam confusè multa, & ullo absq; ordine alterum alteri homo ille inculcãs, deblacterauit, ac tanquam ira & conuicijs præceps, in diuinam pariter inuectus est prouidentiam. Et Patrocles, quæ de uindictæ, ait, malorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum tarditate, numinisq; cunctatione protulit, mihi admodum molesta uidentur, nuncq; sermonibus illis, quantum ad hanc attinet opinionem, ferme infans, alienusq; sum redditus. Iampridem enim indignabar, quum Euripidem dicentem audirem: Cunctatur: Talis etenim numinis est natura. Siquidem nulla in re, minimè tamen in prauorum animaduersione, segnem deum esse decet, utpote qui in perpetrandis sceleribus minimè tardi, seu cunctatores existant, sed uehementi impetu, ab affectionibus ac passionibus, ad iniquitates ferantur. Nam iniuriarum repulsio, quum animi perturbationes (ut Thucydides inquit) admodum sunt propinquæ, confestim sceleratis delinquendi uiã obstruit, ac inhibet, ne lõgius malitia procedere ausit. Cui nil adeò opportunum accidere potest, ut iustæ animaduersionis suspensio. Spem etenim reddit imbecillam, ac iniuria affectos humiliat & deprimit, at contrà flagitiosis audaciam præstat, temeritatemq; adauget. Præsens uerò uindicta, & audacibus obuiam ire ausa, simul uentiram compescit iniuriam, pariterq; læsis maximum præbet solatium. Vnde mihi Biantis dictum recolenti, sæpius turbatur animus. Nam ad scelestum quendam dixisse fertur, se haud uereri, quin aliquando pœnas lueret, etsi ipse amplius superstes non esset. Quid enim Messenijs antea interfectis, Aristocratis profuit supplicium? Qui quum illos Cypriaco prodidisset bello, supraq; uiginti inde deliteuisset annos, hisq; omnibus, imperans Arcadibus, tandem deprehẽsus, delicti pœnas dedit. Neq; Orchomenij illi, qui ab Lyciſco proditi, patria, liberis, & amicis spoliati sunt, ullum tulere solamen. Non enim amplius supererant, quũ proditoris corpus, succedenti tempore, multis frangeretur ægritudinibus, adeoq; succenderetur, ut identidem pedes

pedes abluere, ac flumini immergere cogeretur, iuraretq; ac fateretur, hæc illi ob proditionẽ, & iniurias accidere. Athenis uerò scelestorum corporum proiectio, mortuorumq; effossio, ne iugulatorum quidem filiorum filijs cerni contigit. Quapropter ineptè mihi Euripides in sceleris dissuasionem, his usus esse uidetur:

Iniuria nos afficere nunc hi aduenium,
Ne metue, bile ferueant licet atra,
Mortalium nec cæterorum acta improba,
Tacita siquidem, tardante quoq; pede
Fortuna corripiet malos in tempore.

Haud enim uerbis alijs, sed illis ipsis flagitiosos ad perpetranda scelera se inuicem hortari, ac admonere par est, tanquam nequitia confestim fructum temporaneum ac certum, pœnam uerò tardã, multaq; priuatum fruitione producat. Quum hæc Patrocles disseruisset, suscipiẽs Olympiacus illi dixit: Verè, Patrocles, hæ numinis cũctationes atq; moræ, absurde se habent: Quandoquidem tarditas prouidẽtiæ fidem adimit. Et quia post singula delicta sceleratos ultio haud confestim corripit, sed longo pòst tempore aliquando plectuntur, infortuniumq; incidunt, calamitatem id, non uindictam appellantes, nullo afficiuntur commodo. Quamuis enim ob incidentes doleant aduersitates, propter flagitia tamen commissa haud pœnitẽt. Quemadmodum enim pœna, quæ protinus errorem, peccatumq; subsequitur, uerberibus flagrisq; homines coërcet, ad officiumq; reducit, tormenta uerò, terrores, ac stre pitus postea & temporis interuallo incidentes, alterius cuiusdã rei potius, quàm emendationis causa inferri uidẽtur, quandoquidẽ absq; instructione tristitiã afferre solẽt, ita malitia, ni ob singula delicta et facinora è uestigio ua

 pulet

pulet ac plectatur, inhibeaturq; ne ultrà progredi ausit; uix erga deum se humiliat, formidat, saniorem induit mentem, tanquam iustitia diuina, res, passionesq; humanas tempore debito haud curet. Secura uerò tardipedaq; illa iuxta Euripidē, ac tanquā fortuitò impijs incidēs uindicta, sponteq; potius quàm diuina euenies prouidētia, errorē immensum, cōfusionemq; intolerandā in se cōtinere uidetur: ita ut haud cernere ualeam, quid utilitatis inde posit euenire, si scelerati tarde in molares, ut aiunt, incidāt deorū: præcipuè quū flagitiorū hoc pacto supplicū obscuretur, sceleris uerò timor reddatur exilis. Hæc quū me coram abhis dicta essent: nūquid, Timō inqt, Colophonio, huic ratiōibus persuadeā, dubioq; isto liberē, an prius in his ipsū decertare sinā? Sed cur, respondi ego, aquā tertio inferre necesse est, sermonesq; inundare, si neq; prima dissoluere, ne dicā effugere, seu declinare poterit argumēta? Idcirco sub initiū, uelut à Lare inchoantes, quid de paterna Numinis ueneratione, in Academia philosophi, qui sibi aliquid de his dicere uisi sunt, sensere, summis delibemus labijs. Facilius etenim est, musicæ rudes de musica, seu inexpertos de re disserere militari, quàm nos, quū simus homines, diuina dæmoniaq; rectè considerare opera, tanquā artis expertes, artificis intelligētiā, opinione solū & mentis conceptu, temere fortuitoq; dijudicātes. Quemadmodū enim imperitus, medici considerationem, cur ægrum non pridem, sed postea inciderit, siue heri, non hodie lauerit, coniicere haud potest: ita & de deo firmū quid certum'ue asserere hominis est officium minimè, præter hoc solum, quòd ipse tempus optimè nouit, quo malitiæ medicinam adhiberi conueniat, ac tanquam pharmacum unicuique præbeat supplicium, quamuis non magnitudine, mensuráque æquali, seu tempore uno eodem'ue, in omnibus

Vtilitas nulla in tarditate ultiōis.

A lare incipere, prouerbiū.

pariter medeatur delictis. Quòd ferò animæ medicina, quæ ius ac iustitia appellatur, omnium aliarum sit artium maxima, inter multos alios Pindarus quoque testatur, qui optimum appellat artificem, gubernatorem & domunum rerum omnium deum, utpote uerè iustitiæ factorem & creatorem, cui soli definire conueniat, quando, quomodo, ac quousque scelestorum unusquisque plecti debeat. Huius artis Plato Minoēm quoq; ait, quamuis Iouis esset filius, fuisse discipulum, tanquam impossibile sit, quenquam in rebus iustis perfectè quid agere, seu rectè agentem discernere, qui artem hanc non antea didicerit, siue examussim calleat. Neque enim leges quas ferunt homines, absolute se rationabiliter habent, seu undique æquitati consonæ esse censentur, sed quædam ferme ridiculæ uidentur esse: ueluti Lacedæmone, protinus ut Ephori magistratum ineunt, ne quis barbam nutriat, legibusq; tanquam nil difficultatis habentibus, cuncti pareant, per præconem edicunt. Romani quoq; quos libertate donant, illorum corpora minuta conspergunt festuca. Quum uerò testamenta consignant, illos quidem hæredes instituunt, alijs uerò bona uendenda relinquunt. Non'ne hæc absurda esse censentur? Denique omnium ineptissima lex illa Solonis, quæ honore eum priuat, qui in seditione nulli adhæret parti, siue dissensioni se haud immiscere conatur ciuili. Multas præterea alias legum ineptias quis enumerare posset, quæ neque legislatoris sententiæ probè conueniant, seu quarum ratione, aut cur ita sint scriptæ, intelligere, quispiam ualeat. Quid igitur mirū, quum res humanæ ita caligent, si haud facilè nobis de deo loqui concedatur, qua ratione ductus, ex scelleratis hos serius, illos uerò citius plectat, et corripiat?

Hæc itaq; non tergiuersationis prætextu, sed potius ueniæ precatione dicta sint, ut sermo tanquã ad refugiũ & portũ respiciens, liberius ad dubij probationem euagari audeat. Primo itaq; cõsiderate, quòd ex Platonis sentẽtia, omnium bonorũ sese deus in mediũ cõstituit exemplar, ut humana uirtus, quũ illi admodum conformis esset, haberet quem imitaretur, totisq; sequeretur uiribus. Etenim rerũ omnium natura cõfusa quũ esset, hoc sortita est principiũ, ut similitudine, ac cognatione quadã diuinæ uirtutis & ideæ transformaretur, fieretq; mundus. Aspectu cuius uir ille naturã quoq; nostram attolli asserit, ut rerũ quæ sub cœlo feruntur admirandarũ contemplatione, anima decora & ordinata eligere & amare, discrepantia uerò & errantia declinare cõsuescat, fugiatq; temeritatẽ, ac fortuita quæq;, tanquam prauitatis uniuersiq; erroris originem. Nulla enim re magis deo frui cõcessum est homini, quàm si imitando ac sequendo illius bona & honesta opera, ad uirtutẽ usurpet. Quapropter si tardè & lentè illum flagitiosos corripere uidemus, non ideo accidit, quoniam ob præproperã animaduersionis celeritatem, erroris uel pœnitentiæ crimen uereatur, sed ut à nobis feritatẽ ac uindictæ impetũ auferat, doceatq; non ira accensos, aut quum furor æstuat & feruet, rationemq; altius saltando exuperat (ueluti quũ sitim aut famem exatiare conamur) inimicos, quiq; nos affecerunt iniuria, ulcisci, sed illius imitatos mansuetudinẽ atq; cunctationẽ, deliberare, ac hora consultrice nos uindicare, ne protinus impetũ sera & inutilis sequatur pœnitentia. Rapidæ enim quempiam incidere aquæ, eiusq; se committere gurgitibus, leuius (ut Socrates aiebat) est periculũ, quam in consanguinei, aut contribulis cuiusdã perturbati, ac furore & ira accensi, cadere

dere uindictam, antequã deferbuerit, animiq; resederit affectus. Nõ enim quũ passiones uindictæ proximæ, ut Thucydides dicebat, sed quũ admodum essent remotæ, honestũ ac rectũ discerni posse asserebat. Quemadmodũ enim ira (iuxta Melanthium) quũ mentem occupat, turpia indecoraq; perpetrat, ita ratio, quum furorẽ, animiq; ægritudinẽ penitus è pedibus sustulit, iusta & moderata peragit. Quare auditores quoq; humanioribus mansueti reddũtur exemplis, ut de Platone fertur, qui quum cõtra seruum baculum sustulisset, longo sic constitit tempore, irã, ut ipse aiebat, puniens, & coërcens. Et Archytas, quum ruri domesticorum ac seruorum negligentiã ac ignauiam deprehendisset, inde concitatiori, asperioriq; affectu erga illos se ferri intelligeret, nullo maiori eos affecit incõmodo, sed tantisper abiens: Valete, inquit, quoniã uobis irascor. Proinde si hominũ dicta memoratu digna factaq; iã relata, iræ asperitatem uehemẽtiamq; sedare ualent, longè æquius est, quum deum optimum ac maximum, qui neminem timet, nullius rei indiget, qui nulla pœnitentia duci potest, uindictam tamen suspendere cernamus, debitumque sceleribus expectare tempus, nos quoque illum imitari ac placidos reddi, mansuetudinemq; ac tolerantiam, diuinam uirtutis censere particulam. Quam deus ostendit, quum paucos puniendos corrigit, tardius uerò animaduertendo multos hortatur, iuuat ac admonet. Secundo hoc animaduertamus necesse est, humanã institiam leges habere, quæ scelera coërceant, & ob singula malefacta quid unumquẽq; pati deceat examussim ponderẽt, ulterius uerò progredi haud audent. Ideo publica custodiunt iudicia, ut criminibus resistere, maleq; facta è pedibus tollere ualeant. Deum uerò, quũ ægrotam animam

afflígere ſtatuit, longius introſpicere affectuſq; diſcernere decet, prudenterq; cõſiderare, num aliquãdo ad pœnitentiam flecti debeat, ſicq; tempus ad emẽdanda tribuere ſcelera. Vbi uerò ſynceri nil ineſſe deprehendit, malitiamq; perdurare immutabilẽ cognoſcit, protinus uindicare, & pro ſcelere ulciſci conuenit. Et quandoquidem optimè nouit, quam uirtutis partem animæ quum ab ipſo ad genituram ferũtur, ituræ ſint, quodq; generoſum illis tãquam fortius & non debilius inditum ſit, malitiam uerò præter naturã, cum ob nutrimenti corruptionẽ, tum malam germinare conuerſationem, nonnullosq; rectè curatum iri, congruentemq; recuperaturos habitũ, optimè tenet, non æqualiter in omnes animaduertit, ſed quod immedicabile eſſe cognoſcit, confeſtim reſcindit, ex uitaq; delet, tanquã alijs aſſidue cum malitia conuerſari, penitus ſit nociuum, ſubijpſi uerò deterrimum. Quos uerò ob honeſti ignorantiam potius, quàm uitiorum delectu temere peccare nouit, illis emendandi tempus tribuere ſolet. Qui ſi in flagitijs perſeuerant, tandem eos quoq; pro ſceleribus iuſtò ulciſcitur. Haud enim ueretur, ne quandoq; ſibi fuga conſulant. Conſiderate etenim quantæ in hominum uita & moribus acciderint mutationes, quotq; à ſceleribus & flagitijs, ad frugaliorem modeſtioremq; cõuerſi ſunt uitam. Vnde & conuerſio dicta eſt, quũ quis à uitijs ſe auertit, ſanioresq; induit mores. Proinde ambigue priſcos de Cecrope fabulatos arbitror, non ut aliqui aſſerunt, ex optimo rege crudelem & immitem factum eſſe tyrannum, ſed contrà, quũ ſub initiũ moroſus ac terribilis fuiſſet, poſtea perquam humanè ac placidè imperaſſe. Et ſi hoc incertũ, ſcimus tamẽ Gelonem & Hieronẽ Siculos, Piſiſtratumq; Hippocratis filiũ, quamuis per ſummum neſas tyrannide potiti eſſent, ad uirtutem uſurpaſſe. Quumq; illegitime

Conuerſio unde dicta.

ad principatus ſubrepſiſſent faſtigium, admodum tamen moderati ac populares euaſere principes. Quum enim ualidas ac optimas tuliſſent leges, terræq; curam gerere ciues docuiſſent, ex ridiculis atq; loquacibus prudentes, ex ignauis uerò admodum reddidere operoſos. Gelo inſuper quum bellicis in rebus egregiam nauaſſet operam, pugnaq; ingenti Carthaginẽſes ſuperaſſet, non antea pacem cum illis ſanciuit, & quidem rogatus, quàm diſertè fœderibus adſcriptum eſſet, Saturno filios debinc haud ſe immolaturos. Erat quoq; tyrannus in ciuitate magna Lydiades, qui quum tyrannidem permutare cõſtituiſſet, iniuſtitiamq; deteſtatus fuiſſet, ciuibus leges reſtituit, ac pro patria contra hoſtes dimicans generoſe cecidit. Miltiadem quoq; in Cherroneſo tyrannidem exercentem, ſi quis tum interfeciſſet, uel Cimonẽ ſtupri cõſuetudinẽ cum ſorore habẽtem, perſecutus ſuſtuliſſet, aut Themiſtocli ob ea quæ laſciuè ac petulanter in foro egerat, ciuitatẽ ademiſſet, quo pacto poſtea ab Alcibiade ſcribi potuiſſet?

At nondum clari Marathones & Eurymedontes
Deſunt, nec pulchrum nos deficit Arthemiſeum,
Cecropidum pubes ubi libertatis adepta eſt
Victrices crepidas.

Siquidem haud mediocriter magnæ aliquãdo exorbitant naturæ, ob ſubtilemq; ingeniorũ uehementiã efficaciamq; quieſcere non ualent, ſed in ſalo fluctuant, antequam ad ſtabiles ſedatosq; perueniãt mores. Quemadmodum igitur agriculturæ inexpertus, regionem quam denſis cernit obſitam uirgultis, plantisq; ſylueſtribus incultam, feris refertam, fluminibus ac fontibus uarijs irriguam, cœnoq; que plurimo quoquouerſum inuiã, floccipendit, rei uerò ruſticæ gnarus, hæc omnia fertilitatis indicia eſſe cognoſcit,

terræq; ubertatem hinc discernit: ita & absurda, praua, ac importuna, magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confestim, quandoquidē asperitatem ac stimulos haud ferre possumus, præcidi, penitusq; eradicari oportere arbitramur. At optimus ille iudex utile ac generosum ex his discernens, ætatē, horamq; rationis & uirtutis cooperatricem, qua natura fructū debitū & opportunum ferat ac reddat, benignè præstolatur & expectat. Et hæc ita se habent. Aegyptiacā uerò legem, quæ grauidā, donec pariat, in mortis carcere custodire iubet, non ne Græcorū quidā consultè uobis transcripsisse uidentur? Et sanè quidē, illi aiebant. Intuli itaq;: Si infans nondum æditus, sed adhuc latens in utero, potis est tempore, opus siue consilium absconditum in solis proferre lucem, ostendereq; que noxam istam salutis causa, seu aliqua necessitate cogente, perpetratam esse, non ne satius pœnæ erit suspensio, quam inconsulta acceleratāq; uindictæ? Mihi quidem ita uidetur: & uobis Patrocles? inquam. Rectè, ille ait. Considerate itaq;, si Dionysius sub tyrannidis initium pœnas dedisset, neminem Græcorum Siciliā habitare potuisse. A' Carthaginensibus enim cuncti extorres acti fuissent. Quemadmodum neq; Apolloniam seu Anactoriū, Leucadoriumue Cherronesum Græci incolerent, nisi Periander non confestim, sed longo pòst tempore pœnas luisset. Cassandri quoq; ultionem ideo suspensam arbitror, ut rursus Thebæ inhabitarentur. Mercenarij nanq; milites, qui cum illo templum spoliarunt, quorū plurimi cum Timoleonte in Siciliam transgressi sunt, quū Carthaginēses deuicissent, tyrannidesq; soluissent, mali malè postea perierūt. Quosdam enim numen negligit, ideoq; parcit, ut cum sceleratis flagitiosos plectere ualeat (quemadmodū Democenis per oraculū dæmonium respondit) inde uerò illos quoq;

Mali à malis corripiūtur.

conterit ac funditus tollit, ut opinione mea complurimis euenit tyrannis. Quemadmodum enim hyænæ fel, phocæq; coagulum, ac feræ aliæ quamplurimæ, quid salubre, ægritudinibusq; humanis utile in se continēt, ita quibusdam qui freno animaduersioneq; indigere uidentur, deus amaritudinem quādam tyranni inexorabilem, uel sæuam principis cuiusdam asperitatem immittit, nec prius ab afflictione ac perturbatione desistit, quàm ægritudinem omnem expulerit, penitusq; morbū purgauerit. Tale Acragantinis Phalaris, Romanis uerò Marius erat pharmacum. Sicyonijs quoque palam deus prædixit, flagellatoribus indigere ciuitatem, quum Teletiam puerum, qui in Pythijs coronandus erat, honore priuarunt, ac Cleonæorum quendam tanquam suum prætulerunt ciuem. At quum Orthagoras Sicyoniorum inuasisset tyrannidē, ac post illum qui cum Myrone & Clisthene rerum potiti sunt, eorum sedauerunt intemperantiam. Cleonæi uerò quum simili purgati medicamento haud essent, funditus corruerunt. Proinde Homerum dicentem audite:

Egregia est soboles scelerato nata parente.

Ecce quemadmodum ille qui nil decens aut clari unquam operatus est, optimum genuit filiū. Sisyphi quoq;, necnon Autolyci, & Phlegij genus, in gloria & uirtute magnorum floruerunt regum. Pericles quoq; Athenis in scelesta natus est domo. Et Romæ Pompeius Magnus Strabonis fuit filius, quem uita functum Po. Ro. ob inoffensum odiū pedibus conculcauit, insepultumq; proiecit. Nunquid igitur absurdum, si quemadmodum rusticus spinas haud extirpet priusquam asparagos collegerit, & Aphri sarmenta non comburant, antequam ab illis ledanum abstulerint, ita deus scelestam ac pernitiosam splendidi ac regij

Deus sæpe parcit malis, à quibus optimos orituros nouit.

generis stirpem haud antea euellat, quàm fructus debitum ex ea sit productus & generatus? Longè enim Phocensibus fuit utilius, innumeros Iphiti perire boues & equos, plusq; auri & argenti ex Delphis surripi, quàm Vlyssem & Aesculapium natos non fuisse, siue alios complures, qui ex flagitiosis ac sceleratis optimi magnæq; frugis euaserint uiri. Non ne igitur modo ac tempore conuenienti in sanoros animaduertere, longè existimandum melius esse, quàm inconsultè cõfestimq; supplicium sumeret ut de Calippo fertur. Qui quum sub amici prætextu Dionem interfecisset, eodem ense rursus ab illius percussus familiaribus occubuit. Micij quoq; Argiui, qui in seditione cæsus est, interfectorem æneo in foro deæ statua decidens oppressit. Nunquid præterea Parocles, quid Bessio, Pæoni, Aristonicq; Oethæo militum præfecto aliquando acciderit audiuisti? Minimè ait, sed admodum discere cupio. Ariston, inquam, Eriphyles mundum muliebrem ibi repertũ, concedentibus tyrannis rapuit, uxoriq; dono attulit. Cæterum filius eius quandam ob causam matri succensens, domum incendit, & cunctos qui in illa erant concremauit. Bessus uerò quum propriũ interfecisset patrem, multo delituit tempore. At quum aliquando ad hospites cœnatum pergeret, hirundinũ nidum hasta impellẽs deturbauit, pullosq; pedibus cõtriuit. Quumq;, ut par erat, astantes dixissent, qua causa homo impulsus rem tam nefandam perpetrare ausus es? Non ne, respondit, iandiu falsum aduersum me ferunt testimoniũ, clamantq; proprium me occidisse patrem? Præsentes uerò quũ admiratione ducti, uerba ad regẽ detulissent, resq; diligentius discussa esset, meritas Bessus pœnas dedit. Hæc ideo uobis retuli, ut planè causas intelligatis, ob quas flagitiosis aliquãdo uindictæ concedatur suspensio. Reliqua uerò ex Hesiodo nos audire existimetis. Ait enim uindictam nõ admodũ remotam esse iniustitiæ sectatricem, sed coætaneam, ac ex eadem regione stipiteq; pullulantem, inquiens:

Consilium malè, consultori pessima res est.
Qui struit insidias alij, sibi consuit ipsi.

Cantharis enim in seipsa remedium, ex contraria passione concretum, habere fertur. Malitia uerò cõiunctum, assiduèq; ipsam torquentem ac affligẽtem gestat dolorem, non posteaquam scelus perfecerit, sed tum maximè flagitiorum pœnam exoluit, quum iniuriam atrociter inferre uidetur. Quemadmodum enim facinorosus quisq;, ultimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex seipsa supplicium sibi struit ipsi, grauis quædam uitæ artifex, calamitates ingentes, cumq; turpitudine formidines innumeras, passionesq; molestissimas, pœnitentias, ac indesinentes in se continens perturbationes. Sed nõnulli nil à pueris distant, qui quum sceleratos in theatris nonnunquam amictu aureo circundatos, chlamyde'ue purpurea indutos, coronatos ac tripudiãtes conspiciunt, admirari, beatosq; existimare non desinunt, antequam eos stimulis agitari, flagris cædi, ignemq; ex florida illa uariaq; ueste emittere conspiciunt. Multi enim flagitiosorũ ingẽtibus sepulti ædibus, principatus splẽdidissimos, potentatusq; obtinẽtes immensos, utplurimũ quantum plectantur latet, donec iugulati, aut ab alto præcipitati, iacere cernantur. Quæ rectè quis nõ pœnã sed supplicij finem, pœnæq; consummationem appellare potest. Quemadmodum enim Herodicus Silymbrianus, quum phthisim morbum incidisset immedicabilem, exercitationem'que medicinæ primus, ut Plato ait, immiscuisset, sibipsi

Malitia sese affligit.

Mors malorũ non pœna, sed finis pœnæ.

sibijpsi cæterisq; laborantibus ægritudine simili, multò prolixiorem reddidit mortem: Ita scelerati qui præsentem censentur effugere pœnam, haud post multum temporis, sed multo in tempore, uindictam non quidem tardiorem, sed admodum prolixiorẽ sustinent ac extendũt, neq; senescentes solum corripiuntur, sed etiam cruciatu assiduo senescunt. Quantum ad nos autem, facinorosos longo dio tempore puniri ac torqueri. Apud deum etenim uniuersæ humanæ spatiũ uitæ, atqueadeo præsens momentũ, nihil est: quin anni triginta in illius conspectu ueluti crepusculum, ne dicam hora sunt matutina. Proinde flagitiosi tanquam carcere clauso ac cæco, nulla euadendi spe detenti, scelesta custodiuntur uita. Et quamuis interim conuiuentur, negocientur, donationibus & delectationibus oblectentur, optimasq; negligãt disciplinas, nil tamẽ à noxijs distant, qui in uinculis ad ultimum seruãtur supplicium. Nam & ij aliquãdo sune super capite pendẽte ludũt, cantillant, & ociantur. Quid enim prohibet opinari eos, qui ad mortem clausi detinẽtur, minimè affligi, donec capitali plectantur supplicio, nec eos qui uenenum hauserunt ac deambulant, expectantq; donec crura degrauentur, torqueri, priusquã uitalem spiritũ extingui, paulatimq; euanescere sentiant, si ultimũ supplicij tempus pœnam esse arbitremur, passiones uerò, timores, expectationes, & pœnitentias, quæ interim animum discruciant ac perturbant, quibusq; unusquisq; sceleratus obnoxius est, prætermittamus, ac nihili pendamus: ueluti si piscem qui hamum deglutiuit, haud esse captum dicamus, priusquam illum à coco exenteratum, siue assum conspiciamus. A' iustitia enim facinorosus quisque detinetur, scelerum'que dulcedine tanquam illecebris assidue inescatur: quum'que conscien-

conscientiam flagitijs onustam ac degrauatam sentit,

Vt thynnus rapidus percurrens æquora sæuit.

Violenta enim, effrenis, & temeraria illa scelerum audacia, ad facinora usque agilis, expedita, atq; uehemens existit. Inde uerò à passionibus animiq; perturbationibus, tanquam spiritu destituta, imbecillis, humilis, ac languens, timoribus superstitionibusq; succumbere deprehenditur. Vnde non ineptè, sed factis ac ueritati consonans, Stesichorus de Clytemnestra somnium finxisse uidetur, quam ita loquentem inducit.

Allabier uisus draco,
Summo capite depastus, ex
Quo apparuit rex Plisthenides.

Etenim somniorum terriculamenta, diurnaque spectra, necnon oracula, atque portenta, & quæcunque homines diuino accidere nutu opinantur, horrorem ac timorẽ his qui sceleribus obruti, sibiq; ipsis conscij sunt, incutere cõsueuerunt. Quemadmodum aiunt Apollodorum aliquando per somnium se à Scythis excoriari, in frustaq; concidi conspexisse, cor uerò ex lebete loquens, ac dicens: ego horum tibi causa sum. Et iterum filias igni flagrantes, totoq; corpore succensas, per gyrum ipsum circunsilire. Hipparchum item Pisistrati filium, paulò ante obitũ Venerem ex phiala quadam sanguinem sibi in faciem spargere, somniasse narrant. Ptolemæi uerò Ceraunni amici, ipsum à Seleuco in iudicium rapi uiderunt, uulturibus lupisq; iudicantibus, & causam cognoscentibus, carnesq; passim hostibus distribuentibus. Pausanias quoque Byzantij Cleonicen liberam stuprauit uirginẽ, quam quum noctu quandam ob causam emisisset, indeq; reuertentem terrore ac suspicione correptus peremisset, eam sæpius in somnis

Mali semper timent.

somnis assistentem ac dicentem uidit:

Adsis iudicio, mala res iniuria ualde est.

Quumq; phasma haud desisteret, sed assiduis illum terroribus perturbaret, ac molestaret, Heracleam ad animæ nauigauit expiationem, placationibusq; nonnullis ac inferijs puellæ animam euocauit. Quæ quum in conspectum uenisset, finem malorum futuram prædixit, ubi Lacedæmonem peruenisset. Quò quum ille applicuisset, confestim uita excessit. Quapropter si post obitū anima nil penitus esset, sed mors gratiarum ac pœnarum finis existeret cunctarum, indulgentius ac mollius Numen quis dicere posset cum sceleratis egisse, quos confestim ac non longo post tempore corripuisset, uitaq; functos celeriter ex multiplicibus absoluisset ærumnis. Etenim si quis nil aliud mali improbis in hac uita, præsentiq; tempore accidere affirmaret, quàm quòd scelerū cōscientia flagitiorumq; recordatione assidue torquentur, re admodum sterili, molesta, & ingrata, ac nil boni, seu studio digni, ex tot, tantisq; certaminibus referente, cognosceret profecto acerbissime ratione propria illorum affligi animam. Quemadmodum de Lysimacho referunt, qui siti coactus quum Getis corpus uiresq; tradidisset uniuersas, postquam biberat, iam factus mancipiū, dixisse fertur: Heu meæ improbitati, qui ob uoluptatem tantillam breuemq;, tanto excidi regno. Proinde necessitati naturaliū resistere affectionū admodū est difficile. Quum uerò homo auaritiæ ac pecuniarū, inuidiæue ciuilisq; existimationis ac potentiæ gratia, seu uenereas ob uoluptates iniusti quid egerit siue perpetrauerit, inde passionum furore, animoq; destitutus morbo, quū tēpore cernit turpes ucrendasq; improbitatis ac iniustitiæ remanere perturbationes, honesti uerò, utilis ac recti

Improbi suapte afflīguntur conscientia.

recti supereſſe nihil, non ne ſæpius cogitationes moleſtiſſimas, curasq; grauiſſimas illi incidere par eſt, quòd uana ſeductus gloria, ſeu uoluptatū captus dulcedine, rebus ſordidiſſimis, illiberalibus, ac ingratis, pulcherrima maximaq; inter homines bona, fas, iuſtitiā, pietatemq; peruerterit, uitamq; turpitudine, infamia, ac perturbationibus ſœdarit ac repleuerit? Quemadmodū enim Simonides ludēs aiebat, argēti ſe arcam ſemper inuenire plenā, gratiarum uerò uacuā: ita improbi, ſi rectè ſuā ſceleſtam perpenderint uitā, confeſtim ob uoluptates gratia uacuā, ſpeq; deſtitutā reperiūt, timore uerò, triſtitia, iniucūdaq; recordatione, ac in futurū ſuſpicione, perfidia uerò ad præſens, ſemper cumulatam inueniūt. Quemadmodum in theatris Ino loquens, ac de malè actis pœnitens introduci ſolet:

Charæ mulieres, quomodo primum incolui
Athamantis claram regiam, decentium agens nihil?

Hæc peſſimum quēq; in animo uerſare ac cogitare decet, quo pacto uitia repellat, flagitia memoria deleat, conſcientiam purget, ex ea facinora deturbet, ſe à cunctis uindicet criminibus, ita ut penitus aliam ab initio uitam agere incipiat. In quibus enim malitia præualet ac ſuperat, in his ſyncerum, à labeq; purum, firmū, ac ſtabile nil eſſe poteſt. Niſi, per Iouem, ſapientes quoſdam eſſe dicamus, qui iniuſtè agunt. Nam ubi diuitiarum uoluptatumq; cupidines inter ſe concertare inuenies, ſiue inuidiā cum inimicitijs ac malignitate ſibi ſedē conſtituiſſe deprehēdes, ibi ſi ſolertius conſideraueris, infelicitatē ſubeſſe ac latere inuenies, ſegnitiem laborū, mortis metū, uehementem perturbationū exceſſum, in gloria ob arrogantiā mollitiē, uituperātes timere, laudatores tanquā deceptiōe circūueniēntes uereri, maximeq; improbis aduerſari, ut eos qui boni eſſe cēſentur, prōptius laudare uideātur. Nā q, in flagitijs

obduratio, id in malo ferro est rubigo, quòd si durius te tigeris, illico frangitur. Quapropter quũ scelerati tempo ris successu, quemadmodũ habeant, exactius intelligũt, fre munt, dolent, indignantur, ac propriã execrantur uitam. (De his loquor malis, qui nõ penitus à seipsis exciderũt, omninóq; opinione errant, sed & depositũ reddunt, pro amicis intercedunt, patriæq; gloriã augẽtes magnificè il lam tuentur.) Hi, inquã, non cõfestim, sed tẽporis process ob flagitia pœnitent, cõmißisq; dolent. Quandoquidẽ & homines in theatris aliquando plaudunt, confestim tamen uana reuertente gloria ac auaritia, gemere non desinunt. At qui tyrannide abutuntur, hominesq; fraudulẽter cir cumueniũt, & è medio tollũt, quemadmodũ Apollodorus, amicosq; pecunijs spoliant, ut Glaucus, isti haud pœnitẽt, aut seipsos oderunt, nec aliqua ob malè acta afficiuntur mœstitia: sceleribus enim obruti, eò processerũt uesaniæ, ut facinora cuncta & quicquid improbi agunt, omni ca rere peccato cõtendant, ac quæcunq; lubẽt licere arbitrẽ tur. Ego proinde, si dicere fas est, flagitiosos, perditos, ac facinorosos homines, neq; aliquo siue deorum, seu hominũ indigere ultore arbitror, sed pernitiosam ipsorũ uitam o mni prauitate, impietate, ac scelere corruptã, refertam, & cõtaminatã, satis superq; ad seipsam plectẽdã ac torquẽ dã sufficere. Sed considerate, inquã, ne sermo lõgius quàm tempus exigat procedere uideatur. Et Timon: Satisfactũ est mihi, ait, de cũctatione, lentáq; Numinis tarditate. Nũc uerò tanquã in insidijs ultimũ collocaui dubiũ, quãdoqui dem in prioribus mediocriter decertauimus. Cæterũ quod Euripides conqueritur, ac Numini obijcit,

Pœna filiorum ob delicta parentum.

Crimina sæpe luunt nati scelerata parentum,

etiam nos tacentes reprehẽdere exilima. Si enim qui de liquerunt,

liquerunt, iam pœnas exoluerunt, haud decet eos qui nil iniusti egerunt, plecti. Quandoquidem nec illos qui facinora peregerunt, de una eademq; re bis supplicium subire, iustitiæ seu æquitati consonum esse cẽsetur. Proinde si len tè diuina procedit uindicta, pœnáq; quæ improbis debita, serò tandem innoxios affligit, haud probè iniquitatem tarditate cõpensat. Quẽadmodum ferũt Aesopum olim cũ auri pondere ingenti à Cræso missum huc peruenisse, ut deo magnificè sacrificaret, Delphicisq; singulis minas di stribueret quatuor. Cæterum quũ ob indignationẽ quan dam discordiæ ac rixæ inter ipsum & incolas interceßis sent, sacrificium quidem illũ peregisse, pecunias uerò Sardis remisisse narrãt, tanquam homines illi indigni existerent, qui aliquo afficerẽtur cõmodo. At illi quũ sacrilegij eum insimulassent, à petra quadam, quam Hyampeam appel lant, præcipitatũ interfecerunt. Exinde deum iratũ, terræ sterilitatẽ uariáq; morborum genera illis immisisse prædi cant, ita ut in cunctis Græciæ Panegyricis obambularẽt, ac per præcones, ob Aesopi mortem pœnas ab eis exigere uolentes, identidẽ uocarent. Ac tertia uix tandem genera tione Samũ quendam applicuisse Idmonẽ, minimè genere ad Aesopum attinentẽ, ab illis tamen qui olim Sami Aeso pum emerãt oriundum. Cui quũ Delphici pœnas quasdã exoluissent, uix eos tandẽ à malis quieuisse referũt. Exin de sacrilegorũ uindictam ab Hyampea in Naupliam esse translatam aiunt. Nec Alexandrum, & qui mire eum ad mirantur ac amant, ex quorum numero nos quoque su mus, laudare solent, quòd Branchidarum urbem funditus subuerterit, omnemq; ætatem penitus exciderit, quoniam ab eorum maioribus Mileti templum olim proditum fue rat. Agathocles quoq; Syracusanorũ tyrannus, cum risu

Aesopi mors

Corcyrenſes cauillatus eſt. Nam quã ob cauſam inſulam uaſtaret, quum quæſiuiſſent: quoniam per Iouem, reſpondit, patres uestri Vlyſſem ſuſceperunt. Quumq; pariter Ithacenſes conquererentur, eorũ pecora à militibus abigi: At ueſter, inquit, rex ad nos quum acceßiſſet, paſtorem excæcauit. Atqui non'ne longè his abſurdius Apollo? qui Pheneates, uniuerſamq; eorum regionem terræ hiatu abſorpſit, quoniã ante mille, ut aiunt, annos Hercules tripodem ſortilegum ſurreptum Pheneum detuliſſet. Sybaritis quoq; prædixit, tum eos à malis ſolutũ iri, quũ tertia cæde iram Leucadiæ placaſſent Iunonis. Nõ multum præterea temporis interceßit, ex quo Locri uirgines Triam mittere deſierũt, quæ ob Aiacis petulantiã, ſeruili indutæ habitu, nudis incedebãt pedibus, & ſi adultam attigiſſent ætatem, ueluti ſeruæ, quæ Athenis ſine corollis circum arã uerrunt. Quo pacto hæc rationis aut inſti quid in ſe continere poſſunt? quum minimè Thraces laudare ſoleamus, quòd in Orphei uindictam, ſuas hucuſq; pulſent uxores. Barbaros quoq;, qui Eridani ripas incolunt, irridere cõſueuimus, quoniã ob Phaëthontis, ut aiunt, luctum, nigris induantur ueſtibus. Siquidem longè magis, ut arbitror, ridiculum eſt, homines qui Phaëthontis uixerunt tempore, ipſius neglexiſſe calamitatem: qui uerò illo defuncto poſt quinque ſeu decem nati ſunt ætates, ueſtem permutaſſe, ipſumq; lugere cœpiſſe. Sed iſta ſolum fatuitatem quandã præ ſe ferre uidentur, moleſti autẽ ſeu nefandi nihil. Cæterum deorum iræ quo pacto confeſtim tanquam flumina nõnulla euaneſcunt, ac longè poſt ſuper alios emergẽtes, ad ultimas perducunt calamitates? Hucuſq; quũ me cõtinuiſſem, ueritus ne in maiores, longeq; intolerabiliores erumperet ineptias, continuò interrogare cœpi: Nũquid, inquiens,

inquiens, hæc omnia uera eſſe exiſtimas? At ille, ſi non omnia, ait, ſaltem aliqua abſq; dubio uera eſſe contendo. Atquè, dixi, ut uehementer febricitantibus tibi accidit, qui ſi uel una pluribus'ue tegantur ueſtibus, eundem tamen ac æqualem ſuſtinent calorem, cæterum ob refrigerij ſpem, ac ſolatium, indumentorum auferre oportet multitudinem. Atqui hæc, ſi placet, quandoquidẽ ut plurimum fabulis ac fictionibus ſimilia uidentur, prætermittamus. Vt autem confeſtim in ſoribus res pateat, claraq; reddatur, in memoriam ducatur honor, qui ijs haberi ſolet, quorum maiores hoſpitio deos ſuſceperunt, necnon pulchra ea pars, quæ Pindari ſucceſſoribus in Thebarum direptione delata eſt. Quis enim ea honoris præminentia, quæ tandiu inter Græcos coaluit ac inoleuit, meritò non delectetur? niſi cui iuxta eundem Pindarum, ſtigia flamma cor atrum fabricauit. Prætermitto nunc ſimile huic Spartæ præconium, quod poſt Leſbicum cantum, in memoriam, ac honorem Terpandri illius priſci, proclamari ſolet. Nam eadem ratione conſtare uidetur. Cæterum uos Phleciadæ appello, qui apud Bœotios longè alijs præferri dignum ducitis, quoniam præclaris oratos parentibus uos eſſe prædicatis, quiq; apud Phocenſes ob Daiphati genus gloriari ſoletis, mihi, inquam, præſentes auxilioq; ſitis, quum Lycormæ, Satileiq; patrium Heraclidarum inter ſe patiũtur honorem, Stephanophoriamq; inſtaurãtes decantant, admodũ decere ab Hercule prognatos, honores firmos ac gratos ſortiri. Quandoquidẽ quũ ipſe Græcos immẽſis affeciſſet beneficijs, haud dignũ præmũ retributionẽq; cõſecutus eſſet. Pulcherrimũ Hercle, ait, ac philoſophia admodũ dignũ certamẽ propoſuiſti. Omitte igitur, heus inquã, uehemẽs illud accuſatiõis

genus,nec ægrè feras,si aliquando plectantur qui sceleſtis improbisq; orti ſunt parentibus, aut honorata illa nobilitate,ac præminẽtia gloriari laudariq; deſine. Decet enim, ſi uirtutis aut nobilitatis honorẽ in genere noſtro retinere cupiamus, rationabiliter quoq; ob ſcelerũ ultionẽ permanentem haud indignari,ſed rectè hæc inuicem concurrere, ac æqualiter digneq; conuerti æſtimemus. Qui enim à Cimone prognatos egregiè Athenis honorari, à Lachare uerò ac Ariſtone oriundos deſpici,cum indignatione dolens cernit,hic admodũ uarius ac ſecors, imò potius cõtentioſus, Numinique moleſtus eſſe uidetur. Incuſat enim, quum uiri iniuſti ac ſcelerati filiorũ filios feliciter agere cernit,rurſusq; criminatur, ſi flagitioſorũ improborumq; ſtirpẽ coërceri ſeu funditus tolli cõſpicit,pariterq; Deum reprehendit & accuſat,ſiue iuſti, aut noxij patris filium affligit,ſeu incõmodo afficit. Et hæc tanquam obſtacula quædã tibi aduerſus admodũ infeſtos, acerboſq; accuſatores illos ſtatuo. Inde tanquã nexus reaſſumẽtes principiũ,ita circa diuinas affectos rationes, è tenebris ac irremeabilibus erroribus, cum intrepida pietate ad officium reducamus, illisq; perſuadeamus,nil Deum agere, quàm quòd fas admodumq; decens eſſe dignoſcatur, nos uerò neq; in his quæ quotidie gerere ſolemus,manifeſtã ueritatem oſtendere ſeu exprimere poſſe. Veluti,cur liberos coram qui phthiſi ſeu aqua intercuti interierunt,ſedere,pedesq; aquæ immergere iubemus,donec mortuus cremetur. Eo etenim pacto morbus trãsferri,ſeu ad illos tranſgredi minimè poſſe creditur. Ac rurſus, quam ob cauſam capela, ſi eringitẽ herbam in os ſumpſerit,totum attrahat gregem,donec paſtoris ſuperuentu depellatur. Sunt & quãplurima alia,quæ uires continent latentes,effectuſq; producunt

Eringites.

ducunt incredibiles,uelocitateq; aut tarditate ſtupendæ ab alijs ad alia tranſgrediuntur. Nos uerò interualla iuxta tempus,nõ loca admirari cõſueuimus. Vtrum enim magis ſtupendũ? An peſtis, quæ in Aethiopia exordiũ ſumpſit, Athenas impleuit,Periclem ſuſtulit, Thucydidemq; malè affecit? Aut ſi ob Delphorum Sybaritarumq; flagitia, in poſteros tandem ſcelerum uindicta defluxerit? Habent enim uires ab ultimis in prima relationes quaſdam ac cognationes,quarum cauſam etſi ignoramus, nõ tamen ſine ratione accidere certò ſciamus. Proinde cur non ſolum in hominum ſtirpem,ſed publice in ciuitates diuina uindicta aliquando graſſetur,iuſtitiæ prætextum habere uidetur,quum res una ac contigua ſit ciuitas, quæ nullam ueluti animalia,mutationem admittit,neq; alterum ex altero fieri ſolet,ſed ſemper cõformis,ſibijpſiq; ſimilis exiſtit, uniuerſasq; rerum quas agit cauſas ac gratias,quandiu communitatis nexũ ſeriemq; retinet, ac unitatem ſeruat,in ſe recipere conſueuit. Nam ſi ob temporis ſpatium ex una ciuitate quis plures facere uellet,ſimilis ei eſſet,qui ex uno homine plures efficere conaretur, quandoquidem qui iam ſenior eſſet,prius iunior, olim uerò omnino adoleſcens erat. Eſſent equidem hæc Epicharmijs ſimilia, ex quibus Sophiſtarum ſermo auctus creuit, dum dicunt, qui olim mutuum accepit, nunc haud debet, quandoquidem alius factus eſt. Et qui heri ad cœnam uocatus eſt, hodie inuocatus uenit, nam alius exiſtit. Proinde mutationes in unoquoque noſtrum maiores, quàm publice in ciuitatibus,ætas facere ſolet. Si enim poſt annum trigeſimũ quis Athenas reuiſeret, cognoſceret ſanè nunc quoque uigentes mores,motus, diſciplinas, ſtudia, populiq; fauorẽ,iram & odiũ,ac reliqua id genus, admodũ priſcis illis,

illis, ac prioribus simulia, conformiáq; : hominis uerò formã uix notus ac familiaris post tanti spatiũ tẽporis occurrẽs agnoscere ualeret. At morũ uariationes, qui omni ratione, labore, passione, legibus quoq; facilè mutantur, illi qui semper præsens est, absurditatẽ, admirandamq; nouitatem continere uidentur. Cæterũ homo ex quo natus est, ad finem usq; unus uocatur : quũq; idẽ ciuitati ita permanenti accidat, dignũ quoq; ducimus eã progenitorũ obprobrijs obnoxiã esse, quandoquidem meritò illorum gloria, honore, ac potentia frui cupit, idq; iustum esse arbitratur. Nisi uniuersa negocia in Heraclitium fluuium uelimus immergere, in quem neminẽ bis ingredi aiunt, quin penitus moueatur, ac in alienam transeat naturam. Si igitur ciuitas res quædam contigua, & una perpetuaq; serie compacta existit, necesse quoq; est, genus ex eisdẽ procedere principijs, potentiãq; ac societatem referre quandam. Nam genitum ab eo ex quo genitũ est, secerni seu abesse tanquam opificiũ quoddã constructum minimè potest, quũ ex ipso, non ab ipso genitum sit, ita ut pars quædã & debite honorandi, & iustè plectendi contineatur, circũferaturq; in semetipsa. Et nisi ludere uiderer, asserrẽ equidẽ Cassandri statuam ab Athenien sibus inæratam, longè iniustiora passam esse, ac Dionysij corpus post obitum à Syracusanis effossum, maiore affectum iniuria, quàm si in eorum filios diuina esset delata uindicta. Nam Cassandri statua sui natura nullam iniuriam accipere poterat, mortuumq; Dionysij corpus anima iampridem reliquerat. At Nysæo, Apollocrati, Antipatro, ac Philippo, cæterisq; omnibus à sceleratis parẽtibus ortis, admodum propria quædam progenitorum insita pars est, illisq; adhæret, non molesta siue onerosa, sed qua in uita nutriantur, gubernentur,

Heraclitius fluuius.

gubernentur, ac sapiant. Non igitur mirum nec absurdũ, quum ex illis procedant, si ob eorum facinora uindictæ quoq; partem desumant, quandoquidem quæ apud homines beata censentur, propter illos consecuti sint ac possideant. Et uniuersaliter, inquã, quicquid in medicina utile, idem quoq; iustum esse censemus. Et profectò ridendus esset, qui iniquum esse assereret, pollicem uere, quum coxarum doleret uertebrum: seu præcordia laniare, quum hepar sanie marcescret: uel si quis ob ungularum debilitatẽ summa boum perungeret cornua. Ita & in uindicandis scelcribus, qui aliud quid iustum, quàm improbitatem sanare existimat, indignaturq; quum medicum cernit peruiam longè diuersam ad curandũ procedere morbũ, medicamẽtaq; ob alia per alia insinuare, ueluti qui uenã incidunt, ut ab ophthalmia leuentur, ille profectò ultra sensum haud longè prospicere uidetur, nec considerat præceptorẽ, quũ ex pueris aliquẽ corripit, cæteros admonere: ac imperatorẽ, quũ decimum quenq; tollit, omnes ad officiũ reducere. Proinde non solum parti ob partem aliã, sed & animæ propter animã, longè plus quàm corpori ob corpus, affectus, uexationes, passiones, ac emendationes accidere solent. Nam ibi, ut uidetur, passionem mutationemq; eandẽ innasci necesse est, hic uerò animæ phantasijs acta, ob timorem seu confidentiam, peior aut melior efficiatur necesse est. Adhuc me loquente, suscipiens Olympiacus: Videris, inquit, sermone isto magnam supposuisse materiam, animæ uidelicet immortalitatem. Quandoquidẽ uos, respõdi, occasionẽ præstitistis, seu potius impulistis. Quẽadmodũ uerò deus optimus maximusq;, ex dignatione ac bonitate sua nobis concesserit, ita ab exordio huiusq; sermo noster processit. Et ille, quandoquidem, inquit, deũ omnia

Filij quã maiorum possideãt bona, meritò etiã illorum iuuant scelera.

inſpicere, ſingulaq; inter nos diſtribuere cẽſes, inde quoq; ſequi arbitraris, animæ eſſentiam penitus incorruptibilem eſſe, an temporariam, ac poſt obitum aliquãtiſper ſupermanentem? Non uir, inquam, optime, adeò puſillus, ac leuiculārum rerum curioſus eſt deus, ut ſi nil diuini nobis ineſſet, ſeu ad illius ſimilitudinem firmi quid ac durabilis inditum foret, ſed foliorum, ut Homerus ait, inſtar marceſceremus, breuiq; omnino corrumperemur, tantum noſtri curam gereret & rationem haberet, ac mulierculārū more, quæ Adonidis hortos in teſtis quibuſdã uernãtes plantant & ablaqueant, quotidianas animas in carnem teneram, mollemq; ubi uitæ radicem haud altius agere poſſent ad germinandum, inde quauis fortuita ſemper occaſione extinguendas infunderet. Et ſi placet, alios omittamus deos, ſolumq; hunc noſtrum conſideremus, qui ut primum animas mortuorum à corporibus tanquam fumū aut nebulam exhalaſſe nouit, placationes uarias defunctis inſtaurare, honoresq; ingentes, ac ueneraciones ſolẽnes tribuere iubet, ſcilicet ut credẽtes circūueniat ac decipiat? Ego equidem animæ immortalitatem aſſerere haud deſinam, ni quiſpiam, ueluti Hercules Pythiæ auferens tripodem, ſuum ditus oraculum diripiat ac euertat. Quandoquidem plurima talia apud nos circunferuntur reſponſa, qualia Coraci quoq; Naxio edita ferunt.

Animæ immortalitas.

Non homini ſanctum eſt animæ cognoſcere mortẽ.

Et Patrocles: quiſnam, inquit, ille fuit Corax? qualeq; uaticinium? res enim incognita mihi uidetur. Minimè, aiebam, ſed nominis id uariatione contigit. Nam qui olim Archilochum in acie trucidauit, Callonides appellabatur, erat uerò ei cognomen Corax. Electus itaq; à Pythia primo, ſacris quoq; repulſus eſt, quoniam Muſis ſacrum peremiſſet

peremiſſet uirum. Inde quum placationibus quibuſdã inferijs, ac precibus manes placaſſet, ob Archilochi expiãdam animam, ad Tettigi iuſſus eſt pergere habitaculum, quo Tænarus ſignificabatur. Huc enim Tettigum Cretenſem cum claſſe applicuiſſe, ciuitatemq; condidiſſe ferunt, ac iuxta animarum habitaſſe expiationem. Pariter quoque Spartani Pauſaniæ placare manes oraculo iuſſi ſunt. Qui quũ ex Italia ſacrificulos, animarũq; accerſiſſent conciliatores, ſacrificijs nonnullis ex ſacello idolum extraxerunt. Vna igitur, inquam, eſt ratio, quæ diuinã pariter prouidentiam, humanæq; animæ immortalitatẽ oſtendit ac confirmat, nec alterum repudiare, alterũ uerò amplecti datur. Quũ enim poſt obitũ anima ſuperſit, admodum decet, imò neceſſe eſt, illam aut præmijs, aut affici ſupplicijs. In uita etenim quẽadmodum athleta decertat, quũ uerò certamen peregerit, tum debitum ex merito cõſequitur. Cæterũ quo pacto anima quum illic exiſtit, ob anteactam uitã remuneretur ſiue plectatur, nil certi, ſiue quod affirmare audeamus uiuẽtes habemus. Id enim penitus nos celatum eſt, ac latet. Vindictam uerò quæ ob maiorũ facinora in filios, ac uniuerſum debacchatur genus, manifeſtè aliquãdo cernimus. Quãdoquidẽ multos à ſceleribus auertit, ac ne ſimilia audeant, deterret ac admonet. Quũ uerò nulla alia magis acerba, nec quæ anxiore afficiat triſtitia ſit pœna, quàm quum quis cernit ſuos ob ſua ipſius malè acta pati incõmoda, & affligi, admodũ ueritati conſonum ac credibile eſſe uidetur, animam impij ac flagitioſi uiri, quũ poſt obitũ conſpicit nõ ſtatuas aut honores quoſdam ſubuerti, ſed liberos, amicos, genere propinquos, ac domeſticos maximis ſubijci tormentis, & ob ſuam ſceleſtã uitam pœnas luere grauiſſimas, etiam ob Iouis honores, ſi

concederetur, iterum iniustè agere seu peccare nolle. Haberem quoq; sermonem nuper auditum uobis referre, sed ne fabulas enarrare uidear, illum silentio præteribo, ac solum quæ manifestam præ se ferunt ueritatem expediam. Minimè, Olympiacus ait, sed nobis eum recenseas. Quibus alij quoq; idem peterēt: permittite, inquam, ad finē usq; quæ dicere conor, perducere. Inde, si uidebitur, fabulam quoq; referam. Verè etenim fabula est. Bion, inquam, deū quū in sceleratorū animaduertit filios, longè magis ridiculū esse asserit, quam medicum qui ob aui & patris morbum, nepoti seu filio medicamentum porrigit. Cæterū alicubi res ineptè & absurdè se habent, alicubi uerò conuenientes ac simules existunt. Alius enim, nisi alter curatur, ab infirmitate haud liberatur. Nec qui oculorum dolore uexatur, seu febricitat, ideo melius habet, quoniam alteri emplastrum seu collyrium adhiberi cōspicit. At scelestorū supplicia ideo manifestè cunctis ostēduntur, quoniam uindictæ cum ratione inflictæ officiū est, alios per aliorū animaduersiones compescere ac cohibere. Proinde Bionis assimulatio si rectè discutiatur, cernere erit, ueritatem illum latuisse. Porrò si uir quispiam in morbum incidit grauem, nō tamen penitus incurabilē seu exitialē, inde succedenti tēpore ægroti incōtinentia ac mollitia languor crescit, tumq; corpus grauat & occupat, filium uerò ipsius nondum ægrotantē, sed ob paternam naturam eidem morbo obnoxiū, si medicus familiaris, aut aliptes aliquis admoneat, eiq; ostēdat, si bonus ille pater auctorā amplexus esset dietam, obsonia bellariaq; intermisisset, potationibus ac mulieribus abstinuisset, medicamentisq; usus fuisset, assiduoq; exercitio corpus defatigasset, ingentes dissipare ac repellere passiones ualuisset, scilicet quum parua illa femina

femina ad tantā haud crescere potuissent magnitudinem: Non'ne qui filium sic hortatur ac instruit, ut sui curā gerat, diligenter se obseruet, & quum ualetudinarijs sit ortus parētibus principijs obstet, ac dum morbus curari potest, illum anticipet, eum quoq; hoc pacto ab infirmitate eripere ac liberare uidetur? Et sanè, aiebant. Non igitur, inquam, rem absurdam seu ridiculā, sed admodū necessariam ac utilem peragimus, si regio morbo, melancholia, ac podagra laborantium filijs nondum infirmis, sed ne aliquando pari ægritudine corripiātur, exercitium, dietam, ac pharmaca adhibeamus. Nam corpus ex corrupto prognatum corpore, nulla pœna, sed cura potius, ac custodia dignum esse censetur. Quæ si quis ob tinuditatem animiq; mollitiem (quandoquidē uoluptatibus priuant, laboremq; ac molestiam inferre uidentur) supplicium appellare uelit, penitus repellendus est. Proinde quum corpus ex ualetudinario ortum corpore, custodiri ac obseruari dignum sit, nunquid malitiæ innatam simulitudinem, in adolescentum germinantem ac pullulantem moribus, eò usq; sufferre ac sustinere decet, quoad prorumpens passionibus manifesta reddatur, malesapidumq;, ut Pindarus ait, ex præcordijs fructum euomat? An Deus nil Hesiodo sapientior esse uidetur? qui iubet ac admonet:

Non serito tristi rediens de funere mœstus
Progeniem, lauta sed cœna Perse deorum.

Et tanquā genitura nō modò prauitatē ac uirtutē, sed & tristitiā ac gaudiū, hisq; simulia referat ac suscipiat, hilares, lætos, ac gaudio perfusos, ad filiorum mittit procreationē. Verūenimuero perturbationū ac affectuū discernere, ac præscire simulitudines, priusquā aperte passionibus in nefanda erumpāt scelera, ac manifestè cernātur, nō humanæ

manæ uirtutis, sed diuinæ potius sapiẽtiæ opus esse dignoscitur. Etenim urſorũ, luporũ, ac ſimiarũ catuli, confeſtim, adhucq; impuberes, à nemine præterquã à natura inſtincti ſeu edocti, generis referunt ac repræſentant mores. At humana natura, moribus, doctrina, & legibus conſtricta, ſæpius ſcelera occultat, ac probitatẽ honeſtatemq; præ ſe ferre uidetur, ita ut penitus innatã prauitatis maculã deleuiſſe, ſceleraq; fugaſſe credatur. Multo enim ſæpe latet tẽpore, ac tãquã uelamine obducta, uniuerſa flagitia clãculũ celaſſe deprehẽditur, ita ut uix tormentis ac uerberibus improbitatis facinora quæq; extorqueri & manifeſta reddi ualeãt. Nos uerò tum maximè homines iniuſtos fieri exiſtimamus, quum iniuria afficere inchoãt, intẽperãtes quum uiolãt, timidos quũ fugiũt. Veluti ſi quis tum ſcorpioni aculeũ inſeri quũ pungit, aut echidnis uenenũ infundi quum mordẽt, fatuè ac ſtultè credat ac arbitretur. Non enim ſceleratus quiſq; pariter fit, ac manifeſtus redditur, ſed ab initio inſitã retinet prauitatẽ, tempore uerò datáq; opportunitate ac facultate, fur ſurripit, tyrannuſq; legẽ trãſgreditur. At deus uniuſcuiuſq; affectũ ac naturã haud ignorat, utpote qui magis animæ quàm corporis ſcrutator exiſtit. Quapropter nõ eò uſq; pœnam differt, quoad uiolẽtia manibus, impudẽtia uoce, intemperantia pudẽdis perficiatur. Quãuis nõ, uelut ipſe malè afficiatur, iniuſtũ corripit, neq; raptori tanquã uiolatus iraſcitur, nec mœchum quaſi ipſe cõtumeliam paſſus ſit, odio proſequitur, ſed medicinæ gratia mœchũ, auarũ, & flagitioſum quandoq; corripit, ut malitiã tanquã morbũ comitialẽ, priuſquã cuncta occupet, tollat, ac penitus auferat. Cæterũ paulò antè indignabamur, quoniam tarde Deus in ſceleſtos animaduerteret, nũc uerò quoniã nõnullorũ habitum & affectum

affectum, antequã iniuriam perficiant, occupat ac præuenit, accuſamus, ignorãtes ſæpius præterito futurũ, occultumq; manifeſto longè deterius ac terribilius eſſe. Vnde neq; cauſas, ob quas aliquãdo improbos tolerare, nõnunquam uerò adhuc deliberantes præuenire ſatius exiſtit, intellectu noſtro comprehendere ualemus. Quemadmodum nec cur ualetudinarijs nonnullis aliquando medicamenta haud congruant, quibuſdam uerò nondum ægrotantibus, ſed longè periculoſius illis habentibus proſint, ac rectè conueniant, intelligere poſſumus. Cæterum non omnia parentum delicta in poſteros Deus conuertit, ſed quum ex prauo gignitur bonus, quemadmodum ex ualetudinario ſanus, generis omnino pœna illi, tanquam à malitia immunis ſit factus, remittitur. Qui uerò ex ſcelerata natus eſt ſtirpe, morboq; in ſimilitudinem improbi labitur ac refertur generis, hunc decet quemadmodum in hæreditatis ære alieno, ita & in prauitatis ſuccedere ſupplicio. Non enim Antigonus ob Demetrium, aut ex malis Phyleus propter Augeam, neq; Neſtor propter Neleum pœnas dederunt. Quamuis enim ex flagitioſis orti eſſent parentibus, optimi tamen euaſere uiri. Sed quorum natura generis cognationem imitari ac referre ſolet, illos quoque uindicta ſcelerum æmulata ſimilitudinẽ exagitare conſueuit. Quemadmodũ enim progenitorum acrochordones ac lenticulæ quandoque in filijs haud apparent, attamen in nepotum corporibus inde erumpũt (nam & mulier quædam Græca, quum nigrũ enixa eſſet infantẽ, ob idq; adulterij damnata, progenies Aethiopis quarta inuenta eſt: in corporibus quoq; liberorũ Pithonis Niſibenſis, qui nuper uita functus eſt, haſtæ figura ſignum Spartanis cõueniẽs, poſt tanti reuolutionẽ temporis tanquam ex altiſſima generis

generis emicuit similitudine)ita plerunq; mores animæq; passiones, quas priores celabant, & occultabant generationes, natura longo pòst tempore producit, ac per alios ostentat & repræsentat, domesticasq; seu uirtutes, seu improbitates, palàm cunctis in lucem profert, ac manifestè spectandas præbet. Hæc quum dixissem, obticui. Subridès uerò Olympiacus: haud, inquit, te tanquam egregiè absoluto sermone à nobis laudari arbitreris, ne fabulam promissam manibus emittere uideamur, sed tum demum sententiam feremus, quum illam quoq; audiuerimus. Sic itaq; rursus exorsus sum. Soleus uir diuinus, Protogeni illius, qui aliquando nobiscum uersatus est, familiaris & amicus, quum primo tempore in magna uixisset prodigalitate, breui uniuersam dilapidauit substantiam. Inde penuria ac necessitate cogente, omnium perditissimus effectus est hominum. Pœnitentia enim ductus, diuitias absque discrimine insequi cœpit. Contigitq; ei quemadmodum lasciuis illis hominibus, qui quum proprias haud obseruent ac curent uxores, alienas tamen per iniuriam insectari ac corrumpere nituntur. Quumq; à nullo abstineret flagitio, dum sibi spes lucri arrideret seu ostenderetur, substantiã haud magnam, sceleris uerò existimationẽ ingentem, breui collegit. Præcipue autem eum decepit uaticinium ex Amphilochi redditum oraculo: illuc enim deum sciscitaturus miserat, num melius reliquam uicturus esset uitam. Cui ille respõdit, tũ melius eũ acturũ, quũ è uita migraret: quod & breui illi cõtigit. Quũ enim ab alto super collũ decidisset nullo accepto uulnere, casu tantum extinctus est. Quumq; iam triduanus ad sepulturã efferretur, subito cõmotus ad sese reuersus est, admirandamq; deinceps uitæ mutationem instituit. Neq; enim insliorẽ alium in humanis cõmercijs, seu

seu diuinis sanctiorẽ operibus, tunc temporis Cilices esse referebant, haudq; inimicis tristiorem, quàm amicis iucũdiorem, ita ut non paruo noti caperentur desiderio, admodumq; cuperent tam repentinæ mutationis audire causas. Non enim fortuitò, quod & uerum erat, euenisse arbitrabantur, ut tam scelestam anteactam uitam, tot tantisq; exornasset uirtutibus. Ille igitur Protogeni æqualibus, & amicis ita enarrare solebat: quamprimum corporis sensu excidisset, sibi ueluti nautæ, qui euersa naui profundo absorptus est, ob mutationem accidisse. Inde quum aliquantisper animum recepisset, seseq; cõfirmasset, respirare uisus est, animaq; corporis onere leuata, latè circunspectare cœpit. Cæterum priorum cernebat nihil. Astra uerò admodum ingentia, & multitudine inuicem distantia, splendoremq; immensum atq; colorem ostẽdere mirandum uidebat, tonoq; resonare incredibili audiebat, ita ut animæ in lucis tranquillitate perquam facilè esset quoquouersum uehi ac uelociter ferri. Quũq; multa & uaria præterisset spectacula, defunctorum animas aëre discusso, tanquã bullas ardentes sursum leuari aiebat. Quibus intrepide ac omni deposita mole diruptis, humana emergere forma. Non tamen æqualiter omnes moueri, sed partim miranda exilire leuitate, ad supernamq; uehi quietem ac tranquillitatem. Alias uerò tanquam pensi fusos in gyrum rotari, nunc sursum, nunc uerò repere deorsum, ac turbato quodam motu inuicem misceri, cohærercq; diutius, ac uix tandem diuelli. Cæteras itaque quum diligentius considerasset animas, agnoscere haud ualuit. Duas tamen aut tres olim sibi notas quum conspexisset, illis cõgredi alloquiq; conatus est. At illæ auditu priuatæ, extrãq; sese positæ, penitus sensu carebant, ac uelut amentes & insensatæ,

omnem

omnem contactum uisumq; refugiebant. Primoq; inter se errabundæ uolitabant, inde innumeræ pariter occurrentes, inuicemq; se complectentes cohærentesq;, ac impetu tanquam connexæ sine ullo discrimine in altum ferebantur, uocesq; ignotas ac inarticulatas, luctu ac timore intermixtas emittebant. Aliæ uerò in sublimi cõstitutæ, alacres ac claræ, inuicemq; cum beneuolentia assidue uersari conspiciebantur. Ac ut cernere erat, tumultuantes illas repellebant, appropinquantesq; admodum acerbe ipsæ gaudentes increpabant. Ibi quendam, non tamen liquidò se cognouisse asserebat: adhuc enim puero se existente, ille uita functus erat. Ea itaq; anima quum propius accessisset, Salue, dixit, Thespesie. Quumq; admiratione ductus respondisset, se non Thespesium, sed Arideũ esse: antea, ait, dehinc uerò Thespesius, hoc est, diuinus eris. Haud enim occidisti, sed fato quodam prouido deorum huc delatus peruenisti, aliam uerò animam tanquam ancoram in corpore dereliquisti. Nunc q; huius rei certissimũ tibi sit indicium, mortuorum animas haud umbram facere, nec oculos contrahere ac aperire. Hoc quum Thespesius audiuisset, magis cogitare secq; colligere cœpit: circunspiciẽsq; considerauit tenuem sibi ac umbrosam cohærere nubeculam, illas uerò undiq; transparentes ac lucentes, non tamen æqualiter omnes. Quasdam enim colore plano splendenti, ac limpido, purissimoq; plenilunio simules esse animaduertit: nonnullas uerò tanquam squamis minutisq; cicatricibus stigmosas: alias autem facie incõcinnas, ac admodũ deformes, nigrisq; affectas notis, quasdã uerò alias quasi obtusas, hebetes, penitusq; sensu priuatas conspexit. Singula uerò ille Thespesij enarrabat comes (nil enim prohibet animas hominum appellare nominibus) quemadmodum

admodum Adrastia Necessitatis ac Iouis filia, scelerum uindex acerrima, summo constituta esset loco, quam nemo flagitiosus, neq; magnus neq; paruus, ui aut clam effugere posset. Quumq; tres essent custodiæ ac expiationes, alios alijs affici tormentis asserebat. Quosdam enim confestim, ac dum in corpore essent, pœnas dare, quiq; corpore culpam luerent, eorum breuissimum esse supplicium, mansueto quodam modo multa purgatione digna remittente. At quorum maiora essent delicta, sceleraq; uehemẽtiorem expeterent medicinam, illos dæmonem post obitũ tradere uindictæ aiebat. At qui penitus immedicabiles essent, ac undiq; sceleribus obruti, hos tertiam atq; immitissimam Adrastiæ ministram Erinnym, ad pœnam rapere, & inter errantes, & hac illacq; fugientes transcurrere, omnesq; tandem deprehensos, sæuè ac miserabiliter in æternas, inauditas, nec uisas demergere, ac præcipitare cõmemorabat tenebras. Emẽdationes uerò quibus adhuc in corpore constituti affligi solerent, barbarorum pœnis persimiles esse aiebat. Quemadmodum enim apud Persas qui plectuntur, uestibus tiarisq; expoliantur, ac flagellãtur, lacrymantesq; à tormentis solui precantur, ita suppliciaquæ in pecuniarũ, ac fortunarũ amissione, corporumq; uersarentur cruciatu, nõ nimis asperam habere afflictionem, nec quæ ex meritis scelera elueret, sed utplurimum ab opinione sensuq; dependere referebat. Cæterum qui ibi, inquit, impuniti euadunt, hucq; immundi perueniunt, hos uindicta corripit, ac cunctis exutos tegumentis, animæ commissa palàm ostendit. Illa uerò nil retinet aut habet, quo facinora, scelera, ac flagitia tegere, abscondere, seu palliare queat, sed omnibus se passim spectandã præbere cogitur. Primum igitur bonis (si saltem sunt) paren-

Adrastia.

Erinnys Adrastiæ ministra.

Qui ex hoc seculo impuniti euadunt, quomodo cruciãtur.

tibus tanquã degener, ac talibus indigna maioribus ostentatur. Si uerò praui ei fuerint progenitores, illis quoq; ut maiori afficiantur cruciatu, in conspectũ perducitur, inde tormentis subijcitur, ubi tandiu pœnis exercetur, quoad ærumnis, doloribus, ac laboribus omne scelus eluitur. Hæc uerò supplicia, magnitudine ac acerbitate tantum carnales exuperare animaduersiones asserebat, quantum ab insomnijs uera distare uiderentur. Proinde cicatrices ac notas ob has passiones alijs plus, alijs uerò minus permanere aiebat. Animarum enim, inquit, uarios illos omnigenosq; considera colores. Ater enim ac sordidus, illiberalitatis, ac auaritiæ indicũ est. Sanguineus uerò ac igni succensus, crudelitatis & atrocitatis. At glaucus color, intemperantiam uoluptatibus intermixtam designat. Qui uerò execrando inuidiæ detinentur morbo, bi uenenum sanie mixtum, ueluti sepiæ atramentum ore euomunt. Siquidem anima prauitate & passionibus immutata, corpus quoque uarijs distinguit coloribus. Vnus uerò tormentorũ ac purgationis finis existit uniuersalis, quum concreta exempti est labes, animaq; splẽdida, & ab omnibus maculis & labe redditur pura. Id nisi fiat, passionũ subinde reuertuntur uicissitudines, notæq; iterum excrescunt. Quædam tamen breuiter ac facilè extinguuntur, nonnullæ uerò longius protelantur. Illæ igitur rursus atq; iterum tormentis subijciuntur, quoad tandem decentem sortiantur habitum & affectum. Nonnullas uerò uiolenta ignorãtiæ, ac uoluptatum species, in brutorũ corpora impellit. Quum enim rationis defectus, ac speculationis segnities actuale ad generationem producit, admodũ instrumenti desiderio tenetur, quo cum concupiscentijs perfrui ualeat, corpusq; animi neglecta uirtute, luxu repleri queat. In pecora itaq; merito

Finis purgationis quũ exempta labes est.

itò anima ea detruditur, ubi omnibus priuata delitijs, eq; quietis neq; somni copiã consequi ualeat. Hæc quum dixisset, per ingens spatium eum uelociter duxit. Ferebantur autem lucis splendore tanquam alis perquam faciac leuiter. Tandemq; ad hiatum quendam applicuerunt immensum. Quò quum peruenissent, à priore spiritus ui destituti sunt. Quod & alijs animabus accidere uidebat, quæ collectæ, illucq; delatæ, tanquam aues per gyrum illum circunuolabant hiatum, propius tamen accedere non audebãt. Aspectus uerò Bacchicis antris admodum similis erat, locusq; syluis, uirore, herbis, uarijsq; floribus ornatus apparebat. Aura uerò ex illo spirabat mollis ac lenis, odore mirando suauiq; temperata, quæ ingenti uoluptate (ueluti uinũ bibentes solet) animas afficiebat. Illæ uerò odoris captæ dulcedine uescebantur, diffundebantur, ac placidè & festiuè inter se conuersabantur. Locũ uerò amœnum per gyrũ amplexabantur Bacchanalia, et risus, quem intermixtæ Musæ dulciter canẽtes ac ludẽtes, iucũditate ac lepõre implebãt. Dionysium uerò illac ad deos regressum esse, ac Semelem reduxisse, locumq; Lethen uocari aiebat. Thespesium uerò admodum immorari desiderantem ac conantem, haud pernusit, sed ui eum diuellens abstraxit, enarrans pariter ac ostendens intellectum dulcedine uoluptatum liquefieri ac irrigari, irrationale uerò ac corporeum humectatum, ac incarnatum corporis recordatione capi, qua inde ad genituræ desiderĩ, & appetẽtiam traberetur. Idq; ille animæ humore degrauatæ inflantẽ appellabat assensum. Aliã itaq; uiã ingressi admodum ingentẽ conspexere craterẽ, in quem uaria exonerabant flumina, aliud Aphrico mari, niueq; candidius, aliud puniceũ, Iridisq; instar uariatũ. Alia quoq; alijs coloribus

insecta, propriũ præ se ferebant splendorẽ. Quumq; propius accessissent, admirandi illi, ac floridi magis ac magis præter candorẽ dispariuere colores. Tres uerò dæmones, triangulari simul assidẽtes figura, inuicemq; flumina mẽsuris quibusdam commiscentes ac temperantes cernebat. Hucusq; Thespesij ductor Orpheum, quum uxoris reduxisset animam, peruenisse aiebat. Quumq; haud rectè memminisset, inter homines sermonẽ dissemināsse, Delphicum oraculum, Apollinis ac Noctis esse cõmune. Cæterũ nullũ Apollinis ac noctis esse consortium. Sed hoc, inquit, noctis ac lunæ cõmune est uaticiniũ, nullã firmã obtinẽs sedem, sed ubiq; inter homines insomnijs ac idolis uagum & errans. Ex eo enim, ut cernis, cõmixta prodeunt somnia, quæ uerum falso, simplexq; uario cõmiscentes, dispergũt. Apollinis uerò oraculum haud, ait, cernis, nec uidere, aut altius ascendere licet, quamuis nõ animæ moles te deprimat, sed terrenum ac corpori annexum uetat. Conatus est tamen eum propius adducere, ac ostentare lumen ex Tripode, ut referebat, per Themidis sinus in Parnasum transparẽs. Quod quum diligentius intueri uellet, ob splendorem cernere haud potuit. Cæterum quum accessisset, uocem audiuit sonoram mulieris, carmine nonnulla prædicentis, ac ut sibi uidebatur, tempus interitus ipsius præsagientis. Dæmon uerò Sibyllæ uocem illam esse narrabat, quam in lunæ globo circumrotatam, futura canere aiebat. Quumq; plura audire cuperet, uehementi lunæ impetu, ac uertigine prohibitus est. Nonnulla tamen breuia intellexit, ueluti de Lesbio monte, ac Dicæarchiæ deflagratione, necnon et comma de tum imperante principe,

Malorum pœnæ. Quòd bonus existat, sed nõ morte tyrannida linquet.

Deinde ad pœnarum uertebantur spectaculum. Et primo quidem

quidem Thespesius solum aspecto miserando, ac ærumnoso afficiebatur, inde uerò inopinatus in amicos, domesticos, & contubernales uarijs subiectos incidit tormentis, qui cruciatus grauissimos, pœnasq; diras ac horrendas sustinentes, cum fletu appropinquabant. Tandem etiam proprium patrem ex barathro quodam, stigmatis ac notis plenum emergentem, manusq; tendentem conspexit. Quem suppliciorum præfecti silere haud permittebant, sed fateri subigebãt, quemadmodum in hospites quosdam extitisset sceleratus, quos ob auri famẽ ueneno sustulisset, quumq; cunctos latuisset mortales, hic se conuictum pœnas partim exoluisse, nonnullas autem adhuc exantlandas superesse referebat. Porrò Thespesius, metu ac horrore stupefactus, pro patre supplicare ausus non est. Conuersus itaque, ac fugere intendens, non amplius mansuetum, ac familiarem uidebat ductorem, sed à quibusdam alijs facie horrenda se impelli, ultraq; progredi coactum cernebat. Longius itaque pergens, eos qui manifeste peccauerant, palamq; flagitia perpetrarant, seu ob commissa supplicio affecti fuerant, non tam acerbe plecti, seu adeò affectu irrationali, ac tormẽtis affici intolerandis inspiciebat. Qui uerò clàm iniustè uixerant, prætextuq; ac uirtutis opinione delituerant, hos ultra cruciamenta & anxietates, quidam insistentes, interiora ac animæ secretiora propalare, ac ostendere, præterq; naturam inflexos, ac curuatos, ueluti Scolopendras marinas, quæ hamum deuorauerunt, seipsos inuertere cogebant. Quosdam uerò protelãtes, ac tergiuersantes, ui detegebant, innumeraq; ac latẽtia uitia in penitißimo, ac remotißimo animæ recessu celare ostendebant. Alias quoq; animas uidisse narrabat, quæ sese amplexantes, pariterq; binæ, ternæ, ac plures cohæ-

rentes,uelut echidnæ,ob inimicitiarum ac iniuriarum reminiscentiam,animiq; prauitatẽ, ac eorum quæ in uita malè egerant seu perpessæ fuerant, inuicem se deuorabant. Lacus quoq; tres æquales,unum auro feruentem ebullitemq;, alium ex plumbo frigidissimum, tertium uerò ex ferro asperrimum esse referebat,iuxtaq; dæmones nonnullos, tanquam fabros instrumentis astare ferreis. Quibus cum animas corripientes, partimq; deuorantes, eas quæ lucro insatiabiles fuerant,ob auaritiamq; sceleste egerãt, primo in aureum præcipitare lacum aiebat:ubi igni succensas, ac flammis relucentes, in plumbeum immergere: ibiq; extinctas, & uelut grandinem induratas, rursus in ferreum transferre paludem: ubi quum admodum nigræ, ac horribiles redditæ essent, ob asperitatemq; exiccatæ ac confractæ,penitus formam immutassent, denuo in aureum proijcere lacum asserebat. Eas uerò animas grauissimos, ac horrendos ob immutationem illam sustinere dolores, & cruciatus enarrabat. Omnium autem miserrimam uindictam,ac afflictionem earum esse aiebat, quæ quum pœnas iam exoluisse uiderentur,rursus ac iterum comprehẽsæ,tormentis subijcerentur. Illæ uerò erant, ob quarum scelera in filios seu nepotes pœna redundarat. Quotiescunq; enim aliqua illarum in tortores incidebat, seu casu aliquo obuiã ferebatur,cum ira,uociferatione,ac clamore eam aggrediebantur,illæ uerò blasphemantes, & imprecantes,passionum signa ostendere uidebantur:quumq; aufugere ac se abscondere conarẽtur,haud ualebãt. Aderant enim confestim uindictæ exactores, & castigatores, qui eas deprehensas,eiulantes, ac seipsas deplorãtes execrantesq;,ueluti pœnæ, crudelitatis, ac immanitatis haud ignaras,iterũ ad tormẽta rapiebant ac trahebãt. Præterea complures

cõplures aliquãdo filios ac nepotes unà pendere referebat,ac tanquã apes,seu uespertiliones cõnexos ob irã, ac pœnarum memoria, quã propter progenitores perpessæ fuerãt,stupefactos,ac omni spe destitutos agere. Postremo animas ad secundã cogi generationẽ uidit,ac instrumẽtis quibusdam appositijs ac plagis,ab eius rei opificibus,ui in omnifaria uerti ac trãsformari animalia. Nõnullæ uniuersa parte impellebãtur,aliæ uerò reuertebãtur. Aliquæ autẽ omnino extinguebãtur,ac euanescebãt, ut alia uita, alijsq; damnarẽtur mortibus. Inter quas & Neronis animam se uidisse aiebat,multis degrauatam incõmodis, claustisq; ignitis undiq; transfixã. Quam quũ opifices in Pindaricæ Echidnæ speciẽ uertere,ac ui transformare conarentur,ut per uiscera erũpens partu matrẽ deuoraret ac laniaret,lumen cõfestim ingens eluxisse referebat, uocẽq; ex splendore redditã imperasse,ut in aliud bruti genus ciurius,ueluti in reptile,iuxta lacus ac paludes cõmorans, transmutaretur. Eorũ enim quæ iniustè egerat,partim pœnas dedisse,boni quoq; sibi aliquid à deo deberi,quoniam optimum ac deo acceptissimum Græcorũ genus ex seruitute,ac oppressione liberasset. Huc usq; spectaculum processisse referebat. Quum uerò reuerti deberet, in maximo ob timorẽ periculo se constitutũ fuisse aiebat. Mulierem enim quandam specie admiranda,magnitudineq; ingenti ipsum corripuisse,dixisseq;: Heus tu,ut rectius singula reminiscaris,huc adsis: Virgamq; ignitam tanquã sculptoriam, qua illi characterem inureret protulisse, sed ab alia quadam prohibitam esse. Ipsum uerò tanquã syringæ impulsu,flatu admodum uehementi,ac uiolento,corpori incidisse,& ferè à recordatione ipsa suspexisse.

FINIS.

BILIBALDVS BIRCKHEY-
merus nobili ac eruditißimo uiro Bernardo
Adelman, de Adelmansfelden, Eyste-
tensis ac Augustanæ eccleſia-
rum Canonico S. D.

SOcratis eſt ſententia, uir clarißime, decere filios, quemadmodum in ſubſtantia relicta, ita & in paterna ſuccedere amicitia. Eam ſæpius reuoluens, ac mecum reputans, quo amore optimum quondam genitorem meum proſequutus fueris, non poſſum te quoq; non amare, obſeruare, longeq; uel precioſißima re aliqua hæreditaria, charioré æſtima-re. Igitur quum nuper tanquam uſurariæ prauitatis hoſtis acerrimus efflagitaſſes, ut Plutarchi commentarium de uitanda uſura, ex Græca in Latinam uerterẽ linguã, quamuis id mihi, tot alioqui curis degrauato, cũ ob autoris facundiam, tum ſententiarum grauitatẽ difficillimum uideretur, malui tamẽ parendo temeritatis crimẽ ſubire, quàm negando ingratitudinis uitio accuſari. Negocium itaque aggreſſus, eodem & quidem perpetuo ſpiritu abſolui, tametſi mihi ipſi minus, at ſaltem deſiderio tuo ſatisfeciſſe uidear. Quis enim limpidum ac purum Græcæ eloquentiæ liquorem adeò feliciter in uas alterum transfunderet, ut priſtinam ſyncritatem retinere exiſtimaretur? Cæterum quo fato accidiſſe dicam, ut uno eodemq; tempore, tuo iuſſu, fœneratorum fraudes coram doctis refricare, Senatus uerò Nurenbergenſis ampliſſimi mandato, latronum ſcelera apud optimum imperatorem accuſare cogerer? Atqui uidete ne perſonam Herculis, & cothurnos inſanti aptaueritis, quum mihi res tam arduas demandaſtis, ſeu

ſtis, ſeu (ut rectius dicam) flagitia tractanda commiſeritis, uix diſcernenda, utrum illorum pernitioſius, aut abominabilius exiſtat. Ille fraude & occulte nititur, hic ui & palàm rem aggreditur: ille uolentes tantum ſubigit, hic & repugnantes proſternit: ille ſanguinem exugit, hic poſt cruorem uitam quoque adimit. Et ò ſecula, ò mores: ille ob uſurarium emolumentum ignominia notatur, hic uerò propter furta, cædes, latrocinia, palàm gloriatur, ac non ſolum execrandæ prauitatis complices, ſed & receptatores, ut protectores quos minimè decet, inuenit. Ah infelix & miſera Germania, quæ poſt abiectam feritatem, depoſitam barbariem, CHRISTI receptam fidem, adeò in latrocinij exercitio perſeueras, ut rapacitatem præter omnium ius gentium, tanquam peculiare & inſigne ornamẽtum, fortitudini attribuas. Quæ tamen abominanda ſcelera, tu uir præſtantißime, nobili ortu ſanguine, Homerici Vlyßis inſtar, ut inferni portas execraris. Sed omißis tandẽ inutilibus lamentis, Plutarchum noſtrum, rem ſuam agentem, & longè acriter uſurariam pernitiem deteſtantem, audiamus.

PLVTARCHI CHAERONEI COMMENTARIVS, QVOD NON OPORTEAT FOENERARI.

Bilibaldo Birckheymero patritio ac Senatore Nurenbergensi, interprete.

PLATO, in legibus, aquam alienã uicinis haurire non permittit, ni suis in fundis ad argillam usque terram effoderint, regionemq; aqua carentem inuenerint. Etenim argilla naturam quum habeat densam ac pinguem, humiditatem conceptam sustinet, nec facilè emittit. Eos enim aquam alienam tum demum auferre decet, quum propriam possidere haud ualent. Indigentiæ enim legẽ fauere æquũ est. Proinde ostensum est, in re pecuniaria quoq; legẽ esse, quæ inhibeat homines sub usura mutuari, ad alienosq; accedere puteos, ni antea domi exactissime substantiam eorum scrutati fuerint, ac tanquã ex prato florido collegerint, quid eis utile, quidue necessarium existat. Nunc autem delitijs, ac mollitie, seu prodigalitate diffluentes, minus rectè ijs quæ possidẽt fruuntur, sed ab alijs utplurimum quibus non indigent, mutuo sumunt. Cuius rei manifestum est indicium, quòd ob indigentiam non fœnerantur, sed ita demum quum rem opulentam aliquam comparare uolunt. Ideoq; testes adhibẽt, ac cautionẽ præstant, ne quis credat eos necessitate coactos, fœnebrem sumere pecuniam. Et quid numularium, seu negociatorẽ ambis, quum ex proprio peculio mutuari queas?

queas? Pocula habes, paropsides argenteas, pelues? subijcias hæc necessitati. At mẽsam amœna Aulis, uel Tenedos figulinis instruet uasculis, argẽteis longè mundioribus, neq; molestum, ac grauem usuræ odorem olentibus, quæ tanquam rubigo quotidie sumptuositatem deformat. Insuper haud Neomeniæ Calendarum'ue recordaberis, qui dies etsi sacratissimi existant, nefasti tamen ac execrãdi ab usurarijs reddunturs. Nam pignora illis præstita nec Iupiter ipse saluare posset. Atqui uendere, preciumq; sumere erubescunt, de rebus uerò proprijs usuram persoluere non uerecundantur. Cæterum Pericles ille deæ ornatũ quadraginta auri puri talentis distrahere haud turpe duxit, quoniam, ut aiebat, illo in belli usum consumpto, rursus non deteriorem reddere posset. Proinde nos quoque, tanquã in obsidionis necessitate, fœneratoris hostilis præsidium minimè recipiamus, ne cernere cogamur, cũcta nostra in seruitutem rapi, sed mensæ, cubilis, supellectilis, ac dietæ superflua abscindamus, nosq; liberos seruemus, ut quum pinguior fortuna aspirauerit, nobis rursus ea restituere ualeamus. Equidem Romanorum uxores Pythio Apollini muliebrem mundum primitias dono dederunt, unde aureus crater Delphos missus est. Carthaginensium quoque mulieres capita raserunt, ac capillos in machinarum, ac instrumentorum usum, pro patria impendere non dubitauerunt. Nos uerò opulentiæ uerecundia, pactis pignoribus fœneratoribus turpiter seruire sustinemus. circo decens utilitate compensantes, ex inutilium ac superuacuarum rerum abscisione seu uenditione, libertatis templum nobisipsis, liberis, ac uxoribus ædificare conemur. Siquidem in Epheso Diana obæratis, quum in illius confugerint templum, asylum ac securitatem à fœneratoribus

Templũ Dianæ Ephesinę obæratis pro asylo.

ratoribus præstat, ac frugalitatis asylum, & inaccessibile quidem, ubique modestis patet, regionem latam, ac multi ocij, hilarem & idoneam præbens. Quemadmodum enim Medico in bello, ligneum murum deum Athenien̄sibus donare Pythia respondit, illiq; dimissa regione ac ciuitate, possessionesq; ac domos negligentes, ad naues ob libertatem confugerunt: Ita & nobis deus ligneam tribuit mensam, peluim figulinam, uestitum frugalem, si saltem in libertate uiuere uelimus. Porrò

Si phaleratus equus desit tibi frena remordens,
Et currus uelox, auro decoratus & ostro,

cæteraq; id genus, quæ uelociter fœneratores inuadunt ac diripiunt, at asino fortuito, aut caballo quopiam insidens, hostilem ac tyrannicum fuge daristam, non ignem ac aquam instar Medi exigentem, sed libertatem inuadentem, multamq; inscribentem, & quum non reddis conuiciantem, sin uerò offers haud accipientem, ubi uero uendis, uili precio licitantem, quòd si non uendis cogentem, & quum iure contenderis obuiam euntem, si uerò subterfugeris impellentem, & quum ad fores accesseris excludentem, ubi uero domi manseris infectante, ac ostium pulsantem. Sapienter igitur apud Athenienses Solon prohibuit, ne corpora pro debitis pignori darentur, ne tandem omnes in seruitutem redigerentur. Esset sanè grauissimũ, seruire tam iniquis, barbaris, ac agrestibus seruis, quales Plato ait, ignitos ac pœnarũ exactores, improborum animas apud inferos torquere. Etenim illi quoq; forũ, impiorũ sedes debitoribus miseris esse demonstrant, uulturũ instar eos deuorantes, ac laniantes, imisq; uisceribus rostrum condentes, cæteris autem uelut Tantalo insistentes, eos ne ex proprijs quid gustare, seu tangere ualeant, arcent.

cent. Proinde quemadmodum Darius Datem & Artaphernem catenis ac uinculis instructos, quibus eum captiui alligarentur, Athenas misit, ita illi uasa chirographis & obligationibus plena, tanquam laqueos in Græciam inferentes, ciuitates miseras transcurrunt, implicãt ac expilant, nõ ut Triptolemus domesticum fructum seminantes, sed debitorum radices admodũ laboriosas, fœnebres, & inuitabiles plantantes, quæ in gyrum pullulantes, ac germinantes, ciuitates suffocent & euertant. Porrò lepores simul parere, in utero gestare, & concipere ferunt, at mastigiarũ illorum, ac barbarorũ usura, antequã cõcepe rit, parit. Dantes etenim cõfestim repetũt, & ponẽtes tollunt, ex eoq; fœnerãt, quod antea pro uorsura extorserũt. Et ut est apud Misenios in prouerbio,

Est Pylus ante Pylum, sequitur Pylus altera tandẽ,

ita & de fœneratoribus dici potest:

Vsuram fugat usura, usura altera restat.

Quid quòd naturalia quoq; deridunt, quæ asserunt ex nihilo nil gigni posse: quandoquidem apud illos ex eo quod non est, neque unquam fuit, usura generatur. Proinde publicanos agere turpe ducunt, quamuis lege permittente, ipsi uerò præter legem publicanos agentes fœnerantur, seu ut uerius dicam, fœnerando debita compilant. Qui enim plusquam expensum est scribit, debitum compilare rectè dici potest. Equidem Persæ secundum arbitrantur delictum mentiri, primum uerò debitorem esse, quandoquidem qui debent, ut plurimum mentiri coguntur. At longè plus fœnatores in suis Ephimeridibus nugantur ac imponunt, scribentes misero illi tantum mutuasse, quum tamen multò minus acceperit. Siquidem mendacium causa lucri, non necessitate, neque ob indigentiam

Ephimerides Græcis sunt, quę Latini Diaria uocant.

ab illis fieri solet, sed propter insatiabilitatem. Quæ tamen in fine ipsis infructuosa, ac inutilis existit, pernitiosa uerò miseris & iniuria affectis: minimè etenim agros quos debitoribus abstulerunt, colunt, neq; domos ex quibus illos eiecere inhabitant, nec mensas apponunt, nec uestibus illorum induuntur, sed primo debitores perdunt, inde delusos uenantur. Pascuntur enim tanquam ignis furens, ac assidue auctus, pernicie, ac uastitate infeliciter pereuntiũ, ex alio aliũ consumentes. Quinimo & si uorsura sua ignem assiduè nutriant, illumq; sufflando accendant, minimè tamen plus habent, præter id solum, quòd succedenti tẽpore cognoscere possint, quot debitores pessũ dedere, quot bonis spoliauere, unde extorserint, quo'ue congregatũ & cumulatũ collo cauerint argentũ. Et hæc haud existimate me tanquã fœneratorũ hostem enarrare:

Nanq; meos nec equos mihi, nec rapuere iuuencos:

Sed ut ostenderem illis, qui adeò parati sunt fœnebrem sumere pecuniam, quantum illiberalitatis ac turpitudinis res ea in se contineat, quodq; usuræ succumbere, extremæ sit dementiæ ac mollitiei. Habes? Ne fœnereris, quoniam non indiges. Non habes? Ne fœnereris, quoniam satisfacere haud poteris. Ita utraque per se diligenter cõsideremus. Fertur Cato ad senẽ quendã improbũ dixisse: Cur homo senectuti tot malis ac incommodis degrauatæ,

Paupertas ærumnosa, sed secura.

scelerum quoque turpitudinem imponis? Pariter & tu, paupertati cui tot adsunt mala, ærumnas quæ ex usuris & debitis ortum habere solent, ne accumula, neue paupertati securitatem auferr, qua solum à diuitijs differre uidetur. Est enim adagium facetum: Capram gestare non ualeo, bouem tamen superimponere laboro. Paupertatem ferre non potes, & tamen longè grauius tibijpsi onus, fœneratorem

fœneratorem scilicet imponis, etiam diuitibus intolerabile. Quo pacto igitur effugiam? inquis. Rogas? quum manus habeas, pedes habeas, uocem habeas, homo existas, cui peculiare est amare ac amari, gratificari ac gratiã recipere, literas doce, pueros instrue, ianitoris officio funge re, nauiga, renauiga: nihil horũ adeò turpe, nihil'ue tam molestũ, quam audire, redde. Rutilius ille Romæ aliquãdo Musonium quũ conuenisset: Musoni, inquit, Iupiter seruator, quẽ tu imitaris ac sequeris, nunquid fœneratur? Et Musonius subridens, nec fœnerat quidem respondit. Rutilius etenim quum ipse fœneraret, illi quòd fœneraretur improperabat. Quam Stoicalis petulans hæc dementia. τοφιμανία. *Cur enim Ionem seruatorem è cœlo detrahere necesse est, ac rebus comparare manifestis, quum nec hirundines, nec formicæ fœnerẽtur, quibus natura neq; manus, nec sermonem, nec artẽ tribuit? Solent homines intellectus abundãtia ac solertia, equos, canes, perdices, lepores, graculos instruere. Cur igitur teipsum nõ excitas? indocilior graculis existens, raucior perdice, ingenerosior cane. Nã si à nullo homine iuueris, orãdo tamen, delectando, ac custodiẽdo emergere potes. Non'ne cernis quẽadmodum multa subministret terra, multaq; pontus? Proinde Mycillũ aspice, Crates inquit, lanam cum uxore uerberantem, ac communi pugna famẽ fugientem. Rex Antigonus quum aliquando Cleanthem Athenis conspexisset, ita interrogare cœpit: Molis adhuc Cleanthes? Cui ille, Molo, inquit, Rex, idq; uitæ sustentandæ gratia facio. Erat sola uiri cura, ne à philosophia desistere cogeretur, ideo manibus quas pistrino ac molæ locauerat, de astris, sole, luna, ac deis scribebat. Nobis uerò seruilia hæc uidentur opera: nunquid igitur ut liberi simus fœneramur, uilibusq; adu-*

lamur

lamur hominibus, stipamus, cibamus, dona ac tributa persoluimus? Atqui non ob paupertatẽ usura præstari solet, nemo enim inopi fœnerat, sed propter sumptuositatem: nam si uitæ necessarijs contenti essemus, minimè usurariorum genus pessimum inueniretur, quẽadmodum nec Centauri, nec Gorgones. At delitiæ fœneratores fecerunt, nõ secus ac aurifices, unguentarios, ac tinctores. Haud enim uini ac panis gratia usuram debemus, sed ob fundos, mãcipia, iumenta, triclinia, ac mensas, liberaliterq; expendentes ac dilapidantes, gloriã sterilem ac ingratã quærimus. Etenim qui semel in fœneratorũ incidunt uoraginẽ, semper debitores remanent, aliũ ex alio, tanquam equus frenatus ascensorem, suscipientes. Cæterũ refugium nullum ad pascua illa & prata patet, sed tanquam fatis acti, & cœliuagi illi Empedoclis dæmones, miseri errant:

Luxus fœneratorum parens.

Impellit æther nanq; eos in pontum atrum,
Pontus subhinc in continentemq; proijcit,
Tellus eos rursus agit solem in rapidum,
Hic ætheris dehinc implicat uertigini.

Alium uerò ex alio suscipit fœnerator uel institor Corinthius, inde Patrensis, postea Athenienſis, quoad tandem ab omnibus exenteratus, penitus in usuras dissoluatur & religatur. Quemadmodum enim eum qui in lutum ceciderit, uel assurgere, uel ita permanere oportet, ne si madido ac humido corpore se circumagat seu uolutet, maiori inquinatione defœdetur, ita in transcriptionibus & mutui permutationibus, qui usuræ se immergunt ac irretiũt, semper grauiores fiunt, nilq; a cholericis distant, qui contempta cura, ac medici neglecto præcepto, tantum assidue humoris colligunt, ut ab infirmitate tandem liberari ualeãt minimè. Pariter & illi purgari haud sustinẽt, sed semper

semper ac omni anni tẽpore cum dolore ac torsione usuram offerentes, confestim usura altera affluẽte, ac instãte, iterum nauseant & grauantur. Quo pacto enim decenti remoto, liberi synceri'ue euadere possunt? Nunc uerò ad opulentiores & molliores sermonem cõuertam, dicentes: At seruis, lare, ac domo carebimus. Veluti si æger tumefactus ad medicum diceret, si aquam bibero, extenuabor ac macrescam. Sed cur id facere recusas, dummodo sanitatem adipiscaris? Et tu quoque seruis careas, ut non seruus fias, sisq; possessionis expers, ne alterius possessio efficiaris. Vulturum præterea sermonẽ audi. Nam altero uomente, & dicente, se uiscera eijcere, alter respondit: nunquid id graue? non enim propria, sed mortui, quem nuper dilaniauimus, uiscera euomis. Pariter & debitores fundos suos ac domos proprias haud uendunt, sed fœneratoris, quem iuxta legem dominum sibi constituerunt. Atqui per Iouem, dicet quispiam, pater hunc agrum mihi dereliquit. Ninurum & libertatem quoq;, ac ingenuitatem pater tibi tribuit, quarum longe rationem maiorem te habere decet. Nam & manus tibi & pedes, qui te genuit, fecit: at quum marcent, etiam merces illi qui amputat persoluitur. Porrò Calypso Vlyssem uestem induit odoriferam, ab immortali corpore redolentem, donum & memoriam amicitiæ illius. At postquã euersa naui, udo & graui indumento in profundũ traheretur, illam exuit ac abiecit, nudoq; pectore tigno innixus, in terram nando euasit, periculo uerò liberatus, nec uictu nec uestitu caruit. Atqui non'ne tempestas apud debitores oritur, quum fœnerator elapso tempore instat, dicens, Redde. quasi diceret:

Condensat nubes, pontum quoq; turbat ab imo,
Cumq; Euro incubuit Zephyrusq; Notusq; furentes,

Vsuris usuras impellentibus. At ille aspera deprehensus tempestate, tam grauiter spirantibus resistere conatur flatibus: quum uerò enatare uel effugere haud potest, simul cum amicis ac fideiussoribus dispărēs, in profundum mergitur. Proinde Crates ille Thebanus, quamuis nullo ære alieno obstrictus, à nemine uc molestatus, ob curas tamen solum domesticas, molestiasq; familiares substantiam octo reliquit talentorum, sumptoq; baculo ac pera, in philosophiam ac paupertatem confugit. Anaxagoras quoq; non infertili se abdicauit fundo. Sed quid illos enarrare necesse est? Siquidem Philoxenus Melopœus uitam ac domum opulentissimam in colonia Sicula hæreditate nactus, quum delicias, uoluptates, ac indigenam consideraſſet inelegantiam, per deos, inquit, bona hæc haud me perdent, sed ego illa, alijsq; hæreditate relicta, enauigauit. At debitores quamuis ære alieno quotidie degrauentur, tributum persoluant, seruituti subiaceant, ac argento ēmungantur, sustinent tamen ac tolerant tanquam Phineus Harpyias illas pennatas pascentes, quæ assidue uictum diripiunt ac auferunt, non hora debita, sed ante uernum tempus frumentū ementes, ac priusquam oliua decidat, oleum ac uinū colligentes, tanti inquit recepi, & scribendo precium persoluit. At racemus adhuc firmiter pendet, uixq; sub Arcturi sidere uindemia demum peragitur.

ἀμὶ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI, QVO PACTO POSSIS ADVLATOREM AB AMICO DIGNOSCERE.

Erasmo Roterodamo interprete.

QVI fateatur sese plurimum amare seipsum, Antiochę Philopappe, huic omnes ueniam dare solent, quemadmodū inquit Plato, quū tamen ea res, præter alia multa uitia, illud quoq; grauissimum gignat in homine malum, quòd nō potest esse sui iudex æquus & incorruptus. Quisquis enim amat, hallucinatur ac cæcutit in eo quod amat. Nisi quis doctrina consueſcat, ea magis habere in precio, sectariq;, quæ sint honesta, quàm quæ cognata, domesticaq;. Atque id quidem amplum locum ac spacium inter amicos præbet assentatori, quippe cui facilem & commodum in nos aditum aperit amor nostri, per quem quando sibi quisq; adulator est primus ac maximus, haud grauatim admittit & alium, si eorum quæ appetit ac uult, sibi testis simul & astipulator accedat. Siquidem qui contumeliæ causa dicitur Philocolax, hoc est gaudens assentatoribus, is uehementer est amans sui, ac propter benęuolentiā qua seipsum prosequitur, nihil non adesse sibi non solum cupit, sed etiam arbitratur. Quanquam hominum huiusmodi cupiditas quidē haudquaquam absurda, cæterum opinio periculosa est, quæ multam desideret cautionem. Quod si diuina quædā res est ueritas, ex qua ceu fonte, dijs pariter atq; hominibus omnia bona proficiscantur

φιλοκόλαξ.

ſcãtur, autore Platone, uidendam eſt ne adulator cum diſt omnibus ſit hoſtis, tum uerò maxime Apollini Pythio: Semper enim illi repugnat oraculo: Noſce teipſum, id inſerens in animos mortalium, ut unuſquiſq; fallat ſeipſum, ignoretq; ſua ipſius bona, ac mala: bona quidem mutila reddens, & imperfecta, mala uerò prorſus inemendabilia. Ergo ſi, quemadmodum cætera ferè faciunt mala, ſordidos & humiles duntaxat impeteret adulator, haud eſſet res perinde peſtilens, nec æquè uitatu difficilis. At poſteaquã uti teredines lignis teneris ac dulcibus potiſſimùm innaſcuntur, ſic ingenia generoſa, gloriæq; cupida, proba & humana recipiunt adulatorem, & adnaſcentem alunt. Ad hæc quoniam, ut inquit Simonides, quemadmodũ morbus alendi equos, non lecythum comitari ſolet, ſed arua frumẽtifera, ſic uidemus adulationem non eſſe comitem pauperum, aut ignobilium, aut parum potentium, ſed ingentium familiarum, * ac negociatorũ ruinam, ac morbũ exiſtere, adeò ut ſæpenumero regna quoq; ſubuertat, & imperia, non mediocris eſt negocij, neq; uulgarem poſtulat curam & prouidentiam, ſiquis de ea uelit expendere, quibus rationibus fieri poſſit, ut quum maximè ſe circũagat, ac penetret in omnia, tamẽ amicitiam non lædat, neq; traducat. Nam pediculi diſcedunt à morientibus, & corpora relinquũt, ſimul atq; ſanguis extinctus fuerit, quo nutriri ſolent, aſſentatores autem uideas nec attingere prorſus res aridas ac frigidas, nobilibus ac potentibus immunent, hisq; aluntur. Sed ijdem rebus commutatis ſtatim auolant. Verũ haud oportebit illius tẽporis experimentũ expectare, tum quidẽ inutile, uel potius noxiũ, neq; periculo uacans. Graue ſiquidem eſt, in eo demum articulo ſentire qui non ſint amici, quo amicis eſt opus, quum non liceat iam incertum

* negociatorum

Similitudo à pediculis ſumpta.

& inſy

& inſyncerum amicum, cum certo ſyncero q; permutare. Quin magis ut nummum ita amicũ habere conuenit, nempe probatum antequam eo ſit opus, non uſu ipſo deprehenſum. Neq; enim oportet intelligere poſteaquam malũ acceptum eſt, ſed nequid accipiamus mali experimentum adulatoris eſt capiendum, & animaduerſio. Alioqui idem nobis accidet, quod ſolet his qui letale uenenum non aliter ſentiunt, niſi quum præguſtarent, ſuo exitio iudicantes. Neq; hos ſanè probamus, neq; rurſum illos, qui amicos honeſto metiẽtes & utilitate, protinus ipſa re deprehendiſſe ſe putant aſſentatores eſſe, quorum cõſuetudo iucundior eſt, & blandior. Nec enim inſuauis res eſt amicus, nec incondita, neq; quiſquis aſper eſt & agreſtis, hoc ipſo amicus eſt, quòd ſeuerus, & auſterus, uerum ipſum amicitiæ decus, & grauitas ſuauis eſt & amabilis:

Hanc iuxta Charites q; & amor ſedem poſuere.

Neque enim afflicto ſolum dulce eſt, uultum intueri uiri beneuolentis, quemadmodum inquit Euripides, uerum in utraq; fortuna præſto eſt amicitia, non minus uoluptatem & gratiam addens bonis, quàm malis moleſtiam adimẽs, ac deſperationem. Et quemadmodum Eueni ſententia, condimentum potiſſimum eſt ignis ipſe, ſic deus qui uitæ mortalium amicitiam admuſcuit, omnia lauta, dulcia, gratáq; reddidit, hac præſente, ſimulq; res condiente. Alioqui deus. quomodo per delectationem inſinuaret ſeſe adulator, ſi conſpiceret amicitiam nequaquam admittere uoluptatem? certè nullo pacto. Sed uti quæ non aurea ſunt, ſed aurum arte mentientia, factitiaq;, ſolum ſplendorem ac nitorem imitantur auri, ſic adulator amicè iucunditatem ac feſtiuitatem effingens, omni tempore ſeſe hilarem ac blandum exhibere uidetur, nuſquam repugnans, nuſquam

Ignis & Eueni deus.

obsistens. Vnde qui nos laudant, non eos protinus suspectos adulationis habere conuenit. Siquidem non munus est amici, laudare in loco amicum, quam reprehendere. Quin potius prorsus esse morosum ac querulum, alienum est ab amicitia, mutuaq; uitæ consuetudine. Verum candidè libenterq; rectè factis suam laudem tribuentem benuolentiam facilè citraq; molestiam feruntrursus & admonentem, & liberè loquentem, dum & in bonam accipiunt partem, & credunt qui libenter laudat, eundem nõ nisi necessariò reprehendere. Ergo difficile est, dixerit aliquis, assentatorem ab amico discernere, siquidem neq; delectando differunt, neq; laudando. Nam in officijs & obsequijs sæpenumero uidere licet, amicitiam ab adulatione superari. Quid igitur futurum est? Dicam. Si uerum adulatorem miro artificio tractantem negocium insectemur, ac non quemadmodum uulgus hominum facit, adulatores existimemus istos quos autolecythos ac mensarios uocant, quiq; tum audiuntur, postquã manibus infusa est aqua, ueluti dixit quidam. Siquidem horum sordidum ac seruilem animũ, in unico calice, ac patina, scurrilitas ac nugacitas prodit & arguit. Neq; enim opus fuit Melanthiũ Alexãdri Phærei præsitũ deprehẽdere, qui interrogãtibus quomodo fuisset interfectus Alexander, per coſtam, inquit, in meũ uentrem: neq; hos qui mensas opulentas eingũt, quos nec ignis, nec ferrum, nec æs prohibet, quominus ad cœnam uentitent. Neq; rursus Cyprias illas assentatriculas, quopiam. quas quum in Syriam transissent, gradulos appellabant, quòd regum uxoribus in currum ascensuris, inclinatæ ceu gradus præberent. A' quonam igitur cauendũ est? Nimirum hoc, qui non uidetur adulari, neq; præ se fert adulatorem, quem non reperias circa culinam, neque deprehenditur

Ex poẽta

ditur umbrã dimetiens, uti cœnæ tempus cognoscat, neq; temere cadit, uino temulentus, sed plerunque sobrius est, curiosus est, ad rem pertinere putat, ut negociorum tuorũ sit particeps, uult arcanorũ fieri conscius: in summa, tragicus est amicitiæ histrio, non satyricus, aut comicus. Nam uti Plato dicit, extremum iniustitiæ genus esse, iustum haberi qui iustus non sit, ita sentiendum est & adulationem esse periculosam, quæ lateat, non eam quam aliquis præ se ferat: neq; eam quæ ludicra sit, sed quæ seria, propterea quòd hæc facit, ut ueræ quoque diffidatur amicitiæ, cui multa sæpe cum illa conueniunt, siquis animaduerterit. Gobryas igitur, quum forte in idem incidisset domicilium obscurũ, in quod fugerat magus, iamq; cum eo colluctari cœpisset, Darium imminentẽ & ambigentem, iussit utrũque transfodere. Nos uerò quandoquidẽ minimè probamus dictum illud, ualeat amicus cum inimico, & adulatorem cum amico mulcarum rerum simulitudine connexum distrahere conamur, diligenter cauere debemus, nequãdo uel unà cum malo eiiciamus id quod est utile, uel parcentes ei quod ad rem pertinet, incidamus in id quod noxium est. Nimirum ut inter agrestia semina, quæ forma ac magnitudine simulia sunt, frumentis admixta, difficilè repurgantur: aut enim unà non excidunt per angustiora foramina, aut simul excidunt per ampliora: sic adulatio difficilè separatur ab amicitia, quippe quæ sese in omnẽ affectum, in omnem animi motum, utilitatẽ, & consuetudinẽ cum illa cõmiscet. Iam quoniam omniũ rerum iucundißima res est amicitia, nec est aliud quicquã quod æquè delectet, ob hoc & adulator uoluptatibus irrepit, & uoluptati esse studet. Rursum quoniam gratia & utilitas consequitur amicitiam, unde dictũ est etiam illud: amicũ magis

ἐκλύσεσθαι ἄδαμα κρὸς ἢ ἀφαιρεῖσθαι, id est, iussit exigere per utrumque, scilicet gladiũ. Herodoto, libro tertio.

esse necessarium, quàm aquam, aut ignem: ob id adulator ingerens sese ministerijs, & obsequijs, uehementer dat operam, ut diligens, impiger, ac promptus esse uideatur.

Morum & studiorum similitudo conciliatrix amicitiæ.

Porrò quoniam morum ac studiorum similitudo præcipua res est quæ conciliet & contineat amicitias, ac modis omnibus ijsdem gaudere, eadem fugere, primum in unum committit & copulat affectuum concordia, id perspiciens adulator, sese ceu materiam quandam componit ac formar, accommodare sese studens, & aptare, quoscunq; fuerit aggressus, effingens & imitans illos, quam sit udus ac mollis, idoneusq; qui quiduis probabiliter exprimat & imitetur, ut illud possis dicere,

Es ipse Achilles, non Achillis filius.

Libertas loquẽdi, propria amicitiæ.

Ad hæc autẽ, quod est omnium in adulatore astutissimũ, quoniam intelligit loquẽdi libertatẽ tum dici, tum uideri propriam amicitiæ uocem, uelut animantis cuiusp iam: cõtrà non liberè loqui, & ab amicitia, & ab ingenuis moribus alienũ, ne hãc quidẽ inimitatam relinquit. Verũ non aliter atq; callidi obsoniorum artifices amaris succis, & austeris utuntur condimentis, quo dulcium satietatem adimant, sic assentatores haud uerã illam nec utilem, sed uelut è supercilio promicantem, palamq; titillantem adhibent libertatem. His itaq; de causis difficilimum est hominẽ deprehẽdere. Quod quidem accidit & in animantibus quæ colorem mutare solent, & rebus ac locis subiectis similia redduntur. At quoniam ille fallit & obtegitur similitudine, nostræ partes sunt, ostensis discriminum notis, eundem retegere ac renudare, alienis coloribus ac formis, quemadmodum inquit Plato, propterea quòd proprijs careat, ornatum. Protinus igitur à principio rem consideremus.

Principium amicitiæ.

Principium autem amicitiæ plerisque mortalibus esse dictum

dictum est, affectum ingenijq; similitudinem, mores eosdem, eandemq; uitæ rationem libenter amplectentem, issdem gaudentem studijs, negocijs, exercitamentis. Quibus de rebus dicta sunt & illa:

Seni senilis lingua iucundissima est.
Puero puellus, mulier apta est mulieri,
Aegrotus ægro: quem tenet sors aspera
Multis malis exercito est accommodus.

Ergo perspiciens adulator insitum esse nobis cõsimilibus gaudere & uti, eaq; libenter amplecti, hac uia primum nititur, unicuiq; semet adiungere, & in familiaritatem insinuare, non secus atque hi faciunt, qui beluam aliquam immanem alunt, issdem studijs & exercitamentis, earundem rerum cura, tractatione, paulatim accõmodans sese, & in eundem transformans uitæ colorem, donec ille ansam aliquam præbuerit, ac mansuetus iam palpanti, familiarisq; reddatur. Interea uituperat ac damnat & res, & institutas uitæ, & homines, quibuscunq; senserit illum offendi. Rursum quæ placent, ea laudat haud moderate, sed ita, ut cum stupore & admiratione supra modum efferre uideatur. Porrò quod amat & odit, id confirmat à iudicio profici sci potius quam affectu. Quanam igitur ratione deprehẽditur, aut quibus discriminum notis capitur ille qui nec est, nec fit similis, uerum se similem mentitur? Primum illud animaduertẽdum erit, num simile sit uitæ institutum, & num similitudo perpetua sit & concinens, num semper issdem gaudeat, eadem laudet, num ad idem exemplar uitam suam dirigat, componatq;, sicuti dignum est ingenuo, cui uerè cordi est amicitia, uitæq; consuetudo, morum similitudine cohærens. Nam huiusmodi est amicus. At adulator, qui nullam morum stabilem habeat sedem, nec

ullum

ullam uitæ genus sibi præscripserit, sed nunc his, nunc illis accõmodet sese, & affingat, haudquaquã simplex est, nec unus, sed in quamuis mutabilis speciem ac uarius, alio atque alio subinde habitu, aquarum in morem semper trãseuntium, ac præterfluentium, quæ ad subiecti soli speciem transmutantur. Nam simius quidem, ut uidetur, hominem imitari studens capi solet, dum unà cum illis mouetur ac saltat. Contrà assentator ultro alios illicit ac fallit imitando, non quidem eodem modo omnes, sed cum hoc quidem unà saltans & cantans, cum illo colluctans & conflictans. Porrò nactus hominem uenandi studiosum, sequitur, tantum non exclamans ea quæ Phædra dicit in Tragœdijs: Per deos gestio canibus dilacerare cernos maculosos, cassibus implicans. Atqui nihil ille molitur in feram, sed ipsum irretit, ac circumuallat uenatorem. Quòd si iuuenem uenetur & captet, literarum ac discendi cupidum, rursum in libris est totus, barbam ad talos usq; demittit, amicitur pallio, in uictu nullus delectus, tum in ore habet numeros, rectangulos, & triangulos Platonicos. Rursum siquis solutior in eum inciderit, iam compotationibus gaudet, ac diues efficitur.

Simius hominẽ imitatur.

Deinde quidem pannis usus est exutus Vlysses. Abijcitur pallium, detondetur barba ceu messis infrugifera, poscuntur delicata uasculà refrigerãdo uino, & phialæ, proferuntur risus ac ioci in deambulationibus, iaciuntur dicteria in philosophos. Id quod accidisse narrant Syracusis, quum illuc aduenisset Plato, ac Dionysius miro quodã ardore philosophiæ teneretur, nempe regiam puluere fuisse refertam, præ turba geometricas pingentium figuras. At simul atq; iam offendisset Plato, ac Dionysius relicta philosophia rursus ad cõpotationes, ad mulierculas,

las, ad nugas, ad lasciuiã præceps raperetur, statim uniuersos, perinde quasi Circes poculis transformatos, literarũ odium, obliuio, uitæq; mollities occupauit. Conueniunt autem & magnorum adulatorũ facta, & eorum qui Rempublicã administrant, quorũ summus Alcibiades. Is Athenis dicterijs ludebat, alebat equos, comemq; quandam & festiuam agebat uitam. Idem apud Lacedæmonios ad cutẽ usque radebatur, gestabat palliũ, frigida lauabat. Rursus in Thracia belligerabatur ac potabat. Porrò quum peruenisset ad Tisaphernem, delitijs, mollitiei, fastuiq; se dedidit. Atq; ad hunc modum effingens sese, & ad omnium mores accommodans, plebem sibi conciliabat, & in consuetudinem ac familiaritatem sese insinuabat. At non talis fuit Epamunõdas, nec Agesilaus, qui tametsi cum pluribus hominibus, ac diuersorum institutorum ciuitatibus haberent consuetudinem, tamẽ ubiq; mores se dignos, & amictu, & uictu, & oratione, & uita tuebantur. Sic & Plato nõ alius fuit Syracusis quàm in Academia, nec alius apud Dionysium quàm apud Dionem. Cæterum adulatoris uelut polypi piscis mutationes facillimè deprehendere licebit, dum idem in diuersa uerti uidetur, uituperans quam prius laudauerat uitã, rursum approbãs facta, uitæ rationẽ, dicta, perinde quasi placeãt qbus antea offendebatur. Videbis enim illum haudquaquam stabilem, ac suum, neq; proprio affectu diligentem, aut odio habentem, gaudentem, aut dolentem, sed speculi ritu, externorum affectuum, uicissim, ac motuum imagines in se recipientem. Talis enim est, ut si uerbotenus amicum aliquem apud illum uituperes, dicat: Sero tu quidem hominẽ pernosti, nam mihi nec initio placebat. Rursum si mutata sententia laudes: Per Iouem gratulor, inquiet, & illius nomine gratiam habeo

Alcibiadis mutatio.

Assentator speculo cõparatur.

habeo, planéq; uera credo quæ dicis. Quòd si dixeris diuersum uitæ genus esse suscipiendum, tanquam à Reipublicæ negocijs digressus ad tranquillam, & à negocijs alienam uitam te uelis cõferre: Iam olim, inquit, nos ab his tumultibus, & inuidentijs liberari conueniebat. Quòd si rursum ad negocia, & agendas causas propensus uideris, statim acclamat: Digna te cogitas, nam à negocijs abesse, iucunda quidem res est, sed humilis & ingloria. In hunc igitur protinus illud dicere conueniet:

Hospes nunc alius nubi quàm prius esse uideris.

Nil opus est amico, qui mecum mutet locum, qui mecum annuat, quandoquidem ista multò magis facit umbra, sed eo qui mecum uera loquatur, qui mecum dijudicet. Atque una quidẽ adulatorẽ deprehẽdendi ratio hæc est. Alterum autem discrimen quod obseruandum inter similitudines, hoc est: Qui uerus est amicus, is nec imitatur omnia, nec facilè laudat omnia, sed optima tantum.

Nam socius esse amoris, haud cursus solet,

Quemadmodum inquit Sophocles. Imò per Iouem, in rectè factis, in honestarum rerum studio socius est amicus, non in peccando, nec in facinoribus. Nisi siquis insciens uitium & improbitatem ex conuictu & familiaritate sibi contraxerit, quemadmodum oculorum morbus contagio serpit & inficit uicinum. Sic enim ferũt Platonis familiares contractos humeros expressisse: item Aristotelis amicos balbutiem illius imitari solitos: rursus Alexandri regis familiares ceruicem inflexam, & in dicendo uocis asperitatem reddidisse: Sunt enim nonnulli, qui non sentientes

Adulator ex alienis moribus & ingenijs multa in se recipiunt. Vechamælcõti rum adulatori prorsus id accidit, quod solet chamælcõti: similis. Siquidem & ille colorum omnium exprimit similitudinẽ, præterquam

præterquam albi. Itidẽ adulator quum sese similem præstare nequeat in his quæ digna sunt studio, nihil in turpibus inimitatum relinquit. Sed quemadmodum imperiti pictores, quum quæ pulchra sunt assequi nequeant, in rugis, ac uerrucis, & cicatricibus similitudinem repræsentant, sic assentator imitatur intemperantiam, superstitionem, iracundiam, acerbitatem in famulos, diffidentiam erga domesticos & cognatos. Nam præterquam quòd est suapte quoque natura procliuis ad deteriora, uidetur sibi ita longissimè abesse à uitio reprehensionis, si turpia imitetur. Suspecti sunt enim, qui quærunt meliora, quiq; amicorum erratis offendi, eaq; molestè ferre uidentur. Quæ quidem res & Dionysio Dionem, & Samium Philippo, & Cleomenem Ptolemæo suspectos & inuisos reddidit, Adulator autem simul & iucũdus uideri studet & fidus, quasi præ magnitudine amoris ne malis quidem offendatur, sed in omnibus ijsdem ducatur affectibus, & ingenio consentiat. Vnde tales nec fortuitarum rerum, quæq; citra nostrum accidunt cõsilium, expertes esse uolunt: quin & simili morbo teneri se fingunt, assentantes ægrotantibus, & nec acutè cernere, nec audire, si cum luscioſis ac surdastris agant. Quẽadmodũ Dionysio cæcutiente, adulatores illius alius in alium impingentes, & patinas inter cœnandum deijcientes, simulabant & ipsi cæcutientiam. Nonnulli uerò magis etiam penetrantes in affectus, interius & altius insinuant sese, & usq; ad arcana similitudinem affectuum commiscent. Etenim quũ senserint aliquos infeliciter duxisse uxorẽ, uel de filijs aut domesticis malè suspicari, ipsi suis non parcunt, sed quæruntur de liberis proprijs, aut uxore, aut cognatis, aut familiaribus, arcana quædam crimina proferentes. Siquidem similitudo facit,

ut

ut magis affici, tangíque uideantur amici malis. Iamq; illi ceu datis obsidibus, effutiunt uicißim arcanarũ rerum quippiam. Aſt ubi effutierint, utuntur illis, metuũtq; fidei deſertores uideri. Ego uerò noui quendã, qui uxorẽ ſuam eiecerit, ut amicus item ſuam repudiaret. Deprehenſus eſt autem clãculum ad illam commeare, uel ad ſeſe accerſire, id quod etiam ab amici uxore animaduerſum eſt. Vſque adeo non nouerat adulatoris ingenium, qui credidit hoi uerſus Iãbicos magis conuenire cancro quam aſſentatori:

Eſt uenter omne corpus, undiq; obtuens
Oculus, ſuiſq; beſtia reptat dentibus.

Nam huiuſmodi quidem eſt imago paraſiti, & amicorum qui patellam ſequuntur, & ad prandia præſto ſunt, quẽadmodum inquit Eupolis. Verum hæc quidem omittamus in præſentia, ſuo dicẽda loco: at illud adulatoris artificiũ haud eſt prætermittendum: quòd ſi quid etiam imitatur honeſtum in eo quem aſſentando captat, tamẽ illi cedit uictoriã. Inter hos enim qui ueri ſunt amici, nec ulla intercedit æmulatio, nec inuidia, ſed ſiue pares fuerint in rectè factis, ſiue impares, æquo animo ferunt. At aſſentator, cui ſemper curæ eſt ſecundas agere partes, ſic imitatur æqualitatẽ, ut ſuperetur, ſitq; inferior, omnibus in rebus uinci ſeſe dicẽs, præterquã in malis. Porrò in malis haud concedit illi primas: uerum ſi fuerit ille moroſus, ſeſe prædicat atræ bili obnoxium eſſe: ſi ille fuerit ſuperſtitioſus, ſe dicit numine quopiã afflari rapiq;: ſi amarit ille, ſe dicit inſanire: Immodice, inqt, riſi: at ego, inquit, præ riſu emoriebar. In bonis autẽ rebus cõtrà facit. Nam ſe quidẽ ait currere uelociter, ſed illum uolare. Se quidẽ equitare mediocriter, ſed quid, inquit, ad hunc Hippocentaurum? Poëta ſum non infelicis ingenij, nec peßimos omnino facio uerſus:

tonare

tonare uero non meum eſt, ſed Iouis. Et ſic adulatur, ut oſtendat ſibi conatum honeſti nõ defuiſſe, quam imitetur: ſed dum non aſſequitur, uiribus deſtitui. Quantum igitur ad ſimilitudinẽ attinet, huiuſmodi notis dignoſcere poſſis adulatorem & amicum. Cæterum quoniam, uti iam dictum eſt, delectatio quoq; communis eſt ambobus, neque enim minus uir bonus delectatur amicis, quàm malus aſſentatoribus, age diſtinguamus & hanc partem. Eſt autẽ diſtinguendi ratio, ut ad ſuum finem delectatio referatur, id quod hunc ad modum cõſideres licebit. Habet unguentum fragrantiam, habet & pharmacum, ſed hoc intereſt, quòd illud ad nihil aliud quam ad delectandum paratum eſt, in hoc uerò quòd purgat, quòd calefacit, quòd carne uulnus obducit, præter hanc uim, obiter etiam bene olet. Rurſum pictores iucundos colores ac tincturas miſcent: ſunt autem & medicorum nonnulla pharmaca, aſpectu iucunda, coloribuſq; non inamœnis. Qui differunt igitur? Nimirum hoc, quòd uſus fini diſcernuntur. Ad conſimilem ergo modum, amicorum mutua beneuolentia in re quapiam honeſta frugiferaq; habet quiddam quod oblectet, uelut aditum ad uoluptatem. Aliquoties autem luſtibus, conuiuijs, uino ſeſe oblectant, nonnũquam iocis ac fũcetijs inter ſe ueluti condimentis honeſtarum ac ſeriarum rerum utuntur. Vnde & illud dictum eſt:

Oblectant animũ uario ſermone uicißim. Item illud:
Indiſcretus amor fuit, indiſcreta uoluptas.

Verum unũ hoc agit adulator, unum hoc ſpectat, ut ſemper uel luſum aliquem, uel rem, uel orationẽ ad uoluptatem comminiſcatur, & arte condiat. Sed ut rem in pauca conferam, adulator quo delectet, nihil non faciendum ſibi putat: ac amicus ſemper faciens quod oportet, ſæpe iucundus

Vtilitati ſtudet amicus.

cundus est, sæpe molestus, nec hoc cupiens, nec illud fugiens, si quidem esset utilius. Sicut enim medicus quũ expedit crocum & nardum immiscet pharmacis, atque adeo sæpenumero & lauat placidè, & alit benigne, nonnunquam his prætermissis, castorium immittit,

Aut graue olens polium, uirus inamabile cuius,
Aut tritum elleborum cogit ebibere, nec hic molestiã, nec illic iucunditatem ceu finem spectans, sed utrisq; modis ad idem tẽdens, nempe ut cum quem curat, ad meliorem adducat ualetudinem: Itidem amicus, nonnunquam effirens ac delectans amicum, laude & benecuolẽtia ad honestum adducit, uelut ille apud Homerum:

Teucer amice mihi Telamonie, ductor Achiuũm,
Face isto iaculere modo. Et illud:
Pòst equidem quinam̃ diui obliuiscar Vlyßis?

Rursum quum coërctione est ὀpus, tum sermone mordaci, castigatoriaq; libertate tangens ait:

Insanis Menelaë, nec hæc dementia quicquam
Profuerit tibi. Nonnunquã facto simul & dictis corripit. Quemadmodũ Menedemus Aselepiadis amici filiũ luxuriosũ & incõpositæ uitæ excludes, nec alloquẽs, sobrium reddidit. Et Batto scholam interdixit Arcesilaus, quum uersum in Cleanthem fecisset in comœdia. Cæterum posteaquam Cleanthi satisfecisset, factiq; pœnitere, recepit hominem in gratiam. Oportet enim sic amicum contristare ut prosis, non oportet autem contristando tollere necessitudinem, sed dolore ceu mordaci pharmaco conuenit uti, quod seruet & incolumem reddat eum qui curatur. Vnde sicut musicus, itidem & amicus, ad honestatem & utilitatem utens mutatione, dum quædam concedit ac remittit, quædam intẽdit, sæpe quidem

dem iucundus est, semper autem utilis. Contrà assentator, semper eadem fòrmula, eodemq; tenore, quod delectat, & ad gratiam facit, assonare solitus, neque facto nouit expugnare, neque dicto molestus esse, tantum quod illum uelle uiderit, id sequitur, semper ad illius uocem concinens & concordans. Quemadmodum igitur Xenophon narrat, Agesilaum libenter ab his laudari solitum, qui non dubitarent & uituperare, ita putandus est amicè iucundus & blandus esse, qui quandoq; possit contristare amicum, ac resistere. Consuetudinem autem perpetuò iucundam, & ad immodicam gratiam obseruiẽtem, omniq; carentem morsu, suspectam habere conuenit, atque adeo Laconis illud in promptu habere, qui Charillum regem laudante quopiam, quonam, inquit, pacto hic bonus esse possit, qui ne malis quidem acerbus est? Aiunt itaq; quosdam tauris œsirum in aurem inserere, & canibus tẽ uermiculum quem Crotonem uocant. Adulator autem ambitiosorum aures laudibus occupans, & affixus, haud facilè excutitur. Vnde tam maximè uigilanti iudicio fuerit utendum, & obseruandum, utrum ea laus rei tribuatur, an homini. Rei tribuitur, si magis laudent absentes quàm præsentes, si ijdem uelint eadem, suspicientes non nos solum, sed quoscunq; consimiles, ac non modò hæc, modò diuersa tum dicãt, tum faciant. Ad hæc, quod est omniũ maximum, considerandum est, si non senserimus ipsi nosmet ipsos uel pœnitere, uel pudere eorum de quibus laudamur, ac non optare potius diuersa à nobis facta dictaq; fuisse. Siquidem domesticum animi iudicium reclamans, nec agnoscens huiusmodi laudes, haud corrumpitur, aut tangitur affectibus, nec assentatoribus capi potest. Verum haud scio quo pacto cõplures in rebus quidẽ aduersis cõ

solationem non ferunt, sed magis hos admittunt, qui una secum lamentantur ac deflent. Porrò quum errauerint, ac deliquerint, si quis eos coarguerit, mordaciq; reprehensione pœnitudinem inducere conetur, hunc hostẽ & criminatorem esse ducunt. Qui uerò collaudet ac prædicet quæ fecerint, cum amplectuntur, hunc benevolum & amicum esse putant. Iam uerò qui factum aut dictũ, quicquid illud fuerit, quod uel serio dixerit, uel falsè in quempiam luserit, laudant & applaudunt, ij solũ ad præsens, ac statim noxij deprehenduntur. At qui laudando penetrãt ad ipsos mores, & his corrumpendis adulantur, perinde faciunt ac famuli solent, qui non de aceruo, sed de semine furantur. Nam dum uirtutis uocabula uitijs tribuunt, nimirum inficiunt affectum actionum seminariũ, & habitum animi, unde ceu fonte omnia uitæ officia proficiscuntur. Scribit enim Thucydides, in seditiõibus ac bellis, solitum uocabulorum dignitatem non ijs tribui factis quibus oportebat, sed accommodarij ijs quæ fiebant. Siquidem audacia temeraria, fortitudo contentiosa iudicabatur, cunctatio prouida, timiditas decora. Contrà modestiæ nomine prætexebatur ignauia, & diligens in omni re prudẽtia, segnities habebatur. Cæterum in adulationibus perspicere & cauere conuenit luxum liberalitatis nomine fucatũ, timiditatem cautelæ, temeritatem celeritatis. Rursum sordes frugalitatis palliatæ uocabulo, tum cum qui fœdis amoribus est deditus, appellatum comem & amantẽ: iracundum autem ac præferocem, dictum magnanimũ: porrò uilis abiectiq; animi hominem, uocatum humanum. Quemadmodum alicubi scribit & Plato, amantem quoniã adulator est ijs quos amat, cum qui simis est naribus, amabilem appellare: qui naso sit aduncо, regalem: qui nigri

nigri sint, uiriles: qui candidi, deorum filios. Porrò mellei cognomen, prorsus amantis esse fucum, diminuentis, facileq; ferentis amatæ pallorem. Quanquam cui persuasum est, ipsum esse formosum, quum sit deformis, aut procerum esse, quum sit pusillus, is nec diu tenetur hoc errore, & leni afficitur incommodo, nec eo quidem immedicabili, uerum quum uitia uirtutũ nominibus laudantur, ut iam peccas non modò non dolens, sed gaudens etiã, detrahiturq; peccatis pudor: ea nimirum res Siculos subuertit, quòd Dionysij Phalaridisq; crudelitatẽ, iustitiam, & sceleratorum odium uocarent adulatores. Eadẽ Aegyptũ perdidit, quòd Ptolemæi muliebritatem, afflatus, eiulatus, liliorum ac tympanorũ insculpturas, religionẽ deorumq; cultum appellarent. Eadẽ Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, ac sustulit, quòd Antonij delitias, libidines, ac uiscerationes its blandiẽtes extenuarẽt, ut humanitatẽ & hilaritatem uocarẽt, indulgente illi potentia fortunaq;. Porrò quæna alia res Ptolemæo insulam ac tibias addidit? Quid aliud Neroni tragicũ addidit ornatum? quid personã & cothurnos induit? An non assentatorum laudatio? Iam reges pleriq;, non ne si quum musicantur, uocãtur Apollines: quũ inebriantur, Bacchi: quũ luctantur, Hercules, in omne dedecus gaudẽtes adulatione abducuntur? Quapropter potissimum in laudibus cauendus erit assentator, id quod nec illum ipsum fugit, sed miro artificio cauẽs ne suspectus sit, siquem nactus fuerit splendidè cultum gloriosum, aut agrestem crassa uestitũ tunica, tum toto utitur naso. Quemadmodũ Struthias insultans Bianti, ac laudibus in stuporem illius debacchans: Plus, inquit, bibisti quàm rex Alexander. Item quum risu Cyprũ incesseret. Quòd si uiderit eos nasutiores, maxime

xime si conspexerit animaduertentes, ac regionem hanc, ac locum, ne possit adulator occupare, custodientes, tum non statim laudem inducit, sed procul discedens, longisq; circumactus ambagibus, tandem accedit, nullo strepitu, ceu belua manu contrectans ac palpans, tentansq;. Interdum enim aliorum de illo laudes renunciat, rhetorum exemplo, alienam inducens personam, dicens in foro se hospitibus quibusdam, aut senibus admodum libenter astitisse, multa, & ea quidem bona de illo referentibus, & illius uirtutes admirantibus. Rursum aliquoties leuibus quibusdam & falsis criminibus confictis, & in illum compositis, perinde quasi ea ab alijs audierit, accedit festinabundus, ac serius rogans, ubinā hoc aut illud dixerit fecerit q;. Tum ubi negarit ille, sicuti consentaneum est, hac ipsa occasione tenens hominem, in laudes conijcit. At ego mirabar, inquit, si tu cuiquā amicorū maledixisses, qui ne inimicis quidem soleas. Mirabar si tu occupasses aliena, qui tam multa largiare de proprijs. Rursum alij pictorum imorem, qui quo quædā illustriora reddant, ac splendidiora, addunt in propinquo umbrosa quædam & obscura, ita clām laudant & alunt eorū uitia quibus adulātur, dū his cōtraria uituperant, insectantur, carpunt, ac deridēt. Siquidem apud luxuriosos, auaros, ac sceleratos, improbos, quiq; sibi diuitias fœdis modis pepererunt, frugalitatē rusticitatis nomine uituperant, sua cōtentum esse sorte, iustitiamq; hominis nihil audentis esse dicūt, quiq; sit imbecillis ad capessēda negocia. Cæterū ubi uersantur cū inertibus & ocio deditis, ac mediā ciuitatis lucem fugientibus, non pudet illos reipublicæ administrationē, alienorum negociorum laboriosam gestionem appellare, & magistratus honorem, inanem uocare gloriā ad nihil utilem.

Iam

Iam uerò nonnunquā & rhetorica adulatione traducūt philosophū, & infamāt, & apud lasciuas mulierculas magni fiunt, dum matronas uno cōtentas, & uirorum amantes, rusticas & alienas à Venere uocant. Est autē illud omnium sceleratissimum, quòd nec à seipsis temperāt adulatores. Nam quemadmodum luctatores suum corpus humiliant, ut deijciant alios, sic illi uituperādo seipsos, clanculum huc irrepunt, ut alios laudent. Timidum, inquiunt, sum mancipiū in mari, à laboribus abhorreo, insanio iracundia, si quis mihi maledixerit: Verū in hoc quidem nihil est mirum, neque uitio tribuendum, quanquam is qui uere sit homo, cuncta placidè, citraq; molestiam tolerat. Quòd si quis fuerit, qui sibi plurimum sapere uideatur, cupiat seuerus ac rigidus uideri, semper Homericum illud ueluti præ rectitudine quadam animi in medium adferens:

Tytide, neq; ualde probes, neq; uituperes me.

Hunc non hac artifex assentator aggreditur uia, sed est alia quædā ars qua capiat hominem. Accedit enim de suis ipsius negotijs, ut uidelicet prudentia præstantiorē consulturus, ac se malle quidē alijs molestum esse posse familiaribus, cogi tamen, ut illi negocium exhibeat. Nam quò confugiamus, inquit, quum opus est consilio, aut cui fidē habeamus? Deinde posteaquam audierit, quicquid illud sit quod ille dixerit, ita discedit, ut confirmet se oraculum accepisse, non consilium. Quòd si quē uiderit, qui facundus & eruditus haberi studeat, huic aliquid suorum scriptorum exhibet, orat uti legat & emendet. Porrò Mithridati regi, rei medicæ studioso, quidā amici & secādos & urendos sese præbuerunt, factis nō uerbis adulātes. Siquidem testimoniū esse uidebatur artis quòd illi crederēt,

Sanè uaria est forma deorum.

Cæterum illum diſsimulatum laudationis genus, diligentiorem requirens cautionem, arguendum & aperiẽdum eſt, quod data opera, abſurda quædam profert conſilia monitaq;, & correctiones nihil ad rem pertinentes. Et enim dum nihil refellit, omnibus annuit, approbat omnia, & ad ſingula ſuecclamat, bene dictum, ſatis factum, nimirum palàm intelligitur,

Rogare ſtudio, cæterum aliquid perſequens
Hoc agere, ut laudet, ac laudatum magis exoſculet.

Ad hæc ſicuti quidã poëticen definierunt, tacentẽ eſſe pictură, ſic & adulatio nonnunquã tacẽdo laudat. Vt enim qui uenantur ita magis fillere ſolent quæ captant, ſi non hoc agere, ſed uel iter facere uel paſcere greges, uel agricolare uideãtur, ſic adulatores tum maximè mouent laudando, quum uidẽtur nõ laudare, ſed aliud quiddã agere. Nam qui locum cedit ad cõſeſſum ueniẽti, & qui loquẽs apud populum aut in curia, ſi ſenſerit diuitem aliquem uelle loqui, obticeſcit interim, locum ſimul & orationem illi cedens, ſilendo magis declarat, quàm alius clamore, quòd illum ſuperiorẽ & ſapiẽtia præſtantiorẽ exiſtimat. Vnde cernere licet iſtos prima ſedilia in recitationibus & ſpectaculis occupãtes, non quòd ipſi ſe dignos his arbitrentur, ſed quo cedẽtes diuitibus, eis adulentur. Itẽ uidere eſt illos in comitijs & cõcilijs primas dicendi partes occupare, mox eas cõcedere potentioribus, ac facillimè in diuerſam ire ſententiã, ſi potẽs, aut diues, aut nobilis fuerit qui cõtradicit. Atq; hac nota potiſsimum iſtiuſmodi cõceſsiones illorum & delationes oportebit deprehendere, quòd haud cõcedant uſui rerũ, neq; uirtuti, neq; ætati, ſed opibus, & nobilitati. Nã Apelles pictor aſsidẽti ſibi Megabyzo, & neſcio quid de lineis & umbris loqui conãti,

Megabyzũ potuit Politia. Miſcel. cap. xlviij. In Suida quoq; μεγάβοξος. legitur.

Vides,

Vides, inquit, hos pueros Melidem colorem terentes? ibi tacentem te ſuſpiciebant, purpuram & aurum admirabantur, at ijdem nunc deridẽt, poſteaquam de his loqui cœperis, quæ non didiciſti. Et Solon Crœſo de felicitate percontanti, Tellum quempiam Athenienſem obſcurum hominem, ad hoc Bitonem & Cleobim, pronunciauit eſſe feliciores. At aſſentatores, reges, diuites, ac primates, non felices tantum ac beatos prædicant, ſed iſſdem & in prudentia, in artificio, in uirtute primas tribuunt. Hæc quum ita habeant, ſunt qui Stoicos nec audire ſuſtineant, quum ſapientem ſimul & diuitem, & formoſum, & clarum, & regem appellãt. Adulatores autem qui diues ſit, eum ſimul & rhetorem & poëtam, quòd ſi uiſum ſit, etiã pictorem ac tibicinem faciunt. Inſuper & pedibus celerem, & robuſtum, dum illi ſuccumbunt inter luctandum, & in curſu ſuperantur. Sic enim Criſſon Himeræus, curſu contendens cum Alexandro, data opera uincebatur: quod quidem ſentiens rex, indignè tulit. At Carneades dicere ſolitus eſt, diuitum & regũ filios nihil rectè neq; bene diſcere, præterquam equitare, propterea quòd his aſſentetur præceptor in exercitatione literarũ, uſq; laudans quicquid dixerint, aduletur & is qui colluctatur, cedẽs ac ſubmittens ſeſe. Porrò equus haud intelligens neq; cogitans, priuatus quis ſit, an magiſtratus, diues an pauper, præcipitat quiſquis ignarus ſit equitandi. Stulta igitur & aſpernãda, quæ dixit Bion: Siquis agrũ laudando feracẽ & frugiferũ reddere queat, non uidere errare, qui id facere malit, quàm fodere & fatigari. Ad eundẽ modũ haud abſurdè facere uideatur, qui laudet aliquem, ſi ei quẽ laudat, utilitatẽ ac frugẽ adferat laudãdo. Nam ager quidem nihilo deterior redditur quum lauda-

tur, at qui hominem falsò præterque meritum laudant, tumidum illum reddunt ac perdunt. Ac de his quidem hactenus satis dictum est, superest ut de loquendi libertate uideamus. Itaq; quemadmodum Patroclus Achillis inducens arma, & equos in pugnam educens, solam hastam Pelicam nõ ausus est attingere, sed hanc omisit, sic conuenit hoc ut adulator, quum amici cultum & supellectilem adumbrat, hucusque notas & insignia imitatur, solam loquendi libertatem, tanquam eximium amicitiæ gestamen, graue uidelicet, ingens, & ualidum, intactam & inimitatam relinqueret. Verum quoniam, cauentes ne in iocis, aut uino, dicteriisq; & lusibus deprehendantur, iam ad supercilium & seueritatem rem transferunt, & adulantur austeritatis prætextu, reprehensionem quandam ad admonitionem admiscẽtes, age ne id quidem inexploratum relinquamus. Quemadmodum igitur in Menandri comœdia falsus Hercules inducitur, clauam gestans, non graue, neque robustam, neque rigidam, sed molle quoddam & inane figmentum, sic arbitror assentatoris libertatem ijs qui capiunt experimentum, mollem uideri, minimeq; graue, neq; rigorem habentem, sed idem facientem quod solent mulierecularum capitibus impositæ struices, quæ quũ uideantur earum capitibus reniti & resistere, cedunt magis & obsecundant. Itidem & ista fucata dicẽdi libertas, quum inane, falsum, & cauum habeat pondus, attollitur quidem ac tumet, ut subsidens & contrahens sese, capiat & pariter abripiat, in illum sese conijcientem. Nam uera & amica libertas, peccatis imminet, salutarẽ ac medicam adferens molestiam, nõ secus atq; mel, quod ulcerosa mordet, ac repurgat, alioqui iucundum & utile. Sed huic rei suus dabitur sermo. Adulator autem in cæteros quidem acerbus

Struices, id est ceruicalia.

acerbus, & uehementer asper, & inexorabilis uidetur. Nam suis famulis grauis est, cognatorum ac familiarium errata grauiter incessit, nec externorum quenquam aut miratur, aut reueretur, sed fastidit ac despicit ignoscens nemini, sed deferens ac calumnians, ut alios ad iram instiget, hoc modo captans famam & opinionem hominis uitijs infesti, ut nec in hos uideatur studio temperare à libera obiurgatione, neq; quicquam ad gratiam uel facere, uel dicere. Deinde idem in ueris ac magnis eorum quibus adulatur peccatis, nihil se scire nec intelligere simulans, ad errata leuissima, nihil ad hoc pertinentia, mire cõcitatur, magnoq; clamore & acrimonia iurgatur, siquod uas neglectum iacere conspexerit, si parum splendidè habitantem, si parum diligenter à tonsore curatum, si togam, canem, aut equum parum, ut oportet, curatum uiderit. Cæterum parentum contemptus, liberorum neglectus, uxoris contumelia, fastus in familiares, pecuniarum absumptio, nihil hunc mouent, in his elinguis est, in his timidus, perinde quasi Aliptes Athletam inebriari, scortarique sinens, circa Lecythum & *frictum morosus sit, aut si grammaticus puerum de tabula, deque stylo castiget, porrò solœcismum aut barbarismum committentem audire se dissimulet. Talis enim est adulator, qualis sit is qui in imperito ridiculoque oratore, nihilq; dicẽte quod ad causam pertineat, de uoce cauilletur, & grauiter accuset, quòd frigidã potans, corrumpat arteriã, aut si iussus scripturã malã & imperitã emendandi causa percurrere, causetur quòd crassior sit charta, ac nõ magis scriptorẽ ipsum malũ ac negligentẽ appellet. Ad hunc modum adulatores & Ptolemæo quũ discendi cupiditas uideretur, de lingua, de uersiculo, de histo-

riola

*στιγγὶς, id est, ξύσμα, genus ollæ.

riola digladiantes, ad mediam usq; noctem reluctabãtur. At uerò seuienti, ferocienti, tympanis utenti, uectigalibus oneranti populũ, nullus è tam multis obsistebat. Non aliter ergò, ac si quis hominis tubera fistulasq; habentis, medico ferro pilos incîdat & ungues, sic assentatores, obiurgandi libertatem his admouent partibus, quæ non dolent neq; molestiam adferunt. Quin etiam sunt & his astutiores nõnulli, qui ipsa reprehẽdendi libertate, ad gratiam & uoluptatem utuntur. Quemadmodum Agis Argiuus, quum Alexander ridiculo cuidam ingentia daret munera, præ inuidia ac dolore exclamauit: O rem uehementer absurdam. At postquam Alexander ira percitus conuersus ad illum dixisset, & quid tu tandem ais? Fateor, inquit, me molestè ferre & indignari, quum uideã uos omnes è Ioue prognatos, æquè adulatoribus & ridiculis hominibus delectari. Siquidem & Hercules Cercopibus quibusdam & Bacchus Silenis delectabatur, & apud te uidere licet, huiusmodi magni fieri. Sed quum aliquando Tiberius Cæsar in senatum uenisset, surgẽs adulator quidam, ait hominibus liberis liberè loquendum esse, nihilq; metu dissimulandum, neq; quicquam reticendũ eorũ quæ ad publicam utilitatem pertinerẽt. His uerbis quũ omnes excitasset, factoq; silentio, & ipso etiam auscultante Tiberio, Audi Cæsar, inquit, in quo te quidẽ culpamus omnes, etiamsi nemo palam audet dicere. Negligis teipsum, corpusq; tuũ exponis pro nobis, solicitudinibus & laboribus illud conficiens, nec interdiu, nec noctu quiescens. Huiusmodi multa quũ ille dixisset, aiunt oratorem Caium Seuerum subiecisse: ista libertas hunc hominem exitio dabit. Atq; hæc quidem leuiora sunt, sed illa sanè periculosa, & stultorum animos inficientia, quoties diuersos morbos ac uitia

uitia criminantur his, quibus laborat is, cui palpantur. Quemadmodũ assentator Himerius Athenis diuitem quendam sordidissimum, & auarissimũ, ueluti per contumeliã luxuriosum, reiq; familiaris indulgentem appellauit, addens futurum, ut unà cum liberis aliquãdo miserè egeret. Aut rursus quũ luxuriosis & profusis parsimoniã ac sorditiem exprobrant, ueluti Neroni Titus Petronius, aut quum principes crudeliter & acerbe subiectis imminẽtes admonent, ut abijciant immodicam humanitatem, intempestiuamq; & inutilem misericordiam. His affinis est & ille, qui stupidum ac bardũ hominẽ, perinde cauere sese ac metuere simulat, quasi callidum quempiã ac uersutũ. Itẽ qui inuidum ac semper maledicere carpereq; gaudẽtem, si quando compulsus fuerit celebrem aliquem uirũ laudare, reprehẽdit, eiq; cõtradicens, tanquã hoc uitio morboq; laboret, laudas, inquit, homines nihili? Quis enim est iste, aut quid unquã magnificum uel fecit, uel dixit? Porrò in amoribus potissimum insidiãtur ijs quos captant, quo magis accẽdant. Etenim quum germanos inter se dissidentes uiderint, aut à liberis parentes haberi despectui, aut maritos malè de uxoribus suspicari, tum nec admonẽt, nec accusant, sed magis ac magis instigãt: Non sentis, inquiunt, teipsum harum rerũ esse causam, qui nimium obsequentẽ ac modestum te illi præbeas? Quòd si quis iracundiæ pruritus ex ira & zelotypia subortus fuerit in amicam, aut adulteram quam amat, ibi præsto est adulatio, splendidam imitans libertatem, ignem igni, quod aiunt, adijciens. Accusat & in ius uocat amantem, quòd multa parum amatorie, multa dura ac reprehendenda fecerit: O ingrate, inquit, & immemor crebrorum suauiorum. Sic Antonio quum Aegyptiam amaret, & incensus esset, amici persuadebant, ipsum ab illa adamari, & conui-

ciantes rigidum ac superbum uocabant. Mulier, inquiebant, relicto regno tam opulento, tamq; felicibus familiaritatibus, amore deperit, tecum militans, concubinæ cultu specieq;:

Ast immota tibi duro sub pectore mens est
Qui illam negligas afflictam.

Ille uerò non libenter admittens reprehensionem, uelut illi faceret iniuriam, & sic huiusmodi gaudens accusatoribus, ut non æquè laudatoribus, haud sentit sese simulata reprehensione magis etiã deprauari. Talis obiurgandi libertas similis est lasciuientium mulierculatum morsibus. Excitat enim tãtum ac titillat, & hoc ipso quòd dolorem facere uidetur, delectat. Non aliter ac uinũ alioqui remedium efficax aduersus cicutam, si pariter utrunq; cõmiscuerint, planè uim ueneni reddunt immedicabilem, quòd uini calore celerius ad cor penetret: Ita callidi quidam intelligẽtes liberam admonitionẽ efficax esse remedium aduersus adulationẽ, ipsi libertati monẽdi adulationem admiscent. Proinde nec Bias rectè dixisse uidetur, quum interroganti, quod esset animal omnium maximè noxium, responderet: Inter immitia tyrãnus, inter mitia adulator. Verius enim dixisset, quòd inter adulatores mãsueti sunt hi, qui in balneis & circa mensas uersantur. At uerò qui in penetralia, & gynæcea, curiositatem, calumniã, malitiã perinde quasi retia quædam intẽdit, hic immitis, ac ferus, & intractabilis. Cæterum una cauendi ratio uidetur esse, si cognouerimus semperq; meminerimus, quòd quum animus noster duas habeat partes, alteram ueram, honestis gaudentem, rationi obtemperantem, alteram rationis expertem, mẽdacijs gaudẽtem, affectibus obseruiẽtem: amicus quidem semper in potiorem partem consulit, & huic patro

patrocinatur, medicorum exẽplo, quod sanũ est id augẽs ac tuens: adulator autẽ brutæ, & affectibus obnoxiæ parti assidet, hanc scabit ac titillat, huic persuadet, & abducit à ratione, pernitiosam quãdam mollitiẽ illi molliẽs inducere. Ergo quemadmodũ cibi nõnulli sunt, qui neq; sanguini sunt adiumẽto, neq; spiritibus, neq; neruis, aut medullis uigoris aliquid addunt, sed pudenda modò permouent, aluũ tumefaciunt, & carnẽ gignunt supputrem & flaccidam, sic assentatoris oratio nihil addit sobrietati, nihil prudentiæ, sed eum aut amoris delectatione quadam delinire, aut stultum incitare iracundiam, aut inuidiam irritare, aut animi fastum inducere, molestum & inanem, aut in dolore collachrymari, aut difficultatem morum, & illiberalitatem ac pertinaciam, semper delationibus quibusdam, & præsensionibus turbulentum, ac suspicacem reddere, non ignorabit quisquis animaduerterit. Semper enim alicui immineat animi morbo, hunc premit & urget, Bubonis in morem, undiq; putribus & inflammatis animi partibus incumbens. Si iraseeris, ulciscere, inquit: si concupiscis, *fruere: si times, fugiamus, inquit: si suspicaris, crede, inquit. Quòd si in huiusmodi perturbationibus animi non queat facilè deprehendi, propterea quòd ratio uehementia, magnitudineq; cupiditatum excutiatur, in alijs ansam magis præbebit, & in illis sui similis. Siquidẽ ubi cõtigerit amicũ suspicari, ne quid peccarit crapula, aut si qd de balneo, deq; cibo dubitet, ibi amicus coërcebit hominẽ, admonebitq; ut sibi caueat, ac uitet periculũ. Contrà adulator in balneũ pertrahit, iubẽs ut superiori peccato nouũ aliud addat, neq; sinat corpus cohibitũ segnescere. Quòd si uiderit illũ ad iter seu nauigationem, aut aliud quippiã agẽdum ob mollitiẽ parũ animatũ esse,

esse, non dicit urgere tempus, sed nihilo minus effecturum si uel differat, uel aliũ miserit. Porrò si pollicitus sit familiari cuipiam se mutuo daturum pecuniam, & pœnitet quidem promissi, cæterum pudet negare, ibi adulator ad peiorem additus lancem, suo consilio bilancem impellens, uerecundiam illam excutit, iubens eum rebus suis parcere, quippe qui multa insumat, quiq; multis suppeditare cupiat. Vnde nisi ipsi non sentiamus nosipsos cupidos esse, impudenter facere, ignauos esse, nihil nos fallet adulator. His enim affectibus ille semper patrocinatur, liberè reprehendens ubi uelis ab his discedere. Atq; hisce quidem de rebus hucusq; satis dictum est, deinceps ad utilitatem & obsequia nostra se conferat oratio, quandoquidem in his quoque sic confunduntur omnia, ut difficillimum sit adulatorem ab amico distinguere, dum & ille uidetur impiger, & ad omnia promptus, nihil'que recusans. Nam ut ueritatis, iuxta Euripidem, simplex est oratio, sic & amici mores simplices sunt, synceri, fuco'que carentes, uerum adulatoris mores, quorum per se morbidi sunt, multis ac doctis opus habent pharmacis, atque adeò nouis & exquisitis. Vt igitur in congressibus, sic se habet amicus, ut quum neque dicat quippiam, neque audiat, tamen aspectu risu'que beneuolentiam, uerum'que pectoris affectum tacite dans ac uicissim accipiens prætereat. Ast assentator currit, assectatur, salutat eminus, si prior uisus appellatus fuerit, excusat sese testibus adhibitis, sæpius & cum iureiurãdo. Sic & in negotijs permulta prætermittunt amici minuta, nusquã exacte diligentes, nec usquã curiosi, neq; semetipsos in quoduis obsequiũ ingerentes. At hic in huiusmodi rebus assiduus ac ppetuus, & infatigabilis, alij memini locũ dans, neq; spatiũ inseruiendi, sed exigens uti sibi mandet, & si mandatum non fuerit, molestè ferat, uel potius prorsus exanimatur, & obtestatur deos. Ergo & ista quoq; significant ijs qui sapiunt, non uerã, neq; syncerã amicitiã, sed meretriciã quandam citius cõplectentem ijs, quos id facere cõuenit. Quanquam primũ in pollicitationibus animaduertendum est adulatoris & amici discrimen. Siquidem rectè dictum est illud à nostris maioribus, hanc amici pollicitationem esse:

Si præstare queam, & fuerit præstabile nobis.

Rursus adulatoris hanc:

Dic quicquid uersas animo.

Tales enim inducunt Comici:

Nicomache me fac nuliti isti opponier,
Flagris nisi illum peponem totum ficero,
Reddideroq; illi os mollius uel spongia.

Adde his quòd amicis nemo cõmodat operam in negocio peragẽdo, nisi prius suscipiendi negocij consiliũ approbarit, sed ita demum postquã probarit, statueritq; rem uel ad honestatem, uel ad utilitatem pertinere. Contrà adulator, etiã si quis eum de suscipiẽdo negocio cõsulat, suamq; uelit aperire sententiam, is tamen quoniã non solũ cõcedere amico & gratificari studet, uerumetiam metuit ne ueniat in suspicionẽ quòd detrectet, fugiatq; laborem, accõmodat sese ad illius cupiditatẽ, eamq; magis instigat. Siquidem nulli diuitum, neq; regum facile est dicere illud:

Mendicus utinam sit mihi, uel si libet
Mendicum & infra, qui mihi uolens bene
Timore posito, possit ex animo loqui.

Sed quemadmodum Tragœdiarum histriones egent amicorum choro concinentiũ, aut spectatoribus applaudentibus, itidem & illi. Vnde Merope in Tragœdia monet

ad hunc modum: Hos fac amicos, qui tibi cõcedere
Nolint, at istos improbos, ad gratiam
Inseruientes, ac uoluptatem, tuæ
Excludat & procul arceat claustrum domus.

At isti præpostere faciunt, dum eos qui non concedant in disceptationibus, sed resistunt, suadentes quod conducibilius est, abominantur & auersantur. Cæterum qui callidè ad gratiam obsecundant, abiectos & impostores, non solum intra domus septa, uerumetiam in affectus & arcana recipiunt negocia. Quorũ qui simplicior est, censet haud conuenire, neq; dignum se iudicat, qui in tantarum rerum concilium adhibeatur, sed ministrum & adiutorẽ se præbet. Porrò qui uersutior est, adest quidẽ in deliberãdo, simul adducit supercilia, simul annuit uultu, loquitur autẽ nihil. Quòd si ille dixerit quid sibi uideatur, Papæ, inquit, paululo me antecertisti loquendo. Nam istuc ipsum ego dicturus eram. Sicut enim mathematici dicunt superficies & lineas per se nec inflecti, nec extẽdi, nec moueri, quum res sint intellectus, non corpereæ, cum corporibus autem una flecti, & extẽdi, & loco moueri, quorum sunt extremitates, sic adulatorem comperies semper cum alijs consentientem, sententiam dicentẽ, intelligentem, irascentẽ, ut in his sanè facillimum sit discrimen animaduertere. Sed multò adhuc facilius, in inseruiendi modo. Siquidem officium quod ab amico proficiscitur, ceu uinũ quoddam animal, uires maximè proprias in intimis habet, nihil autem accedit ostentationis aut plausibilitatis, quin sæpenumero fit, ut quemadmodum fidus medicus ægroto nesciẽte sanat, sic amicus prosit, uel congrediens, uel discedens, ignorante amico negotium illius curans. Huiusmodi ficit Arcesilaus tum in alijs, tum erga Apellem Chium, quem ægrotan

ægrotantẽ quũ egere quoq; cognouisset, reuisit hominẽ, et decẽ drachmas adferens, & assidẽs proximo: Hic, inquit, nihil est præter Empedoclis elementa, uidelicet hæc,

Ignem & aquam, terramq; & sphæras ætheris alti.

Ac ne cubas quidem satis commode, simulq; mouens illius ceruical, clanculum pecuniam subiecit. Quam simul atque reperisset anicula quæ inseruiebat ægrotãti, & admirans quid esset, Apelli retulisset, ridens ille: Arcesilai, inquit, hoc furtum est. Et in philosophia sanè filij nascuntur simules parentibus. Lacydes enim Arcesilai familiaris, Cephisocrati læsæ maiestatis crimen deprecanti unà cum reliquis amicis aderat: at quum accusator annulum postulasset, isq; tacite demisisset, Lacydes sentiẽs, impositio pede contexit. Erat autem in eo anulo, quo coargui poterat. Inficiatus est igitur Cephisocrates. Deinde iudicibus agenti gratias, unus quispiam illorum, qui sicuti uidetur, rem conspexerat, iussit uti gratias ageret Lacydi. Atque id quidem factũ narrabatur, quũ Lacydes ipse nemini retulisset. Hoc pacto deos etiam arbitror plerunq; benemereri de mortalibus, ut non sentiantur benemereri, & ob idipsum benefacere, quòd suapte natura gaudeant benefacere. Rursum adulatoris officium nihil habet iustum, nihil uerum, nihil simplex, neq; liberale, sed sudorẽ, discursationem, clamorem, & uultus contractionẽ, quæ speciem & opinionẽ præbeat rei laboriosæ, magnoq; studio curatæ, nõ aliter quàm operosa quædã pictura, coloribus impudẽtibus, uestibus inflexis ac fractis, rugis & angulis id affectãs, ut rẽ cuidẽter repræsentare uideatur. Quin grauis etiã & molestus est, quoties errores quosdã, & curas pro illo susceptas cõmemorat, deinde simultates cum alijs susceptas, deinde molestias innumerabiles, et ingẽtia mala Dij tacite iuuant.

recenſet, ut dicere poſſis, non tanti ſunt illa, ut hæc feram. Nam omne beneficium ſi exprobretur, moleſtum eſt, & gratiam perdit, nec ferri poteſt. At adulator non tum exprobrat beneficium poſtquam præſtiterit, ſed iam quũ præſtat, protinus exprobrationem & pudorem admiſcet. Amicus autem ſi neceſſe fuerit, rem quidem ipſam modeſtè narrat, de ſe uerò nihil loquitur. Sic & Lacedæmonij quum Smyrneis egentibus commeatum miſiſſent, atq; illi beneficium cœpiſſent extollere, occupantes, nihil magni eſt, inquiunt, hæc enim collegimus, unius diei prandio nobis & tumentis detracto. Siquidem huiuſmodi beneficentia non ſolum liberalis eſt, uerum etiam accipientibus iucundior, propterea quòd citra magnum benemerentium incommodum conferri uideatur. Ergo non in hoc potiſſimum poſis homuns naturam cognoſcere, quòd adulator inſeruit moleſtè, & pollicetur facilè, ſed longè magis hoc, quòd amicus inſeruit in rebus honeſtis, adulator turpibus: hic ad gratiam, ille ad utilitatẽ. Siquidẽ amicus non quemadmodum cenſuit Gorgias, ſibi quidẽ in rebus iuſtis amicum obſequi uolet, inſeruiturus tamen illi ſæpenumero in rebus etiam non iuſtis:

Nam ſano adeſſe haud deſipiſcenti ſolet.

Itaque potius illum dehortabitur ab his, quæ non decent. Quòd ſi non patietur ille, tum bellũ erit uti eo, quod Antipatro dixit Phocion: Non potes me ſimul & amico uti, & adulatore, hoc eſt, amico, & non amico. In factis enim adiutandus eſt amicus, non in malefactis: & in conſilijs, nõ in inſidijs: & in teſtimonijs, nõ in fraudibus. Atq; adeò infortunij participem eſſe conuenit amico, ſed non iniuſtitiæ. Nam ſi nec conſcium eſſe turpitudinis amico conuenit, quanto minus decet illi turpiter agenti, & indecore ſe

re ſe gerenti, commodare operam? Quemadmodum igitur Lacedæmonij prælio ſuperati ab Antipatro, ita cum eo rem cõponebant, ut imperaret quantumuis damnoſa graue, modò ne quid turpe, ſic amicus, ſiqua inciderit neceſsitas, quæ ſumptum, aut periculum, aut laborem poſtulet, cupit uocari primus, citraq; tergiuerſationem & promptè negocium in ſe ſuſcipit: tantum ubi res cum dedecore coniuncta eſt, detrectat obſequium, ſibiq; parci poſtulans. Adulator uerò contrà facit. In laborioſis quidem ac periculoſis officijs excuſat. Quòd ſi ceu uaſa ſolemus, ita pulſu tentes hominem, cauſans aliquid, inſyncerum quendam & minimè generoſum tinnitum reddit. Cæterum in dedecoroſis, ſordidis & infamibus obſequijs, abutere, calca, nihil illic graue, nihil contumelioſum exiſtimat. Vides'ne ſimiam? non poteſt cuſtodire domum, ut canis: non geſtare ſarcinas, ut equus: non arare terram, ut boues, & ideo tolerat iniurias, ſcurratur, luſus, ac riſus ſe præbet inſtrumentum. Sic & adulator, quoniam nec in dicendo, nec in conſulendo, nec in certaminibus, ac periculis adeſſe poteſt amico, quippe ab omnibus laboribus, omniq; ſtudio abhorrens, in negocijs ſubalaribus, id eſt quæ ad uoluptatẽ pertinẽt, nihil recuſat, fidus amoris miniſter, & in adducẽdo ſcorto diligentiſſimus, nec indiligẽs ad eijciendã ex animo ſumptuũ cõuiuij curam, neq; ſegnis in cœnis apparandis, obſequioſus in concubinas, in affines autẽ rigidus & impudẽs, ſi iubeatur in illos audere, aut uxorẽ domo eijcere. Vnde fit, ut nec in his difficilè ſit hominẽ deprehẽdere. Siquidẽ ſi mãdes quicquid libitũ fuerit rerũ infamiũ & minus honeſtarũ, paratus eſt, nihil ſibi parcẽs, modò gratũ faciat mãdanti. Quanquã nõ minus & hinc agnoſci poſſit plurimum a uero amico diſcrepare,

Subalaria negocia.

crepare, quòd longè secus erga reliquos amicos affectus est. Verus enim amicus, quoniã nihil ducit iucũdius, quàm cum multis amare simul & amari, id agens perpetuò cum amico uersatur, ut quamplurimis amicus sit, & charus. Etenim quum existimet res amicorum esse communes, nihil iudicat tam commune esse debere, quàm ipsos amicos. At uerò fãlsus amicus, & adulterinus, ac factitius, qui maximè iam intelligat sese iniuriam facere amicitiæ, quippe cuius ceu fãlsæ monetæ nomisma finxerit, natura quidem inuidus est, uerum hunc morbum exercet in sui similes, hos superare cõtendens scurrilitate, loquacitateq; cæterum superiorem ueretur & timet: haud sanè pedestri cursu properans ad Lydium currum, sed ad aurũ purũ, ut inquit Simonides, ac putũ, nihil in se plũbi habens. Ergo quũ ipse sit leuis & inanis, factitiusq; & fucatus, si communis expendatur ad ueram, grauem, ac solidam amicitiam, haud sustinet, sed quũ proditur, idem facit quod is qui gallos infeliciter pinxerat, puero mandans, ut ueros gallos procul abigeret à tabula. Sic & adulator ueros abigit amicos, neq; sinit accedere propius. Quod si non possit, blanditur quidẽ palàm, et assectatur, ac miratur, ceu præstãtiores, clãculũ autẽ subdit ac subserit calũnias quasdã. Cæterũ ubi clandestinus sermo uellicauit hulcus, nec tamen omnino statim efficere potuit, tam memor obseruat quod Medius solet. Erat hic Medius inter adulatorũ greges q cũ Alexãdro uiuebãt, ueluti dux, ac magister anteſignanus aduersus optimates oppositus. Iubebat igitur uti audacter calũnijs morderẽt et incesserẽt, docẽs etiã, si qui morsus sit, uulneri medeatur, cicatricẽ tamẽ calũniæ relinqui. His sanè cicatricibus, uel ut uerius dicã, gãgræenis & carcinomatis corrosus Alexãder, sustulit Callisthenẽ, Parmenionem,

nionem, & Philotam. Cæterum Agnonibus, & Bagoĩs, Agesijs, ac Demetrijs impune præbuit sese subuertẽdum, dum adoratur, ac stolis amicitur, & ab illis ceu barbarica quæpiam statua refingitur: Adeò magnam uim habet ad gratiam obsequi, & maximã ut uidetur, in his qui maxime uidentur. Etenim quòd sibi uidentur optimi, talesq; uelint uideri cæteris, cares & fidem conciliat adulatori, & addit fiduciam. Nam loca quidem edituora & excelsa, inaccessa difficiliaq; aditu redduntur insidiantibus: at animus parum sapiens, ob fortunæ successus aut formam sublimis & elatus, pusillis & humilibus maximè peruius est, & expositus. Vnde quod initio sermonis admonebamus, idem & nunc iubemus, uti nostri amorem, & arrogantẽ de nobis ipsis opinionẽ abscindamus, quæ nobis præblandiens, molliores nos reddit externis adulatoribus, utpote iam paratos ac promptos. Quòd si parentes deo, eiq; obtemperãtes oraculo, Nosce teipsum, quanti quæq; res sit cognoscentes, simul & naturam, & educationem, & institutionem nostrã reputemus, & cõtemplemur quàm innumera habeat admixta, ab honesto degenerãtia, quamq; multa de quibus dicere possis, hoc sordidè, hoc temere, idq; tum in factis, tum in dictis, tum in affectibus, haud facile nosmetipsos præbebimus assentatoribus, ut suo arbitratu introeant in nos, & inambulent. Nam Alexander quidẽ duabus rebus cõmoneri sese dicebat, quo minus fidẽ haberet ijs qui sese deũ esse prædicarẽt, nempe somno & Veneris usu, quòd in his degeneraret, plusq; solito sentiret mali. Nos uerò undiq; in rebus nostris fœda, multa molesta, multa imperfecta, multa perperã facta semper cõspicientes, deprehẽdemus nosmetipsos domi nõ belle habere, idq; amico quopiã haud laudante, & extollente, sed ar-

Quos amicos Alexander fuerit.

guente, libereq; reprehendente. Primũ enim inter multos perpauci sunt, qui uelint & ausint amicũ liberè reprehẽdere, magis quam ad gratiã loqui. Rursum inter hos paucos haud facilè reperias, qui id facere norint, sed ita se libere loqui putant, si conuicientur ac uituperent. Atqui habet hoc ceu pharmacũ non in tempore datũ, intempestiua libertas, ut perturbet, ac molestiam adferat nulla utilitate, & idem quodãmodo efficiat cum dolore, quod cum uoluptate facit adulatio. Læduntur enim non ij modò, qui laudantur quum nõ oportet, uerumetiã qui uituperantur nõ in loco. atq; hæc res facit, ut facilius ab assentatoribus capiantur, dum ab immodice resistẽtibus & aduersantibus, aquæ ritu ad cauã molliaq; delabuntur. Quapropter libertas iucunditate morũ erit condienda, caq; ratione temperanda, ut ueluti lucis, sic immodicam sui uim auferat, ne dum cõturbantur molestiaq; afficiuntur à quibuis reprehendentibus, & quibuslibet de causis incusantibus, ad assentatoris umbrã confugiant, & ad id quod molestia uacat, sese conuertant. Siquidẽ omne uitiũ Philopappe uirtute uitandum est, non diuerso uitio: quemadmodum nonnulli sentiunt, pudorem impudentia uitare oportere, rusticitatem scurrilitate: cæterum ab ignauia, mollitieq; mores ita maximè seiungi, si ad temeritatẽ & confidentiam quamproxime uideantur accedere. Sunt qui superstitionẽ ita fugiunt, ac deprecantur, ut nullos credant esse deos, & ita desinunt esse abiecti, ut incipiãt esse facinorosi, uitam non aliter ac lignum incuruũ in diuersum torquẽtes, quòd ignorent artẽ corrigendi. Porrò turpissimũ est, hoc modo adulationis opinionẽ effugere, ut citra utilitatẽ molestus sis, atq; ita uitare ne in amicitia uidearis seruilis & abiectus, ut inurbana & ad consuetudinẽ prorsus inepta

familiari

familiaritate gravis sis & iniucundus, cuiusmodi libertinus inducitur in comœdijs, qui dum criminatur, ex æquo se loqui credit. Quoniã igitur fœdũ est, dum placere studes, in adulationẽ incidere: rursus fœdũ, dum adulationem uitas, immodica reprehẽdendi libertate, gratiam amicitiæ simulq; medẽdi perdere utilitatẽ (sed neutrũ est cõmittẽdum, uerũ ut bona sit libertas, id ex moderatione sumendum, quẽadmodum & alijs in rebus facere oportet) uidetur ipse sermo succedens poscere, ut hanc coronidem addamus libello. Ergo quum uideamus reprehendendi libertatẽ multis ceu tectorijs incrustatã, primũ illi detrahamus amorẽ sui, diligẽter obseruantes, ne nostrapte causa uideamur obiurgare, uel quòd offensi simus, uel quòd doleat aliquid. Etenim si de teipso loquaris, uideris non ob beneuolentiã, sed iracũdiã dicere quæ dicis, nec admonere, sed accusare queriq;. Nam admonitio libera amicum quiddã habet, & graue: cõtrà querimonia, sui amorem, ac sordidum animũ sapit. Vnde fit, ut liberè increpantes reuereantur ac suspiciãt, querulos autẽ & incusantes uicissim accusent contẽnantq;. Quemadmodum Agamemnon Achillem mediocri in dicendo utentẽ libertate non tulit. Rursus quum Vlysses increpat acriter, ac dicit:

Perdite, dissimiles utinam moderere phalangas,
Non has egregias,

Cedit, animoq; temperat, emendatorio, cordatoq; sermone correptus. Nam hic quidem quum nullam haberet priuatim irascendi causam, Græciæ nomine, hac in illum utebatur libertate: ille uerò sua ipsius causa potissimum indignari uidebatur. Quanquam Achilles ipse, etiam si animo parum leni placidoq; præditus, sed

Difficilis uir, qui haud dubitet culpare uacantem

Culpa, Patroclum tacitus ferebat, multa id genus in sese dicentem:

Non tibi eques genitor fuit immitissime Peleus,
Nec Thetis est genitrix, glaucum te protulit æquor,
Aëriæ rupes, tibi nam durissima mens est.

Quemadmodū enim Hyperides orator iubebat Atheniēses considerare non solum an esset acerbus, sed an grati acerbus, sic amici admonitio, uacans omni perturbatione propria, reuerentiam habet & seueritatem, ut non ausis contrà tollere oculos. Quòd si quis in obiurgando præ se ferat, amici in se delicta se planè prætermittere negligereq;, sed alia quædā obiurgare, nec amico parcere, inexpugnabilis est huiusmodi reprehensionis uehementia, quippe quæ suauitate monentis intendat & acuat acerbitatem & austeritatem admonitionis. Vnde dictum rectè est illud: Quum irascimur aut dissidemus cum amicis, semper aliquid agēdum ac spectandum esse, quod ad illorum pertineat utilitatem, aut honestatem. Cæterum non minus amicum est & illud, si quum ipsi despici negligiq; uidebimur, super aliis neglectui habitis, amicum admonere, taciteq; commonefacere. Quēadmodum Plato quum à Dionysio fastidiretur, parumq; cum illo conueniret, popposcit congrediendi copiam: ille putans Platonē aliquid de se quæsturum, dedit. Plato uerò in hunc modum cum eo disseruit: Si quem seueris inimicū in Sicilia appulisse Dionysi, qui mali quippiam tibi facere uoluerit, cæterum non data opportunitate, nihil mali fecerit, num hunc sineres abire, citraq; ny xam dimitteres? Multum abest, inquit Dionysius, ut id faciam ô Plato. Oportet enim hostium non facta solum, sed animi quoq; propositum odisse, & ulcisci. Ergo si quis, inquit

Magnanimis & candida Platonis oratio.

inquit Plato, tui amore, beneuolentiaq; huc profectus boni quippiam tibi cupiens adferre, non faciat autem, te nō præbēte illi opportunitatem, num par est hunc nulla cum gratia contemptum abijcere? Hic quum Dionysius interrogasset, quisnam is esset: Aeschines, inquit, uir & moribus cum quouis Socratis amicorum conferendus, & qui possit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat consuetudinem. Is quum huc multum emensus maris adnauigarit, ut per philosophiam tecum haberet cōsuetudinem, neglectus est. Hæc Platonis oratio intantum cōmouit Dionysiū, ut protinus illum amplecteretur, beneuolentia hominis animiq; magnitudine delectatus, Aeschinem uerò honorificè splendideq; tractaret. Iam igitur secūdo uelut expurgantes omnem contumeliam ac risum, dicacitatem, & scurrilitatem ut mala condimenta, ab admonitione tollamus. Quemadmodum enim medico secante carnem, conuenit accedere, cæterum saltatoria gesticulatione, supernacuaq; & curiosa mobilitate carere debet manus secantis, sic admonitio libera dexteritatem admittit & urbanitatem, si sic temperes iucunditatem, ut non pereat grauitatem, si sic temperes iucunditatem, ut non pereat grauitas ac seueritas. Quòd si accesserit impudēs audacia, inamœnitas, & cōtumelia, hæc prorsus uitiant, ac perdūt admonendi libertatē. Vnde cantor ille nō insciter, nec ineleganter silentiū imposuit Philippo, de pulsandis fidibus sibi contradicenti, quum diceret: Absit à te tantum mali ô rex, ut hæc melius me scias. At non rectè Epicharmus, qui quū Hieron quosdā è familiaribus suis è medio sustulisset, paucisq; pòst diebus cum uocasset ad cœnā: At nuper, inquit, quum immolares amicos, nō uocabas. Perperam & Antiphon, qui quum apud Dionysiū quæreretur ac disputaretur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur,quod æris genus esset optimum:illud, inquit,ex quo statuas Harmodij & Aristogitonis fecerunt Athenienses. Nec enim prodest in huiusmodi dictis acerbitas, ac mordacitas,nec delectat scurrilitas ac iocus,sed est huiusmodi intemperantiæ petulantiæq; genus simul ex malitia contumeliaq; & inimicitia commixtum:quo qui utuntur, in exitium conijciunt seipsos,planè saltationem illam saltantes, quam circa puteum prouerbio uocant. Nam & Antiphon interfectus est à Dionysio, & Timagenes à Cæsare excidit amicitia,quum nullam unquam uocem liberam emisisset, sed passim in conuiuijs & inambulationibus ad nullam rem seriam,

Sed fore ridiculum quodcunq; putasset Achiuis,
Ad crimunandum illius amicitiam,ceu conuicium arte excogitatũ,obijciebat. Quandoquidẽ & comici permulta solent in spectatores seuerè ciuiliterq; dicta fingere, uerum quoniam illis ludicrum & iocus admixtus est, non aliter quàm cibis malum quiddam & insipidum intritum, elutum reddit & inutilem admonitionem. Itaq; & qui dicunt,mordacitatis & scurrilitatis auferunt opinionem, & qui audiunt, ex ijs quæ dicuntur nihil capiunt utilitatis. Aliàs igitur amicis risus ac iocus erat adhibendus, ceterum admonitio seria sit & bene morata. Quæ quidem si fiat de rebus grauioribus,talis sit oratio, ut affectu,habitu,uehementiaq; uocis,& fidem mereatur, & audientem permoueat. Porrò opportunitas nõ obseruata,cum omnibus quidem in rebus ingens adfert malum, tum uerò maximè in admonendo detrahit utilitatem. Satis igitur liquet, ab admonitionibus huiusmodi temperandum inter pocula,& in ebrietate. Primũ quò serenitati nubilum inducat,qui inter iocos & hilaritatẽ auricorũ,sermonẽ mouet

Inter pocula nõ est admonendum.

uet quo cõtrahatur supercilium,& frons obducatur. Repugnat enim is Lydio deo, molestiarũ ac solicitudinũ funiculum soluenti, uelut inquit Pindarus. Deinde periculũ ingens habet huiusmodi linguæ petulantia, propterea q. animi uino calescentes, procliues sunt ad iracundiam,ac sæpenumero fit,ut ebrietas occupans admonendi libertatem,simultatem gignat. Denique prorsus ignauum est, ac minimè generosum & audax, eum qui sobrius liberè loqui non audeat,id in mensa facere, quemadmodum canes faciunt ignaui. Nihil igitur opus est de his sermonem in longum producere. Cæterum quoniam pleriq; amicos donec prosperæ res sunt, nec uolunt,nec audent corrigere, sed omnino felicitatem rem esse putant, ad quam admonitio non possit adire,nec pertingere,eosdem lapsos,ac deiectos inuadunt & calcant,humiles iam & abiectos reditos,totã simul obiurgandi libertatẽ effundentes in illos, nõ aliter quam flumen quod præter naturã uicit,occasione mutatæ fortunæ libenter utentes ob pristinã illorũ superbiam ac fastum,suamq; imbecillitatẽ, non inutilè fuerit de his iam disserere,& Euripidi respondere,qui dixit:

Quid opus amicis,quando res sunt prosperæ?

Quoniam quibus res secundæ sunt, ijs maximè amicis opus est,qui liberè admoneant, & immodicum animi fastum subducant. Perpauci sunt enim, quibus contigit simul & felices esse,& sapere. At plerique mortales opus habent aliena prudentia, consilioq; aliunde accedente, quod illos à fortuna inflatos iactatosq; premat. Nam ubi fortuna fastum ac tumorem deiecerit ac sustulerit,tum rebus ipsis inest quod admoneat, ac pœnitudinem inducat. Vnde nullus tum usus amici liberè monentis, nec opus est uerbis grauibus ac mordacibus, sed reuera in huiusmodi fortunæ

fortunæ commutationibus

Vultum intueri beneuoli uiri iuuat,

qui consoletur & addat animum, quemadmodum Clearchi uultus, quum in prælijs ac rebus afflictis, benevolus & humanus cõspiceretur, fiduciam addebat periclitantibus, ut inquit Xenophon. At qui liberã & mordacem obiurgationẽ admouet homini rebus aduersis afflicto ceu pharmacum, quo solet acui uisus, oculo perturbato instatoq; nihil quidem confert ad sanitatem, nec ullam aufert doloris partem, quin magis iram addit dolori, & afflictũ exacerbat. Proinde mox ubi reddita est sanitas, nullus admodum indignè fert, aut asperè, uirum amicum reprehendẽtem Veneris usum, & compotationes: reprehendentem inertiam, aut exercitia, aut assidua balnea, & intempestiuas ingurgitationes: ægrotanti uerò intolerabile est, sed grauius est ipso morbo, audire: hæc tibi ex intemperantia uenerunt, ex mollitie, ex obsonijs, ex mulieribus. O' hominem intempestiuum, scribo testamentum, & paratur mihi castorium aut scammonium à medicis, & tu me obiurgas ac philosopharis. Sic igitur res afflictorum haud recipiunt obiurgandi libertatem, aut sententiæ dictionem, sed humanitatem & subsidiũ desiderant. Siquidem & nutrices ad pueros lapsos haud accurrunt cum conuicijs, sed erigunt, abluunt, & cõponunt: deinde obiurgant ac puniunt. Narratur & Demetrius Phalereus, quum exularet, & Thebis inglorius & humilis uiueret, Cratetem adeuntem, haud libenter uidisse, quòd Cynicam libertatem, & sermonem asperum expectaret ab illo. Verum ubi Crates illum placidè conuenisset, deq; exilio disseruisset, quòd nihil habet miserum, neque grauiter ferendum, quũ esset à periculosis negocijs & incertis liberatus, simulq; adhortaretur,

adhortaretur, ut in seipso, suoq; animo fiduciam collocaret: exhilaratus ille, receptoq; animo, ad amicos inquit: Malè sit negocijs & occupationibus, per quas huiusmodi uirum non licuit cognoscere.

Etenim dolenti grata amici oratio est,

At monita sanè desipiscenti nimis.

Atq; hic mos est ingenuorum amicorum: contrà uiles & humiles, filicibus adulantes, quemadmodum Demosthenes dixit rupturas & uulsuras, quoties corporis mali quippiam incideris, tum moueri: sic hi rebus in diuersum cõmutatis imminent, ueluti gaudentes ac fruentes. Nã siqua submonitiuncula sit opus in his, in quibus per se lapsus sit, re malè perpensa, satis fuerit illud:

Haud ex mente mea, nam sæpius ista monebam.

Quibus igitur in rebus oportet amicũ acrẽ esse, et quãdo conueniet acerba uti reprehensione? Quoties tẽpus hortatur, ut uoluptate, aut ira, aut ferocitate præcipitem coërceas, aut ut auaritiam cohibeas, aut ut aduersus stultum aliquem animi motum reluctetis. Sic liberè locutus est Solon apud Crœsum, instabili felicitate corruptum ac tumidum, iubens spectare finem. Sic Socrates compescuit Alcibiadem, ac ueras expressit lacrymas, quam illũ coargueret, & cor illi funditus moueret. Huiusmodi Cyri dicta ad Cyaxaren, & ad Dionem Platonis, quem hic quum esset florentißimus, & ob formam, rerumq; magnitudinem, omnium in se uertisset animos, admonuit caueret ac metueret contumaciam, ut cuius comes esset solitudo. Scripsit eidem Speusippus, ne superbiret quòd magni faceret inter pueros & mulierculas: sed uideret ut Siciliam æquitate, iustitia, optimisq; legibus sic ornaret, ut eam celebrem redderet Academiam. Rursum Eudus & Eulæus

amici

amici Persæ, donec secundæ res fuerũt, semper illi quemadmodum & cæteri blandiebantur, assentabãtur, & obsecundabant: cæterum ubi cum Romanis cõgressus apud Pydnam, concidit ac fugit, tum acriter insectantes illum obiurgabant acerbe, & cõmemorabant quæ peccasset: & ut quenq; fastidisset exprobrantes, donec homo dolore pariter & ira uictus, ambos gladio peremit. At communis quidem admonendi opportunitas, ad hunc modum perpẽdi potest. Iam uerò quas ipsi sæpenumero ministrãt amici, cas nõ oportet reijcere cui curæ sit amicus, sed arripere atq; uti. Nonnullis enim percontatio uel narratio quæpiam, uel similiũ rerum in alijs reprehẽsio seu laus, uelut ansam præbuit liberè monendi. Quomodo narrant Demaratum Corintho uenisse in Macedoniã id tẽporis, quo cum uxore filioq; dissidiũ Philippus habebat. Hũc igitur quũ rex esset complexus, rogassetq; quomodo inter sese concordarẽt Græci, respondisse ferunt Demaratũ, ut beneuolũ ac familiarẽ Philippo: Planè Philippe, pulchrè decet te de Athenienſiũ Peloponnesiorumq; cõcordia percontari, quũ tuam ipsius domũ negligas, tanta seditione, tantoq; dissidio refertã. Scitè & Diogenes, qui quũ in Philippi castra uenisset eo tẽpore, quo parabat cum Græcis cõstigere, adductus est ad regẽ. Is quũ cum nõ nosset, rogabat nũ explorator esset. Prorsus, inquit, Philippe, explorator temeritatis & amẽtiæ tuæ, per quã nulla adductus necessitate huc ueneris, una hora de regno simul & de uita periculũ subiturus, aleamq; iacturus. Quanquã id quidẽ acrius uideri potest. Sed est & altera admonẽdi occasio, quoties fit ut ab alijs affecti probris, sua uitia exprobrãtibus, submissi redditi fuerint & humiles. Hac scitè usus est Charijs, maledicos quidem refellens ac submo-

uens,

uens, cæterũ seorsum amicũ taxans & cõmonefaciẽs, etiã si mihi esset aliud, tamẽ uel ob ipsum cauendũ esse sibi, ne tantũ audeat inimici. Quid enim est in quo possint os aperire, aut quid habẽt quod in te dicant, si ista quæ tibi obijciunt, mutaris & abiecerisſ Fit enim ad eũ modum, ut molestia imputetur conuicianti, utilitas admonenti. Nonnulli uerò uehemẽtius etiã de alijs uerba faciẽdo corripiũt amicũ, dum in his culpat alios, quæ sciunt ab illo cõmitti. Noster autẽ magister & institutor Ammonius, quum in pomeridiana cõfabulatione familiariũ sensisset quosdam prolixos esse prandiũ haud simplex, sed opiparũ & uariũ, liberto mãdauit ut suo filio plagas impingeret, addens elogium: Non potest, inquit, prandere absq; aceto, simulq; in nos flexit oculos, ut increpatio tãgeret obnoxios. Insuper ea uendũ erit & illud, ne corã pluribus obiurgemus amicum, ac Platonis illud habere cõueniet in animo. Nam quum Socrates acrius obiurgaret familiarem quempiam, in cõuiuio cum eo disceptans, non ne satius fuerat, inquit Plato, hæc illi seorsum dixisse? Et Socrates: At tu sanè non ne satius fecisses, si seorsim ista mihi dixisses? Porrò quũ Pythagoras in familiarem quempiã asperius corã pluribus fuisset inuectus, adolescentem laqueo præfocasse guttur aiunt, ex eo tempore nũquam Pythagoram quenquã alio præsente reprehendisse. Si quidem ut morbi parũ honesti, sic & peccati reprehensionẽ ac retectionem, secretum esse conuenit, non ut ceu ludi solennes uniuerso populo exhibeatur, nec ut ostentetur, & spectatores ac testes accersat. Neq; enim amicum est, sed sophisticum, ex alienis eratis sibi parare gloriã, & apud eos qui adsunt sese iactare, quẽadmodum solent medici, quos chirurgos uocãt, in theatris ostentantes, quos morbos susceperint curãdos.

Iam uerò præter contumeliam, quam ab omni prorsus curatione cõuenit abesse, cauendũ erit & illud, ne quod est uitiosum, in admonendo cõtentiosi simus, & cõtumaces. Nec enim simpliciter amor obiurgatus magis premit, iuxta sententiã Euripidis, uerum ita, si quis obiurget coram multis, nihil parcens amico, is omne malum, & omnẽ morbum uertit ad impudentiã. Sicut igitur Plato cẽset, ut senes qui studeant uerecundiã inferere adolescentibus, ipsi primum reuereantur adolescentes, ita quũ uerecundè reprehẽdit amicus, id potissimum gignit in eo uerecundiam. Quumq; pudenter ac paulatim aggreditur, & castigat peccantem, superat ac conficit amici uitium, quem totum occupauit pudor pudescentis, & reuerentia reuerentis. Vnde rectissimum fuerit illud Homericum:

Admoto capite, ne quisquam exaudiat alter.

Minimeq; decet, ut aperias delicta uel mariti, audiente uxore, uel patris sub oculis liberorum, uel amantis præsente amasio, uel præceptorum coram discipulis. Exagitantur enim dolore & iracundia, quum arguuntur apud eos, quibus probari cupiunt. Arbitror autem nec in Cleitum perinde concitatum Alexandrum fiisse uino, ut quòd illum multis præsentibus coërceret. Et Aristomenes institutor Ptolemæi, quòd dormitanti præsentibus legatis institerit, & expergefecerit, ansam quandam præbuit adulatoribus, regis uicem indignari sese simulantibus, si tantis laboribus, ac uigilijs fessum, somnus occupauit, seorsim, inquiunt, admonere te debemus, nõ coram tam multis uteris manum injecere. At ille ueneni misso poculo, iussit hominem ebibere. Aristophanes autem ait in hoc se criminari Cleonem, quòd

De ciuitate apud hospites dicat malè,

Atq; hac

Atque hac re irritet Athenienſium animos. Quapropter inter alia cauendum & illud in primis, ne libertatem admonendi iactemus, ac uulgo circumferamus, ſed ad iuuandum, ac ſanandum amicũ ea duntaxat utamur. Quanquam quòd Thucydides Corinthios de ſeipſis loquentes fecit idoneos eſſe ſe qui reprehendant alios, haud malè dictum eſt, & id habere conuenit eos, qui liberè uelint obiurgare amicum. Lyſander autẽ in Megarenſem quendam inter belli ſocios liberè loquentem pro Græcia, ait illius dictis opus eſſe ciuitate. Sed ad hoc ut quiſquam omnino liberè loquatur, moribus fortaſſis opus eſt integris, atque id ueriſſimè dicetur de ijs, qui alios admonent & caſtigant, quod Plato dicere ſolebat, uitam ipſam obiurgare Speuſippum: quemadmodum uidelicet & Polemonem, Xenocrates cõſpectus tantum in diſputatione & intuitus uertit, & in alium mutauit hominem. Cæterum ubi leuis quiſpiam, & improbis moribus homo dictis obiurgat & caſtigat, prius illud audire debet:

Mederis alijs ipſus hulceribus ſcatens.

Liberè loquẽdi ratio.

Sed tamen quoniam ſæpenumero res ipſæ nos inuitant, ut licet ipſi parum boni, cum alijs ſimilibus habentes conſuetudinẽ eos increpemus, dexterrimus obiurgandi modus fuerit, ſi qui obiurgat, ſe modis omnibus admiſceat culpæ. Quo modo dictum eſt illud apud Homerum:

Tydide, quid nam accidit, ut nos Martia uirtus
Fugerit oblitos? Item illud:
At nunc nihili ſumus Hector.

Ad eundem modum Socrates tacite redarguebat adoleſcentes, perinde quaſi & ipſe teneretur ignorantia, & opus haberet una cũ illis uirtutẽ amplecti, ueriq; diſquirere. Siquidẽ & beneuolentes uidentur, & fides habetur

ijs, qui uidentur ijsdem quidem obnoxij uitijs, amicos autem non aliter quam seipsos corrigere. Cæterum qui coripiēs alterum, seipsum iactat, perinde quasi liber & immunis à uitijs omnibus, nisi sit ætate multò prouectior, aut nisi sit eiusmodi, ut omnes illi uirtutis dignitatem ac laudem tribuant, grauis ac molestus uidebitur, neq; quicquam proderit amico. Vnde non simpliciter Phœnix, de suis infortunijs mentionem iniecit, quòd quum per iracūdiam patrem interficere statuisset, mox pœnituerit,

Occisor patris ne dicerer inter Achiuos.

Ne sic uideretur illum admonere, quasi ipse nihil ira cōmoueretur, aut peccaret. Talia siquidem magis penetrant in affectus, magisq; cedunt homines ijs, qui communibus tanguntur affectibus, quàm qui despicere uidentur. Quoniam uerò neq; lumen admouendum est oculo inflato, nec animus ægrotus admittit libertatem, et admonitionem indilutam, utilissimum remedium fuerit, laus leniter admixta obiurgationi, uelut in his:

Laus obiurgationi admiscenda.

Vobis haud adeò curæ est iam bellica uirtus,
Quamuis in castris non sit præstantior ullus.
Sanè ego nec pugnem cum illo, qui prælia tentet
Quū sit iners, uerū uobis succēseo corde. Itē in hoc
Pandare ubi arcus, ubi illa uolucria tela, decusq;
Quo tecum haud alius castris contenderit hisce?

Quin & huiusmodi tacita quadam significatione uehementer reuocant aberrantes:

Oedipus ubi ille, ubi clara sunt ænigmata? Item:
Tam multa passus ista dicit Hercules.

Non enim solum lenit ac remittit reprehensionis asperitatem, & adhortationis, ueruetiā gignit in homine æmulationē quandā erga seipsum, ut secū ipse certet, dum honestè

nestè factorum cōmemoratione turpium pudescit, & ob id se meliorū exemplū præstare studet. Nam quum alios, puta uel æquales, uel ciues, uel cognatos cum eo conferimus, molestè fert, & irritatur improba ambitio, neq; raro solet illud cum ira submurmurare: Quin tu igitur abis hinc ad me meliores, & mihi negotium facessere desinis? Proinde cauendum erit, ne apud eos quos liberè corripimus, laudemus alios, nisi sanè fuerint parentes: quemadmodum apud Homerum facit Agamemnon:

Natum haud ualde patri simulem genuit sibi Tydeus.

Et Vlysses in Tragœdia, cui titulus Domini:

Tu splendidum natalium obscurans decus,
Lanam trahis, patre natus Argiuūm optimo?

Cæterum illud haudquaquam fieri conuenit, ut qui admonetur, uicissim admoneat, & libertatem opponat libertati. Siquidem ea res protinus incendit animos, ac dissidium parit. Et omnino uidebitur ita cōmoueri, non quòd libertatem libertate pensare studeat, sed quòd liberam admonitionem non ferat. Satius est igitur amicum admonere uolentem ferre. Etenim si eueniat ut ipse postea peccet, & correptione sit opus, tum hæc ipsa res libertati quodammodo tribuit libertatem. Submonitus enim citra reprehensionem iniuriarū, ne ipsum quidē amicos delinquentes solere negligere, sed arguere & castigare, nimirū magis admittet, accipietq; correptionē, ut qua benevolentia referatur & officium, non accusatio aut ira. Adhæc hunc quidem ad modū scripsit Thucydides: Quisquis aduersus summates uiros inuidiā suscipit, is rectè consulit. Cæterū amici munus est, amicorum offensam quæ ex admonitione nascatur in magnis, plurimumq; momenti habentibus rebus, in se recipere. Nam si in quibuslibet, & ad quælibet

molestus sit, & offendat, nec amicè, sed imperiosè more pædagogorum familiares incessat, hic quum in maximis negocijs admonebit, hebes erit & ineffic.ax, haud secus atq; medicus acri quidem & amaro pharmaco, necessario tamen & sumptuoso, in uulgaria leuiáq;, minusq; necessaria, admonendi libertate abusus. Igitur ipse quidem cauebit, ne assidue reprehendat, & obiurgandi cupidus esse uideatur. Porrò quoties amicus quibuslibet in rebus erit morosior, & quiduis calumniabitur, tum alter uelut ansam habebit, eum in maioribus erratis admonendi. Nam medicus Philotimus, quum quidã hepar habens * inflammatum, digitum oslẽdisset exulceratum: Non est, inquit, ô bone tibi negocium de unguium uitio. Itidem occasione data licebit & amico dicere, leuiculis de rebus, & nullius momenti incusanti: de lusibus, compotationibus, ac nugis loquimur. Sed heus tu iste potius ableget amicam, aut desinat alea ludere. Ac cæteris quidem in rebus uir nobis est admirandus. Etenim cui leuibus in rebus conceditur uenia, is in maioribus haud grauatim permittit amico liberè loqui. Rursum qui semper instat, in quouis negocio acerbus & insuauis, omnia cognoscens, omnium curiosus, is adeò nec liberis est tolerandus, nec fratribus, ut ne à seruis quidẽ ferri possit. Iam uerò quoniam ut senectæ nõ omnia assunt mala, ueluti dixit Euripides, ita nec amicorum uitia oportet amicos obseruare, non solum quum delinquimus, uerumetiam quum eos emendamus. At primum quidem candidè conueniet illos laudare, deinde ueluti ferrum solidatur refrigeratione, ac duritiem accipit, prius calore solutũ, ac molle redditũ, sic amicis solutis et calefactis collaudatione, libertatẽ ceu tincturã paulatim addere. Dabitur enim occasio, ut dicere possis: Num illa cũ his cõferẽda

* ἀπύωτον, id est, sanioſum et impurum.

da sunt? Vides ne cuiusmodi fructus reddit honestas? Hæc abs te requirimus amici. Hæc tua sunt, teq; digna. Ad hæc natus es, illa uerò reiscienda sunt,

Vel maris undosi in fluctus, uel in auia montis.

Nam sicuti bonus medicus magis cupiet somno, seu cibo, morbum ægroti depellere, quam Castorio, aut Scammonio, sic & æquus amicus, & bonus pater, ac præceptor, laude potius quàm reprehensione gaudet uti ad emendandos suorum mores. Quandoquidem non alia res præstat, ut liberè admonẽs & offendas minimè, & sanes maximè, quàm si temperans ab iracundia, modestè & cum beneuolentia delinquentem aggrediaris. Vnde nec inficiantes oportet acerbius coarguere, nec obsistere purgãtibus sese, quin magis honestas occasiones undecunq; submini-strare, & a pcioribus abstinere causis, atq; ad hunc modum amico concedere, ut leuius peccasse uideatur. Quemadmodum Hector in fratrem Paridem:

Non ira ista tibi in pectus descendit honestè.

Ceu quòd in congressu aduersus Menelaum cessserat, non fuga fuerit, aut timiditas, sed iracundia. Item Nestor ad Agamemnonem:

Tu porrò tuo iam pectore celso
Cessisti. Ciuilius enim arbitror, si quis dicat, ignorasti, quam si dicat, iniuriam feciſti: & non attendisti, dictu mollius est, quàm turpiter egisti. Rursum, ne contendas cum fratre, moderatius sit, quàm si dicat, ne inuideas fratri. Item, fuge mulierem te corrumpentem, urbanius, quàm si dicas, desine mulierẽ corrũpere. Nam hunc desiderat modum admonitio, qua mederi uelis amico. Cæterũ in actione negociorum diuersa ratione utendum est. Quoties enim inciderit, ut amicus alioqui peccaturus, sit coërcen-

dus, aut in impetum quempiam animo propẽsus, qui trãsuersum rapiat, aut quoties ad res honestas mollem & segnem incitare & inflammare conabimur, ibi conueniet rem ad causas fœdas & indecoras referre. Sicut Vlysses apud Sophoclem Achillem extimulans, non ait illum cœnæ gratia succensere, Sed iam, inquit, Troiæ simulacra aspiciens metuis. Adhæc quum rursus indignaretur Achilles, seq; abnauigaturum diceret,

Scio quid fugis, non ne quid audias malè,
Sed instat Hector, hinc manere haud expedit.

Ad hunc igitur modum cum qui sit animosus ac fortis, timiditatis opinione territantes, incitant ad honesta, & abducunt à turpibus: sobrium & temperantem, opinione intemperantiæ: liberalem & magnificum, opinione sordũ & auaritiæ: moderatiores, ac leniores in his, quibus mederi non possunt, molestiæ modum expendentes, ut in admonendo magis amici uicem dolere, quàm reprehendere uideantur. Contrà in cohibendis peccatis acriter aduersus amici cupiditates repugnãtes, hic implacabiles & assidui. Nam id tempus pertinacem beneuolentiam, & animum uere liberũ requirit. At rèprehensione factorum uidemus & inimicos inter sese uti. Quemadmodum dixit Diogenes, ad salutem opus esse uel bonis amicis, uel acribus inimicis, propterea quòd illi docent, hi redarguunt. Verum præstat, ut amicorum consilijs parens caueas ne pecces, quàm si ob inimicorum cõuicia pœniteat admissi. Quapropter etiam utendum erit arte in amicis corripiẽdis, quandoquidem hæc res maximum & efficacissimum est remedium, maximéq; desiderans & opportunitatẽ & modum. At quoniam, sicuti dictum est, sæpenumero curãti molesta est huiusmodi libertas, medicos imitari conueniet

niet. Neq; enim hi quum secant, partem afflictam in cruciatu molestiaq; destituunt, sed placidè rigant ac leniunt, neq; qui admonent ciuiliter amicum, aufugiunt posteaquã amara mordaciaq; admouerint, sed alijs colloquijs & comitate uerborum deliniunt ac molliunt. Quemadmodum & fabri lapidarij, uulnus ac cicatricem, quã ictu celtis inflixerunt in statuis, rursum poliendo lenigant, ac nitidum reddunt. Cæterum qui reprehensione uulneratus ac perfossus, deinde ira perturbatus ac tumẽs, turbatusq; dimittitur, hunc postea difficilè reuoces, aut consolaris. Hoc igitur in primis cauendum est ijs, qui amicum obiurgant, ne post obiurgationem eum destituant, neue committant, ut ita contristent, & irritent familiares, ut ea res finiat consuetudinem, ac familiaritatem.

Forte, amicles τραύματα ἰωμένων, non irritant.

FINIS.

gionem quidem liceat inuenire, quæ feris ac noxijs careat Liuor in omni Republica reperta Respublica, quæ nõ alucrit intra se inuidiam, emulationem, contentionem, quibus ex affectibus simultas potissimum nasci consueuit: imò ut nihil aliud sit, ipsæ nos amicitiæ simultatibus inuoluunt. Quod quidem quum intelligeret Chilon ille sapiens, quendã dicentẽ sibi nullum esse inimicum, interrogauit, an nullum etiam haberet amicum: Videntur mihi partes uiri ciuilis, & in administrãda republica uersantis, ut inter alias curas inimicorũ etiam habeat rationem, atque illud animaduertat haud frustra dictum à Xenophonte, cordati prudentisq; uiri esse, etiam ex inimicis utilitatem capere. Proinde quæ nuper hisce de rebus disserenti mihi ueniebant in mentem, ea collegi, totidemq; uerbis ad te scripta misi, cauens quàm potui

[illegible] non possiti, inuidiæ crimina expiuentes, ut in admonendo magis amici uicem dolere, quàm reprehendere uideantur. Contrà in cohibendis peccatis acriter aduersus amici cupiditates repugnãtes, hic implacabiles & assidui. Nam id tempus pertinacem beneuolentiam, & animum uere liberũ requirit. At reprehensione factorum uidemus & inimicos interse uti. Quemadmodum dixit Diogenes, ad salutem opus esse uel bonis amicis, uel acribus inimicis, propterea quòd illi docent, hi redarguunt. Verum præstat, ut amicorum consilijs parens caueas ne pecces, quàm si ob inimicorum cõuicia pœniteat admissi. Quapropter etiam utendum erit arte in amicis corripiẽdis, quandoquidem hæc res maximum & efficacissimum est remedium, maximéq; desiderans & opportunitatẽ & modum. At quoniam, sicuti dictum est, sæpenumero curãti molesta est huiusmodi libertas, medicos imitari conuenit

PLVTARCHI CHAERONEI, QVO PACTO QVIS EFFICIAT VT EX INIMICIS CAPIAT VTILITATEM.

Erasmo Roterodamo interprete.

VIDEO quidem te Corneli Pulcher, placidissimum uitæ genus, & à Reipublicæ negotijs semotum tibi delegisse, in quo tamen ita maximã adfers utilitatẽ Reipublicæ, dum omnibus qui te adeunt, quiq; secum agunt cõsuetudinem, teipsum & comem & iucundum præbes. Verum quandoquidem ita res habet, ut regionem quidem liceat inuenire, quæ feris ac noxijs careat beluis, quẽadmodum ferunt de Creta, nulla sit autem admodum reperta Respublica, quæ nõ aluerit intra se inuidiam, emulationem, contentionem, quibus ex affectibus simultas potissimum nasci consueuit: imò ut nihil aliud sit, ipsæ nos amicitiæ simultatibus inuoluunt. Quod quidem quum intelligeret Chilon ille sapiens, quendã dicentẽ sibi nullum esse inimicum, interrogauit, an nullum etiam haberet amicum: Videntur mihi partes uiri ciuilis, & in administrãda republica uersantis, ut inter alias curas inimicorũ etiam habeat rationem, atque illud animaduertat haud frustra dictum à Xenophonte, cordati prudentisq; uiri esse, etiam ex inimicis utilitatem capere. Proinde quæ nuper hisce de rebus differenti mihi ueniebant in mentem, ea collegi, totidemq; uerbis ad te scripta misi, cauens quàm

Liuor in omni Republica.

potui

potui maximè, ne quid eorum attingerē, quæ prius in ciulibus præceptis à me conscripta fuerāt: quandoquidem & eum libellum uideo tibi frequenter in manibus esse.

Priscis illis mortalibus satis erat, si non læderentur à diuersi generis animantibus: & hac modò fini cum noxijs bestijs depugnabant: At posteriores ratione deprehensa qua feris uterentur, non solum ab illis non offenduntur, uerumetiam utilitatem capiunt, dum carnibus illarū alūtur, pilis uestiuntur, fel & lac ad morborum adhibent remedia, denique dum se pellibus armant & muniunt, ut periculū iam sit, ne si feræ deficiam homini, ferina iam, syluestris, & inops eius uita futura sit. Itaq; quoniam cæteris quidem satis est, si nihil accipiāt ab inimicis mali, hos uerò qui sapiunt, Xenophon ait etiam utilitatem ex aduersarijs capere, non est abroganda fides tanto autori: quin potius uiam, ac rationē oportet inquirere, qua cōmoditatem hanc consequi possint, quibus absq; simultatibus uiuere nō licet. Nō potest agricola efficere, ut omnis arbor exuat syluestrem naturam, neq; uenator omnem feram potest cicurem reddere, ac māsuetam. Itaq; ratio quæsita est, ut ad alios nihilominus usus, illi quidem arbores infrugiferæ, huic autem immites bestiæ commoditatem adferrent. Aqua marina potui quidem inutilis est, et insuauis, uerum alit pisces, cōmode transmittit, quocunq; uelis proficisci, importandis exportandisq; rebus seruit. At uerò Satyrus, quum primum ignem uidisset, eumq; complecti uellet, & osculari, Prometheus, Heus, inquit, nisi caues Hirce, profecto dolebit tibi mentum: urit enim, si quis attingat: non ualet in istum usum, sed lucem & calorem ministrat, tum artium omnium instrumentum est, si quis uti nouerit. Videndum est igitur, num & hostis alioqui noxius & inaccessus

cessus, alia quacunq; uia contingi possit, ac peculiarē aliquem usum sui præbeat, & commoditatis nonnihil adferre ualeat. Nam complures res sunt inuisæ, grauesq; quibus incidunt, ex quibus tamen usus aliquis excerpitur. Vides enim nonnullos morbo corporis ad occasionem ocij fuisse usos, item labores casu obiectos multorum ualetudinem exercitatione reddidisse firmiorem. Ad hæc fuere nonnulli, quibus exilium & pecuniarum iactura uiaticum extiterit ad studium ac philosophiam, ueluti Diogeni, & Crateti. Nam Zenon ubi nauigium suum fractum audisset: Bene facis, inquit, Fortuna, quum ad pallium nos compellis. Quemadmodum enim animantia quæ plurimū stomacho ualent, quæq; corporibus sunt saluberrimis, etiamsi serpentes ac scorpios edant, concoquunt: sunt autem quæ saxis etiam ac testis alantur, & has propter spirituum uehementiam caloremq; in alimentum uertentia: quum interim graciles isti ac ualetudinarij panem etiā ac uinum appositum fastidiant: Ita stulti corrumpūt ac perdunt etiam amicitias: contrà qui sapiunt, etiā simultatibus commode norunt uti. Primū igitur quod est in simultate maximè noxium, id mihi uidetur summam utilitatem allaturum, si quis animum aduerterit. Quidnam istud est? inquis: Nempe inimicus semper aduigilans obseruat quid agas, & ansam captans calumniæ, lustrat ac circumspicit undique uitam tuam, non tantum quercus, testas, ac saxa oculorum acie penetrans, sicuti narrant de Lynceo, uerum etiam amicum, famulum, & quisquis tecum habet consuetudinem, ut quoad potest deprehendat quid agas, perfodiens ac scrutans tua consilia. Quum interim amici, contatione negligentiaq; nostra sæpenumero nobis inscijs & ægrotent, & moriantur. Inimicorum uerò propemodum

De inimicis magis quàm amicis solicitis.

pemodum & somnia curiosè obseruamus. Iam uerò morbi, æs alienũ, dissidia cum uxoribus, citius eos ipsos quorum sunt fugerint, quàm inimicum. Quanquã ante omnia peccatis immunet: hæc in primis uestigat. Nec secus ac uultures ad putrium corporum odorem rapiuntur, syncera sanáq; non sentiunt: ita si quid morbidum est in uita, si quid uitiosum, si quid affectum, id demũ excitat ac mouet inimicum, ad hæc assilit quisquis odit, hæc contrectat uellicatq;. An non est igitur conducibile, ad hoc cogi te, ut per omnia cautim & attente uiuas, & neque facias quicquam, neq; dicas oscitanter & incircumspectè, sed semper eorum more, qui suspicione morbi, diligenti exactaq; uitæ moderatione cauent ne quid offendant ualetudinem, inculpatos usq; mores & irreprehensos cõseruent? Siquidem eiusmodi cautio, dum & animi cohibet cupiditates, & cogitationem cogit aduocatq;, gignit in nobis studium ac propositum integre & inculpatè uiuendi. Etenim quemadmodum hæ ciuitates, quas finitimus hostiis & continens bellum, sobrietatem uigilantiamq; docuit, & leges obseruant diligentius, & rectius adminis trant Rempublicam: ita quos huc inimicitia compellit, ut in uita sobrij sint ac uigilantes, ut uitent socordiam, ut omnia citra neglectum illius & comiter agant, paulatim nec sentientes ducuntur in consuetudinem non peccandi, moresq; componendi, si modò uel paulum adiuuerit ratio. Nam quibus illud quod est apud Homerum,

Respectus hostium.

Gaudeat hinc Priamus, simul & Priameia proles,

semper in promptu est, eos ninũrum auocat, arcet, & abducit ab his, quæ sunt inimicis uoluptatem ac risum allatura. Quin etiã Dionysiacos quos uocãt artifices, hoc est cãtores, uidemus sæpenumero remissos, supinos, minimeq; accurate

accurate certantes in theatro, quoties soli canunt. Quòd si contentio inciderit, ac certamen cum alijs, tum uerò nõ solum ipsi magis intendunt animum, uerumetiam organa sua diligentius apparant, fides deligunt, easq; cõcinnant accuratius, explorato sæpius concentu. Ita quisquis intelligit habere se uitæ sæmæq; æmulum, attentius sibi cauet, facta sua circunspicit, uitam omnem componit. Quandoquidem & hoc habet peculiare malitia, ut in peccãdo magis reuereatur inimicos quàm amicos. Proinde Nasica, quum quidam existimarẽt res Romanas iam in tuto esse, nimirum Carthaginensibus extinctis, Græcis in seruitutem subactis: Imò nunc, inquit, summo in periculo sumus, posteaquam nulli supersunt, quos uel timeamus, uel reuereamur. Accipe nunc & Diogenis responsum urbanum in primis ac philosopho dignum. Quidam interroganti quo pacto posset inimicum ulcisci, Si teipsum, inquit, honestum ac bonum uirum præstiteris. Vulgus hominum, quum bellos equos, ac laudatos inimicorum canes conspexerint, molestè ferunt. Rursus si fundum uiderint excultum, si hortum amœnum ac floridum, ingemiscunt. Quid igitur futurum putas, si teipsum ostenderis uirum iustum, cordatum, probum, ac frugi, admirandum in dicendo, in rebus gerendis syncerum & incorruptum, in temperantia uictus sobrium ac moderatum,

Alto fruentem pectoris sulco probi,
Consilia de quo germinant pulcherrima?

Qui uincuntur, ut inquit Pindarus, uinctam habent linguam, ut non audeant hiscere. Verum id non competit simpliciter in quemuis, qui quacunq; ratione uincitur, sed in eos duntaxat, qui se superari conspiciunt ab inimicis, diligentia, probitate, animi magnitudine, humanitate, beneficentia

neficentia. Hæc linguam detorquent, ut inquit Demosthenes, hæc os obturant & obsepiunt, hæc præfocant guttur, hæc silentium indicunt, hæc faciunt, ut quod ait Pindarus, non ausis hiscere,

Proinde tu conare, quandoquidem potes,
Vti malis apparcas præstantior.

Itaq; si diseruciare cupis inimicum, ne id hac uia facere uelis, ut eum per contumeliam appelles cinædum, aut intemperantem, aut scurram, aut parcum, aut sordidum & impurum, sed ipse magis da operam ut uir sis, da operam ut sis temperatus & cõtinens, ut uerax, ut humaniter & æquè tractes eos, qui tecum habent consuetudinem atq; commercium. Quòd si contigerit, ut ad conuicia quoque processeris, uideto ut quàm longissimè absis ab his probris, quæ iacis in alterum. Fac descendas in tuum ipsius pectus, lustra tuum ipsius sinum, ac diligenter circunspice, num qua sint illic cariosa, uitioq; obnoxia, ne forte sit unde tibi maledicus aliquis tacite secum conuiciũ illud sumptum è Tragœdia possit obijcere,

Vtilitas ex cõuiciando.

Medetur alijs ipsius hulceribus scatens.

Verum si te dixerit incruditum, tu fac in teipso studium intendas, & acuas industriam: si ignauum, fortitudinem, animúq; præsentiã excites: si incontinentẽ ac libidinosum, uoluptatis studium ex animo profliga: si quod huiusmodi insciо te uestigium inhæret. Nihil enim turpius conuicio, quod in autorem recidit. Ac ne grauius quidem aut acerbius quicquam. Etenim quemadmodum luminis repercussus uehementius offendit infirmos oculos, ita magis dolent maledicta, quæ uerias in ipsos unde profecta sunt retorserit. Siquidem ut Cæcias ad se nubes uocat, teste prouerbio, sic mala uita ad sese attrahit conuicia. Proinde Plato

Plato quoties incidisset in eos, qui facerẽt indecori quippiam, digressus consueuit apud se dicere, Nuncubi ego talis? Cæterum qui in alium maledicta congesßit, si continuo suam ipsius uitam contempletur, & componat, mutans eam in diuersum, & corrigens, is uidelicet nõnullam ex maledicendo capiet utilitatem, quum alioqui res inanis & habeatur, & sit. Itaque uulgus ridere solet, si quis ipse caluus aut gibbo deformatus, alijs hæc opprobret uitia. Quin magis in totum ridiculum est, in alterum iacere conuicium, in quem conuicium aliquod uicißim torqueri possit. Sicuti Leo Bizantinus, quum oculorum infirmitatem obiecisset sibi quidam gibbo deformis, Humanum, inquit, opprobrasti uitium, quum ipse Nemesim, hoc est, reprehensionem in tergo portes. Quapropter caue cuiquam exprobres adulterium, ipse fœdiori libidinis generi obnoxius: neq; luxum, ipse sordidus.

Cognatus es mariticidæ fœminæ:
Ita maledicit Alcmæon Adrasto. Quid is igitur? Nempe proprium ei, non alienum impingens probrum respõdet: Matrem ipse manibus interemisti tuis. Domitius in Crassum ad hunc iocatus est modum: Non sleuisti, murena quam in uiuario alueras mortua? At Crassus ita retorsit conuicium: Num tu lacrymabas, quum treis extuleris uxores? Qui sit in alium dicturus, non hunc oportet facetum, aut clamosum, aut improbum esse, uerum eum esse conuenit, in quem nullum conuicium aut crimen hæreat. Deus enim nulli magis præcepisse uidetur illud, Nosce teipsum, quàm ei, qui sit alium uituperaturus, ne si dixerint quæ uolunt, audiant quæ non uolunt. Nam fieri solet, ut iuxta Sophoclis dictum,

Vbi uerba temere fuderis, tum quæ uolens

Dixti, uicißim eadem illa nolens audias.

Atq; hoc quidem utilitatis & commodi excerpi potest ex maledicẽdo inimicis: at non minus utilitatis ex altero proficiscitur, nempe si quis malè audiat, & conuicijs afficiatur ab inimicis. Vnde rectè dictum est ab Antisthene, ad salutem & incolumitatem tuendam opus esse aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis, propterea quòd illi, dum admonent peccantes, hi dum maledicunt, reuocat à uitijs. Sed quoniam his sane temporibus, ad libere loquendum penè uocem amisit amicitia, loquax est autem assentatio, admonitio muta, superest ut ab inimicis uerum audiamus. Fabulosa similitudo. Nam uti Telephus, quum medicum amicum nancisci non posset, uulnus hostili lanceæ submisit, sic ij quibus non adest beneuolus admonitor, maleuolẽtis inimici uerba ferant oportet, qua mala ipsorum redarguant castigentq;. Quo quidem in tẽpore rem ipsam spectare conueniet, non animum maledicentis. Sicut enim is qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu tuber ita percußit ac dißecuit, ut seruaret hominem, ruptoq; tubere periculo liberaret, ita non raro fit, ut conuicium per simultatem & odiũ impactum, medeatur animi morbo uel ignorato, uel neglecto. At uerò plerique conuicio tacti, non illud considerant, num ipsi obnoxij sint ei probro quod obijcitur, sed perpendunt potius, an qui maledixit, aliud quippiam habeat quod in illum dici posßit. Dumq; more colluctantium in palæstra probra ceu puluerem non abstergunt à sese, sed scipsos conspergunt & oblinunt, postea congressu facto uterq; ab altero contaminatur ac denigratur. Quin magis conueniebat, ut cui conuicium dixit inimicus, id à se tollat quod obiectum est, quàm faceret, si quis maculam uesti inhærentem ostẽderet. Iam etiam si quis obiecerit

rit probrum, à quo sis alienus, tamen inquirendum erit, quibus ex causis maledictum hoc natum sit, deinde cauendum ac metuendum, nequid imprudentes deliquerimus, uel affine, uel simile ei, quod nobis obiectũ est. Quẽadmodum Lacydes Argiuorum rex, ob comam compositiorem, & incessum delicatiorem uulgo malè audiuit, ueluti mollis & effœminatus. Idem accidit Pompeio, propterea quòd uno digito scalperet caput, quum à mollitie & lasciuia longißimè abesset. Accidit & Crasso, cui sæpius adeundi uirginem quãdam Vestalem causa hæc fuit, quòd prædiolum quoddam elegans ab illa mercari cuperet, atq; hac gratia frequenter cum ea congrediebatur, captans mulierem. Posthumiæ uerò risus solutior, ac liberior cum uiris confabulatio peperit infamiam, ita ut incessius accusaretur. Quanquam igitur compertum esset illam à crimine abfuisse, tamẽ summus pontifex Spurius Mutius dimißã admonuit, ne inuerecundius loqueretur, quàm uiueret. Themistocles autem quũ nihil peccasset, ex Pausania tamen proditionis suspicionem contraxit, quòd eo familiarius uteretur, quotidieq; literas ac nuncios ad illum mißitaret. Proinde quum dictum fuerit aliquid in te quod uerum non sit, non oportebit ob id, quia falsum est, contemnere ac negligere, sed expendere tecum, num quid dixeris aut feceris, aut conatus fueris, aut nunquid fuerit in tuis familiaribus, quod illi calumniæ probabilem munistrauerit occasionem, idq; simul atque deprehenderis, cauendum erit, atq; uitandum. Ut enim si difficultates ac molestiæ temere fortuitoq; incidentes, alios docent quid expediat, uelut in fabulis Meropa, fortuna sublatis ijs quæ mihi erant charißima, mercede me sapientem reddidit, quid uetat, quo minus gratuito præceptore utamur inimi-

co, qui nobis prosit, aliquidq; doceat, quod antea fugiebat? quandoquidē pleraq; magis intelligit inimicus, quam amicus, propterea quòd amor cæcutiat in re amata, uelut inquit Plato. Porrò odio coniuncta est tum curiositas, tum garrulitas. Quum Hieronis fœtor oris ab inimico quodam opprobratus esset, domū reuersus obiurgauit uxorē. Quid ais, inquiens, hoc uitium ne tu quidem mihi indicasti? At illa quum esset pudica & simplex, putabam, inquit, omnes uiros ad eundem modum olere. Adeò & quæ sensibus percipiuntur, & quæ corpori insunt, & quæ conspicua sunt omnibus, citius ex inimicis cognoscas, quàm ex amicis, aut familiaribus. Adde his, quòd quum non exigua uirtutis pars sit, linguam habere moderatam, semperq; rationi morigeram & obedientem, id non contingit, nisi multa exercitatione, cura studioq; pessimos animi motus edomueris, quod genus est ira. Siquidem ut imprudentibus uox excidat, & Homericum illud,

Fugiens uox oris claustra reliquit,

Item illud ab alio quodam dictum, uerba nonnulla ultro cuolare, id solet usu uenire potissimum animi inexercitatis, ceu labentibus ac perfluentibus, ob impotentiam iracundiæ, ob mentis intemperantiam, ob securiorem uitæ rationem. Cæterum rem omnium leuissimam, uti diuinus inquit Plato, grauissima pœna uindicant tum dij, tum homines. Contrà silentium cum ubique innoxium est, nedum adipson, uelut ait Hippocrates, tum uerò in conuiciis constans quiddam, ac Socraticum habere uidetur, uel Herculaneum magis. Siquidem ille quoq;

Vel minus ac muscas curabat uerba molesta.

Sanè quum non alia res neque grauior, neque pulchrior, quàm si conuiciante inimico quietem agas, ueluti mordacem

Amor cæcutit, liuor perspicit.

Inimici plus docēt quàm amici.

Pœna culpa grauior.

consilium.

dacem Lisi scopulum præternauigans, tum latius ea patet exercitatio. Nam si consuescas inimicum conuiciantem ferre tacitus, facillimè nimirum feres & uxoris rixantis iracundiam, & amici clamorē, & fratris amarulentiam citra perturbationem sustinebis. Nam patri matriq; etiam pulsandum te feriendumq; præbebis, nihil ira commotus. At Socrates quidem Xanthippam uxorem, iracundam ac molestam domi ferebat, ceu facilius cum alijs consuetudinem acturus, si illam perpeti consuesset. Verum longè præstat, ut inimicorum dictis, conuicijs, & odijs exercitatus, consuescas iracundiam premere, nec quum maledictis incesseris excandescere. Ad hunc igitur modum mansuetudinem ac tolerantiam in simulatibus præstare conuenit. Cæterum simplicitas ac magnanimitas benignitasq; magis in amicitijs locum habet. Neque enim perinde pulchrum est de amico bene mereri, quàm fœdum id non facere, quoties opus est. At humanum habetur ultionem inimici, si quando per occasionem in te insederit, negligere. Eius uerò cui lapsus inimici dolet, etiam qui roganti opitulatur, liberis ac domesticis rebus periclitantibus, studiū aliquod animiq; propensionem exhibet: quisquis non amplectitur beneuolentiam, quisquis non laudat benignitatem, is nimirum cor habet adamantinum, aut ferro excusum. Quum Cæsar Pompeij statuas deiectas reponi iussisset, tum M. Tullius, statuas, inquit, Pompeij collocasti, tuas constabilisti. Vnde nec malignè laudandus est, nec honore fraudandus inimicus, meritò laudandus, ac celebris, propterea quòd maior laus hinc redit ad ipsos qui laudant. Ad hæc qui promerentem laudat, ei rursum fides habetur uituperanti, ueluti qui non hominem ipsum

Imò plus quàm humanum, catholicum.

oderit, sed qui factum illius non probet. Iam uerò, quod est omnium & pulcherrimum & utilissimum, nequaquam inuidebit, uel amicis felicibus, uel familiaribus cum laude quippiam agentibus, quisquis assueuerit & inimicos laudare, & neque ringi, neque morderi successibus illorum. Est ne aliud ullum studium, quod parem utilitatem pariat, aut habitum potiorem gignat in animis nostris, quàm id quod æmulationem & inuidentiam nobis adimat? Nam quemadmodum in Republica permulta sunt, necessaria quidem illa, sed tamen mala, quæ posteaquam in consuetudinem abierunt, iamq; legis uim nacta sunt, tamen haud facilè depellant, quibus ea molesta noxiaq; sunt, sic simultas multa secum inducit uitia, nempe liuorem, suspicionem, gaudium ex alienis malis, tenacem iniuriarum memoriam, & horum uestigia relinquit in animo: Præterea quædam, quæ si facias in inimicum, nec mala uideantur nec iniqua, ita remanent in nobis, ut abijci difficilè possint: quod genus sunt, uersutia, fraus, insidiæ. Deinde fit, ut propter assuetudinem ijsdem utamur in amicos, nisi cauerimus in inimicos uti. Proinde rectè præcepit Pythagoras, quum ab aucupio dehortaretur, & empto retium iactu, pisces captos iuberet amitti: quumq; omnium mutium animantium cædem interdiceret, uidelicet ut in brutis animalibus nos consuefaceret à crudelitate & rapacitate temperare. Atqui multò pulchrius est, ut dū in simultatibus, ac dissidijs aduersus homines & contentionibus, generosum, æquum, ac simplicem inimicum agis, improbos, sordidos, ac fraudulẽtos affectus castiges, premasq;, quo nimirum in commercijs amicorum prorsus conquiescant, & à fallendo temperent. Scaurus cum Domitio simultatem habebat, eumq; fecerat

Quid potest dici magis Christianum?

cerat reum: itaq; Domitij seruus quidā, priusquam ageretur causa, Scaurum adijt, significans habere se quippiam arcanum, quod ille uellet indicare. At ille non passus est hominem loqui, sed comprehensum ad herum remisit. Catonem quum Murenā insectaretur, & accusationis argumenta colligeret, assectabantur ex more, qui quid fieret obseruabant. Hi frequẽter cum interrogabāt, nunquid eo die collecturus esset, aut acturus aliquid quod ad accusationem pertineret. Quod si negasset, credebant, ac discedebant. Atq; id quidem maximum erat argumentum, quàm bene sentirent de Catone. Verū illud & maius est, & lōgè pulcherrimū, quòd assuefacti iustè rectèq; agere cum inimicis, haud unquam iniustè dolo ue cum amicis & familiaribus agemus. At quoniam necessum est Galeritis omnibus inesse cristam, iuxta Simonidem, & omne mortalium ingenium, contentionē, suspicionem, & inuidentiam ex se gignit, inter mente uacuos amicos, ut inquit Pindarus, haud mediocriter profuerit, si quis horum affectuū repurgationem in inimicos effuderit, eamq; ueluti cloacā, quam longissimè à domesticis ac familiaribus auerterit. Id quod intellexisse uidetur Onomademus, uir urbanus, qui quum orta in Chio seditione, in ijs esset partibus quæ uicerant, admonebat suos, ne cunctos expellerent qui diuersarum fuissent partium, uerum sinerent superesse nonnullos, ne cum amicis, inquit, incipiamus dissidere, si prorsus desint inimici. Ad eundem modum si nobis hæc animi uitia consumantur in inimicos, minus erunt molesta amicis. Neq; enim oportet figulum inuidere figulo, neq; cantorem cātori, quemadmodum inquit Hesiodus, neque conuenit uicinum æmulari uicino, neque consobrino, neque fratri ad diuitias properanti, & felicibus rerum utenti successibus:

Inimici tolerandi.

bus: sed si non est alia uia qua teipsum à contentione, inuidentia, & æmulatione liberum reddas, consuesce secundis inimicorum rebus morderi, in hos iracundiæ mucronem exacue. Nam sicut elegantes agricolæ rosas ac uiolas ita meliores futuras putant, si cepas & allia serãt in proximo, quòd quicquid in illis acris ac grauis odoris inest, in hæc repurgetur, sic inimicus in se recipiens ac deriuans inuidiam, ac morositatem, candidiores nos minusq; graues reddit amicis prospera fortuna utentibus. Quapropter cum illis sunt exercenda certamina de gloria, de imperio, de iustis lucris, non hactenus tantum ut discruciemur, si quid illi plus habeant nobis, sed ut obseruemus singula, quibus rationibus nos superẽt, eosq; diligentia, industria, sobrietate, & cautione præire conemur. Quemadmodum dicere solitus est Themistocles, sibi non licere somnum capere per Miltiadis in Marathone uictoriam. Etenim qui deiicitur animo, penitusq; liuore contabescit, propterea quòd se credat ab inimico uinci uel in gerendis magistratibus, uel in agendis causis, uel gratia & autoritate apud amicos, aut optimates, ac non potius conatur aliquid & æmulatur, hunc ociosa quædam & iners habet inuidia. At quem non excæcat odium, quo minus iudicet de eo quem odit, sed æquis oculis spectat illius & uitam, & mores, dicta simul & facta, is nimirum perspiciet ea quibus inuidet, pleraq; è diligentia, prouidentia, rectèq; factis, illi contigisse. Deinde ad hæc exercitatione uincendi curam exacuens & honoris studium, ociumtiam, ac socordiam excutiat. Quòd si uidebuntur in aula principis, aut in Republica potentiam indignam & inhonestam assecuti uel assentatione, uel fraudulentia, uel corruptis iudicijs, uel largitionibus, id nobis haudquaquam molestum

Odium non cæcum.

lestum erit, quin potius uoluptatem adferet, integritatem uitæ nostræ, æquitatemq; cum illorum illiberalitate conferentibus. Siquidem uniuersum aurum, quod uel super terram est, uel sub terra, non est æquiparabile uirtuti, ueluti inquit Plato. Illud etiam Solonis dictum semper conueniet in promptu habere: At nos, inquit, uirtutis diuitias cum illis non commutabimus nec acclamationibus epulo conductæ multitudinis, nec honoribus, summoq; accubitu apud eunuchos, cõcubinas, & satrapæ rum uxores. Nihil enim suspiciendum, neq; præclarum, quod ex turpitudine nascitur. Sed amans cæcutit in eo quod amat, autore Platone, magisq; sentimus si quid præter decorum faciant inimici. Non oportet autem, siue quid peccant, inutili affici gaudio, siue quid rectè faciunt, ocioso dolore tangi: uerum illud in utroq; cogitandum est, ut & illa cauentes meliores illis simus, & hæc imitantes non simus deteriores.

Amans cæcutit.

FINIS.

PLVTARCHI
CHAERONEI
DE TVENDA BONA VALETVDINE, PRAECEPTA.

Erasmo Roterodamo interprete.

Τὰ πρόσωπα,

MOSCHION ET ZEVSIPPVS.

IV SANE Glaucum medicum heri deterrebas Zeusippe, unà nobiscum philosophari cupientem. ZEVSIPPVS. Neq; deterrebam amice Moschion, neq; ille nobiscũ philosophari cupiebat. Quin magis fugiebam, metuens ne quam præberem ansam homini pugnæ auido. Nam in re quidẽ medica uir ille, quẽadmodum inquit Homerus,

Alijs æquandus pluribus unus.

Cæterũ erga philosophiam parũ amico est animo, sed cum in disputãdo semper acerbũ quiddam habet, ac morosum, tum uerò id quidẽ temporis infestus in nos tẽdebat, acrius etiam illud uociferãs, haud mediocriter iniquũ facinus ausos esse nos, qui disciplinarũ terminos confudissemus, de ratione uictus ad tuendam bonã ualetudinem conducibili differentes. Separatim enim aiebat esse philosophorum ac medicorũ professionẽ, non aliter atq; Mysorum ac Phrygum fines, ut habet prouerbium. Ac nonnulla à nobis dicta non illa quidem accurate, neq; serio, at rursum nõ inutiliter, repetens carpebat ac dilacerabat. MOSCHION. At

At ego Zeusippe, tum ista, tum reliqua illa cupidè lubẽsq; audierim. ZEVSIP. Nimirum quum philosophus sis natura Moschion, philosopho succenses, parum studioso medicinæ, & indignum existimas, si magis officij sui putet esse, ut in Geometriæ, Dialecticæ, Musicæ studio uersari uideatur, quàm ut inquirat cupiatq; cognoscere

Aedibus in proprijs quæ praua aut recta gerantur, ipso uidelicet corpore. Quanquam illic frequentiores uideas spectatores, ubi nonnihil sacræ pecuniæ, qua ad spectaculum inuitentur, distribuitur affluenti multitudini, ita ut fieri solet Athenis. At medicina sic est de numero disci- Laus medi-
plinarum liberaliũ, ut politie, splendore, iucunditate nul- cinæ.
la sit inferior: porrò mercedem abunde magnam addit sui studiosis, nempè corporis salubritatem, ac prosperam ualetudinẽ. Proinde non oportet in ius uocare philosophos, quasi terminos præterierint, si de his quæ ad bonam ualetudinem conducunt, disputent, uerum ita magis accusandos ducere, nisi prorsus sublatis finibus existimarint communiter uelut in eadem regione sese rerum quæcunq; sint honestæ studiosos uersari oportere, sectantes pariter & quod in disputãdo delectet, & quod ad usum uitæ sit necessarium. MOSCHION. Quin Glaucum missum faciamus Zeusippe, qui ob fastum absolutus uideri studet, nec egens auxilijs philosophiæ. Tu uerò disputationem omnem nobis recense, primoq; loco si uidetur, ea quæ dicebas non admodum serio abs te dicta, carpsisse Glaucum. ZEVSIPPVS. Aiebat igitur amicus ille noster, sese audiuisse quendam qui diceret, non mediocre fore momentum ad bonam ualetudinem, si quis manus semper calidas haberet, neque pateretur eas frigere. Rursus extremarum corporis partium frigiditatem, dum calorem ad interiora

riora cogit, ceu familiaritatem quandam & assuetudinem febris inducere. Rursum si ea quæ foras uergunt, & ad summas partes tendunt, una cum calore per omne corpus diducant, ac dispensent materiam, id salubre est. Itaque si quod operis faciamus, in quo manibus sit utendum, tum calorem ultro ab ipsa corporis agitatione induci membris, ac contineri: ubi uerò nihil agas operis istiusmodi, tum summis a membris frigus arcendum esse. Hoc igitur erat unum eorum quæ ab illo ridebantur. Alterum autem, ni fallor, erat de cibis, quos ægrotantibus exhibetis. Præcipiebat enim hos multo ante tempore sumendos, atq; degustandos esse, quo sani uidelicet illis assueceremus, ne pòst ueluti pueri uictum eum horreamus, & auersemur, sed paulatim familiaris ac domesticus stomacho reddatur, ne in morbo cibis perinde ut pharmacis offendamur, neue molestè feramus, si quando simplicem aliquem cibum elixum & insipidum sumere necessum erit. Vnde ne illud quidem aliquando fugiendum, ut illoti ad cibum capiendum accedamus, nec uti potemus aquam quum absit uinũ, nec ut calidum bibas æstate, licet apposita niue neglectis interim his qui ad ostentationem, moreq; sophistarum ab istiusmodi rebus abstinent, ac temperantiæ nonune semet efferunt. Quin ipsi magis nostrapte sponte paulatim & stomachum ita consuefaciamus, ut citra molestiam pareat utilitati, tum procul ab animo tollamus nimis anxiam ac superstitiosam huiusmodi rerum curam in morbis, neue collamentemur deplorantibus quòd è magnis ac iucundis uoluptatibus in sordidam illam atque humilem uitæ rationem sint redacti. Nam rectè dictum illud, Optimam uitæ rationem delige, eam tibi iucundam reddet consuetudo, eum singulis quicquid aggrediare conducibile fuerit, tum uerò

De cibis ægrotantibus exhibendis.

uerò maximè, si in ijs quæ ad corporis uictũ uitæq; rationem attinent, ijs assuescens quæ sunt saluberrima, eadem amica cognatáq;, ac domestica naturæ reddas, memor eorum quæ nonnulli tum patiuntur, tum faciunt in morbis, quàm molestè ferant, quamq; uix tolerent, quoties aqua calida apponitur, aut sorbitio, seu panis, non solum ista detestabilia & insuauia, uerumetiã ipsos qui sumere compellunt detestabiles ac molestos appellantes. Porrò non paucos etiam balneum extinxit, quum initio nullo graui morbo tenerentur, nisi quòd non possent, neq; ferrent cibum capere nisi loti: quorũ de numero Titus erat imperator, quemadmodum referunt ij, qui ægrotanti ministrarunt. Ad hæc reprehẽsum est hoc quoq;, corpora gracilia, minimeq; obesa semper esse salubriora, maximeq; cauendam ingurgitationem, ebrietatem, & immodicum delitiarum usum his, qui solẽne epulum sint celebraturi, aut qui amicos apparant conuiuio accipere, aut futurum est ut à diuite quopiam, aut principe, conuiuio splendido adhibeantur, expectentq; commune bibendi certamen, quod recusare non liceat: quo nimirum iam tum in tranquillitate corpus expeditum ac leue reddant, uelut aduersus imminentem uentorum ac undarum tempestatem. Siquidem perdifficile fuerit, in cœtu hominum, & inter inuitatiunculas illorum, teipsum intra mediocritatem, solitamq; temperantiam continere, ut non omnibus uehementer grauis ac molestus & onerosus esse uidearis. Itaque ne ignis addatur igni (quemadmodum prouerbio dicitur) hoc est, ne ingurgitatio ingurgitationi, intemperantia intemperantiæ, diligenter oportebit meminisse, quod per iocum festiuiter fecit Philippus. Id erat huiusmodi: Cum paucis inambulantem quidam uocarat ad cœnam, deinde quum uideret

Titus balneo extinctus.

uideret illum cõplures secum adducentem, quũ non admodum multum epularũ apparasset, sanè conturbatus est. Id sentiens Philippus, submusit qui singulos amicos admoneret, ut placentæ locum relinquerent. At hi dum uerè credunt placentam apponendã, atq; expectant, abstinent ab his quæ fuerant appositæ, atq; eum ad modũ factum est, ut conuiuiũ omnibus sufficeret. Hoc igitur pacto conueniet & nosmetipsos ad ineuitabiles cõpotationes præparare, ut obsonijs, bellarijs, atque adeo ebrietati quoq; locum in corpore reseruemus, atq; integrã ad istiusmodi conuiuia stomachi appetentiam adferamus. Quòd si nos iam expletos, grauiterq; affectos, talis quæpiam necessitas occuparit, optimatibus præsentibus, aut hospitibus decrepẽte oblatis, ut pudore compellamur ad eandem uenire, & compotare cum his qui satis id ferre queant, ibi uerò maximè nos arment oportet atq; instruant aduersus pudorem, rem magnopere noxiam mortalibus, contraq; uitiosam erubescentiam, ea quæ Creon loquitur in Tragœdia:

Festiuus Philippi iocus.

Mihi amice longè satius esse duxerim,
Tibi nunc ut hostis reddar ac gratus parum,
Quàm ut leuis in te, postea grauiter gemam.

Rusticitatis metu peccare maximè rusticanũ.

Etenim ob metum ne rusticior uidearis, in laterum aut rerum dolorẽ teipsum dare præcipitem, id uerè rusticani est hominis, mentecq; ac ratione carẽtis: qua qui præditi sunt, norunt & absq; poculis ac nidore cum hominibus conuiuere. Quandoquidem si dextre urbaniterq; recuses, non minus gratus fuerit recusatio, quàm cõpotatio. Tum si quis epulum exhibeat ueluti sacrificium, unde nihil deguſtet ipse, sed abstineat, atque interim inter pocula, superq; mensam hilariter atq; festiuiter simul & iocetur, & dicat aliquid in seipsum, is iucundior uidebitur, quàm si pariter inebrie

inebrietur, simulq; uoret obsonia. Adduxeram autem ex antiquis quidem Alexandrum, qui post multam potationem, quum Medio rursum ad bibendi certamen prouocanti, & rursus ad meri potationem pertrahenti recusare uereretur, eam ob causam periisse. Porrò ex nostri temporis hominibus Rhiglum Pancratiasten commemoraueram, qui quidem à Tito Cæsare ad balneum mane inuitatus, abijt, simulq; lauit: quumq; semel duntaxat bibisset, quemadmodum aiunt, correptus apoplexia subitò mortuus est. Hæc nobis Glaucus quasi ridens obijciebat, ueluti pædagogica: de reliquis autem, neque illi libebat audire, neque nobis illi narrare, neque perpendebat unumquodque eorum quæ dicta fuerant. Primus itaque Socrates admonens, cauendos esse cibos, qui non esurientes denuo ad edendum inuitent, cauendos esse potus, qui non sitientes ad bibendum illectent, non simpliciter interdixit ne his uteremur, sed quatenus opus sit, uti docuit, ut harum rerum delectationem ad usum ac necessitatem accommodemus: non aliter quàm faciunt hi, qui in Republica pecuniam in ædendis in theatro ludis destinatam uertunt in usus belli. Nam quod natura delectet, donec pars fuerit eius quod alit, proprium est. Atque oportet eos etiam qui esuriunt, necessarijs frui potius, quàm suauibus: seorsum autem haudquaquam irritare nouas appetentias, postea quàm à communibus epulis discesserimus. Nam quemadmodũ Socrati salutatio, exercitatio erat nequaquam iniucunda, sic is cui bellaria, & secundæ mensæ, lautitiæq; sunt cœnæ ac cibi loco, minus ab his offenditur. Cæterum qui iam acceperit quod naturæ satis est, seseq; expleuerit, ne is auidè talia sumat, id uerò cum primis cauendum est. Atque in his non minus fugienda

est

est imperitia & ambitio, quam uoluptas & ingluuies: propterea quòd hæ quoq; sæpius inuitant ad edẽdum quũ non esurias, ad bibendũ quum non sitias, dum illiberales admodum & molestas suggerũt imaginationes, quasi sit absurdum claris sumptuosisq; rebus non frui quũ adsint, uelut sumine, aut fungis Italicis, aut Sama placenta, aut niue in Aegypto. Siquidem ista sæpenumero illectant, ut celebratis ac ratis utare cibis, uelut ab inanis gloriæ nidore adductus, uti corpus adigas cum cibis habere commercium, quum nihil sit opus, quo possis apud alios prædicare, admiraturos ac felicem iudicaturos, cui rebus tam non obuijs, tamq; exquisitis frui contigerit. Consimiliter autem ad modum afficiuntur erga mulieres nobiles: fit enim aliquoties, ut cum proprijs dormientes, tum formosis, tum etiam amantibus, nihil tamen commoueantur: cæterum Phrynæ, Laidi ue persoluto argento, quum corpore sint ægro, & ad coitum ignauo, excitant tamen & irritant lasciuiam ad uoluptatem, idq; inanis gloriæ causa. Quo factum est, ut ipsa Phryne iam anus facta dixerit a multis fecem emi propter gloriam. Porrò magnum est admirum, si quascũq; natura postulat ac recipit uoluptates adhibẽtes corpori, imò si plerunq; præter occupationes reluctantes illi flagitanti, differentesq; quod postulat, ac uix uoluptates magnopere necessarias suppeditantes, aut quemadmodum inquit Plato, titillanti etiam & uehementer instanti morigerantes, citra noxam discesserimus. Iam uerò illius cupiditates quæ præposteræ ab animo scatent in corpus, coguntq; affectibus obsequi & inseruire, nulla ratione fieri potest, quin grauissima maximaq; incommoda ex inualidis inanibusq; uoluptatibus in eo relinquant. Nequaquam autem competit animi cupiditate corpus

Voluptates ab animo in corpus scatentes perniciosissimæ.

corpus ad uoluptatem concitare. Nam ut hinc uoluptas oriatur, id præter naturam est. Quemadmodũ enim axillarum titillationes haud proprium neq; amabilem risum præbent animo, sed molestum spasmoq; simulem, ita quascũq; uoluptates corpus extimulatũ ab animo, turbatumq; capit, hæ nimirum & stupidæ sunt, & turbulentæ, & à natura alienæ. Quoties igitur rarum aliquod aut nobile cibi genus fruendum appositum fuit, magis ita quærenda gloria ut abstineamus, quàm ut fruamur, memores quemadmodum dixit Simonides, nunquã sese pœnituisse, quòd tacuisset, quòd locutus esset, sæpe: ita nos quoq; nunquam pœnituisse quòd obsonium recusauerimus, aut quòd aquã phalerni loco biberimus. Quin è diuerso magis nõ solum non est ad ista cogẽda natura, uerum etiamsi quid istiusmodi proponatur desideranti, cõueniet ob consuetudinem & exercitationem sæpius ad leuia cõsuetaq; reuocare appetentiam. Nam si ius uiolãdum, quemadmodũ dixit Thebanus ille, etiamsi non rectè, optimũ est imperij causa uiolare. Nos uero melius, si gloria affectanda est, optimũ est eam sanitatis causa in huiusmodi rerum abstinentia affectare. Quanquam sunt nonnulli, quos parsimonia cõuincta cum gulæ uitio adducit, ut quum domi coërceant cupiditatem, apud alios lauticijs fruantur, expleantq; sese, ampliter ingurgitantes, perinde quasi rebus bello partis: deinde grauiter affecto corpore discedunt, postero die præmium ingurgitationis auferentes, nempe stomachi crudilatem. Crates igitur quum existimaret in ciuitatibus seditiones ac tyrannides potissimum è delitijs & luxu nasci, per iocum admonuit, ne præ lenticula semper augens patinam, in seditionem nos conijcias. Sed seipsum adhortetur quisque, ne semper præ lente augẽs patinam, neue

Attende fordidorum naturã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modis omnibus præterito nasturtio & olea ad farcimen & piscem desciscens, ex repletione corpori seditionem concitet, & tumultum, ac perluuium. Nam cibi uiliores appetentiam intra naturæ modum cohibent. Cæterum artes istorum qui obsoniorum sunt opifices atque architecti, & operosæ istæ cupediæ, neque non ingeniosa condimenta, semper, ut inquit comicus, uoluptatis fines longius promouent, ac uitiant utilitatem. Atqui haud scio quo pacto fiat, ut quum uxores quæ philtris ac ueneficijs in uiros utuntur, abominemur, fastidiamusq;, conductitijs ac seruis cibos & obsonia nostra proijciamus, ut ea penè dixerim, ueneficijs, ac præstigijs uitient. Proinde quanquam amarius illud ab Arcesilao dictum uidetur in adulteros ac libidinosos, nihil referre aduersus an auersus cinædus sit aliquis, tamen haud malè quadrat & in hanc rem de qua agimus. Quid enim (ut uerum loquar) interest, utrum inductis Atellanis intemperantiam ad uoluptatem excites atque irrites, an gustum odoribus & lauticijs prouoces, ut ceu membra scabiosa scalptu fricturique semper opus habeamus? Sed aliàs fortassis aduersus uoluptates dicemus, quamque per se honesta res & egregia sit temperantia demonstrabimus, nunc nobis de multitudine, ac magnitudine uoluptatum est institutus sermo. Morbi igitur, non tam multa negocia, neque tot spes, neque tot peregrinationes, neq; tam multa exercitia nobis eripiunt ac perdunt, quàm multas adimunt uoluptates. Vnde fit, ut qui maximè sectantur uoluptatem, his minimè expediat corporis sanitatem negligere. Siquidem permulti sunt, quibus aduersa ualetudo nequaquam est impedimento, quo minus philosophiæ dent operam, aut rem etiam exerceant militarem, aut imperium

perium administrent: ac corporis uoluptates aut huiusmodi sunt, ut his in morbo frui nullo modo possis. Quòd si quibus in morbo quoque locus est, hæ nec illam ipsam delectatiunculam suapte natura breuem, puram exhibẽt, sed magna ex parte malis alienis fermentatam ac cicatricosam, uelut è procella ac tempestate quapiam reddunt. Neque enim ueneri locus in ingurgitatione, quin magis in corporis serenitate tranquillitateq;. Nam ueneris finis uoluptas est, quemadmodum & esus ac potus. At bona ualetudo, uoluptatibus haud aliter atque cœli tranquillitas Alcyonibus præbet ut tutò commodeq; generent incubentq;. Eleganter enim Prodicus uisus est dixisse, optimum condimẽtum esse ignem ipsum. Nam uerissimè quis dixerit, bonam ualetudinem maximè diuinum longeque blandissimum esse condimentum. Siquidem cibi elixi, assi, coctique, his qui morbo laborant, aut crapula grauantur, quiue stomacho nauseant, nullam adferunt neq; uoluptatem, neque iucunditatem: at pura, syncera que stomachi appetentia, corpori sano quidlibet etiam reddit suaue, & accommodum, atq; harpaleon, quemadmodum ἁρπαλέον. inquit Homerus, id est quod rapere libeat. Sed sicuti Demades, Athenienses qui non in tempore bellum capesserent, aiebat nunquam nisi pullatos pacem decernere, ita nobis haud unquam tenuis ac moderata uictus ratio uenit in mentem, nisi iam febri æstuantibus, & admotis pharmacis. Atqueadeo quum in hæc inciderimus, mirum tamen quam peccatum nostrũ celamus, nimium innitẽtes famæ & opinioni, quemadmodum mortalium uulgus assolet, qui nunc cœlum, nunc regionis salubritatem criminantes, aut peregrinationes aliquas loqui solẽt ne morbi causa uideatur luxus, & uoluptatum immoderatior usus.

Bona ualetudo bonum diuinũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quemadmodum quum Lysimachus inter Scythas siti constrictus, sese pariter atq; exercitum hostibus dedidisset, ac deinde frigidā bibisset aquā: Dij boni, inquit, quàm breuis uoluptatis gratia, magnam deposui felicitatem: itidem & nobis ipsis in morbo debemus in animum reuocare, quòd ob frigidam potionem non in tempore sumptam, aut balneum intempestiuum, aut compotationem, complures earum rerum delectationes amiserimus, deinde præclara negocia permulta, postremò non paucas exercitationes iucundas perdiderimus. Facit enim huiusmodi reputatio, ut dolor quidem animum mordeat, uulneransq; memoriam, ueluti cicatrix quæpiam remanens, in bona ualetudine cautiores, ac circumspectiores nos reddat in obseruanda uitæ ratione. Neq; enim tum corpus sanitati reddidum, admodum magnas pariet cupiditates, nec intractabiles, aut insatiatas, & inuincibiles, quin magis forti & intrepido animo esse oportet aduersus appetentiam earum pentem, & ad fruendum his quæ cupit, exiliētem, ut quæ nihil habeat præter leues, ac pueriles querimonias, aq; ploratus, deinde mox conquiescat, sublata mensa, neq; quicquam incuset, aut lædat, sed contrà potius pura atq; hilaris, minimeq; grauis, minimeq; fastidiosa, duret in posterū diem. Quemadmodum uidelicet Timotheus, qui superiore die in Academia apud Platonem cœnauerat musicam tenuemq; cœnulam, dixit, qui cœnassent apud Platonem, eos postero quoq; die suauiter agere. Fertur autē & Alexander dixisse posteaquam solitos obsoniorum artifices abiecisset, se longè commodiores secum posse ducere, nempe nocturnam profectionem ad condiendum prandium, ad cœnam uerò prandij tenuitatem. Quanquam equidem non sum nescius fieri, ut labor, aut æstus, aut frigus febrim conci

conciliet hominibus: uerum quemadmodum floscolorum odoramenta per se parum efficacia, si oleo admiscentur, uehementiorem uim habent, itidem istiusmodi morborum causis & initijs, quæ foris accidunt, humorum abundantia iam antè collecta, corpus exhibet ac tradit. Ea si non adsit, nihil ab illis fuerit periculi, uerum facilè euanescunt illa, ac dissipantur, si sanguine subtili, si puris spiritibus inciderit istiusmodi quæpiam affectio. Rursum distento corpore, & humoribus redundante, ueluti cœnum commotum, noxia, difficilia, quæq; non facilè profliges reddit omnia. Proinde cauendum est, ne sicuti boni naucleri, posteaquam ob auiditatem multum oneris in nauim coniecerint, deinde perpetuo labore sentinam exhauriunt, aquamq; marinam eijciunt, ita nos quoque simulatq; corpus expleuerimus, onerauerimusq;, tum rursum repurgemus & clysteribus exoneremus. Sed leue & expeditum seruare conueniet, quo siquando etiam continget premi, suberis in morem ob leuitatem sursum emicet. Sed maximè præcauendum, quum morbus aduentat ac præsentitur. Neque enim morbi omnes adueniunt taciti, uelut inquit Hesiodus,

Vocem ubi præripuit consultor Iuppiter omnem.

Imò pleriq; uiatores habent, qui prænuncient, præcurrantq;, nempe stomachi eruditatem & corporis segnitiem ac torporem. Grauedo, inquit Hippocrates, ac lassitudo per se oborta, morbum denunciat, idq; uidetur accidere, quòd corpus intus repletum sit, neq; non propter intensionem, ac densitatem spirituum, qui neruis adhærent. Atqui quum interim corpus ipsum quodammodo reluctetur, & ad lectulū quietemq; pertrahat, tamē alij gulæ delitiarumq; intemperantia in balnea se cōijciunt, ad pro-

pinationes festinant, cibis onerãtes sese uelut in futuram obsidionem, quasi uerò metuant, ne sese febris impransos occupet. Alij rursum magnificentiores ista quidem ratione non capiuntur, sed dum longè abiectius pudet ingurgitationem, aut eruditatem fateri, totumq; diem in uestimentis suis agere, cæteris in certamen euntibus, ac eodem prouocantibus, surgunt & ipsi, simulq; cum alijs uestes exuunt, eademq; faciunt quæ sani. Sunt complures quos intemperantiæ, molliticiq; suæ prouerbio patrocinantes, spes impellit, ac persuadet, ut relictis stratis, audacter ad consuetam uitæ rationem accedant, perinde quasi iam uinum uino, crapulam crapula profligarint ac discussserint. Aduersus hanc igitur spem cautio Catonis est adhibenda, quæ quidem, ut inquit uir ille, quæ magna sunt, ea pusilla facit: quæ pusilla, prorsus tollit: ac meminisse oportebit, satius esse, ut præter necessitatem abstineas à cibo, & quietem agas, quàm tractus ad balneum atq; conuiuium, ibi prouoluaris atq; concidas. Nam si quid est periculi, nocebit non cauisse, nec abstinuisse. Si nihil est, haud nocebit corripuisse corpus, ac purgatius reddidisse. At pueriis ille, qui uereatur, ne amicis ac famulis fiat palam, ex ingurgitatione luxuq; collectum esse morbum, dum præ pudore grauatur hodie fateri eruditatem, postridie fatebitur alui profluuium, aut febrim, aut uentris tormina, uel cum pudore. Summũ probrum ducis esuritionem, at lõgè turpius existima, si corpus crudum cibis onustum ac dissentum ad balneum pertrahas, non aliter quàm si in mare deducas nauem putrẽ ac rimosam. Nec aliter profecto, quàm nauigantes nonnullos pudet sæuiente tempestate in littore tempus terere, at ijdem paulò pòst reiecti in littus turpissimè sese gerunt, uociferantes ac nauseantes: Sic hi qui

qui corpus ad morbum iam esse propensum sentiunt, dum ignauum arbitrantur unum diem lecto decumbere, nec apponi mensam, postea turpissimè decumbunt complures dies, dum purgantur, inunguntur, dum medicis obseruiũt atq; obsecundant, dum uinum aut frigidam aquam postulant, coacti interea partim ob cruciatũ, partim ob metũ, absurda & indecora permulta cum facere, tum dicere. Atqui istos, qui uicti uoluptatibus sibi non temperãt, sed in affectus procliues, ab ijs præcipites rapiuntur, docere ac cõmonefaccre oportebit, uoluptatibus maximã delectationis partem ab ipso corpore proficisci: & quẽadmodũ Lacones quum acetum ac salẽ coquo dederint, reliquum in ipsa uictima iubent quærere, ita condimentũ esse optimũ appositi cibi, si sano puroq; corpori apponatur. Nam dulce quidem ac opiparum, aliquid per se & absq; his dici potest. Consueuit autem ita demum iucũdum fieri, si inciderit in eius corpus qui gaudet ac delectatur, quiq; iuxta naturam uitam agit. Rursum in morosis, crudis ac male affectis, hæc omnia gratiam sui perdunt & usum. Proinde non illud oportebit expẽdere, num recens sit piscis, num syncerus panis, num caleat balneum, num formosum scortum, sed seipsum considerct, fastidiosus ne sit, aut parum tranquillus, aut marcidus, aut perturbatus. Quod ni factum erit, haud secus ac si comessatores ebrij in ædes irrumpant luctu funestas, nihil hilaritatis neq; uoluptatis sint allaturi, quin eiulatum potius excitaturi: Sic etiã uenus, obsonia, balnea, uinum, siquidẽ in corpore malè præterq; naturam affecto nusceantur, his etiam humoribus qui nondum certum uitium, aut corruptionẽ acceperunt, phlegma bilemq; mouent, exagitant, magis ac magis excitant. Porrò delectationem nullam adferunt, quam magni-

Exacta uitæ ratio inutilis.

facias, neq; fruendi uoluptatem, qualis fuerat expectata, reddunt. Igitur exacta quidem illa, & uehementer ad unguem, ut dici solet, obseruata uitæ ratio, simul & corpus formidolosam reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit uigorem & alacritatem, dum omnia negocia refugit, dumq; non audet, nec in uoluptatibus, nec in laboribus uersari, dum omnem rerum administrationem suspectam habet, neq; quicquam confidenter & intrepidè aggreditur. Verum oportebit corpus nõ aliter quàm nauclum, neq; contrahere sereno cœlo, neq; uehemẽter premere, neq; rursum laxatis uti linteis, & negligẽter ac supine agere, quum suspicio sit tempestatis, sed obsequi conueniet, ac leue corpus reddere, quẽadmodum est dictum, non expectata eruditate aut perfluuio, neque feruore aut torpedine. Quibus rebus perinde ceu nũcij quidã ac uiatores febrim in foribus adesse renunciarint, uix tandẽ perturbati nonnulli tum contrahunt sese. Quin magis procul multò antè præcauendum erit, quàm tempestas inciderit, quasi summum maris æquor crispãte Borea. Siquidem absurdum fuerit, coruos crocitantes, gallos canentes, & sues iactatis manipulis insanientes, uelut inquit Democritus, diligenter obseruare, his rebus uentum aut imbrem imminere significantes, in corpore uerò motus & exundationes, & morbi præludia, non animo præcipere aut præcauere, nec ulla tenere signa, quibus tempestatem in teipso coorituram præsentias. Vnde nõ in cibis solũ & exercitationibus conueniet obseruare corpus, num præter solitũ illis grauatim & illibenter utatur: aut contrà, num siticulosius, magis ue fimelicum sit quàm consueuerit, sed etiã illud obseruandũ erit, si quãdo somnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, sed inæqualis & interruptus. Quin insuper

Indicia febris futuræ.

Somnus & insomnia considerauda.

insuper insomniorum etiã absurditatẽ conueniet annotare. Nam si nefaria, minimeq; cõsueta uisa occurrerint, aut crassis humoribus abundare corpus, aut spiritus intus turbatos esse declarant. Iam uerò & animi affectiones indicant, corpus ad morbum esse propẽsum. Nam sæpenumero fit, ut occupet quosdam tristitia nullam ob causam idoneam oborta, aut metus repente spes extinguens, idq; quũ nihil appareat cur sit metuẽdum. Reddũtur autẽ & iracundi, sic ut facilè cõmoueantur, & ob rem quantumlibet leuem indoleãt: Lachrymanturq; ac mœrent, quoties mali uapores & exhalationes amaræ cõdensatæ, animi circuitus, ut inquit Plato, præpediunt occupantq;. Quamobrem quibus acciderint ista, considerent ac meminerint oportet, si nulla res animi sit in causa, tum corporale quippiam esse, quod subductionem aliquam ac temperantiam requirat. Rursum profuerit & illud, si quis amicos laborantes obseruans, scisciteturmorbi causam, non ita sane, uti sophistice præterq; rem de densitatibus, incidentijs, & commutationibus garriat, frustraq; quàm calleat medicorum nomina, quamq; sit eruditus, ostẽtet. Verum ubi leuia ista, uulgariaq; non oscitanter audierit, puta de repletione, inanitione, defatigatione, de insomnijs, præcipue uerò quo uictu tum uteretur quum in febrim inciderit, deinde sicut in alienis erratis Plato solitus est discedens secum dicere, nequando uidelicet ipse quoq; sim istiusmodi, ita ex amicorum malis sibi quenq; consulere & cauere conueniet, ac meminisse, ne in eadẽ incidat, neue similiter ipse lecto affixus, laudet ac desideret preciosissimam illam sanitatem. Sed alio laborante secum annotabit, quàm preciosa res sit bene ualere, dandaq; erit opera, ut eum thesaurum sibi conseruet, curæ habeat, ac pæreat. Nec in-

utile fuerit, ut nostram ipsorum uitæ rationem seorsum pensitemus. Nam si fors acciderit, ut compotioni, seu inuitatiunculis, aut laboribus aliquibus, aut alioqui paũ moderatis rebus interfuerimus, neq; corpus interim ullam morbi suspicionem, aut præsensionem præbeat, nihilo secius tamen ultro nos cauere & occupare cõueniet, ut post uenerem ac fatigationem, ocium & requiem adhibeamus, post temulentiam & compotationem aquã potemus. Maximè uerò si cibis usi simus oneros is, puta carnium, aut uarijs, tum oportebit exiguo pastu contentos esse, neque superfluum quicquam in corpore reliquum facere. Siquidem ut hæc ipsa per se multarum ægritudinum sunt causæ, ita alijs causis materiam ac uim adiungunt. Proindè præclarè dictum est illud, uesci citra saturitatem, impigrum esse ad laborem, uitale semen conseruare, res esse longè saluberrimas. Etenim coitus immodicus, propterea quòd maximè uim eam extrahit, qua cibus concoquitur, plurimum superfluitatis & redundantiæ gignit. Itaque rursus ab initio repetito sermone, de singulis ordine disseramus, ac primo loco de exercitamentis, quæ literarum studiosis congruant. Sed quemadmodum is qui dixit, maritimis non esse scribendum de cura dentium, usum aquæ marinæ docuit, ita dixerit aliquis, literarum studiosis non oportere præcepta tradi de corporis exercitationibus, quòd ipse quotidianus disputationis usus, si uoce peragatur, mira quædam est exercitatio, conducens non solum ad bonam ualetudinem, uerumetiam ad corporis robur: non illud quidem palæstricum, neque quod carnem cutem distendat, incrustet, infarciatq; foris, uelut in ædificio, sed quod partibus maximè uitalibus, maximeq; nostris, uim internam, uigoremq; uerum ac genuinum inse-

Studiosorũ exercitatio.

rat.

rat. Porrò spiritum ad uires facere ipsi declarant aliptæ, iubentes athletis ut obnitantur fricationibus, ac semper opponant, seruentq; corporis partes inunctas & contrectatas. At quum uox sit agitatio spiritus, non leuiter, nec in superficie, sed uelut in ipso fonte, in ipsis uisceribus ualens, & calorem auget, & sanguinẽ subtilem reddit, & omnes purgat uenas, & omnes aperit arterias, humorem uerò superfluum non sinit crassescere, neq; cõcrescere, qui fecis in morem subsidit in his cõceptaculis, quibus accipitur & conficitur cibus. Itaq; cum primis danda est opera, ut sese huic exercitationi familiares & assuetos reddant, assidue disserẽdo, aut legendo, siue recitando, si quid suspicabuntur corpus esse lassum, aut imbecillius. Nam quod ad certaminum laborem est gestatio, id est ad disputationem lectio, quæ uelut alieni sermonis uehiculo, mollius nos agitat, & placidè uocem perfert. At disputatio, contentionem, ac certamen adiungit, quũ animi labor unà cum corporis labore copulatur. Quanquam à nimis cõmotis uociferationibus & iurgiosis clamoribus est temperandum. Siquidem inæquales illæ spiritus intensiones & impetus, rupturas & spasmos solent inducere. Cæterũ à recitatione seu disputatione, priusquam inambules, pingui calidoq; frictu conueniet uti, ac mollire carnẽ & eatenus destringi, quatenus ad aperienda uiscera conducat, spiritumq; leniter æquabilem reddat, ad summas corporis partes eum diffundẽs. Sit autẽ hic factus modus, ut eo usq; utaris, donec gratũ minimeq; molestũ senseris. Quisquis ad hunc modum composuerit in intimis ortam turbationẽ, ac spiritus intensionẽ, is nec è superfluitate quicquam molestiæ sentiet, & si temporis incommoditas, aut negociũ aliquod obstabit, quo minus inambulatiõe liceat uti,

Attende cõmoda exercitij modici.

Lectionis exercitatio.

uti, nihil fuerit periculi. Nam quod erat suum, id ipsa correxit natura. Neq; causari oportebit, in nauigatione, aut in diuersorio publico deesse silẽtium, ne si derideant quidem omnes. Etenim ubi turpe non est cibum capere, ibi nimirum nec exerceri turpe est, imò turpius est metuere ac uereri nautas, muliones, ac stabularios irridentes, non quòd sphæra ludas, aut umbraticam pugnã exerceas, sed quòd inter exercitandum simul & disputes, doceas, quæras aliquid, aut discas, & in memoriam reuoces. Quare Socrates solitus est dicere, saltatione mouenti sese, spatiosa domo opus esse, in qua exerceretur. At si cantu dictione uel exercitaretur, uel stanti, uel accumbenti quemuis locum sufficere. Vnum illud erit in his cauendum, ne cõsci nobis, uel repletionis, uel immoderatæ libidinis, uel defatigationis, acrius intendamus, & exasperemus uocem, id quod oratoribus ac sophistis non paucis usu uenire consueuit, alijs quidem ob gloriam & ambitionem, alijs rursum, dum præmijs ad publica certamina prouocati, uehementius contendunt, quàm expediat. Niger autem familiaris noster dum in Galatia sophisticen profiteretur, fortè fortuna piscis spinam deglutiuerat. Interea dum alius quispiam sophista peregrinus esset exortus, & artẽ suam exercere cœpisset, metuens hic, ne is sibi gloriam præriperet, si concessisset, spina etiamnum gutturi infixa cœpit exercere, uerum exorto tumore duro asperóq;, laboris impatiens, coactus est foris sectionem adhibere, ferro allè adacto. At spina quidem per uulnus educta est, cæterum quum uulnus factũ esset periculosum, ac profluens, sustulit hominem. Sed hæc aliquis postea suo loco memінerit. Cæterũ ab exercitamẽtis, frigidis uti balneis, ambitiosum magis est ac iuuenile quàm salubre. Nam mala affectio ac durities,

Repletis & lassatis non conuenit forte exercitium.

Non utendum frigidis balneis

durities, quam uidetur exteris corporis partibus adducere, ea plus mali gignit in intimis, quum meatus occupat, & humores cõdensat, quam exhalationes sistit, quæ semper laxari cupiunt, ac differri. Ad hæc necessum est, ut qui frigidis utuntur balneis, in eandem rursum incidãt, quam uitamus, exactam illam, & anxiè præscriptam uitæ rationem, semper soliciti, ne si quid præteritum fuerit, protinus quiduis peccati possit acriter imputari. Verum in calidis balneis multum est ueniæ. Neq; enim ea res tantundem adimit uigoris, ac roboris, quantũ adiumenti confert ad sanitatem, dum ea subministrat quæ commoda sunt & amica cõcoctioni. Ea uerò quæ concoqui nõ possunt, nisi planè cruda fuerint, & in summo hæreant stomacho, citra molestiam diffundit ac dissipat, & occultas lassitudines reuocillat, ac mitigat tepore. Quanquã ubi natura significante senseris corpus temperate, satisq; rectè affectũ esse, satius erit omissis balneis ungi ad ignẽ, si corpori tempore fuerit opus, quòd ea res calorem per omne corpus peruehit atq; dispensat. At sole neq; plus, neq; minus, sed utcunq; cœlum erit temperatum, eo licebit uti. Hactenus igitur de exercitationibus satis dictũ est. Iam uerò ut ad cibi rationem ueniamus, si quid profuerũt ea quæ superius dicta sunt, quibus appetentiã coërcemus ac mansuefacimus, quid attinet de reliquis præcipere? Quòd si sit molestum, ueluti solutum uinculis tractare uentrẽ, & contẽdere cum, aluo auribus carẽte, quemadmodũ dixit Cato, tum conãdum est, ut ciborum qualitate leuiorẽ reddamus expletionẽ. Id ita fiet, si solidiores multiq; nutrimenti cibos, quod genus sunt carnes, caseus, fici sicci, oua assa, quũ apponuntur, cautim attingamus: Nam semper recusare difficile sit. Subtilibus autem ac leuibus immoremur, cuiusmo

cuiusmodi sunt olera pleraq; , uolatilia , & siqui pisces sunt non pingues. Siquidem fieri potest, ut his adhibitis, ita palato gratificeris, ut corpus tamen non graues. In primis autem cauenda cruditas, quæ ex esu carnium nascitur, propterea quòd non solum protinus grauant uehementer, uerum etiam in posterum noxiæ harum reliquiæ remanent. At optimum quidem fuerit ita consuefacere corpus, ut nullum carnium esum desideret. Nam terra plurima suppeditat, quæ abunde satis sint, non ad alimoniam modò, uerum etiam ad delitias ac uoluptatẽ. Quorum alia sic exhibet, ut citra negocium protinus eis uti liceat, alia rursum ut cæteris admixta omnijugis rationibus ea condulcent condiantq;. Iam uerò quoniam consuetudo tantum abest ut præter naturam sit, ut ipsa uelut in naturam quodammodo transeat, non decet luporum ac leonum ritu, ad explendam appetentiam carnium esu uti, sed iacto ceu fundamento ac munimento pastus, tum reliquis cibarijs uti conueniet, alijsq; obsonijs, his uidelicet quæ cum magis congruunt cum natura corporis, tum minus hebetant rationalem animi partem, uelut è tenui leuiq; materia proferentem sese atq; emicantem. Ex liquidis autem non oportebit lacte uice potus uti, sed cibi loco, ut quod & grauedinem adducat, & copiosè nutriat. Porrò uino eadem à nobis dicenda sunt, quæ Veneri dixit Euripides: Contingat mihi tui copia, sed contingat moderata, nec unquam mihi desis. Siquidem uinum & potus est utilissimus, & pharmacũ suauissimũ, & obsoniũ, quàm minimè noxiũ, siquidẽ temperatum esse cõtigerit, idq; magis ut in tẽpore modicè sumas, quàm ut aqua diluas. Aqua uerò non solum si uino admisceatur, uerũ si subinde inter uina diluta per se sola bibatur, magis innoxium reddit id quod

Consuetudo in naturã transit.

Lac grauedinẽ adducit.

Laus uini.

Aqua uino miscenda.

quod dilutum est. Proinde consuefacere nosmetipsos oportebit, ut extra quotidianam uictus rationem, duos tres ue aquæ cyathos addamus, quibus & uini uis, uigorq; lenior redditur, & corpus assuescit aquæ potandæ, quo siquãdo necessitas inciderit, non offendatur insolentia nouitateq;, neq; renuat ac recuset. Fit enim ut nonnulli tum maximè uinum appetant, quum maximè opus est aquæ potu: siquidem quoties sole æstuant, aut contrà frigore rigent, aut ubi uehementius dicendo laborarunt, aut acrius cogitationem intenderunt: in summa, post labores ac delassationes, existimãt bibẽdum esse uinum, perinde quasi natura solatium aliquod corpori postulet adhiberi, quo à laboribus refocilletur. At natura solatium quidem haud postulat, si delitias solatium appeles, refocillationem autem postulat, quæ media sit inter uoluptatẽ & laborem. Quapropter in istiusmodi minuendus est etiam cibus, uinum aut omnino subtrahendum, aut adhibẽdum est multa subinde aquæ potatione temperatum ac dilutum. Etenim quum uehemens & uelocis efficaciæ sit uinũ, corpus iam turbatum magis exagitat, quæq; commota sunt, magis exasperat atq; exacerbat, quum mitigatione potius egeant, ac lenimine, ad quæ maximè conducit aqua. Nam siquando non quum sitimus, sed alioqui post fatigationem, calidam biberimus aquã, aut post uehementem cõmotionem, æstumue, protinus in intimis laxamẽtum ac lenimentum sentire solemus, propterea quòd lenis est humor aquæ, minimeq; astringens. Contrà uini potus multum habet impetum, uimque nequaquam amicam ac placidam morbis nascentibus. At quoniam sunt qui dicunt inediam corpori siccitatem & amaritudinẽ adferre, si quis id metuat, aut si quis puerorum more durum existimet non apponi mensam

Διονύσῳ νηφάλια θύειν, id est Dionysio sobria sacrificare.

mensam priusquam febris accesserit, quam accessuram suspicatur, huic potissimum fuerit confinium aquæ potus. Nam ipsi quoq; Baccho Nephalia sacra frequenter exhibemus, à sobrietate sic appellata, quòd in his uinum bibere nefas esset, rectè nosmetipsos assueficiētes, ne semper merum requiramus. At Minos & tibiā submouit à sacris & coronam à luctu. Atqui scimus animum dolentem nihil uel à tibijs, uel à coronis offendi, aut affici posse, sed nullum corpus adeò ualidū est, quod non lædatur, si commoto & inflammato uinum accesserit. Feruntur autem Lydi, siquando fames & annonæ penuria inciderit, ita transigere tempus, ut alternis diebus pascantur, deinde ludant ac tesseris certent. Porrò studiosus ac literarū amās, siquando pro tempore serius fuerit cœnandum, picturam geographicam, aut librum, aut lyram haudquaquam abijciet, cum uentre bellum gerens, sed aßidue cogitationem auocans à mensa, & ad illa traducens, cibi cupiditatem, uelut Harpyias, literis discutiet. Nam si non ueretur Scytha, quum inter potandum subinde contrectat arcum, neruoq; soluto cantat, uidelicet ab ebrietate reuocans animum, uir Græcus num metuet ne rideatur, quum literis ac libris improbā & impotentem cupiditatē sensim remittit ac relaxat? Nam & adolescētes illi apud Menandrū, quibus inter pocula leno tendit insidias, formosis aliquot, ac magnificis inductis meretricibus, in sese quisq; demißis, ut inquit, oculis arrodebant bellaria, non ausi in eas oculos deflectere. Verū eruditionis studiosi, & honestas, & permultas iucūdas habent rationes, quibus auocent atq; auertant animum, si nequeant alia uia cibis appositis caninam ac ferinā stomachi appetentiā cohibere. Cæterum quum undiq; uociferentur aliptæ, undiq; dictitent pædotribæ,

Attende adolescentulorum honestum pudorē.

tribæ, quòd inter cœnam disputare de literis, & alimenta corrumpit, & capitis grauedinem inducit, id tum deniq; metuendum erit, quoties aut Indum resoluturi, aut de dominante disputaturi sumus in cōuiuio. Nam Phœnicis cerebrum quum sit admodum dulce, tamen aiunt capitis dolorem pārere. Dialectica uerò edulium est in cœna, ut minimè suaue, ita uehementer & capitis dolorem & grauedinem gignens. Quòd si non sinent nos aliud quippiam super cœnam uel inquirere, uel disputare, uel legere, qui quod illecebra uoluptatis delectat ac iuuat, id honestatis & utilitatis partem esse ducūt, admonebimus eos, ne quid obturbent, neue molesti sint, uerum abeant ipsi potius, eademq; ista narrent athletis in Xysto, siue in palæstra uersantibus. Quos dum à libris arcent, omnemq; uitam in cauillis, ac scurrilibus iocis peragere cōsuefaciunt, gymnasiorum columnis similes reddunt, nempe pingues & saxeos, quēadmodum uenustè dictum est ab Aristone. Atq; illi ipsi tamen à medicis persuasi, semperq; præcipiunt, ut inter cœnam & somnum interuallum aliquod sinant intercedere, neq; cibos in corpus congerant, ac spiritus offendant, ne protinus crudis & feruentibus, etiā dum escis in stomacho concoctionem onerent, uerum interspirationem & laxamentum indulgeant, quemadmodum facere solent hi, qui quum à cœna statuerunt agitare corpus, haudquaquam id faciunt cursibus, aut pancratijs, sed mollioribus exercitijs, puta inambulationibus, modulatisq; saltationibus. Itidem & nos existimare debemus, animum à cœna non esse uexandum, neque negocijs, neque curis, neque sophisticis contentionibus, quæ ferè in ambitiosum certamen ac tumultum exeunt, sed sunt complures de rerū naturis quæstiones, ut minimè graues, ita probabiles

Ἐγκέφαλον φοίνικος.

babiles, complures item narrationes quæ ad mores pertinent, & in quibus ineſt aliquid conſiderandum atq; exutrúmext. *pendendum, coniunctæ tamen cum eo, quod Homerus uocat menoices, id eſt animum deliniens, alienæ ab omni cõtentione pugnáq;. Porrò iſtiuſmodi hiſtoricarum & poëticarum quæſtionum exercitatiunculas, ſunt qui non inuiucunde, ſtudioſorum & eruditorum hominum ſecundas* Studioſorũ ſecundæ menſæ. *menſas cognominarunt. Sunt item narrationes, in quibus nihil eſt moleſtiæ: ſunt fabulæ. Tum de lyra tibiáq; aliquid uel audire, uel dicere leuius eſt, quàm ipſam lyrã tibiamq; ſonantem auſcultare. Porrò modus temporis in eo eſt, ſi paulatim ſubſidente cibo, & conſpirante, temperata fuerit concoctio commodáq;. At quoniam Ariſtoteles in hac eſt ſententia, ut putet ambulationem à cœna calorem excitare, ſomnum autem, ſi quis ilico dormiat, eundem calorem ſuffocare: rurſum alijs placet, quiete concoctionem magis adiuuari, agitatione contrà turbari digeſtionem, factum eſt ut alij rationem Ariſtotelis ſecuti, protinus à cœna inambulent, alij diuerſa permoti ſententia conquieſcant: peculiarem, & utrinque mixtam rationem ſequi uidebitur, qui corpus poſt cœnam ſoueat, cõtineatq;, neque uexans cogitationem, neq; rurſum ocio ſtatim languens, ſed (uti dictũ eſt) leniter excitans ſpiritus, & ſubtiliores reddens, uel fabulando, uel audiendo aliquid placidum ac lepidum, quod neq; mordeat animum, neq; graueat. Porrò uomitus & alui ſubductiones, quæ pharmacis fiũt, ut mala ſolatia repletionis, niſi grauis exigat neceſſitas, non oportebit experiri. Quod tamen uulgus hominum facit, qui in hoc ipſum corpus explent, ut poſſint euacuare: rurſum euacuant, ut poſſint explere: utrunque contra naturam, non minus interim cruciati diſtenſione, quàm*

quàm inanitate, imò potius expletionem modis omnibus prementes, tanquam quæ delitijs ſit impedimento, inanitatem ueluti locum ac ſpatium uoluptatibus ſemper apparantes: Nõ enim obſcurũ eſt iſta noxiam adducere, quam Peculiare uomitus malũ. *utraq; corpus perturbent, atq; conuellant. Habet autem uomitus & peculiare malum, quòd inſatiabilitatem auget alitq;. Naſcuntur enim ueluti intercíſi fluctus, eſuritiones acres ac turbulentæ, & per uim ad cibum pertrahũt ſemper diſcruciatos, nõ appetentia cibum idoneũ efflagitante, ſed inflammationibus & exulcerationibus pharmacorum & cataplaſmatum. Vnde quum uoluptates illis cõtingunt inſuaues & imperfectæ, multumq; torminis habẽtes in fruendo, tum uerò diſtenſiones, ac uiolentæ cõmotiones meatuum ac ſpirituum, ſui reliquias illis imprimunt, quæ naturalis alui ſubductiones non expectent, ſed ita redundent in corporibus tanquam in nauigijs ſentinæ plenis, quibus onerum deiectione opus eſt, nõ acceſſione. Iam commotiones in aluo inferiore, quæ pharmacis corrumpunt, ac liquefaciunt partes ſubiectas, plus addunt ſuperfluitatis, quàm educunt. Itaq; non aliter, quàm ſi quis grauiter ferens Græcorum multitudinem ac turbam eadem in ciuitate commorantem, Arabis, ac Scythis peregrinis expleat ciuitatem, ſic nonnulli tota errant uia, dum electis conſuetis, ac domeſticis ſuperfluitatibus, aliunde grana quædam Cnidia, & Scamoniam in corpus ingerunt, item aliarum rerum uim incomparabilem, atque agreſtem. Quæ tantum abſunt ut naturam expurgare queant, ut ipſa magis indigeant purgatione. Proinde optimum fuerit moderato frugaliq; victu tale corpus efficere, quãtum ad inanitiones & repletiones attinet, ut ipſum ſibi ſufficiat, conſtetq;. Quòd ſi quando neceſſum erit nouare cor-*

poris ſtatum, tum citra pharmaca, citráq; moleſtiã uomitus eſt adhibendus, qui nihil conturbet. Nam quemadmodum linteа ſi cinere nitroq; lauentur, magis atteruntur lotione, quam ſi proluantur undis, itidem uomitus pharmacis extorti magis offendunt, uitiantq; corpus. Porrò quum dura ſumus aluo, non aliud remedium melius, quàm ut his utamur cibis, qui leniter cient aluũ, ac placidè ſoluunt. Quorum cum familiaris eſt experientia, tum uſus moleſtia uacat. Quòd ſi nunus his rebus commoueatur, tum oportebit complures dies aquam potare, aut abſtinere cibis, deniq; clyſter ſumendus potius quàm pharmaca iſta, corpus perturbantia ſimul & uitiantia, quæ uulgus cupidè, faciléq; ſolet appetere, non aliter quam mulieres, ueneficijs utentes, quibus abortum faciant, ſœtumq; perdant, ut rurſum impleantur ac uoluptũtur. Sed hos quidem dimittamus. Porrò qui nimium ſunt diligentes, ac ſtatas quaſdam, certoq; dierum recurſu decretas inedias ſibi imponunt, haud rectè faciunt, quippe qui naturam, quum nihil ſit opus, docent indigere parciore cibo, ac propter aſſuetudinem, cibi ſubductionem, quæ tempeſtiuiter ſuo loco fuerat adhibenda, reddunt neceſſariam. Præſtabilius enim eſt, non ex præſcripto, ſed liberè caſtigationes iſtiuſmodi corpori adhibere. Verũ quum nulla morbi præſenſio eſt, neq; ſuſpicio, tum oportebit reliquã omnẽ uitæ rationẽ ita præparatam habere, ut pro re nata facilè cõmodeq; ferat nouitatẽ, & obſequetur, non ut ſeruiat, cidéq; uitæ tenori ſit alligata, ſic inſtituta & aſſuefacta, ut ad certa tempora, numeros, circuitus redigatur. Nam id neq; tutũ eſt, neq; facile, neq; ciuile, neq; hominis omnino, ſed oſtrei magis, aut ſtipitis uita uidetur. Nã qui ſic ad eundem perpetuò tenorem aſtringunt ſeſe in cibis, in ab

Pharmaca uitanda.

ſtinentijs, in exercitijs, in quiete, in umbraticã quãdam & ignauam uitam ſingularem, ab amicitia, à gloria, à ciuilitate maximè alienam conijciunt, contrahuntq; ſeipſos, me quidem, inquiebam, haud quaquã approbante. Neq; enim inertiæ, aut ocij cauſa paratur bona ualetudo, quum hæc præcipua duo mala putentur, quæ morbis adiuncta ſint. Neq; quicquã intereſt inter eum qui oculorũ ſanitatem hac uia tuetur ut nihil aſpiciat, & uocem hac ratione ſeruat ut nihil loquatur, & hunc qui credit bonã ualetudinem nõ aliter ſeruari poſſe, quàm ſi ea nõ utatur, nec exerceat. Etenim quum rectè ualet is, nihilo tamẽ ipſe ſibi fuerit utilior ad multa humanitatis officia præſtanda. Proinde nequaquã exiſtimandum eſt, ſalubrem eſſe inertiam: ſiquidẽ id perdit, cuius gratia ſalubritas expetitur. Ac ne illud quidem uerum eſt, ualere rectius eos, qui degunt in ocio. Siquidem neque Xenocrates rectius ualuit quàm Phocion, neq; Theophraſtus quàm Demetrius, neq; quicquã profuit Epicuro, nec Epicureis, ad eam quã tantopere laudant bonam corporis conſtitutionem, quòd omnem rerum adminiſtrationem & ambitionem effugerint. Sed alijs rationibus naturalem illum corporis habitum oportebit tueri, ſic ut meminerimus, in quouis uitæ genere, & morbo, & bonæ ualetudini locum eſſe. At ſanè qui in Reipublicæ negotijs uerſantur, inquiebam, diuerſa ratione ſunt admonendi, quàm ea qua Plato conſueuit adoleſcentibus præcipere. Siquidem è diſputatione diſcedens, dicere ſolitus eſt ad hunc modum: Videte pueri, ut ocium in re quapiam honeſta collocetis. At nos hortabimur eos qui Rempublicam adminiſtrant, ut in rebus honeſtis ac neceſſarijs laboribus exerceantur, neque uilium, aut mediocrium gratia corpus exagitent. Sic enim com-

plures in morbum incidunt, dum se quibuslibet de causis discruciant uigilando, peregrinando, sursum ac deorsum cursitando: quum interim nihil utile aut urbanum agāt, sed alijs uel insidientur, uel inuideant, uel æmulentur, aut gloriolas inanes & infrugiferas aucupentur. In hos (ni fallor) maximè quadrat illud, quod dixit Democritus: Si corpus animum in ius uocaret, non futurum, ut ille mu-

Animus corporis inquilinus.

neris malè administrati crimen effugeret. Atque haud scio, an uerum dixerit Theophrastus, quum per translationem ait, animum ingens ob id prænium corpori dependere, quòd illius inquilinum esse liceat. Quanquam plus malorum accipit corpus ab animo, quum is eo non utitur ut par est, neq; curat uti debet. Nam quoties affectibus suis, contentionibus, & curis occupatus est animus, tum non parcit corpori. Miror itaq;, quid Iasoni uenerit in mentem, quum diceret, in paruis negotijs ius esse uiolandum, ut in magnis seruari possit. Nos uerò iure optimo monebimus uirum in Reipublicæ negotijs uersantem, ut in rebus minutis remissus sit & ociosus, & in his sese refocillet, si uelit ad præclara & ardua negotia corpus habere laboris patiēs, nō languidū neq; detrectans, sed uelut in nauali curatum ac redintegratum ocio, quò quum animus rursum ad necessarios usus uocarit,

Cursu sequatur, pullus ut feruens equum.

Quapropter quoties per negotia licebit, recipiant sese neq; somnum interim corpori, neq; prandium inuidētes, neq; relaxationem, quæ quidem media est inter uoluptatē & afflictionē, nec terminos obseruat: cuiusmodi plerique mortales obseruantes, corpus perinde ac ferrū immergendo crebris permutationibus cōsumunt: quum aliquādo laboribus supra modum urgetur, atque intenditur, rursum uolupta

uoluptatibus liquefit præter modum, ac mollescit: post hæc iterum uenere uinoq; dissolutum, ac flaccidum, in forum, aut curiam, aut aliam consimilem functionē trahitur, quæ uiuidum & acre desideret studium. Heraclitus quidem quum aqua intercute laboraret, medico præcepit, ut ex imbre faceret siccitatem: At multi tota errant uia, qui quoties in laboribus, fatigationibus, cibi somniq; inopia fuerint uersati, tum maximè dant operam, ut corpus uoluptatibus soluant, atq; remolliant, rursum autem post uoluptates denuo distringant atque intendant. Nec enim natura pensationes ac sarturas corporis requirit, sed animus magis intemperans atque illiberalis, qui dum nautarum exemplo à laboribus digressus, ad uoluptates ac delitias rapitur, rursum post uoluptates ad nauigationes ac labores incitatur, non sinit naturam id consequi, quo potissimum opus habet, nempe constantiam ac tranquillitatem, uerum inæqualitate uitæ perturbat, atq; à statu suo dimouet. At hi qui sapiunt, nequaquam fatigato corpori uoluptates admouent: Neq; enim omnino desiderant, imò ne meminerunt quidem istiusmodi, ut quibus mens sit honestis intenta negocijs, eaq; pars animi quæ uoluptatem affectatura fuerat, alijs cupiditatibus obruatur. Etenim quod aiunt per iocum dixisse Epaminondam, quum uir quispiam probus, tempore Leuctrici belli morbo periisset: Papæ, quo pacto fuit ocium moriendi homini in tam multis negocijs? hoc uerè licebit dicere de uiro, uel publicis negocijs, uel philosophiæ studijs occupato. Quod autem ocium nunc est isti uiro, ut crudus sit, aut ut temulentus, aut uti lasciuiat? Verum ubi rursum à negocijs in ocium sese receperint, relaxant, ac refocillant corpus, cauentes ac uitantes cum labores inutiles, tum uerò præci-

Studiosis nō uacat meminisse uoluptatum.

puè uoluptates nõ neceſſarias, uelut hoſtes naturæ. Equidem Tiberium Cæſarem aliquando dicentem audiui: Ridiculum hominem eſſe, qui ſexageſimum prætergreſſus annum, manum porrigeret medico. Sed hoc ille mihi dixiſſe uidetur arrogantius. Quanquam illud eſſe uerum arbitror, conuenire ne ſui quiſq; pulſus peculiares rationes ignoret, ſingulis enim diuerſæ ſunt, neq; ſuæ temperaturæ ſit imperitus, quàm calidum, quàm ſiccum habeat corpus, neque quarum rerum uſu uel iuuari ſoleat, uel offendi. Siquidem ipſe ſui ſenſu caret, cæcuſq; ac ſurdus corpus inhabitat, quiſquis iſta diſcat ab alio, medicum pereontans, utrum rectius æſtate ualeat, an hyeme, & utrum humida facilius accipiat, quàm ſicca, & utrum pulſum natura denſum habeat, an rarum. Nam iſta ſcire non ſolum utile eſt, uerumetiam perfacile, quippe qui aſſidue experiamur, & adſimus. Cæterum inter ciborum ac potus genera magis oportet cognoſcere quæ iuuant, quàm quæ delectant, ac magis peritum eſſe eorum quæ ſtomacho ſunt amica, quàm quæ inimica, & eorum quæ non perturbant cõcoctionem, quàm quæ palatum magnopere titillant. Etenim à medico ſciſcitari, quid ſibi ſit concoctu facile aut difficile, quid aluo conducat aut noceat, id non minus ſit turpe, quam interrogare, quid dulce, quid amarum, quid auſterum. Nunc uerò ipſos quidem obſoniorum artifices reprehendunt, caſtigantq;, callide dijudicantes ubi plus dulcedinis, aut ſalis, aut auſteritatis inſit quam oportet. At ijdem ignorant quæ res ſi corpori admiſceatur, leuis, aut innoxia, aut utilis ſit futura. Vnde fit, ut in cõdiendo iure raro peccetur apud iſtos: at dum ſeipſos perperam ac malè cõdiunt, plurimũ negocij quotidie medicis exhibent. Ac ius quidem non ita ducũt optimum eſſe,

Sui cuilibet pulſus attendendi.

mum eſſe, ſi ſit dulciſſimũ, quin acria quoq; permulta cõmuſcent: uerũ in ipſum corpus multas & ſatietatẽ & nauſeam gignentes uoluptates inuergunt, partim quòd ignorent, partim quòd non meminerint, his quæ ſalubria ſunt & utilia, uoluptatem innoxiã ac perpetuã à natura adiungi. Quin & illud ad rẽ pertinet, ut meminerimus quæ cognata ſint & accõmoda corpori, & quæ ſecus, in tẽporarijs affectionibus, ac reliquis circunſtantijs, uti noueri mus propriã ac peculiarẽ cuiq; uictus rationẽ accõmodare. Nam anxietas & illiberalis moroſitas uulgariũ hominum, qui mutatione uolarũ offenduntur, & moleſtis quibuſdam obſeruationibus ex uigilijs ac circulis colligunt corpus intus mærcidũ ac putre eſſe, non eſt uerendũ ne ſtudioſis aut Rempublicã adminiſtrantibus uiris accidat, ad quos nobis eſt inſtitutus ſermo. Sed his in literis ac diſciplinis alia quædam acrior anxietas eſt uitanda, qua ſit ut neq; parcere corpori, neq; curã illius habere cõpellantur, ſæpenumero iam deficiẽti nõ obſecundantes, uerũ adigẽtes ut mortale cum immortalibus, terreſtre cum olympo certamen ſuſcipiat ac perficiat. Deinde bos camelo cõſeruo recuſanti ſeſe oneris parte ſubleuare: imò, inquit, paulò pòſt & meipſum, & hæc omnia portabis. Id quod etiã euenit boue mortuo. Idẽ uſu uenit animo, qui dum puſillum relaxare & cõcedere renuit fatigato corpori, & poſtulanti, paulò pòſt febri quapiã incidẽte, ſeu capitis uertigine, libris, diſputationibus, & exercitijs literarijs omiſſis, cogitur unà cum illo ægrotare ſimulq; laborare. Proinde rectè monebat Plato, ut neque corpus exerceremus ſine animo, neq; animum ſine corpore, ſed ueluti coniugij cuiuſdam æquilibrium ſeruaremus corpori: quum maximè animo nauat operam, ſeq; laborum ſocium præbet, tum

Cõtra ſtudioſos corpori nõ parcentes.

plurimum illi curam ac solicitudinem uicissim impendamus, præclaram illam & optabilem incolumitatem præmisuice rependentes, existimantes omnium bonorũ quæ præstat animus, nihil excellentius dari posse corpori, quàm ut omni careat impedimento, uel ad uirtutis cognitionem, uel ad usum tum dicendi, tum agendi.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI Commentarium, in Principe requiri doctrinam.

Erasmo Roterodamo interprete.

PLATO rogatus à Cyrenensibus, ut sibi leges scriberet, scriptasq; relinqueret, ac Reipublicæ statum componeret, recusauit, dicens esse perdifficile leges condere Cyrenensibus, qui tam essent felices. Nihil enim tam superbũ, nihil tam intractabile, ac morosum esse, quàm hominẽ quẽ felicitatis opinio corripuerit. Quapropter difficile est his qui gerũt imperiũ, de imperio consulere. Reformidãt enim rationẽ ceu principem admittere, ne potentiæ bonũ quod habere uidẽtur impediat, si id astringat, & seruire cogat honesto. Idq; faciunt, quòd ignorẽt sententiã Theopõpi Spartanorũ ducis, qui quũ primus in Sparta regiæ potestati adiunxisset magistratus Ephoros, deinde uxor dixisset, probro illi futurum si filijs traderet minus imperiũ quàm accepisset ipse: imò maius, inqt, relinquo: nimirũ hoc maius quo firmius. Nã quũ acerbitatẽ ac sæuitiã imperij remisisset, una cũ inuidia uitauit & periculũ. Quãquã Theopompus ex imperio uelut magno flumine deductis riuis, quantum

Imperium non spatio, sed stabilitate metiẽdum.

quantum alijs dedit, tantum sibi detraxit. At ratio quam adsert sapiẽtiæ studiũ, si principi adsideat, ei ceu domesticus custos adiuncta bonæ ualetudinis, sublato eo quod est periculo obnoxiũ, quod sanũ est relinquit. Sed pleriq; reges ac principes parũ cordati, statuarios imperitos imitantur, qui credunt colossos magnos & amplos uideri, si tibijs uehemẽter diductis, si late distẽtos, & hiantes finxerint. Nam hi quoq; grauitate uocis, toruitate uultus, ac morũ truculentia, fugaq; cõsuetudinis humanæ, maiestatem & autoritatẽ imperij sibi uidẽtur imitari, nihil prorsum à colossorũ signis discrepantes, qui quum foris heroicam, ac diuinã quandam speciem præ se ferant, intus pleni sunt terra, lapide, plumbo: nisi quòd istud colossorum pondus rectitudinem illorũ stabilem & immotam seruat: at ineruditi duces ac principes, propterea quòd intus male librati sint, sæpenumero uacillant, ac subuertuntur. Etenim quum basi non rectè positæ sublimẽ superstruunt potestatem, simul eum ipso pondere nutant, & ad ruinam inclinantur. Verũ quemadmodum oportet ut ipsa regula primũ recta sit, nihil habens obliquum, deinde cætera sibi admota, quatenus sibi cõgruunt, exæquet: consimili modo princeps posteaquã imperiũ in seipso præuerit, ac direxerit, uitamq; suã cõposuerit, tum debet sibi applicare eos quibus imperat. Nec enim cadentis est aliam erigere, nec ignorantis docere, nec incompositi componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius qui non pareat imperio. At qui parum sapiunt, illud præcipuũ imperij bonum esse ducunt, quòd nullius imperio subiaceant. At Persarũ quidem rex omnes pro seruis habebat, præter uxorẽ suã, cuius maximè cõueniebat esse dominum. Quis igitur imperabit principi? Nempe lex omniũ regina & mortalium, regina.

Mos Persarum.

Lex omniũ regina.

& im

& immortalium, ut ait Pindarus: non ista quidem lex foris in libris, aut ligneis scripta tabulis, sed uiua illi insita ratio, semper conuiuens, ac familiaris principi, nec unquam animũ suo ductu, sua moderatione destituens. Nam Persarum rex unum habebat cubicularium, cui hoc negotij mandatum erat, ut diluculo ingressus illi diceret: Surge rex, atq; ea cura negotia, quæ te curare uoluit Mesoromasdes. At erudito & prudentiq; principi intus in animo adest, qui semper idem dictet ac iubeat. Polemon dicebat amorem esse deorum obsequium ad prospiciendum adolescẽtulis. Sed uerius quis dixerit, Principes ministros esse Dei ad curam ac salutem hominũ, uti bona quæ Deus illis largitur, partim distribuãt, partim seruẽt. Vides in sublimi cœlũ hoc immensum, quod terrã undiq; liquidis ulnis amplectitur. Illud quidẽ demittit seminum quibus opus est principia, terra uerò producit: crescunt autem partim imbribus, partim uentis, partim stellis, ac luna cõsouentibus: porrò sol ornat omnia, omnibus uim amoris ex sese admiscens. Sed tot tantisq; muneribus ac bonis quæ dij largiuntur, non licet nec frui, nec uti rectè, si desit lex, iustitia, & princeps. Itaq; iustitia quidem legis est finis, lex autẽ principis opus, princeps uerò Dei simulacrum administrantis uniuersa, nihil egẽs Phidia statuario, neq; Polycleto, neq; Myrone, sed ipse seipsum per uirtutem Deo simulem reddidit, ac fabricatus est statuam omniũ uisu iucundissimam, ac magnificentissimã. Quemadmodum enim Deus in cœlo pulcherrimũ suiipsius simulacrum cõstituit solem ac lunã, talis est in Republica imago ac lumen princeps, qui Dei reuerẽs, iustitiam tuetur, hoc est Dei rationẽ gestat, nempe intellectum, non sceptrum, aut fulmen, aut tridentem, qua specie seipsos nõnulli fingunt, ac pingunt, stultitiam suam

Princeps quid sit.

Iustitiæ laus.

Gestamẽ regis.

am, quòd uideantur inaccessi, reddentes inuidiosam. Offenditur enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur: delectatur autẽ his, qui suã æmulantes uirtutem semet in honestate & humanitate reddũt adsimiles, atq; hos in maius prouehit, impertiẽs suã æquitatem, iustitiã, ueritatẽ, ac mansuetudinem. Quibus rebus nihil est diuinius, neq; ignis, neq; lux, neq; solis cursus, neque exortus, & occasus astrorum, nec ipsa æternitas, aut immortalitas. Non enim felix est Deus uitæ spatio, sed eo quòd est princeps uirtutis. Nam hoc est numẽ. Porrò uirtutis decus est, in quod gerit imperium. Anaxarchus igitur, quum Alexandrũ de Cliti cæde discruciãtem sese cõsolaretur, dixit ad hunc modum: Clito iustitiã contigisse, quæ dijs assideat, ut quicquid à rege fieret, fas iusq; uideretur. Idq; nec rectè, nec utiliter, quum regem errati pœnitẽtem animare ad simlia patrãda existimaretur. Quòd si hisce de rebus similitudines sunt conferendæ, nõ assidet Ioui iustitia, sed ipse iustitia, fasq; est, lexq; tum antiquissima, tum exactissima. Veteres ita & loquuntur, & scribunt, & docent, absq; iustitia principatũ rectè gerere, ne Iouem quidem ipsum posse. Atq; eadẽ uirgo est iuxta Hesiodum, nimirũ incorrupta, pudoris, modestiæ, & utilitatis amica, unde & reuerendos cognominant reges. Conuenit enim ut hi maximè reuereantur, qui minimè timent. Cæterum principem magis oportet timere, ne quid mali faciat, quam ne quid patiatur. Nam hoc ex illo nascitur. Atque hic est principis metus, & humanus, nec ingenerosus, ut his, quibus imperat, metuat, ne quid se inscio lædatur. Nõ aliter atque canes nocturnam, ac laboriosam agẽtes ouiũ in septis custodiam, simulatq; trucem audierint feram, timent non sibi, sed his quæ custodiunt. Epaminondas autem

E poëta quopiam.

E poëta quopiam.

tem Thebanis in ludos quosdam festos & compotationes solutis, solus adibat arma, mœniáq;, dicens se sobrium esse, ac uigilare, quo liceret alijs ebrios esse, ac dormire. Præterea Cato in Vtica, uictore Cæsare, reliquos omnes iussit ad mare uocari: eos simulatq; imposuisset, ac prospera esset nauigationem precatus, ipse reuersus domũ, sibi necem sua manu consciuit, docens uidelicet, quibus debeat timere princeps, & quæ debeat contemnere. Contrà Clearchus Ponti tyrannus, arculæ inclusus, serpẽtis in morem dormire solitus est. Et Aristodemus Argiuus in cœnaculo domicilium habebat ostio pensili, cui imposita lectica dormire consueuit unà cum amica. Puellæ mater scalas detrahebat, easq; rursus apponebat orta luce. Quantopere creditis hunc horruisse theatrum, palatium, curiam, coniuium, qui è cubiculo sibijpsi carcerem fecerit? Itaq; qui uerè sunt reges, timent his, in quos habent imperium: cõtrà tyranni eos ipsos timent: proinde metum augent aucta potentia, propterea quòd quo pluribus imperant, hoc plures metuunt. Nec enim consentaneum est, neq; decens, id quod à nonnullis philosophis dictum est, in hyle, id est materia, quæ cuncta patiatur, quæq; innumeris negotijs recipiat necessitates, casus, commutationes, latere Deum admixtum, sed supra nos in sublimi, iuxta naturam quæ his in rebus semper hoc modo se habet, in sanctis, ut inquit Plato, fundamentis fixus sedens, recta perficit iuxta naturã obambulans. Quemadmodũ in cœlo solẽ pulcherrimũ sui simulacrũ, quod se ceu speculo repræsentet, ostẽdit his qui illũ per se possunt intueri, ita in ciuitatibus iustitiæ lucem, huiusq; rationem uelut imaginem constituit, quam felices ac prudentes effingunt è philosophia, ad summam rerum pulchritudinem accommodantes sese.

Hunc

Hunc autem animi habitum nihil est quod gignat in nobis, nisi ratio è philosophia proficiscẽs. Vt idem nobis accidat quod Alexandro, qui quum Corinthi uidisset Diogenem, eiusq; probasset ingenium, ac uiri prudentiam ac magnitudinem esset admiratus, Ni Alexander essem, inquit, Diogenes essem: aliquantulum, ut ita dicam, onustus sua felicitate, ac splendore, potentiáq;, uelut impedimentis & ocium negantibus ad capessendam uirtutem, inuidens tamẽ interim Diogeni pallium ac peram, quibus ille inuictus erat, & insuperabilis, non quemadmodum ipse armis, equis, & sarissis. Licebat igitur philosophantẽ simul & affectu fieri Diogenem, & fortunam manere Alexandrũ. Et ob hoc magis etiã Diogenẽ fieri cõueniebat, quòd Alexãder esset, ut qui aduersus magnam fortunam, turbulentam ac procellosam, multis opus haberet subsidijs, magnoq; gubernatore. Nam in imbecillibus, humilibus, ac priuatis, eò quòd ut sunt stulti, ita parum possunt offendere, molestia quædã ueluti malis somnijs perturbat animum, qui nequeat à cupiditatibus expergisci: at potestas coniuncta cum malis moribus, molestiam adiungit cupiditatibus. Verum est illud Dionysij, qui dicebat se tum maximè capere fructum ex imperio, quum quæ uellet celeriter efficeret. Itaq; uehementer est periculosum, uelle quæ non decet, eum qui quæ uelit, facere possit.

At simul ac dictum est uerbum, res ipsa peracta est. Malitia celerem nacta cursum ex potestate, quemuis incitat affectum, parat iram, inuidiam, amorem, adulterium, auaritiam, proscriptionem: ac simul ut uerbum dictũ est, actum est de eo qui suspicione offendit, perijtq; delatus. Et quemadmodum docent physici, fulgur posterius erumpere, quàm tonitru, prius tamen apparere: sicuti sanguis

prius

prius apparet quàm uulnus, propterea quòd sonitũ quidem excipiãt aures, lumini uerò uisus occurrat: Sic in imperijs supplicia præuertunt accusationes, & prius emicant condemnationes, quàm probationes.

Illic enim ira iam nequit resistere,
Hamata sicut ancora æquori fero.

Nisi rationis pondus frangat ac premat potentiam, uti princeps solem imitetur, qui quum altissimus est, ad polum septentrionalem euectus, tum minimũ mouetur, cursum tutum reddens tarditate. Neque enim fieri potest ut malitia lateat in potestate. Verum eos quidem qui morbo comitiali sint obnoxij, si in frigus aliquod incidant, eosq; corripiantur, continuò capitis occupat uertigo, ac uacillatio morbum arguens: At indoctos & ineruditos simulatq; fortuna paulum extulerit, opibus ac gloria, aut potentia, subuectos in altum, protinus ostẽdit caducos. Imò potius quemadmodum in uasis inanibus nõ queas dignoscere integra sint, an uitiosa, uerum ubi infuderis aliquid, tum apparet quà perstillent: Sic animi putres non frenetes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempe iracundia, fastu, insolentia. Sed quid attinet de his dicere, quum minima etiam nobilium & illustrium uirorum delicta calumnientur homines? Cimoni unum obijciebatur, Scipioni somnus,, Lucullus ob cœnas sumptuosiores malè audijt.

FINIS.

PLVT

PLVTARCHI CHAERONEI
Cum Principibus maxime Philosophum debere disputare.

Erasmo Roterodamo interprete.

IN AMOREM insinuare sese, & in aliorũ amicitiam inseri, & alios in amicitiã recipere, eamq; colere, quæ multis sit tum publice, tum priuatim utilitatem ac fructum allatura, id hominum est ciuilium, honestate & humanitate præditorũ, non gloriæ cupidorum, quemadmodum nõnulli dictant. Quin contrà potius is & gloriæ sitiens, & probri metuens uidetur, qui reformidat ac ueretur, ne dicatur studiosus & obseruans eorum qui potestate præcellunt. Alioqui quid dicit is, qui sanabilis est, & philosophum desiderat? Vtinam sim Simon ille Coriarius, aut grammatista Dionysius, è Periclis aut Catonis familia, uti mecum confabuletur, mihiq; assideat, quemadmodum Socrates illis. Et Ariston Chius, quum malè audiret à sophistis, quòd cum omnibus quicunque uellent, disputaret, dicere debuit: Imò feras quoque intelligere sermones qui prouocent ad uirtutem. Et nos refugimus habere consuetudinem cum uiris potentibus & optimatibus, perinde quasi immites sint ac feri? Philosophiæ doctrina non est huiusmodi statuarum artifex, ut signa fingat quæ in basi muta stent, & sensus expertia, quemadmodum dixit Pindarus, sed agilia studet facere quæcunque aggreditur, negociosa, uiuaq;. Addit impetus quibus excitentur, addit iudicium quod inuitet ad utilia, addit delectum quo sequamur potiora, addit prudentiam, animiq; magnitudinem, cum mansuetudine cautelaq; coniunctam. Per quas

 res uiri

Universidad de Deusto
Biblioteca

res uiri ciuiles libentius habent familiaritatem & consuetudinem cum præcellentibus dignitate uiris ac præpotentibus. Etenim si quis medicus sit egregius, libentius illi medebitur oculo, qui pro multis circunspiciat, multosq; custodiat. Ita philosophus eius animi curã libentius aget, quem uidet pro multis solicitum, quemq; oporteat multis sapere, multis esse philosophum, multis exhibere iustitiam. Etenim si peritus artifex fuisset in exquirẽdis & contrahendis aquis, cuiusmodi narrant Herculem, ac ueterum complures, nõ gauisus esset fodere in extremis oris iuxta corui rupem subuleicam illam Arethusam, sed amnis alicuius perennis fontes aperuisset ciuitati & exercitui, regũ arbustis ac saltibus. Audiuimus sanè Homerum, Minoa dei Oaristen appellantem, hoc est interprete Platone, familiarem ac discipulum. Neq; enim cẽsebat priuatos homines, aut ædium custodes, aut ociosos, esse deorum discipulos, sed reges: quibus si cõtigerit rectum consilium, iustitia, probitas, fortitudo, cõtinuò futurum est ut omnes adiuuentur, fructumq; capiant, qui cum eis habent commercium. Ferunt si Erungium herbam unaquæuis capra sumpserit in os, primũ ipsam sisti, deinde reliquum omnẽ gregem cum illa consistere, donec decedẽs caprarius, herbam eximat. Eiusmodi quædã uis & acrimonia fluit à potestate, quæ ignis in morem depascatur ac dissipet quæcunq; propius admota fuerint. Atqui philosophiæ ratio, si in hominẽ priuatum inciderit gaudentẽ ocio, sesecq; uelati centro, ac spatio geometrico, corporis necessitatibus circunscribentem, nihil transfundit in alios, sed parta in uno illo trãquillitate & ocio marcescit, simulq; cum eo deficit. Verum si principem, aut magistratum, & in negocijs uersantẽ attigerit, atq; hũc expleuerit honestate, per unũ prodest

E poëta quopiam.

ἐνοσίν.

Reges deorũ discipuli.

Mirum de capris.

ἐρύγγιον.

prodest compluribus, quemadmodum fecit Anaxagoras Pericli familiaris, Dioni Plato, Pythagoras Italiæ primatibus. Ac Cato ipso relicto exercitu, nauigauit ad Athenodorũ. Scipio Panætiũ accersiuit, quum à senatu legatus esset, uirum qui æqui atq; iniqui rationem haberet, uelut inquit Posidonius. Quid igitur oportuit dicere Panætiũ? Si quidem esses Cato, aut Pollux, aut alius quispiam priuatus, cupiens mediam urbis lucem effugere, per ocium in angulo quopiam philosophorũ syllogismos resoluens ac nectens, lubens te docendum suscepisses, tuaq; uterer cõsuetudine. Sed posteaquam es Pauli Aemilij bis consulis filius, nepos autem Scipionis Aphricani, eius qui Hannibalem Carthaginensem deuicit, haud dissentiam tecum. Cæterum quod dicunt nonnulli, duplicem esse philosophiæ rationem, alteram ipso in animo sitam, Hegemonis, id est ducis Mercurij munus, alteram in efferendo & enunciãdo positam, atq; organicam, id friuolum est, coniungendumq; cum illo, quod dici solet: Hoc noueram antequam Thcognis natus est. Quanquã ea distinctio nihil obstiterit, propterea quòd tum eius rationis quæ sita est in animo, tum eius quæ posita est in enunciando, finis est amicitia: huius quidem erga alterum, illius uerò erga seipsum. Ergo qui per philosophiã omnia refert ad uirtutẽ, ipsum secum concordem, sibiq; consentientẽ, ac talem ut ipse de se nihil queratur, pacis & gaudij plenum, semper sibijpsi amicũ ac beneuolentẽ reddit hominẽ. Non hic seditio, nõ impiũ bellum in membris, non affectus parũ dicto audiens rationi, non cupiditas cum cupiditate pugnans, non conuersus cogitationis cum cogitatione, non uelut in confinio cupiẽtis, ac pœnitentis asperitas, ac turbulẽtia cum delectatione coniuncta, sed amica pacataq; omnia. Per quæ fit,

Qui principes quos doctos habuerint.

ἡγεμών.

ut unusquisq; pluribus fruatur bonis, ac seipso gaudeat. At enũciatiuæ rationis musam, Pindarus negat olim quæstus auidã & operariã fuisse: ego ne nunc quidẽ esse puto, sed inscitia & honesti neglectu, cõmunem illũ Mercenarium, negotiatorẽ ac mercenariũ esse redditũ. Neq; enim cõsentaneum est, Venerẽ sacrificii sui filiabus indignatam fuisse, quòd primæ tentarint odia serere in adolescẽtulos: Vraniam autẽ & Calliopen & Clio gaudere his qui sermonem, ac doctrinã pecuniæ gratia tradant. At mihi sanè sic uidetur, Musarum effectã muneraq; magis quàm Veneris esse cum amicitia beneuolẽtiaq; coniunctã, magisq; ad hæc paranda cõducere. Nam gloria famaq;, quã nonnulli doctrinæ finem faciũt, uelut initiũ, ac semanariũ amicitiæ diligebatur. Quin potius hominũ uulgus in totum, gloriã beneuolentia metiuntur, arbitrantes nos eos duntaxat laudare quos amamus. Verum sicut Ixion Iunonem insequens, in nubem incidit, sic isti pro amicitia, falsum amicitiæ simulacrũ, populare, uagumq; amplectuntur. At is qui sapit, si in administrãda Republica uersetur ac negotijs, is tantũ gloriæ desiderabit, quantũ satis est ad cõciliandum illi in rebus gerendis autoritatẽ, quæ nascitur inde, quòd uir optimus creditur. Neq; enim iucundũ est, neq; facile prodesse, si quis nolit prodesse: ut autem uelis, facit opinio, fidesq; tibi habita. Sicuti lumẽ bonũ est non tam his qui uidentur, quàm his qui uident, itidem fama his qui sentiunt potius, quàm his qui non negliguntur. At is qui semotus a publicis negotijs secum ipse uiuit, quiq; finem boni collocat in ocio & quiete, ut gloriam in turbis hominum, in theatris per omnẽ populum circũuolantem, non aliter quàm Venerem Hippolytus quòd castus esset, procul salutat; ita eam quæ a probis cordatisq; uiris proficiscitur

Κοινὸς δ' ὑμέναιος.

ficiscitur, idem haud aspernatur. Opes, famã, ac potẽtiam regiã, nec oportet requirere in amicitijs, neq; fugere tamen, si cum modestis moribus hæc fuerint cõiuncta. Neq; enim philosophus adolescẽtes requirit formosos, & uenustos, sed tractabiles, cõpositos, & discẽdi cupidos. Neque rursum, si qbus adest decor & forma, flosq; ætui, id deterret philosophũ, neq; pulchritudo alienat, aut abigit à curãdis his, q digni sunt. Itaq; si principis dignitas ac potẽtia simul cõtigerit bonum modesto et humano, nõ abstinebit ab huius amore, beneuolẽtiaq; philosophus, neq; metuet hominũ rumores, ne dicatur aulicus, & principum cultor.

Quicunq; Venerem fugit, insanit nimis,
Non aliter atque hi, qui student bona tollere.

Similiter & isti, qui erga tam splendidã amicitiã optimatum eodem modo sunt affecti. Ergo philosophus à negotijs alienus, non refugiet, nec abhorrebit ab huiusmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obstrepens, ac molestius, nec aures infarciens importunis, ac sophisticis disputationibus: uerum cum his qui cupiũt, gaudebit & disputare, & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis sex dierum iter, sero arua fertilem
Berecynthium agrum.

Hic si non solũ agricolationis studiosus fuisset, uerumetiã hominum, num libentius fereret agrum, qui tantam hominum multitudinem alere posset, quàm illum Antisthenis agellũ, quem aiebat sibi uix sufficere? Respondes te malle. At si te rogem, num uniuersum orbem curandum suscipere uelis? Recuso, inquis, sanè. Epicurus summũ bonũ in ocio altissimo cõstituẽs, uelut in portu trãquillo, qui nullis agitetur undis, nullo strepat fragore, dicit non modò pulchrius esse beneficio afficere quàm affici, ueruetiã iucundius.

Nomina Gratiarũ ab alacritate, gaudio, & florulentia.

cundius. Nam nulla res perinde parit gaudiũ, ut beneficentia. Sapiebat autẽ qui Gratijs indidit nomina Aglaiæ, Euphrosynæ, ac Thaliæ. Siquidẽ hilarem esse, et gaudere in cõferendo beneficium, id & maius est & purius. Quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, quum beneficiũ accipiunt: semper autẽ gaudent, quũ beneficiũ præstant. Porrò de multis benemerentur, qui eos reddunt bonos, quorũ opera plures indigent. Ac rursum qui semper corrumpũt principes, reges, ac tyrannos, nẽpe delatores, criminatores & adulatores, ab omnibus exiguntur, puniunturq; ut qui non in unũ calicem letale uenenũ mittant, sed in fontem publicitus scatentem, & quo uident omnes uti. Quemadmodũ igitur narrãt Calliæ adulatores in comœdijs taxatos fuisse, quòd eos nec ignis, nec ferrũ, nec æs arcere potuerit, quo minus ad cœnã uentitarẽt, teste Eupolide (Porrò Apollodori tyrãni, Phalaridis, ac Dionysij familiares & amicos magno tumultu expulerũt, torserunt, inusserũt, & execrabiles ac deuotos reddiderũt, quòd illi unũ modò læderẽt, hi multos per unũ imperiũ gerẽtẽ) Sic hi qui cũ priuatis hominibus habẽt consuetudinẽ, efficiũt ut ipsi sibi molestia uacent, sintq; innocui & placidi: sed qui principis malos mores, aut sentẽtiã mutat, ubi res postulat eum emẽdãs, is quodãmodo publicitus philosophatur, ac rempublicã corrigit, ut uniuersi gubernentur. Sacerdotibus reuerentiã & honorem respublicæ impendũt, quòd à dijs postulent bona non solum sibijpsis, amicis, ac familiaribus, uerumetiam in commune omnibus ciuibus, quũ tamen sacerdotes non id efficiãt, ut dij sint bonorum datores, sed tales quum sint, inuocant: At philosophi qui cum principibus uiuunt, eos reddunt meliores ac moderatiores, & ad benefaciendum propensiores. Vnde par est eos

eos etiam magis gaudere. At ego quidẽ sic existimo, cum qui lyræ fabricandæ sit artifex, libentius facturum lyrã, ac promptius, simulatq; cognouerit futurum ut eius lyræ possessor Thebanorum urbem mœnibus cingat, quemadmodum fecit Amphion: quàm cuius poßessor sit Lacedæmoniorum seditionem compositurus, incinens ac deliniẽs eos, ita ut fecit Thales. Itidem faber libentius faciet clauum, si percontatus intellexerit futurum, ut is Themistoclis imperatoriam nauem gubernet pro Græcia propugnantem, quàm si Pompeij nauẽ esset gubernaturus, cum piratis nauali bello pugnantis. Quid igitur putas de doctrina cogitare philosophum? Nempe illud. Quisquis hũc instituendum acceperit uir ciuilis, & aptus principibus, is toti Reipub. profuerit, exhibens iustitiam, condens leges, puniens nocẽtes, euehens moderatos ac bonos. Mihi uerò uidetur & nauium opifex elegans libentius clauum fabricaturus fuisse, qui audisset futurum, ut is Argo gubernaret, pro qua omnes essent soliciti: & faber lignarius nõ tam libenter compositurus aratrum, aut plaustrum, quàm tabulas illas, in quibus Solon leges scripturus esset. Et sanè philosophorum rationes, si principum & Rempu. administrantium animis inscribantur, infiganturq; sic uti inhærescant, legum uim nanciscuntur. Siquidem & Plato nauigauit in Siciliam, futurum sperans ut philosophiæ decreta, & leges, & facta gigneret in Dionysij negocijs. Verum reperit Dionysium ceu librum lituris egentem, ac maculis mendisq; plenum, nec remittentem tyrannidis tincturam, qua longo iam tempore fuerat imbutus, ut non facilè posset elui. Faciles autem adhuc & mutabiles sint oportet, qui honestas accipiant rationes.

Plato cur in Siciliam nauigarit.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PLVTARCHI CHAERONEI

Vtrum grauiores sint animi morbi, quàm corporis.

Erasmo Roterodamo interprete.

Homerus Ilia. ϱ. ὃ μὲν γὰρ τέτατο τείχεα δῖος Ἀχαιῶν.

HOMERVS quidem, ubi mortalium animantium genera contemplatus esset, horumq; uitæ rationem & statum inter se cõtulisset, in hanc uocem erupit, omnium quæ in terris & spirarent, & serperẽt, nihil esse calamitosius homine, principatum haud sanè felicem homini tribuens, ut in malorum expẽsione primas teneat, atq; excellat. At nos hominẽ tanquam iam uincentẽ calamitate, iamq; animantũ omniũ pronũciatũ miserrimũ, ipsum cũ seipso cõferimus, ut proprijs malis secũ ipse certet, eum in corpus atq; animũ partiẽtes. Quod quidẽ negocij nequaquã fuerit inutile, sed uehemẽter ad rem pertinẽs, nimirũ ut intelligamus, utrũ per animum, an per nosipsos miserius uiuamus. Nam morbus quidẽ natura corpori innascitur, uitiũ uerò & malitia primũ actus est ab animo proficiscẽs, deinde morbus ciusdẽ. Quanquam nõ paulò æquiore animo ferendũ erat, si uel id quod peius est, esset medicabile, uel leuius esset quod est immedicabile. Proinde quum uulpes Æsopica de uariegata maculis pelle cum pardali certaret (nã hæc corpus summa cute florulentũ, uarijsq; picturatũ notis ostẽtabat: illi cõtrà flauor quidã erat squalidus, minimeq; iucũdus aspectu) Atqui, inquit, si me introspexeris iudex, uidebis me pardali magis uersicolorẽ, significãs morum dexteritatẽ ad cõplures usus respondere. Dicamus igitur ipsi nobis, cõplures quidẽ, ò homo, morbos ac mala corpus tuũ & gignit ac prodit ex sese, & foris incidẽtes accipit,

accipit, uerũ si teipsum intus aperueris, uarijs quoddã, ac multis refertũ malis penũ reperies, ac mundũ quendã miseriarũ reconditum, quẽadmodum inquit Democritus, nõ quidẽ foris incidentiũ, sed ipso in solo, ipsaq; in terra suos habentium fontes, unde scaturiant. Hos elicit malitia, copiosum ac largũ fluxum præbẽs effectibus. Quòd si corporis morbi pulsibus arteriarũ, aut coloris rubore deprehenduntur, hosq; feruor aut facilis lassitudo solet arguere, cõtrà animi mala plerosq; ita fallunt, ut nõ habeantur pro malis, nimirum ob id ipsum periculosiora sunt, quòd sui sensum adimunt ægrotanti. Siquidem corporis morbos ratio sana percipit, at animi morbos ipsa simul ægrotans non potest de suis iudicare malis quibus laborat, propterea quòd ægrotet ea pars, cuius erat iudicare. Proinde inter primos ac maximos animi morbos ponenda est demẽtia, per quã fit, ut plerisq; immedicabilis ac domestica sit, & conniuat, & cõmoriatur malitia. Etenim sanitatis initiũ est, si qui laborat, sentiat sibi opus esse remedio. Rursum qui non uidet quibus eget, propterea quòd non credat sese ægrotum, etiamsi præsto sit qui medeatur, tamen recusat, nec admittit curationẽ. Nam inter corporũ morbos pernitiosiores sunt hi, qui sui sensu uacant, quod genus sunt lethargus, capitis dolor, morbus comitialis, febres, atq; hæ potissimũ febres, quæ uitiosum humorẽ uehementer exacerbant, ac sensum uelut in organo perturbantes, mouent chordas non mouendas mentium. Quapropter medici cõcedunt quidem ut ægrotet homo, at ita, si qui ægrotet, non ignoret se malè habere, id quod in omnibus animi morbis solet usu uenire. Neq; enim qui desipiunt, neque qui sunt temulenti, neq; qui faciunt iniuriã, sibi uidẽtur peccare: uerũetiam sunt qui tum officiosè

Demẽtia præcipuus animi morbus.

se facere putant. Febrim enim nemo uocat sanitatem, nec tabem quisquam appellat bonam habitudinem, neque podagram pedum uelocitatem, neque pallorem nonnat ruborem: at iracundiæ multi fortitudinis nomen imponunt, amorem amicitiæ nomine palliant, inuidiam æmulationis, timiditatem diligentiæ, quæ res in tuto collocentur. Hinc fit, ut illi quidem medicos accersant, quippe qui intelligant quid morbus postulet: è diuerso hi fugitent philosophos, ueriti ne non assequantur eas res, in quibus delinquunt. Atque his quidem rationibus adducti, dicimus opthalmiã, id est oculorũ morbũ esse leuiorem insania, podagram phreneſi, propterea quòd ille morbum intelligens uocifèrans accersit medicum, cui quum adest, facilè
Ex poëta quopiam. inungendam, capitisq; uenam secandam præbet: porrò Agauen insanientem audis ob morbum etiam sibi charissima non agnouisse. Adducimus domum è monte pampinum recens decisam, felicem captum. Nam qui corporis morbo tenetur, is protinus in lectulum sese conijcit, atque interim dum curatur, quietem agit. Quòd si paululum exerat sese, commoueatq; corpus exagitante æstu, assidentium aliquis blandè dicens, mane miser quietus in stratis tuis, cohibet hominem atque compescit. Contrà qui animi morbis laborant, tum maximè sunt in negocio, minimeque quiescunt. Nam ut agas aliquid, ab animi impetu proficiscitur, at impetus uehementia à morbo nascitur. Itaque non sinit animum esse quietum, adeò ut quum maximè opus est homini tolerantia, silentio atque
* aperiantq; secessu, tum maximè pertrahant illum sub dium * operiantq; iræ, cõtentiones, amores, dolores, coganteq; multa tum facere nefaria, tum loqui nequaquam accõmoda tempori. Itaque quemadmodum periculosior est tempestas quæ

quæ uetat in portum appellere, quàm ea quæ cohibet à nauigando, itidem quæ in animo accidunt tempestates, grauiores erunt, quæ non sinunt hominem contrahi, neque rationem perturbatam consistere, sed nullo gubernatore, nullis sulturis in perturbatione atque errore, pernicioso cursu procul auecta, præceps in metuendum aliquod incidit naufragium, suamq; ipsius uitam illisa comminuit. Proinde his quoque de causis grauius est animo, quàm corpore ægrotare, propterea quòd hi tantum patiantur, illi non solum patiantur, uerumetiam faciant malè. Denique quorsum attinet de morbis multa uerba facere? ipsum tempus nos admonet. Videtis ingentem hanc multitudinem, & confusaneam, omniq; ex hominum genere permixtam turbam hic circum tribunal ac forum congregatam? Non in hoc conuenerunt isti, uti dijs patrijs rem diuinam faciant, non ut communia inter se sacra peragant, non uti Aseræo Ioui Lydorum fructuum primitias ferant, non Baccho furiosum thyrsum, sacris noctibus, & communibus epulis orgia celebrantes, quin magis ceu morborum ui uicibus annuis recrudescente, huc ad lites & condicta certamina ueniunt suas facultates collaturi. Porrò causarũ multitudo, negotiorumq; ueluti collectæ pituitæ, in unum incidit forum, inflammatq; & constipat illud perdentibus ac pereuntibus. Quæ febres ista faciunt? qui epiali? quæ insistentiæ, aut incidentiæ? aut quæ caloris intemperantia? quæ humoris exundantia? Si litem unamquanque uelut hominem perconteris unde nata sit, unde uenerit, hanc ira præfracta peperit, illam insana contentio, aliam iniqua cupiditas.

FINIS.

PLV

PLVTARCHI CHAERONEI

Num recte dictum sit, λάθε βιώσας, id est sic uiue, ut nemo te sentiat uixisse.

Desiderio Erasmo Roterodamo interprete.

AT ne ille quidem ipse, qui hoc dixit, latere uoluit, quādoquidem hoc ipsum ideo dixit, ne esset ignotus, sed uideretur aliquid supra uulgus sapere, adhortando ad gloriæ cōtemptum, immeritam sibi parans gloriā. Sapientē ego odi qui sibijpsi nō sapit. Narrant enim Philoxenum Eryxidis filium, & Gnathonem Siculam, obsonatores nobiles, nasi mucceum emungere solitos in catinum, quo reliquis conuiuis deterritis, ipsi soli cibis appositis explerentur. Sed qui immodice sunt auidi gloriæ, alijs ad satietatem usque damnant gloriam, ueluti riualibus, ut ea citra æmulum potiantur, idemq; faciunt quod remiges solent. Etenim quemadmodum ad puppim spectantes, proræ tamen impetum adiuuant, ut undequoque repercussus cymbam arreptam impellat, ita qui præcepta huiusmodi prodiderunt, gloriam uelut auersi sectantur, alioqui quorsum attinebat hoc dicere, quorsum autem scribere, scriptum ædere, ac posteris tradere? An suæ ætatis homines latere uoluit, qui ne posteris quidem uoluit ignotus esse? Quin illud ipsum non'ne malum est, sic uiue, ut nemo sentiat te uixisse, perinde quasi suffossis sepulchris? An hoc ipsum uiuere turpe est, ut omnibus conueniat esse ignotum? Ego uerò dixerim, ne malè quidem uiuens latere uelis, sed esto notus, resipisce, pœniteat, siue uirtute præditus es, ne fias inutilis, siue malus es, ne maneas incuratus. Imò distingue ac discerne, cuinam istud præcipias: si in

Philoxenus, Gnatho, de quibus in præfatione Themistij Herm. Barb.

si indocto, malo, ac stulto, perinde est ac si dicas, nemo te sciat febricitari, nemo te sciat teneri phreneſi, ne te nouerit medicus, abi, conijce te aliquò in tenebras ignotus unà cum tuis malis. Et tu abi cum tuo uitio, morbo laborans immedicabili ac pernicioso, occultans inuidiam, ac superstitionem, ueritus ceu pulsum quendam exhibere, his qui monere possunt, ac mederi. At prisci illi mortales ægrotos palàm curabant, eorum unusquisq; siquid habuisset conducibile, quod uel ipse ægrotans, uel alterum curans comperisset, consulebat ei cui opus erat. Atq; ita ferunt artem experimentis natam, in maius auctam esse. Verum illud etiā oportebat, morbidā uitam, animúq; morbos omnibus retegere, ut qui tetigisset, & affectus perspexisset, posset dicere: irasceris, hoc caueto: Zelotypus es, hoc facito: Amas, & ego quondam amaui, uerum pœnituit. Nunc contrà negant, occultant, contrahunt, alteque in semetipsis animi pestē recondunt. Iam si bonis præcipis ut lateant, & ignorentur, dicis igitur Epaminondæ, Ne feceris dux exercitus: Lycurgo, ne leges condideris: Thrasybulo, ne peremeris tyrannos: Pythagoræ, ne doceto: Socrati, ne disputato: ac tibijpsi in primis Epicure, ne quid scribas amicis quos habes in Asia, ne'ue cōmunices cū his, qui ab Aegypto profecti te uisunt, ne Lāpsacenis ephebis stipatus incedas, ne passim emittas libros omnibus uiris ac mulieribus sapiētiā tuā ostentās, ne quid ordines de sepultura. Quorsum enim pertinent mensæ communes? Quorsum studiosorum & formosorum conuentus? Quorsum tot uersuum milia ad Metrodorum, ad Aristobolum, ad Chæredemum scripta, accurateq; composita, ut ne defuncti quidem ignoti sint? an ut uirtuti præscribas oblitterationem, ocium arti, silentium philosophiæ, obliuionem beneficentiæ?

Veteres ægrotos palàm curabant.

beneficentiæ? Quòd si uelut è conuiuio lumen, sic è uita tollis cognitionem, quo nesciantur omnia ex uoluptate, & ad uoluptatem facere, nemo sciat te uixisse. Prorsum igitur si quis cum iucundo sorte sit uitam acturus, si cum Leotio consuetudinẽ habiturus, si formosam amplexurus, si summũ bonũ in carnis titillatione positurus, hæc extremas desiderant tenebras, hæc noctem, ad hæc obliuionem & ignorationem præcipe. Sed si quis in naturalibus deum laudet, eiusq; iustitiam, ac prouidentiam: in moralibus autem legem, benignitatem, & rerum administrationem: in administratione uerò honestum, non utilitatem, cur debeat huius latere uita? An ne quem erudiat, ne quem ad uirtutis imitationem excitet, ne cui sit exemplo ad honestatem? Si Themistocles ignotus fuisset Atheniensibus, Græcia non expulisset Xerxen: si Romanis Camillus, non esset ciuitas Romana: si Dioni Plato, non fuisset liberata Sicilia. Verum quemadmodum lumen in causa est, ut non solum alij alijs conspicui simus, uerumetiam utiles, ita notitia non gloriam modò, uerum exercitationem parit uirtutis. Epaminondas igitur ad quadragesimum usque annum ignotus, nihil profuit Thebanis, deinde præfectus rebus gerendis, & imperium nactus, rẽpublicam extinctam restituit, Græciam seruitute liberauit, uirtutem in gloria uelut in luce, suo tempore non ociosam præstans. Refulgescit enim quum res & usus postulauerit, ubi uelut æs generosum tempore perspicuum redditum declarauit animum, non secus atque domum, uelut inquit Sophocles. Quin etiam hominis ingenium, ceu cariem & senium in ocio contrahit, propter obscuritatem. At muta quies, utinq; sedentaria in ocio semota, non corporibus modò, uerumetiam animis marcorẽ conciliat.

Vita sedentaria marcorem conciliat.

conciliat. Non secus atq; aquæ latentes, propterea quòd umbra sint opacæ, torpeantq;, neq; profluant, putrescãt. Itidem eorũ qui in ocio degunt, uita, si quid habeat usui futurum, tamen quia non promanat ad alios, nullo inde bibente, corrumpitur & consenescit uis illa natiua. An non uides instante nocte, cum corpora inerti torpore occupari, tum animos pigra quadam inertia segnescere, contractamq; & coarctatam in sese rationem uelut ignem penè extinctum ob inertiam ac mœrorem, aliquantisper cum dißipatis imaginibus luctari, quantula sit hominis uita, tacite significantem? At simulatq; sol emergens fulgurantia submouit somnia, ac uelut in unum commiscens, quopiam reuexit atque excitauit sua luce actus & cogitationes omnium, quemadmodum inquit Democritus, nouo in die uersantes homines, mutua inter ipsos alacritate, ueluti subita renouatione denuo creati, alius aliunde surgunt ad opera. Ego sanè sic existimo, hoc ipsum quòd uiuimus, quòd omnino nascimur, quòd in hominum genus asciti sumus, in hoc à deo donatum esse ut innotescat. Latet autem & incognitus est, in turba uniuersi, dumq; per minuta sparsim mouetur. Verum ubi seipse collegerit, sumpserit q; magnitudinem, tum elucescit, fitq; ex ignoto manifestus, ex obscuro conspicuus. Neq; enim cognitio uia est ad essentiam, quemadmodum dicunt nonnulli, sed essentia potius ad cognitionẽ. Neq; enim ille producit aut gignit omnia quæ nascuntur, sed ostendit. Quemadmodum nec corruptio est sublatio ad non esse, sed magis abductio rei dissolutæ ad obscuritatem. Vnde qui solem Apollinem esse credunt, ex maiorum ac priscorum mysterijs Delium ac Pythium eundem cognominant. Cæterum cum qui diuersæ partis est dominus, siue deus is est, siue dæmon, Aden, ἄδης, id est

Nox iners.

Ex poëta quopiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orcus. id est Orcum appellant, quòd mortui in locum tenebro-
E poëta sum & obscurum demugremus, ad densæ noctis, somnicq;
quopiam. inertis regem. Opinor autem à ueteribus hominem quoq;
φάος. simili de causa dictum esse phos, nimirum à luce, pro-
pterea quòd omnibus uehemens quædam insita sit cupi-
ditas & cognoscendi, & innotescendi. Sunt autē & phi-
losophi nonnulli, qui ipsam animi substantiam lumen esse
putent, cum alijs adducti coniecturis, tum hac potissimū,
quòd nihil omnium æque refugit & odit, atque ignoran
tiam, & quicquid luce uacat, id refugit, eoq; perturba-
tur, quòd tenebræ illi suspectæ terrorem incutiant. Cōtrà
lux usqueadeo est iucunda & amabilis, ut nihil eorū quæ
natura uoluptatē adferunt, absq; luce cupiat in tenebris:
uerum ea uoluptatem omnem, omne studium, quacunque
re frui uelis, ceu nouum condimentum admixtum, exhila-
rat, & edulcat humanitate. At qui hominem coniecit in
ignorationē, & obscuritatem, ac tenebris obtegit, uitamq;
quasi sepelit, is uidetur hoc ipsum grauiter ferre, quòd
nascimur, & eò reuocare nos ut non simus. Et tamen aiūt
gloriæ essentiæq; locum sedem esse piorum, quibus splen-
det solis uigor, deinde noctem inferne in pratis roseo co-
E poëta lore purpurantibus, quibus intonsa uernant omnia, &
quopiam. proceratum arborum floribus amœnus connectitur cam-
pus, tum amnes quidā fletus ignari, ac lenes cum perflu-
unt, ipsi transigunt iucunde tempus colloquijs, & cōme-
moratione rerum præteritarum ac præsentiū, accersentes
sese mutuo, & inter se cōsuetudinem uitæ agitantes. Por-
rò tertia uia eorum est, qui impiè uixerunt & iniustè, ani
mas in obscurum locum & barathrū quoddam præcipi-
tans, unde immēsas ructant tenebras, lāguida noctis obscu
ræ flumina, quæ recipiunt, & ignoratione atq; obliuione
regunt

tegunt eos qui puniūtur. Neq; enim uultures semper ar-
rodunt hepar sontium in terra iacentium. Nam aut exu-
stum est, aut computruit. Neq; grauium quorundam one-
rum gestatio affligit, conficitq; corpus eorum qui pu-
niuntur. Neq; enim iam carnes, aut ossa cohærent neruis.
Nullæ sunt corporis reliquiæ corporum uita defunctis,
cruciatuum eorum capaces, qui speciem sibi respondēn-
tem requirunt. Sed una profectò ratio puniendi eos qui
malè uixerunt, nempe obscuritas & ignoratio, & modis
omnibus abolitio, tollens in tristem amnem, eq; lethe, id
est obliuione præcipitans in abyssum, ac uastum pelagus, Λήθη ἄβυσσος.
uidelicet ignauiam & ociam, quod suo fluctu ignoratio-
nem & obscuritatem secum trahit.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI
De cupiditate diuitiarum, liber.

Desiderio Erasmo Roterodamo interprete.

HIPPOMACHVS aliptes, quibusdam laude efferentibus prælongum quempiam, ac prælongis manibus hominem, tanquam ad pugilum certamen idoneum, sanè, inquit, si suspensa in alto corona foret detrahenda. Idem licebit dicere in hos qui pulchra prædia, qui amplas ædes, qui pecuniæ uim stupent, atque his in rebus felicitatem sitam esse ducunt, sanè si quidem uenalis esset emenda felicitas. Quanquam permultos uideas, qui malint esse diuites, simulq; miseri, quàm dato argento parare felicitatem. At non emitur nummis animus liber omni molestia, suiq; cō-

tentus sorte, nec magnanimitas, neq; tranquillitas, neque
Diuitĕ esse. libertas. Diuitem esse, non est diuitias contemnere, nec immodicas opes possidere, sed non egere superuacaneis. A quibus igitur malis liberant diuitiæ, si ne hoc ipsum quidem adimunt malum, sui cupiditatem? quum potus sedet sitim, cibus famem sanet. At ille qui dicit, da pallium Hipponacti, uehementer enim algeo, pluribus impositis pallijs offenditur, ac discedit. Cæterum argēti cupidinem non extinguit argentum, nec aurum auri, neque si plura possideat, coërcetur plura possidendi cupiditas. Quin idem dicas licebit diuitijs, quod in medicum competit impostorem: Pharmacum tuum morbum auget. Nam illæ quum susceperint homines egentes pane, tecto, mediocribus indumentis, & obsonio quolibet, implent cupiditate auri,
Ex poëta quopiam. argenti, eboris, smaragdorum, canum, equorum, uidelicet à necessarijs ad periculosa, rara, paratu difficilia & insitata traducto appetitu. Quandoquidem nemo pauper est earum rerum, quæ naturæ sufficiunt, neque quisquam unquam fœnore mutuum accepit, ut farinam, caseum, panem, aut oleæ baccas emeret: sed hunc sumptuosa domus æri alieno reddidit obnoxium, illum contiguum suis agris oliuetum, alios arua frumētaria seu uineta, nonnullos mulæ galaticæ, alios equi iugiferi, uehicula magnifica cum plausu ducentes, præcipitarunt in barathrum pactorum, usurarum, pignorum. Deinde fit, ut quemadmodum hi qui non sitientes bibunt, neq; esurientes edunt, etiam ea quæ sitientes atq; esurientes sumpserāt, reuomunt, sic hi dum superuacanea & insitata appetunt, ne necessarijs quidē potiuntur. Atq; isti quidem sunt huiusmodi: cæterum eos qui nihil insumunt, possident autē permulta, semperq; plura desiderant, magis etiam admirabitur qui memunerit Aristippi.

Aristippi. Nam is solitus est dicere, si quis multum ederit, multiq; biberit, nec unquā expleatur, adit medicos, percōtatur quid sit morbi, quæ sit affectio, qua ratione queat leuari. At si quis habens quinq; lectos, requirat decem, ac decem possidens mensas, alteras totidem coemat, quumq; multum adsit agrorū, multum pecuniæ, non tamen expletur, uerum in alia inhians uigilat, nullisq; omnino rebus satiari potest, hic non existimat sibi opus esse à quo curetur, quiq; ostēdat quibus ex causis morbus is sit ortus. Ac sanè qui quū nondum biberit, sitiat, futurū expectes ut is simulatq; biberit, siti liberētur: eum uerò qui cōtinenter bibat, nec ullum faciat finē, huic non expletione, sed purgatione iudicamus opus esse, iubemusq; uomere, quippe qui nō perturbetur inopia, sed acore caloreq; quopiā qui præter naturam inest. Ergo qui eget, atq; inopiā laborat ex eorum numero qui parant facultates, fortasse quiescet parata domo, aut inuēto thesauro, aut amici cuiuspiā ope persoluto, liberatus ære alieno à fœneratore. Ast qui plura quam sat est possidet, plura nihilominus concupiscens, hunc nec aurum, nec argentū sanare potest, nec equi, nec oues, nec boues, sed uomitu ac purgatione opus habet. Neque enim huius morbus est penuria, sed insatiabilitas, amorq; diuitiarū, à prauo & à ratiōe alieno iudicio proficiscens, quod ineſt in eo. Id nisi quis reuellat ab animo, ceu malum transuersum inhærens, non desinet immodicis egere, hoc est desiderare ea quibus non est opus. Medicus ad hominē ingressus lecto affixum, suspirantem, ac cibum capere recusantem, simulatq; tetigerit eum, ac percōtatus fuerit, deprehenderitq; non teneri febri, animi morbus est, inquit, ac discedit. Nos igitur quum uiderimus hominem lucris attenuatum, sumptibus ingementem, à nulla

Possidens plura quam sat est.

turpitudine molestiaq; temperantem, quæ modò conducat ad rem faciendam, quum domos habeat, agros, armenta, mancipia, uestes, quo tandem morbo dicemus hunc hominem teneri, nisi animi paupertate? Quandoquidem pecuniarum inopiam, quemadmodum ait Menander, uel unus amicus bene merens sustulerit. At illam animi penuriam ne uniuersi quidem expleant, neq; uiuentes, neq; uita defuncti. Quare illud eleganter in hos dictum est à Solone:

Haud est finis opum fixus mortalibus ullus.

Alioqui bi qui sapiunt, hi naturæ modum habẽt præscriptum, adestq; finis aliquis usus, ueluti stimulo & intersitio circũscriptus. Iam uerò est & illud auaritiæ proprium, quòd hæc cupiditas ipsa sibi repugnat ne satietur, quum reliquæ magis ad id adiuuent. Itaq; nemo probus ab obsoniis abstinet ob idipsum quòd sit auidus obsoniorum, nec à uino quòd uini sit appetens, quemadmodum isti à pecunijs abstinent, ob pecuniæ cupiditatẽ. Et sanè non'ne morbus insaniæ simulis ac miserandus uideatur, si quis ob id non utatur ueste quòd algeat, neq; pane quòd esuriat, neq; diuitijs quòd diuitiarum sit auidus? Sed ijsdem in malis sunt in quibus Thrasonides ille: Nam intra me est, licet hoc mihi, & uolo, sed non facio, quemadmodum solent hi, qui insanissimè amant. Sed posteaquam omnia cõclusero, obsignaueroq;, aut usurarijs, ac negociatoribus denumeraro, tum alia coadceruo uenorq;, urgeo famulos, agricolas, debitores. Deum immortalẽ, num quem hominẽ uel miserrimũ uidisti amantem infelicius? Sophocles interrogatus, posset'ne congredi cum muliere? bona uerba, inquit, ô homo: Nam liber iam sum factus, & ab inclemẽtibus istis, ac furiosis dominis aufugi senectutis beneficio. Elegans enim est, ut cum uoluptatibus simul desinant & cupidi

Auaritiæ proprium.

Senectutis beneficium.

cupiditates, quas neq; uir potest effugere, quemadmodum dixit Alcæus, neq; mulier. Atq; id nõ accidit in cupiditate diuitiarum, sed magis tanquam acerba grauisq; domina, cogit quidem ut pares, cæterum uetat ne fruaris. Et cupiditatem quidem acuit, uoluptatem autem subducit. Stratonicus igitur Rhodiẽsium luxuriem taxauit, quum diceret eos ædificare tanquam immortales, obsonare tanquam breui tempore uicturos. At auari parant quidem opes tanquam splendidi, utuntur autem sordidi, & labores tolerant, quum careant uoluptatibus. Itaque quum Demades adesset aliquando Phocioni prandenti, uideretq; mensam illi parcam ac frugalem esse: demiror te Phocion, inquit, qui Rempublicam administres, quũ possis ad istum prandere modum. Nam ipse uentri gerebat magistratus, adeò ut quum existimaret Athenas minus esse quàm ut suo luxui suppeditare possent, è Macedonia quoq; commeatum pararet. Vnde & Antipater hunc iam senem cõspicatus, dicebat uelut è sacro peracto, nihil esse reliquum præter linguam & uentrem. Te uerò quis non admiretur infelicissime, si quum possis istum ad modum uiuere uitam adeò sordidã, adeò ab homine alienam, nemini quicquã impertiens, tam incomis in amicos, tam nõ munificus erga Rẽpublicam, tamen affligeris, uigilas, operaris, captas hæreditates, submittis te, quum tãtum habeas ocij uiaticum, nempe sordidam parsimoniam? Narrant Byzantium quendam, quum mœchum in deformi uxore deprehendisset, dixisse: O miser quid opus est Sapragoræ dote? Age tu quidem scelestè misces ac subtaxas reges, quòd opes sibi comparent, regumq; præfectos, tum hos qui dominari in Republica primasq; tenere uolunt: at bis quidẽ necessitas est, dum ob ambitionem, fastum, & inanem glo

riam exhibent conuiuia, largiuntur, satellitium alunt, munera mittunt, alunt exercitus, dum qui singulari certamine congrediuntur, redimunt: tu uerò tantum negocij sustines, perturbans ac distorquens teipsum, quum cochleæ uitam uiuas, ob animi sordes, ac parsimoniam omnia molesta perfers, nullum inde fructum capiens, haud secus atque balneatoris asinus, qui quum ligna sarmentaq; deportet, semper tamen fumo ac fuligine est oppletus, nec unquam particeps fit, neq; balnei, neque teporis, neq; mundiciei. Atq; hæc dixerim aduersus asininam istam, ac formicarum uitæ simillimam diuitiarum cupiditatem. Est autem & aliud auaritiæ genus ferinũ, nempe eius quæ calumniatur, quæ captat hæreditates, quæ circumuenit, quæ pluribus negocijs inuoluit sese, quæ curis discruciat, numeratq; quot adhuc ex amicis sint superstites. Atq; hæc omnia quũ faciat, nulla tamen ex parte fruitur quæsitis. Itaq; quemadmodum uiperas, cantharides, ac phalangia magis detestamur atq; odimus, quàm ipsos ursos ac leones, propterea quòd interficiant ac perimant homines, nullum usum capientes ex his quos occiderint, ita magis conuenit infensos esse his qui per sordes, ac parsimoniã mali sunt, quàm his qui per luxum: nam alijs eripiunt, quibus ipsi uti neq; possunt, neque solent. Vnde fit, ut illi quidem quum abundant, & quod satis sit habent, inducias agant, abstineantq; à bello, quemadmodum respondit Demosthenes his qui credebãt Demadem desijsse malum esse: Iam enim, inquit, saturum uidetis, ueluti leones. At his qui uersantur in publicis officijs, idq; ad nullam rem nec iucundam, nec utilem, nullæ prorsus inducię, neque feriæ sunt cumulandi diuitias, propterea quòd semper inanes sint, semperq; egeant omnibus. Ac isti sanè, dixerit quispiam, liberis & hæ

Cochleæ uitam uiuere.

redibus seruant ac recondunt opes, quibus dum uiuunt, nihil impertiunt. Verum perinde accidit, ut in muribus qui in metallis aureis uescuntur arenulis, nec licet per eos auro potiri, nisi mortui sectione aperiãtur. Porrò filijs atq; hæredibus, qua de causa cupiunt multam pecuniam, & amplas relinquere facultates? Nimirũ ut hi quoque seruent alijs filijs, non aliter quàm faciunt canales fictiles, quæ nihil ipsæ in se recipiunt humoris, sed omnes alia in alia transfundunt aquã, donec aliunde quispiã uel calumniator, uel tyrannus extiterit, qui custodem illum intercidat, eoq; comminuto, aliò diuitias auertat ac deriuet, aut donec, quemadmodum dicunt, aliquis qui sit totius generis sceleratissimus, omnia bona solus deuoret. Non enim seruorum tantum liberi nascuntur lasciui iuxta Euripidis sententiam, uerum etiam sordidorum, quemadmodum Diogenes facete taxauit hoc hominum genus, quum diceret præstare arietem esse uiri Megarẽsis, quam filium: siquidem quum erudire uidẽtur, & instituere, perdunt, ac deprauant, inserentes in animos eorum pecuniæ studium ac parsimoniam, ueluti munitum quempiam locum in hæredibus ædificantes, in quo tutò seruetur hæreditas. Nam hæc sunt quæ monent ac docent: Lucrator, ac parcito, tantiq; teipsum esse putato, quantum habueris. Atqui istud non est instituere, sed contrahere sarcireq; marsupium, quo capere seruareq; possit quod fuerit immissum. Quanquam marsupium tum deniq; redditur sordidum, ac malè olens, posteaquàm immissum fuerit argentum. At auarorum liberi priusquam accipiãt diuitias, implentur amore diuitiarum ab ipsis parentibus, quibus illi sanè dignam pro institutione mercedem rependunt, dum eos non ob id amãt, quòd multum ab illis sint accepturi,

Auarorum doctrina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed oderunt quòd nondum accipiant. Etenim quũ ab illis didicerint nihil admirari præter diuitias, nec aliò uitæ rationes referre, nisi ut quamplurima possideant, nõ sinunt eos uiuere, putantq; tãtum sibi adimere tempus, quantum illis adiecerit. Quas ob res uiuis adhuc parẽtibus clanculum utcunq; surripiunt, ac suffurãtur uoluptatem, fruuntur, & tanquam de alieno impertiunt amicis, & si quid audierint, insumũt in animi libidinem: uerũ ubi defunctis parentibus claues acceperint, ac sigilla, tum protinus alia uitæ species, uultus grauis & austerus, atq; inaffabilis, nõ exercetur lusus colophon, nõ sphæra, non trachelismus, nõ academia, non lyceũ, sed seruorũ examinatio, syngrapharum inspectio, cum dispensatoribus ac debitoribus disceptatio, tum occupatio ac solicitudo, quæ prandio priuet, quæq; noctu secum in balneum agat. Cæterum exercitamenta in quibus fuerat institutus, & aqua Dirces negliguntur: quòd si quis illi dixerit, non audis philosophum? qui possim? inquit: non est mihi ocium patre mortuo. O te miserum, quid tibi reliquit pater conferendum cum eo quod abstulit? nempe libertatẽ & ocium: quanquam non tam ille abstulit, quàm ipsa rerum opulentia, quæ tibi circunfusa tuiq; uictrix inflãmat te, ut apud Hesiodum uxor absq; titione, crudeliq; tradit senectuti, tanquam præproperas rugas & canos inducens animo, uidelicet curas è studio diteſcendi, eq; negocijs nascẽtes, per quæ marcescit alacritas, splendor, & humanitas. Sed dicet aliquis, at non uides quosdam splendide pecunijs utẽtes? Sed tu, sic enim respondebimus, non audis Aristotelem dicẽtem, alios quidem uti, alios uerò abuti, perinde quasi neutrum ad rem pertineat? Verum illos quod est diuitiarum proprium, nec ornat, nec iuuat, hos uerò lædit etiam, ac dehonestat. Age sanè

*ὅ, τι ἀκούσας τίς τι μαθάνουσι, forte, λαθάνεται.

sanè, consideremus in primis, quisnam sit usus iste, cuius gratia magnifacimus diuitias: num est earum rerum, quas requirit natura? At in his nihilo plus habent locupletes, quàm hi qui fortunæ sunt mediocri. Verum opulentia res est profectò leuis, nec admodum suspicienda, quemadmodum dictum est à Theophrasto, si Callias Athenienſium opulentißimus, & Ismenias Thebanorũ locupletißimus, hisdem usi sunt, quibus Socrates & Epaminondas. Nam sicut Agathon tibias è conuiuio relegauit ad mulieres, satis esse iudicans confabulationem eorum qui aderant, ita stragulas purpureas, mensas preciosas, cunctaq; superuacanea submouerit, qui uideat diuites hisdem rebus utẽtes, quibus & pauperes. Non

Agathon tibias è conuiuio relegauit.

Protinus arenti temonem imponito fumo,
Intereatq; labor mulumq; boumq; ualentum,

Sed aurificum, tornatorum, unguentariorum, coquorum, si rerum inusitatarum luxus per temperantiam probè eiiciatur. Quòd si ea quæ natura requirit, etiam diuitum sunt communia, diuitiæ uerò sese iactant de superfluis, Scopamq; Thessalum laudaueris, qui rogatus cur domi tantum haberet rerum superuacanearũ & inusitatarum: Imò his, inquit, superuacaneis felices sumus, ac beati, non illis necessarijs, uide ne pompam magis, ac solennes ludos laudare uidearis, quàm uitam. Patrium Bacchanalium festum olim populariter atque hilariter agebatur, pompa erat, amphora uini clematisq;, deinde hircum trahebat quispiam, hunc alius sequebatur nucum cophinum gestãs, postremo loco phallus erat. At ista nunc despiciuntur, obscurantur q;, nimirum dum obiter circunferuntur aurea uasa, magnificæ uestes, dum aguntur currus ac personæ: ita quæ erant necessaria atq; utilia in diuitijs, ea sunt obruta

rum superfluis & raris. Verum plerisque nostrum accidit illud Telemachi. Nam ille per imperitiam, uel potius ob rusticitatem, quum Nestoris domū uideret instructam mensis, uestibus, stragulis, uino suaui, non admiratus est cum rebus necessarijs & utilibus abundantem: cæterum apud Menelaum conspicatus ebur, aurum, & electrum, obstupuit, dixitq;:

Talis adest aula hæc, qualis Iouis altitonantis,
Plurima dictu mira, stupor me habet aspicientem.

Porrò Socrates aut Diogenes dixisset, quàm multa hic misera, inusitata, stulta, risus me capit aspicientem. Quid ais uir muliere deterior? quum debueris submouere purpuram, ac cultum, ut illa desineret delitiarum, rerumq; peregrinarum amore laborare, tu contrà exornas ædes, perinde quasi theatrum, aut scenam ingredientibus? Huiusmodi felicitatem adferunt diuitiæ, quæ sit spectatorum ac testium, aut certè nulla. At temperatum esse, philosophum esse, de dijs scire quæ scitu sunt necessaria, id semper idem est, etiamsi uniuersi nesciant mortales, sed proprium iubar magnamq; lucem habet in animo, & gaudiū domesticum parit, ipso suo ipsius fruente bono, siue uideat aliquis, siue lateat omnes & deos & homines. Huiusmodi quidem res est uirtus, ueritas disciplinarum Geometriæ & Astrologiæ: an conuenit huic phaleras istas diuitiarum, monilia, puellariaq; conferre ostentacula? Si nemo uideat, nec aspiciat, uerè cæcæ sunt, & orbæ luce sunt diuitiæ. Siquidem dives quum solus cœnat cum uxore seu familiaribus, non faceßit negotium mensis conuualibus, neq; poculis aureis, sed utitur quibuslibet, ac plebeis, adest uxor nullo auro, nulla purpura insignis, sed simplici cultu. Verum ubi iam cœna, hoc est pompa & spectaculum adornatur, fabulaq; diuitiarum inducitur, tam è nauibus effert lebetesq; tripodesq;, ordine dispo- Ex poëta
nuntur lucernæ, contrahuntur calices, mutant pocillato- quopiam.
res, reuestiunt omnia, omnia mouent aurum, argentum gemmis additum, palàm se diuites esse confitentes, cæterum abest alacritas, abest temperantia, etiā si solus cœnet.

Diuitiæ cæcæ.

FINIS.

[illegible] impudentes, nisi quòd illi quum peccant, dolore molestiaq; afficiuntur, non autem delectantur, quemadmodum isti. Quisquis enim pudore uacat, non sentit dolorem ex turpiter factis. Contrà qui facilè pudescit, cito commouetur, non solum obiectis his quæ uerè turpia sunt, uerumetiam quæ speciem habent turpitudinis. Siquidem immodicus pudor Δυσωπία dicitur, hinc impositio nomine, quòd multus quodammodo simul cum animo uertatur, loco'que dimoueatur. Quemadmodum Κατόφυσις.
enim κατόφυσις quam pronitatem aut putiditatem Latinè possis dicere, definiunt dolorem in nobis efficientem, ut nullum demittamus: sic pudorem adeò nos as-

[redacted]

uerunt



Plurima dictu mira, stupor me habet aspicientem. Porrò Socrates aut Diogenes dixisset, quam multa hic misera, inusitata, stulta, risus me capit aspicientem. Quid ais uir muliere deterior? quum debueris submouere purpuram, ac cultum, ut illa desineret delitiarum, rerumq; peregrinarum amore laborare, tu contrà exornas ædes, perinde quasi theatrum, aut scenam ingredientibus? Huiusmodi felicitatem adferunt diuitiæ, quæ sit spectatorum ac testium, aut certè nulla. At temperatum esse, philosophum esse, de dijs scire quæ scitu sunt necessaria, id semper idem est, etiamsi uniuersi nesciant mortales, sed proprium iubar magnamq; lucem habet in animo, & gaudiũ domesticum parit, ipso suo ipsius fruente bono. [illegible]

PLVTARCHI CHAERONEI, De uitiosa uerecundia, Liber.

Erasmo Roterodamo interprete.

EX HIS quæ terra producit, quædam sunt non modò suapte natura syluestria infrugiferaq;, uerumetiam mitibus frugiferisq; seminibus ac plantis suo incremento officientia: attamen hæc agricolæ iudicant argumenta soli nequa

nequaquam mali, sed pinguis ac feracis. Itidem sunt & affectiones animi, per se quidem non bonæ, sed tamen ceu germina quædam ac flores bonæ indolis, quæq; semetipsam rationi colendam commode possit exhibere. In his numero & eam quam Græci uocant dysopiam, hanc dicere possis uitiosum pudorem, aut stupidam uerecundiam, quæ signum quidem est haudquaquam malum, quum sit causa mali. Etenim qui pudescunt, frequenter eadem peccant, quæ solent impudentes, nisi quòd illi quum peccant, dolore molestiaq; afficiuntur, non autem delectantur, quemadmodum isti. Quisquis enim pudore uacat, non sentit dolorem ex turpiter factis. Contrà qui facilè pudescit, cito commouetur, non solum obiectis his quæ uere turpia sunt, uerumetiam quæ speciem habent turpitudinis. Siquidem immodicus pudor ἀυσωπία dicitur, hinc impositio nomine, quòd uultus quodammodo simul cum animo uertatur, loco'que dimoueatur. Quemadmodum enim κατήφειαν quam pronitatem aut putiditatem Latinè possis dicere, definiunt dolorem in nobis efficientem, ut nullam demittamus: sic pudorem adeò nos afficientem, ut non audeamus obtueri quos oportebat, ἀυσωπίαν appellant, uoce composita ex ὤπὸ aspectu, & δυς particula quæ difficultatis habet significationem. Vnde orator quidem ille de impudente dixit, quòd in oculis haberet non κόρας, sed κόρτας, id est, non pupillas sed scorta, uidelicet ludens ex ambiguo uocis κόρη, quæ & uirginem sonat, & oculi pupillam. At è diuerso qui facile pudescit, animum plus satis muliebrem ac mollem in uultu præ se fert, extenuans interim uitium suum, & id quo uincitur ab impudente pudorem appellans. Itaque Cato dicebat sibi magis placere adolescentes

κατήφεια.

Δυσωπίαν dicitur.

sæntes qui rubescerēt, quàm qui pallescerent: rectè consuesaciens illos docens q̄, probrum esse metuendum magis quàm reprehensionem, & suspicionem potius quàm periculum. Attamen immodicus ille metus suspicioq; probri eximenda est ex animo, eò quòd sæpenumero fit in nonnullis, ut dum non minus metuunt audire malè, quàm affici malis, deterreātur ac resiliant ab honesto, quòd non queant perpeti infamiam. Nec horum sanè fouendus est affectus, qui tam molles sunt & imbecilles, neque rursus laudandus est ille animi rigor & immobilitas. Cæterum in hoc quod quis

Intrepide fixiq; oculis contra aspicit omnes,
Lucet Anaxarchi uis improbitasq; canina.

Quin magis arte conandum est, ut ex utroque modulata quædam fiat temperatura, quæ simul & à perpetuo fixoq; obtutu tollat impudentiam, & à nimia modestia tollat imbecillitatem. Est profectò & difficilis horum curatio, nec absq; periculo fit ab exceßibus huiusmodi reuocatio. Sicut enim agricola quum euellit syluestre germen & infrugiferum, ibi ualide impacto ligone, subuertit radicem, aut admoto igni incēdit: cæterum quum uitem aggreditur putandam, aut mali arborem, aut oleastrum tractat, circunspectè manū admouet, metuens ne quid ex his quæ sana sunt resecet: Itidem philosophus, quum ex adolescētis animo eximit inuidiæ infrugiferū germen, quodq; non facilè mansuescit, aut intempestiuum pecuniæ studiū, aut quum libidinis intemperantiam execat cruentat premitq;, ac sectionem & cicatricem profundam facit. Cæterum quoties ad delicatam teneramq; animi partē sermonem adhibet auocantem à uitio, qualis est eā, quæ immodico pudore commouetur ac turbatur, cauet ne imprudēs simul

simul resecet ingenuum pudorem. Nutrices enim dum frequenter preßius extergunt sordes ab infantibus, nonnunquam & carnem unà cum sordibus abstrahunt lædunt q̄. Proinde non est committendum, ut dum modis omnibus ab adolescētibus ad uiuum usq; pudorem immodicum extundimus, incogitantes eos reddamus ac præter modum improbos. Quin potius quemadmodum ij qui demoliuntur ædes sacris ædificijs contiguas, quæ proxima sunt & cōtinētia manere sinūt ac fulciūt: ita dū immodici pudoris uitiū attinginus, cauēdū est ne simul & illa detrahamus, quæ cōtigua sunt pudori, modestiæ ac māsuetudini. Nā sub his latitat, his adhæret uitiosus pudor, palpans & assentans immodice uerecundo, uelut humano ciuiliq;, ac sensum habēti cōmunē, minimeq; rigido ac præfracto. Hanc ob causam Stoici his de rebus disserturi, protinus ipso etiam nomine distinxerunt erubescētiam ac uitiosum pudorem à uerecundia, ne si commune uocabulum reliquissent, uitio darent occasionem lædendi, uerum nobis concedant nominibus citra calumniam uti, uel potius largiantur nobis Homerico more loqui. Siquidem ille dixit:

Valde pudor mortale genus lædit'ue iuuat'ue.

Et haud malè quidem lædēdi uerbum priore loco posuit. Fit enim pudor utilis ratione, quæ & detrahit quod redundabat, & quod erat moderatum relinquit. Illud igitur in primis persuadendum est ei, qui immodico pudori obnoxius est, quòd affectu noxio teneatur. Nihil autem est noxium quod idem sit honestum, quodq; non oporteat uoluptatē capere, quoties laudibus demulcetur, dum pro graui, excelso, ac iusto prædicatur elegans & hilaris, neq; quemadmodum Euripidis Pegasus:

Pauitando cesßit insidēti plus satis Bellerophonte, ita

sese

sese præbeat quibuslibet rogantibus, atq; ad illorum humilitatem simul & semetipsum deijciat, metuens ne audiat durus & inexorabilis. Etenim Bocchoridi Aegyptio, quum esset natura sæuus, Isis, ut ferunt, immisit aspidem, quæ circũuoluta capiti superne obumbraret, uidelicet quo iustè iudicaret. At pudor immodicus mollibus & effœminatis imminens, nec ualens ad ullam petitionem renuere aut contradicere, & iudices auertit a iustitia, & in consultationè sedẽtibus obturat os, multaq; cogit tum dicere tum facere inconsultè. Cæterum qui improbißimus est, semper huius affectus dominus ac superior est, sic excutiens pudoris affectum ut nunquam pudefiat. Itaq; pudor immodicus dum nullam interpellationem potest repellere nec submouere: perinde ut ager supinus ac mollis, turpißimis tum factis tum cupiditatibus peruius est. Nam huiusmodi pudor malus custos est teneræ ætatis, quemadmodum dixit Brutus, sibi non uideri eum ætatis florem rectè collocasse, qui nihil negaret. Rursum malus est thalami & fœminei conclauis curator. Sicut apud Sophoclem loquitur illa adultero, iam facti pœnitens:

Suasu impulisti, blandiendo illecta sum.

Itaq; pudor immodicus, posteaquam intemperantiam ad turpia procliuem magis etiam non obsistendo corrupit, omnia præbet inuadẽtibus immunita, patentia, procliuia. Et in dando quidẽ perdunt ingenia sceleratißima. Obsequendi uerò facilitate, & immodico pudore, corrumpunt etiam uerecunda. Non interim cõmemoro detrimenta rerum utilium, quæ parit immodicus pudor, dum mutuum dant, quibus diffidunt: dum sponsores fiunt, pro quibus nolunt: dum laudant quidem illud, sponde, sed præsto est noxa, cæterum eo in rebus gerendis uti non possunt.

Quàm

Quàm multos autem hic morbus sustulerit, nemo facilè recensuerit. Siquidẽ Creon dum sic Medeam alloquitur:

Mulier satius est hostis ut fiam tibi:

Quàm si obsequar nunc, gemere dira in posterum:

alijs quid esset agendum præscripsit: at ipse stulto pudore uictus dum unum diem poscenti dat, subuertit domum. Nonnulli uerò etiam quum cædes & uenena suspicarentur parari, tamen ob pudorem uitiosum subuersi sunt. Hunc in modum perijt Dion, non quòd ignoraret sibi à Calippo strui insidias, sed quia puduit obseruare amicum & hospitem. Sic Antipater Casandri filius, uocato ad cœnam Demetrio: deinde postero die quum uicißim esset uocatus ab ipso, puduit recusare, ne uideretur ei diffidere qui ipsi fisus fuisset. Quum esset igitur, super cœnam interfectus est. Cæterum Polyperchon pactus talenta centũ, receperat Casandro sese perempturum Herculem Alexandri ex Barsine nothum, deinde ad cœnam uocabat. Porrò quum adolescens suspectam quidem haberet eam uocationem, metueretq; sibi, cæterum excusaret incommodam ualetudinem, Polyperchon ueniens ad illum, prior ita loquutus est: O puer imitare morum paternorum facilitatem humanitatemq;, nisi profecto metuis nos, quasi tibi struamus insidias. Adolescentulus autem pudefactus, sequutus est, illi uerò peracta cœna eum iugularunt. Non est igitur ridicula, quod aiunt quidam, nec illiberalis, sed prudens illa Hesiodi sententia:

Ad cœnam uoca amicum, ne accersiueris hostem.

Ne sis immodicè pudens erga osorem, neque submoueris eum qui uidetur fidere. Etenim si uocaris uicißim uocaberis, & cœna accipies, si fueris acceptus, tinctura, ut ita loquar, custode diffidentiæ, pudore mollita abiecta. Co-

A a nandum

nandum est igitur, ut hic morbus multorum causa malorum propellatur, primũ per exercitationem fãcto initio, more eorum, qui alijs in rebus quippiam meditantur, à pusillis, & ubi non difficile sit contrà oculos tollere, ueluti si quis tibi propinet in cœna, quum satis biberis, ne te moueat pudor inutilis, neque tibi ipsi uim facias, sed deponito poculum. Rursum aliquis prouocat ad talos inter pocula, ne pudeseas, neque metuas si petaris dicterio, sed imitare Xenophontem Lagi, quem quum Hermoneus meticulosum uocaret, quòd nollet cum ipso talis ludere, confessus est, se non modò timidum, sed uehementer etiam timidum & meticulosum esse aduersus inhonesta. Rursus incidisti in hominem ineptè loquacem, qui te apprehendit, & inhærens complexu retinet, ne sis hic immodicè pudens, sed interruptum sermonem urge & absolue. Nam huiusmodi recusationes ac discussiones, quoniam in minoribus malis præparant exercentq; ad excutiendum inutilem pudorem, consuefaciunt nos ad maiora. Atq; hoc sanè loco non alienum fuerit commemorare quod dixit Demosthenes. Etenim quum Athenienses gestirent Harpalo ferre auxilia, iamq; aduersus Alexandrum armarentur, derepente apparuit Philoxenus, quem Alexãder maritimis negocijs ducẽ præfecerat. Quum uerò populus attonitus metu cõsilescceret, quid faciãt, inquit Demosthenes, si solem uideant qui nõ possint obtueri lucernam? Quid enim ficturus es in arduis negocijs, si rex interueniat, aut populus pudore obticescat, quũ familiari propinanti poculumq; porrigẽti, nõ possis recusare, neq; garrulum apprehendentem effugere, sed homini nugaci præbeas teipsum quoad illi lubet immorari, non habens tantum roboris ut dicas, uidebo te posthac, nunc non est

ocium?

ocium? Iam uerò aduersus laudes adulantium, non inutilis fuerit in rebus leuioribus meditatio exercitatioque ad expellendum uitiosum pudorem: Quod genus sit, in amici cõuiuio citharœdus inscitè canit, aut comœdus magno emptus inscita actione perdit Menandrum, plerisq; plaudentibus & admirantibus. Non fuerit opinor molestum aut difficile cum silentio audire, nec illiberaliter laudare, supraquam tibi uideatur. Quòd si in his tibi non temperas, quid facies amico recitante malum carmen, aut scriptam orationem ostendente? Nimirum illiberaliter ridiculeq; laudabis, simulq; cum cæteris adulantibus applaudens augebis tumultum. Quomodo igitur reprehendes in negocio serio delinquentem? Quomodo in gerendo principatu, aut in nuptijs, aut in administrãda republica non rectè se gerentem admonebis? Nam ego quidem nec Periclis illud probarim, quod respondit cuidam amico postulanti, ut pro se ferret falsum testimonium cui coniunctum erat iusiurandã: usq; ad aram, inquiens, amicus sum. Nimis enim propè iam accessit. Cæterũ qui è longinquo sese consuescerit, ut neq; dicentem laudet præter animi sentẽtiã, neq; canẽti applaudat, neq; scõmatis parũ dextre ludẽti arrideat, nõ cõmittet ut eousq; progrediatur aliquis, ut uel dicere audeat homini in huiusmodi negocijs nõ plus satis uerecũdo: Iura pro me, dic falsum testimoniũ, aut pronũcia præter iustũ. Itidẽ oportet & pecuniã mutuam flagitãtibus obsistere, cõsuetudine multò antè parata in rebus neq; magni momẽti, neq; recusatu difficilibus. Archelaus Macedonum rex quum ab ipso poculum aureum postularet quidã inter cœnam, qui nihil ducebat honestum præterquam accipere, iussit ministro ut id Euripidi daret. Et hominẽ illum intuitus: Tu quidem, inquit, di-

gnus es qui poscas, nec accipias : hic uerò dignus est qui etiam non postulans accipiat: pulchre declarans, non ex pudoris arbitrio, sed ex iudicij delectu donationem ac largitionem esse faciendam. Nos uerò sæpenumero modestis hominibus ac familiaribus quum egent contemptis, aliis instanter improbéq; flagitantibus damus, non quòd dare nelimus, sed quòd negare non ualeamus. Quemadmodum Antigonus senior, quum frequenter Biantem molestè flagitantem tulisset: Date, inquit, Bianti talentum uel ui. Tametsi is regum omnium maximè erat exercitatus & instructus dictis ad huiusmodi postulationes excutiendas. Etenim quum aliquando Cynicus quidam petisset ab ipso drachmam, non est, inquit, regum dare drachmam: & quum ille subiecisset, ergo da mihi talẽtum, respondit, atqui non est Cynici accipere.

Diogenes quidem obambulans in Ceramico, petebat à statuis. Id factum admirantibus respondit, se in hoc exerceri ut assuesceret frustrari postulatis. Nobis autem primum exercitatio sumenda est in rebus uulgaribus, ac meditandum in paruis negare ijs qui flagitant, præter meritum accepturi, ne desit quod respondeamus maiora recusaturi. Siquidem nullus, ut inquit Demosthenes, qui quod habebat insumpsit in quæ non oportebat, quæ non possidet si contingant, utetur in quæ oportet. Quoties autem deficimus circa honesta, redundantes in supernacaneis, oritur multiplex turpitudo. Ad hæc uitiosus pudor, non modò malus & imprudens dispensator est pecuniarum, uerumetiam maioribus in rebus nõ admittit utiliter consulentẽ rationem. Etenim ægrotantes non accersimus medicum peritũ, ueriti familiarẽ offendere, ac liberis præceptores eligimus eos potius qui nos huc ambitu suo

suo prouocãt, quàm idoneos. Quin & in litibus frequenter non patimur eum patronum dicere, qui causæ utilis est & rei forensis peritus, sed amici cuiuspiam aut cognati filio gratificantes, tradimus apud populum agendam causam. Postremo permultos cernere est ex eorũ numero qui philosophiæ uacare dicuntur, quum sint Epicurei ac Stoici, non delectu, neq; iudicio uersantes cum amicis ac familiaribus, uerum ultro se præbẽtes illis impudenter aliquid postulantibus. Age igitur & ad hæc multò antè in rebus uulgaribus ac pusillis nosmetipsos exerceamus, assuescentes, neq; tonsore, neq; pictore per immodicum pudorem uti, neq; in sordido diuersorio manere, si copia sit melioris, eò quòd caupo frequẽter salutarit nos, sed in cõsuetudinem ducamus, etiam in minimis eligere quod melius est. Sicut Pythagorici semper cauebant, ne quando dextro femori læuum imponerent, neque parem numerum pro impari sumerent, quoties in cæteris esset æqualitas. Quin & illud ducendum in consuetudinẽ, ne quum rem diuinam facimus, aut nuptias celebramus, aut aliud huiusmodi conuiuium apparamus, uocemus salutantem aut ultro accurrentem potius, quàm beneuolum & humanum. Etenim qui ad hunc modum sese consuefecerit exercuerit'que, haud facilè capietur, quin potius tutus erit in negocijs grauioribus. Ac de exercitatione quidem hæc sufficiunt. Cæterum rationum ad hæc conducibilium illa prima est, quæ nos docet & cõmonefacit, quòd omnes affectus ac morbos ea sequũtur, quæ per illos uidemur nobis effugere: uelut ignominia, gloriæ studium: dolores, uoluptatum amorẽ: labores, mollitiem: & ambitionem uincendi, sequitur uinci & condemnari. Cæterum illud palàm accidit immodico pudori, ut dum famam uitat igno-

miniæ, in ignem sese coniciat. Etenim quos pudet eis contradicere qui improbè molesti sunt, petendo quod æquum non est, postea pudefiunt ab illis qui meritò uocant in ius, dumq; metuunt leuem reprehensionem, frequenter confitentem pudorem sustinent. Nam amico petenti pecuniam, dum præ pudore non audet contradicere, paulò pòst indecore pudescunt redarguti, & aliquibus auxilium polliciti, litigare coguntur. Deinde subuersis amicis latitant ac fugitant. Quin permultos uitiosus pudor, posteaquam eos inutili promisso de nuptijs, aut de filia sorore ue constrinxit, rursus in diuersum mutata sententia mentiri cogit. Etenim qui dixit omnes Asiæ nos uni seruire homini, eò quòd non possent unam sonare syllabam, non, haud serio dixit, sed facetia lusit. Cæterum qui pudore tenentur uitioso, etiamsi nihil omnino dixerint, tantum adductis supercilijs, aut in terrã demisso uultu, licet multa inconsulta & absurda obsequia effugere. Nam silentium, Euripides ait, sapientibus responsi loco esse. Et fortasis aduersus improbos magis opus erit silentio, quandoquidem humanioribus licet nos excusare. Quin & multa crebraq; uirorum illustrium ac bonorum responsa conueniet in promptu habere, ac meminisse aduersus eos qui nostro pudori uim faciunt, quod genus est illud Phocionis ad Antipatrum: Non potes me simul et amico uti et adulatore. Rursũ quod respõdit Athenienſibus, flagitantibus ab eo ut aliquid adderet in festũ, simulq; applaudentibus: Pudet, inquit, uobis addere, & huic non reddere, Calliclem ostendens ipsius fœneratorem. Non enim turpe est fateri paupertatem, ut ait Thucydides, sed re ipsa non effugere turpius est. Atqui ob imbecillitatem mollitiemq; animi, non audet ob pudorem ineptum

eptum respondere petenti:

Non est in antro argentum amice candidum:

mox ueluti proiecto arrabone:

Compedibus obstrictus tenetur, non faber

Quas cudit ære, sed pudor quas addidit.

Persæus autem quum noto cuidam mutuam daret pecuniam, apud fòrum ac mensam fecit cautionem, memor uidelicet illius Hesiodij dicti:

Et fratri testem ridens adhibere memento.

Verum quum ille admirans dixisset: Adeo'ne Persæe legaliter? scilicet, inquit, ut amanter recipiam, nec legaliter reposcam. Multi siquidem ob immodicum pudorem initio non cauentes ne fallantur, pòst cum amicitiæ detrimento coguntur legibus experiri. Contra Plato quum Heliconi Cyziceno daret ad Dionysium literas, commendauit illum ut humanum ac modestum. Deinde in calce literarum asscripsit: Hæc autem tibi scribo de homine, animante natura mutabili. Xenocrates tametsi moribus alioqui esset austeris, tamen pudore uictus, literis commendauit Polyperchontem, hominem minimè probum, ut res indicauit. Hunc ubi complexus esset Macedo, rogaretq; num qua re opus haberet, popoſcit talentum. Atque ille quidem dedit, cæterum Xenocratem per literas admonuit, ut posthac diligentius circumspiceret, quos commendaret. At Xenocrates ignorabat, quem commendabat. Nos uerò quos comperimus, idq; frequenter improbos, in hos non modò literas commendatitias profundimus, uerumetiam pecunias, ipsi nobis noxã accersentes, haudquaquam cum uoluptate, quemadmodum ij qui meretricibus & assentatoribus sua largiuntur, sed molestè grauiterq; ferentes postulantiũ impudentiã, quæ nobis iudiciũ

subuertit opprimitq;. Porrò sicubi aliàs, certè aduersus eos qui nos pudore grauant, dicere licet illud:

Intelligo quæ sim patraturus mala,

si falsum præbuero testimonium, aut si præter æquum iudicauero, aut si suffragium tulero negocio inutili, aut si mutuum dedero, non reddituro. Quapropter habet hoc peculiare pudor uitiosus, quòd quum cæteras cupiditates sequatur pœnitentia, hic non sequitur, sed protinus in ipsis factis adest. Nam & quum damus, discruciamur: & testimonium ferentes, pudescimus: & auxiliantes, infamiam contrahimus: & non obsequentes, redarguimur. Quoniam enim imbecilliores sumus, quàm ut possimus postulantibus recusare, etiam illa pollicemur ijs qui nos urgent, quæ præstare nequaquam possumus, ueluti commendationes in principum aulas, & intercessiones apud præsides, dum nec uolumus, nec audemus dicere: Non nouit nos rex, sed alios potius respicit. Hoc pacto Lysander, quum offendisset Agesilaum, gloriæ tamen causa cupiens uideri plurimum apud illum posse, non erubuit excusare adeuntibus, iubens illos ad alios ire, & illos tentare, qui plus ipso ualerent apud regem. Nec enim turpe est, non omnia posse: cæterum quum non possis, aut idoneus sis ad talia negocia suscipienda, ad hæc recipienda pudore protrudi, præterquam quòd turpe est, summam etiam adfert molestiam. Cæterum aliunde proficisci debet, ut in his quæ uirium nostrarum sunt & honesta, libenter obsequamur ijs qui nostrum requirunt officium, non coacti pudore, sed uolentes. In noxijs uerò & inhonestis, conuenit illud Zenonis semper habere in promptu, qui quum incidisset in adolescentem quendã ipsi familiarem, iuxta mœnia furtim ambulantem, audissetq; quòd fugeret amicum

amicum, à quo postulabatur ad ferendum falsum testimonium: Quid ais, inquit, ignaue? ille ausus est te malo iniuriaq; afficere, nec erubescit, & tu illi pro iustitia non audes obsistere? Proinde qui dixit:

Improbos aduersus homines armat improbitas probè:

malè docet sic ulcisci maliciam, ut illam imitemur. Cæterum quisquis improbitatem illorum, qui impudenter ac fronte perfricta obstrepunt, pari impudentia retundit, nec turpia concedit, uerens facere inuerecunda, rectè iureq; facit, id quod faciunt quicunque sapiunt. Iam uerò obscuris & humilibus, nulliusq; precij hominibus quum obturbant, non magni negocij fuerit obsistere, uerum tales cum risu quoq; & salibus nonnulli submouēt. Quemadmodum Theocritus, quum in balneo duo strigilem commodato peterent, quorum alter erat peregrinus, alter notus fur: Te, inquit, non noui, te noui. Itaque ioco repulit ambos. Lysimache uerò apud Athenienses Mineruæ, quæ Polias dicitur, sacerdos, mulionibus sacra adducentibus iubentibusq; ut infunderet: Non faciam, inquit, ne hoc quoq; fiat patrium, & in consuetudinem ueniat. Item Antigonus ad adolescentem quempiam, qui prognatus quidem ex elegante uiro belli duce, sed ipse ignauus ac mollis, postulabat tamē ob id cæteris anteferri: Apud me, inquit, ô adolescens, uirorum, non parentum uirtutibus præmia sunt. Attamen si qui nos grauat pudore, nobilis sit ac potens, quod hominum genus difficillime recipit excusationem, nec patiens est repulsæ, præsertim quoties in iudicijs ac suffragijs interpellant: quod Cato iuuenis etiamnum fecit erga Catulum, fortassis alicui nec facile uidebitur, nec necessarium. Siquidem Catulo summa erat apud Romanos autoritas, ac tum censurã gerebat. Adijt

autem Catonem tum ærarij quæstorem, deprecaturus pro quodam, cui Cato mulctam dixerat, eoq; supplicè se præbuit, quo precibus cum uinceret cogeretq;, nec finem fecit donec Cato non ferens deprecatoris improbitatem: Turpe fuerit, inquit, Catule, te censorem, quum hinc uelis discedere, à ministris meis abstrahi. Moxq; Catulus erubescens simul & iratus discessit.

Quin illud potius considera, quod fecit Agesilaus, quodq; Themistocles humanius simul ac modestius. Nam Agesilaus patri iubenti, ut in causa quadam præter leges pronunciaret: imò, inquit, abs te pater à puero didici parêre legibus. Quamobrem nunc quoque tibi obtempero cauens ne quid faciam præter legem. Themistocles autem Simonidi petenti quiddam iniustum: nec tu, inquit, bonus poëta fueris, si præter numerum canas: nec ego bonus princeps, si præter leges iudicem. Quanquam autem non ob pedem lyræ modulis parum respondêtem, quemadmodum dixit Plato, & ciuitates cum ciuitatibus, & amici cum amicis dissentientes, leuissima tum faciunt, tum patiuntur, sed ob id potius, quòd in his quæ sunt legum ac iustitiæ, peccent: attamen sunt qui quum in modulis ac literis metrisq; ad unguem obseruent quod artis est, ab alijs tamen postulant, ut in obeundo magistratu, ut in iudicijs ac negocijs negligant honestum. Proinde quod dicã maximè seruandum est erga tales. Interpellat te rhetor in iudicio sedentem, aut concionator in consilio uersantem, promittito, si ille solœcismum committat in dicendo procœmio, aut barbarismum faciat in narratione. Non enim id uolet, propterea quòd turpe nõ tam sit quàm uideatur. Adeò ut nõnullos uideamus in dicendo ne uocalis quidem cum uocali concursum ferre. Rursus ubi molestus est no

est nobilis quispiam & in precio habitus, iubeto ut saltans forum, aut distorto uultu transeat. Quod si recusẽt, tum tibi loqui tempestiuum erit, ac percontari, utrum sit turpius, solœcismum admittere, aut distorquere uultum, an uiolare legem, transgredi iusiurandum, ac præter ius & æquum malo bonum postlhabere. Ad hæc quemadmodum Nicostratus Argiuus, quum ab Archidamo solicitaretur ingenti promissa pecunia, tum coniugio cuiuscunq; uellet Lacænæ, ut Cronnum traderet, respondit, Archidamum non ducere genus ab Hercule, quòd ille obambulans solitus esset improbos afficere supplicio, ipse autem ex bonis faceret improbos: Itidem & nobis ad hominem qui postulet honestus ac probus haberi, dicendum est, si molestus sit, & pudorem nostrum urgeat, quòd nec ipsi decora faciat, nec ipsius uel claritate uel uirtute digna. Cæterum in uulgaribus illud uidendum ac dispiciendum, an auarum huc pudore possis adigere, ut absq; cautione credat talentum: an honoris auido persuadere ualeas, ut locum honoratiorem alteri cedat: an ei qui gaudet gerere magistratum, quum iam imminet gloriæ, ut temperet ab imperando. Profecto meritò uideatur absurdum, si quum illi in cupiditatibus suis ac uitiosis affectibus inflexibiles, rigidiq; & immobiles perseuerẽt, nos qui non solum esse uolumus, uerũ etiã esse nos profitemur, studiosos honesti, & amantes æqui, nõ temperemus nobis, sed subuertamus abijciamusq; uirtutẽ. Etenim si qui nobis molesti sunt, gloriæ potentiæue causa id faciũt, absurdũ est eos qui aliorũ mores cõponunt & educãt, seipsos dehonestare, ac sibi si nistrũ cõflare rumorẽ: quẽadmodũ malè audiũt, qui in certaminibus perperã addicũt præmia, quiue in comitijs suffragia ferũt ad gratiã, officio parũ honesto alijs parantes

pala

palatia, coronas & gloriam, sibiipsis bonam opinionem & honestum detrahunt. Quòd si, qui nostrum pudorem urget, pecuniæ causa molestus est, quî fit ut non protinus succurrat, absurdum esse, propriæ opinionis ac uirtutis iacturam facere, ut huius aut illius erumena reddatur onustior? Verum ista quidem succurrunt permultis, nec ignorant sese à recto deflectere, non aliter quàm solent ij, qui quum coguntur ingentes epotare calices, ægrè ac suspirantes, uultumq; distorquentes perficiunt, quod imperatum est. Sed uidetur animi imbecillitas, ob corporis temperaturam, & aduersus calorem malè composita, & aduersus frigoris rigorem. Nam & quum laudantur ab improbis, gestiunt, ac dilatant, & erga querimonias ac suspiciones eorum quibus negarunt obsequium, meticulosi sunt ac probri plus satis metuentes. Sed oportet aduersus utrunq; muniri, ut nec territantibus, nec assentantibus cedamus. Thucydides igitur existimans inuidiam necessariò comitem esse potentiæ, dicit illum recto consilio duci, qui in maximis rebus eligit quod inuidiæ est obnoxium. Nos uerò existimantes perdifficile esse inuidiam effugere, in querimonias autem non incurrere, aut efficere ne quid accedat molestiæ ab ijs, quibus cum habemus consuetudinem, uidentes prorsus impossibile, rectè nobis consuluerimus, si simultates improborum suscipere malimus quàm iure meritoq; criminantium, illis præter bonum & æquum obsequentes. Ac laudes quidem ab improbis proficiscentes, quum sint fucatæ & insynceræ, modis omnibus cauendæ sunt, nec oportet ab his sic affici, quêadmodum afficiuntur sues, dum fricantur ac titillantur, ut nos ipsos facillimè præbeamus utendos cuius uolenti, deijcientes nos & ad scalpturam accommodantes. Etenim qui præbent

præbent aures palponibus, nihil differũt ab his, qui crura præbent supplantantibus, nisi quòd turpius subuertuntur caduntq;, tum ij qui pœnas remittunt hominibus improbis, quo uidelicet misericordes, humani, faciles q; uocẽtur: tum illi qui contra simultates & accusationes haudquaquam necessarias, nec periculo uacantes suscipiunt, persuasi ab his qui ipsos laudant, tanquam soli sint uiri, soli aduersus adulationem inuicti, deniq; ora & uoces eos appellãt. Itaq; Bion tales simules esse dicebat amphoris, quòd auribus facilè circunferrentur. Quemadmodum narrant Alexinũ sophistam interẽ ambulãdum multa mala dixisse in Stilponẽ Megarensem: quũ autẽ quispiã ex ijs qui aderãt dixisset: Atqui ille te nuper laudauit: Per Iouẽ, inq;, uir enim optimus est, ac præstantissimus. Contrà Menedemus quũ audisset, quòd frequẽter ab Alexino laudaretur: At ego, inquit, semper uitupero Alexinum. Itaq; uir malus est & is qui malum laudat, & is qui à bono uituperatur. Vsqueadeo à talibus nec flecti poterat nec capi, seruans præceptum illud, quod Antisthenæus Hercules præcepit filijs, ne quam haberent gratiam ijs à quibus laudarentur. Hoc autem nihil aliud erat, quam non uinci stulto pudore, nec mutuò adulari laudantibus. Sufficit autem opinor illud Pindari, cui quũ quidã dixisset, quòd ipsum ubiq; & apud omnes prædicaret: Et ego, inquit, refero tibi gratiã, efficiens ut uera prædices. Igitur quod aduersus omnes affectus conducit, huius oportet eos qui facilè uincuntur inutili pudore, quoties morbo superati præter animi sententiã peccant ac subuertuntur, firmiter meminisse, notasq; morsus ac pœnitentiæ defixas in animo, reuocare seruareq; in longissimũ tempus. Sicut enim uiatores posteaquam semel in lapidem impegerunt, aut nautæ postea-

quam

quam ad scopulum fregerunt nauem, si meminerint, perpetuò metuunt cauentq; non illa tantum, uerum etiã alias illis similia: Ita qui turpitudinem damnáq; ex uitioso pudore acceptã, assidue ingerunt animo, pœnitẽtia morsuq; uulnerato, in similibus posthea reuocabunt seipsos, nec facilè patientur sese à recto cursu deduci. FINIS.



quosdam

PLVTARCHI CHAERONEI
De cohibenda iracundia, dialogus Sylle & Fundani.

Erasmo Roterodamo interprete.

RECTE mihi facere uidentur, Fundane, pictores, qui priusquã absoluant opera sua, ex interuallo temporis solent ea contemplari, propterea quòd dum ea seponũt, nec in oculis habent, frequenter iudicando, faciunt ut nouum sit iudicium, quo tenue discrimẽ magis attingitur, id quod cælat assiduitas & assuetudo. Quoniã autẽ fieri non potest, ut homo à seipso seiunctus, ac interrupto sensu assiduitatis rursus ex interuallo semet adeat, imò ea res uel maximè faceret unumquẽq; deteriorem suijpsius iudicẽ quàm aliorum, proximum fuerit, ut amicos quisq; suos ex interuallo contempletur, pariterq; seipsum illis contemplandum exhibeat, non an breui consenuerit, & utrum corpus melius an deterius habeat: sed mores potius ac uitam oportet inspicere, an his aliquid boni tẽpus addiderit, aut aliquid mali detraxerit. Ego igitur quũ hic alter sit annus quòd Romam aduenì, deinde hic mẽsis quintus, quòd tecum ago consuetudinem, nõ arbitror admodum esse mirãdum, quòd ob ingenij tui dexteritatem ad ea bona, quæ prius aderãt, tantum incrementũ, tantáq; facta est accessio. Cæterum ubi uideo tantum illam ingenij uehementiam, & igneum, ut ita dixerim, ad iram impetum, rationis magisterio uersum in tantum morum placabilitatem ac mãsuetudinem, subit illud meo cum animo loqui: O` diui quanto Iliados χ. est iam mollior. Ita Græci quidem de Hectore iam exanimi. Cæterum hæc mollitudo non adfert segnitiem aut

dissolutionem, sed non aliter quàm terra cultu subacta, lenitatem accipit ac profunditatem conducibilem ad fertilitatem: ita animus, pro impetu illo ac uehementia, lenitatem accipit à prudentia. Vnde liquet & illud, iracundiam ac ferociam, non per ætatem simul cum deficiente corporis uigore, neque suapte sponte uelut emarcescere, sed honestis quibusdam ac placidis rationibus sanari. Quanquã sanè, nam uerum apud te non tacebitur, Eros amicus, qui hæc nobis renunciabat, suspectus erat, quasi ob beneuolentiã ea testificaretur de probis ac bonis amicis, non quæ adessent, sed quæ deceret adesse, etiamsi, quod tu nosti, nõ solet facilè huc adduci, ut in cuiusquam gratiam cõcedat de sententia. Verum & ille nunc à falsi testimonij crimine liberetur, & tu, quando præbet ociũ ipsa profectio, enarra nobis, ueluti curationẽ tuipsius, ac medicinam quampiã, qua usus, animum iracundã reddideris adeò tractabilem, simplicem, ac rationi audientem, obtemperantemq;.

Fundanus. Ita'ne non consideras, amicissime Sylla, ne & ipse ob amicitiam ac beneuolentiam qua nos prosequeris, hallucineris alicubi in iudicandis nostris. Siquidem Eroti, quum frequenter ne ipse quidem stabilem habeat animum, & in Homerica persuasione permanentem, sed exacerbationem odio uitiorum, uerisimile est nos illi uideri mansuetiores, quemadmodũ in picturis figurarũ mathematicarũ transmutandis, netæ quædã, quæ sonum reddunt acutissimum, collatæ ad alias netas, ordinem accipiũt hypatarum, quæ sonant grauissimè. Neutrum horum accidit, ô Fundane, sed age fac quod dico, nobisq; gratificare.

Sylla Atqui in his quæ multa pulchre dicta à Musonio

Fundanus, meminimus, est & illud ô Sylla, his qui uelint esse salui, semper curandã uitã. Nec enim opinor cõuenire, ut quẽadmodum

admodum elleborus in curationem adhibitus, simul cum morbo eijcitur, itidem eijciatur & ratio, quam oportet in animo manentem, continere seruareq; iudicium. Neque enim pharmacis assimilis est rationis uis, sed cibis salubribus, placidè habitum bonum gignens, in his quibus facta fuerit familiaris. Cæterum admonitiones & obiurgationes adhibitæ malo uigenti tumentiq;, paulatim quidem ac uix perficiunt quod agunt, nihil autẽ differunt à pastillis odoriferis, qui morbo comitiali obnoxios erigũt quidẽ collapsos, non liberant tamen à morbo. Ac cætera quidem mala, etiam tum quum uiget morbi uis, uteunque cedunt & admittũt orationẽ opiferam, aliunde uenientem in animum, uerum ira, nõ quemadmodum ait Melãthios,

Acerba patrat, mentem ab ædibus suis
Alias in ædes transferens,

sed expellens ex ædibus, deniq; & excludens, non aliter quàm isti qui sese unà cum ipsis ædibus incendunt, ita tumultu, fumo, caligine cuncta intus replet ira, ut nec uidere possis, nec audire eos qui cupiunt subuenire. Quapropter nauis in mari tempestate periclitãs sine nauclero, citius aliunde recipiat gubernatorẽ, quàm orationẽ alienã admissurus sit homo, quum impetu & ira ceu fluctibus iactatur, nisi paratã habeat domi rationẽ. Sed quẽadmodum qui expectãt obsidionem, cõtrahunt & in promptu collocãt quibus est opus, nihil spei collocantes in his quæ sunt extra ciuitatẽ: ita maximè nos oportet aduersus iracundiã auxilia, è longinquo petita, nimirũ è philosophia, cõportare in animũ, ne quum tempus aduenerit eorũ usum postulans, non facilè possint aliunde inuehi. Neque enim tum audit animus eos qui foris sunt, ob tumultum, nisi intus habeat ducem, ipsius uerba celeriter accipientem &

intelligentem, quid in quaq; re præcipitur. Cæterum ira ubi audierit, ea quidē quæ sensim ac placidè dicuntur, negligit: rursus aduersus eos qui acerbius instant, irritatur. Etenim quum ira superba sit ac præfracta, quæq; omnino difficilè moueri patitur ab alio, non aliter quàm undique satellitio cōmunita tyrannis, ex sese habeat oportet domesticum aliquid ac familiare, quod ipsam dissoluat. Itaq; irascendi assiduitas, ac frequenter in iram impingere, habitum peruersum gignit in animo, quem appellant iracūdiam, huc tandē deducēs hominem, ut facilè cōmoueatur, utq; sit amarulentus ac morosus. Posteaquam animus reditus est ulcerosus, ac leues ob causas ægrescēs, ac de quibuslibet mouens querimonias, nō aliter quàm ferrum tenue & inualidum, nō fert denuo sculpentis manum. Cæterum ratio iudex, quæ protinus instat ac premit iracundiam, nō solū præsenti medetur malo, uerum etiam in reliquum tempus firmum reddit animū, ut non facilè morbo tentetur. Mihi quidem igitur posteaquam semel atq; iterum iræ restitissem, accidit id quod Thebanis, qui quum primū repulissent Lacedæmonios, tum ut uidebantur inuincibiles, postea nullo in prælio ab ijsdem superati sunt. Iam enim intelligebam, ratione prudētiaq; uictoriam esse parandam. Videbam autem, nō solum frigore offuso desinere iram, quemadmodū dixit Aristoteles, uerumetiā metu admoto extingui. Quinetiam, per Iouem, subito oborto gaudio, iuxta Homerū: Multis effloruit, atq; exporrectus est animus ira turbatus. Itaq; mihi persuasum est, non omnino malum esse immedicabile, si qui modò uelint. Neque enim ira semper ex magnis ac ualidis initijs oritur, sed uel dicterium, uel iocus, uel ridere quempiam, uel inuuere, aliaq; huius generis multa, cōplures ad irā cōcitant.

Velut

Velut Helena fratris filiam alloquens:

Electra uirgo longa temporis mora
Me fari adegit. Et cætera quæ inibi sequuntur: uicißim audit à uirgine: In Eurip. Oreste.

Nunc quidem sero sapis,
Quæ tum penates turpiter reliqueris.

Itidem Alexandrū offendit Clisthenes, qui quū in conuiuio circumferretur ingens patera, nolo, inquit, Alexander bibendo cōmittere, ut mihi Aesculapio sit opus. Quēadmodum flammam pilis leporum, aut stuppis paleisq; succensam, facile est cohibere, quòd si corripuerit solida, ac spißitudinē habentia, mox corrumpit ac simul perdit,

Sursum inualescens, opera fabrorum ardua,

Vt dixit Aesculus: Ita qui statim initio animaduertit, & animum uidet paulatim ex leuibus dictis, ac stuppea scurrilitate fumum & incendium colligere, non opus habet magno negocio, sed frequenter ipso silentio ac negligēdo restinguit. Nam ut incendium qui non addit materiā extinguit, sic & iram quisquis non aluit nascentem, nec eam flatu concitauit, seipsum seruauit ac subtraxit incendio. Proinde quanquam alioqui multa dicens ac præcipiens utilia Hieronymus, mihi tamen non satisfecit in hoc quod dicit, ob celeritatem in nobis non esse sensum iræ nascentis, sed natæ duntaxat, ac præsentis. Neq; enim ullum est uitium, quod dum colligitur ac concitatur, habeat æquè manifestam originem & incrementum, quemadmodum eruditè nos docet Homerus, dum Achillem quidem mox è uestigio facit animo diseruciari, dicto prouocatum. Sic enim ait:

Sic ille, hunc nubes contexit nigra doloris.

Agamemnonem uerò, quanquā multis uerbis prouocetur,

tamen inducit lentum ad irascendum. Ea si quis statim initio subtraxisset illis, ac progredi uetuisset, non eousq; increuisset discordia. Proinde Socrates quoties sensit sese acerbius cõmoueri aduersus amicorũ quempiam, uelut imminente fluctu, maritimã antennam dirigẽs præbebat sese dictis, ac uultu arridebat, faciemq; placidiorẽ ostendebat. Itaq; alteram in partẽ deflectendo, atq; in diuersum nitẽdo, quàm quò uocabat affectus animi, seruabat seipsum incõcussum & inuictum. Est enim quoddam, ò amice, iræ, ceu tyranni, dissoluendæ initium, si non obtemperes, nec auscultes illi imperanti, ut acriter uocifereris, ut truci sis aspectu, ut cædas teipsum, sed si quieseas, nec irã ceu morbum uentilatione & clamore reddas uehementiorẽ. Nam ea quæ facere solent amantes, dum adlasciuiunt, dum occinunt, dum coronant fores amicæ, habent utcunq; alleuiationem non ingratam, nec inelegantem:

Adueniens autem non clamore effero, cuius,
Aut quis, sed fixi dilectæ basia amicæ,
Hæc iniuria si est, fateor, sum iniurius.

Præterea quæ permittuntur lugentibus, complorare aclamentari, bonam doloris partẽ unà cum lacrymis educunt. Contrà ira uehementius incitatur his quæ faciunt ac dicunt qui ea sunt occupati. Proinde quiescere optimũ est, aut effugere, aut occultari, sesecq; ad silentiũ uelut in portum recipere, quemadmodũ solent qui senserunt epilepsiã oborientẽ, ne concidamus, aut potius ne in quenquam irruamus. Nam in amicos & potissimum & frequentissime irruimus. Nec enim amamus omnes, nec omnibus inuidemus, nec omnes metuimus. Cæterum nihil est quod nõ inuadat & in quod non faciat impetum ira, sed irascimur tum inimicis & amicis, tum liberis ac parentibus, ac per Iouem

Iouem etiam dijs, deniq; bestijs ac uasis animã carẽtibus, quemadmodum fecit Thamyris,

Cornuq; rumpens, auro id obuinctum licet,
Modulosq; rumpens fidibus intensæ lyræ.

Ac Pindarus seipsum deuouens, nisi arcus manibus laceratos in ignem conijceret. Xerxes uerò etiam ipsi mari notas ac plagas incussit, ac monti misit epistolas. Atho infelix, ad cœlum usq; porrecte, ne meis operibus facias tuos lapides magnos & ad elaborandum difficiles. Alioqui excisum te proijciã in mare. Multa enim sunt horrenda, quæ designat ira, multa rursus ridicula. Quapropter nullus est animi morbus, qui magis uel habeatur odio, uel contemnatur magis. Profuerit autem utrunq; cõsiderasse. Ego igitur, nescio quidem an rectè fecerim, attamen quum hinc medendi fecissem initium, quemadmodum Lacones solent in Ilotibus (sic enim illi uocant homines mediæ conditionis, inter seruos & ingenuos) ostendere, quàm fœda res esset ebrietas, ita in alijs didici qualis esset ira. Ac primum quidẽ, sicut Hippocrates ait, eum morbum esse grauissimum, qui faciem ægrotantis quammaxime mutet in diuersum, ita conspiciens alios ob iram maximè sibi excidere, ac uultum immutantes, colorem, incessum, uocem, in diuersum uertere, hinc uelut imaginem eius mali mihi fingebam admodum dolens, si quando tam formidabilis & commotus uiderer amicis, uxori, ac liberis, non tantum aspectu truci, & ad cõsuetudinem inamœno, uerumetiam uocem emittens immitem & asperam, quemadmodum in alios familiares incideram, qui neque mores, neque formam, neque sermonis gratiam, nec affabilitatem & comitatem in colloquio, præ ira seruare possent. Itaq; Caio Graccho, qui fuit orator, & moribus

acerbis, & in dicendo uehementior, fistula erat modulata, qua cantores uocem paulatim uel intendunt, uel remittunt, tonos adid aptos occinentes. Hanc seruus tenens dicenti astabat à tergo, tonumq; accommodabat placidum ac mansuetum, quo clamorem illius reuocabat, uocisq; contentionem & asperitatem adimebat. Quemadmodum arguta pastorum cera compacta perstrepit fistula, modulos somnum conciliantes blandè occinens, ita oratoris iracundiam sedabat. Quòd si mihi famulus esset diligens & elegans, haud molestè tulerim, si in ira speculum adferret, quemadmodum nonnullis offerunt, ubi laucrint, nulli usui futurum. Cæterũ si quis seipsum contempletur, præter naturã affectũ conturbatumq;, non parum habeat momenti ad infamandũ iræ morbum. Nam & Mineruam aiunt qui iocosis fabulis delectantur, quũ tibia caneret, à satyro admonitã non aduertisse quidem tum animum:

Non te decet forma ista, mitte tibias,
Sume arma, buccas, ut decet, componito.

Cæterum ubi figuram oris uidisset in amne quodã, offensam tibias abiecisse: quamuis ars deformitatis solatiũ, habet aptam modulationem. Ac Marsyas, ut uidetur, lingula quapiam inserta tibiæ, ac follicul is ori circumpositis, simul & uiolentia flatus stridorẽ cohibebat, & uultus deformitatem corrigebat, atq; inæqualitatem cælabat:

Auro fulgenti hirsutum caput undique cinxit,
Ac tenerum loris os à ceruice reuinctis.

E diuerso, ira instans ac distendens indecore uultum, fœdiorem etiam uocem emittit & insuauiorem:

Fides mouendo, non mouendas mentium.

Mare quidem quum uentis turbatum, algam & fucum reijcit, aiunt purgari. Verum ira animo exæstuante & inuerso,

inuerso, sermones reijcit impudicos, amarulentos ac scurriles, quibus primum ipsos loquẽtes conspurcat, oppletq; infamia, quippe qui talia semper quidem in sese cõtineãt, ijsq; sordibus abundent, cæterum per iram quod latebat aperiant. Vnde fit ut pro leuissima re, uidelicet oratione, grauissimas (ut ait Plato) dent pœnas, dum pro hostibus ac maledicis, & improbis habentur. Hæc itaque dum considero & obseruo, fit ut placidè reponam apud me, semperq; habeam in memoria, quod in febri quidem bonũ est, sed melius in ira, linguam simplicem ac leuem habere. Nam lingua febricitantium, si minus affecta sit secundum naturam, malæ quidem rei signum est, causa nequaquam. At irascentium lingua posteaquam facta est aspera sordidaq;, ac diffluens in sermones absurdos, emittit ferocẽ, & contumeliosum sermonem, immedicabilis inimicitiæ parentem, ac latentis maleuolentiæ proditorem. Neq; enim indiluta uini potatio refundit quicquam tam petulans ac molestum, quàm ira. Atq; illa quidem risui & lusui curæ sunt, hæc uerò bili sunt temperata. Ac in compotationibus quidem qui silet, molestus grauisq; est familiaribus, cæterum in ira nihil decentius est, quam quum adest silẽtium: quãdoquidẽ commotio pectora occupans nõ ualet utriq; persuadere, ut linguam cohibeat futilem. Iam nõ hæc tantum reputare licet ei qui attenderit, quomodo sint affecti quos ira corripuit, uerum aliam etiam iræ perspicere naturam. Videlicet quàm non generosa res sit, neq; uirilis, nec prudentiam obtinẽs, nec animi celsitudinem. Tametsi uulgus hominum, quoniã ira turbas ciet, putat esse agilitatem, & quòd minax est, credit esse fiduciam, & quòd intractabilis est, opinatur esse fortitudinem. Nonnulli etiam crudelitatem interpretantur esse dexteritatẽ ad res grãdes gerendas

Universidad de Deusto
Biblioteca

gerendas,& implacabilitatem,putant esse constantiã, denique morositatem difficultatemq; , faciunt odium uitiorum,idq; non rectè. Nam ipsa dicta,ipsæ cõmotiones,ipsi habitus multum arguunt humilitatem atq; imbecillitatem, non solum ob id,quòd pueros diuexant, quòd in mulierculas exacerbantur,quòd canes, equos , & mulos putant esse pœnis afficiendos , quemadmodum Ctesiphon Pancratiastes mulæ recalcitrans , uerumetiam in cædibus tyrannicis , dum in amarulentia conspicitur illorum pusillanimitas,dumq; in eo quod agunt , perspicitur quid patiantur , res similis uidetur serpentum morsibus , quos ubi iam inflammati fuerint,summumq; cruciatum adferre cœperint,medici uehementer obligant ac premunt inflationem in locis dolentibus. Quemadmodum enim tumor accidit ex magna in carne plaga,ita in mollissimis animis, si quis se præbeat dolori, hoc ipso quo maior est imbecillitas,hoc maiorem elicit iracũdiã. Atq; hac de causa mulieres iracundiores sunt uiris,ægroti sanis, senes ætate uigentibus, & infelices felicibus. Iracundissimus enim est auarus aduersus dispensatorem,lurco aduersus popinatorem,zelotypus aduersus uxorẽ,gloriosus in maledicos. At longè seuissimi sunt uiri,qui honores ambiunt in ciuitatibus,aut seditionem,splendidam,ut ait Pindarus, molestiã. Sic ex eo quod maximè dolet, & ægrotat in animo , maximè ob imbecillitatẽ nascitur ira, nequaquam neruis adsimilis animi, sicut dixit quidam , sed est intentio contractioq; animi supra modum intumescentis in affectibus ad ultionem prouocantibus. Itaq; malarum rerum exempla, spectaculum præbent nõ iucundum, sed utile duntaxat ac necessariũ. Cæterum quum eos qui placidè leniterq; se gerunt in ira, uel spectare uel audire existimem esse pulcherrimum

cherrimum,incipio contemnere istos qui dicunt:

Læso uiro,uir sustinendus est tibi. Item illud:

Impinge cruici calcem,impinge & usq; ad solum.

Aliaq; dicta ad ultionem irritantia,per quæ nonnulli iram ex conclaui mulierum , in conclaue uirorum transferunt,haud rectè. Nam fortitudo in cæteris comes sociaq; iusticiæ , mihi uidetur de sola mansuetudine digladiari, quippe quæ ipsam magis deceat. Siquidem non raro contingit , ut homines deteriores superent meliores . Cæterum erigere trophæa in animo aduersus iracundiam , qui cum difficile est confligere,ut inquit Heracletus,quicquid enim uelis uita emitur, magnæ cuiusdam est ac palmariæ uirtutis, quippe quæ uerè ceu neruos ac tendones habeat rationis iudicium aduersus animi cupiditates . Quas ob res semper studeo colligere,ac legere,non solum ista quorundam philosophorum,quos qui sapiunt , affirmant carere bili , sed regum potius ac tyrannorum dicta factaq;, uelut illud Antigoni , cui quum milites iuxta tentorium clàm maledicerent,existimantes eum non audire , baculo foras prolato : Papæ , inquit , non uos aliquò longius hinc digressi , malè loquemini de nobis ? Præter ea quum Arcadion quidam Achiuus non desineret maledicere Philippo , monitusq; ut fugeret ubicunque locorum essent , qui non nossent Philippum , ubi pòst aliquo casu rursus esset uisus in Macedonia , amici erant autores ut puniretur,nec enim oportere negligi tantam petulantiam. Philippus autẽ quũ occurrisset homini,humaniter cum eo colloquutus,mox etiã xenijs ac donis ad eũ missis , postea iussit eos percontari,quomodo iam de se loqueretur apud Græcos. Cunctis autem testificantibus,eum hominem iam nirum Philippi laudatorem esse factum : ego igitur , inquit,

Idem paulò aliter refertur in apophthegmatibus.

quit, melior medicus quàm uos. In olympijs autem quum conuicia iacerentur in ipsum, ac nõnulli dicerent, Græcos dignos esse supplicio, qui beneficijs affecti à Philippo, malè de ipso loquerentur: quid igitur, inquit, facerent, si illos læderem? Egregia uerò sunt, quæ Pisistratus fecit erga Thrasybulũ, quæq; Porsena erga Mutiũ, quæq; Magas erga Philemonem, qui quum à poëta publice taxatus esset in theatro hisce uersibus:

En rege ab ipso literæ adsunt tibi Maga,
At his receptis non uides miser Maga
A' ui procellæ te in Pæætonium mare
Eiectum,

satelliti mandauit, ut nudo ense ceruicem duntaxat attingeret, moxq; comiter abiret. Deinde missis talis ac sphæra, tanquam puerulo, qui non saperet, dimisit. Ptolemæus uerò grammaticum irridens, quòd literas nesciret, rogabat quis fuisset pater Pelei. At ille: Dicam, inquit, si tu prius dixeris quis fuerit Lagi pater. Hoc dicto tetigit regis ignobilitatem, cunctiq; indignè ferebant, uelut intolerabile conuicium. Hic Ptolemæus, si regium, inquit, non est ferre, quum dicto tangitur, nec illud regium est, dictis quẽquam attingere. Alexander uerò amarulentior solito fuit, in his quæ gessit aduersus Callisthenem & Clitum. Sanè Porus captus quum hortaretur eum, ut se regaliter tractaret, ac rege percontante, nunquid præterea? In hac uoce, inquit, regaliter, insunt omnia. Quapropter deorum regem, Milichion, hoc est placidum, Athenienses uerò, ni fallor, Mæmacten appellant, à benefaciendi promptitudine. Cæterũ quæ pœnas infligunt, Erynnides uocãt ac dæmonia, numen uerò, aut olympium nuncupant. Itaq; sicut de Philippo qui Olynthũ subuerterat, dixit quidam: At talem ciuitatẽ non

non posset condere, ita dicendum est de ira: Subuertere quidem, perdere ac diruere potes, erigere uerò ac seruare, parcere ac munire mansuetudinis est & clementiæ, & moderationis, hoc est, Camilli est, Metelli est, & Aristidis ac Socratis. Cæterum inserere semet alienis ac mordere, formicarum est & murum. Quin insuper quum simul & ad uindictam respicio, ulciscendi rationem quæ per iram geritur, comperio plerunq; irritam, ut quæ morsu labiorum, stridoribus dentium, inanibus incursionibus, conuicijs præter dementes minas nihil habentibus, consumitur. Deinde fit, quod in cursu pueri solent facere, qui quoniam sibi temperare non ualent, ridiculè cadunt priusquam perueniant ad metam ad quã festinabant. Vnde non malè Rhodius ille, aduersus ministrum imperatoris Romani, uociferantem ac ferocientẽ: Non curo, inquit, quid tu dicas, sed quid ille taceat. Itidem & Sophocles, quum Neoptolemum & Eurypylum armasset:

Torsere, inquit, tela sine conuicijs
Armorum in orbes æreorum.

Nam nonnulli quidem barbari ferrum ueneno tingunt. Cæterum fortitudo non eget ira, siquidem à ratione tincta est. Porrò quod furore & ira corruptũ est, facilè frangitur, estq; putre. Proinde Lacedæmonij, pugnaturis iram adimunt concentu tibiarum, ac Musis rem diuinam faciunt antequã ineant prælium, quo uidelicet ratio permaneat in illis. Et quum hostem uerterint in fugam, non eum persequuntur, sed reprimunt iram, quippe quæ facilè reuocari possit, nõ aliter quàm eiusdem mensuræ gladiolos. Contrà ira innumeros sustulit ante uindictam, ueluti Cyrum ac Pelopidem Thebanum. Agathocles uerò quum cõuicijs incesseretur ab his quorum ciuitatem obsidebat,

placidè

placidè ferebat, quumq; dixisset quidã: Figule, unde persolues hospitibus mercedem: ille arridens, si istam, inquit, excidero. In Antigonum autem quidam è muro dicteria iaciebant, quòd esset deformis: Attamen, inquit, uidebar uobis formosus esse. Verum ubi cepisset ciuitatem, uendidit irrisores, testatus sese cum dominis illorum loquuturum, si rursus in ipsum iacerent conuicia. Quin & uenatores & oratores uideo uehementer labi præ ira. Aristoteles refert Satyri amicos, quum litem habent, aures illius obturare cera, ne quum ab hostibus conuicijs afficitur, propter irã causæ cognitio turbetur. Quin nobisipsis quoq; frequenter accidit, ut ulciscì non queamus seruum qui deliquit. Aufugiunt enim, minis ac dictis territi. Itaq; quod nutrices dicere solent pueris, ne plora, & accipies, hoc non inutiliter dicetur iræ: Ne festina, ne clama, ne urge, atq; ita citius quæ uis fient, ac melius. Etenim pater ubi uidet filium tentantem ferro secare quippiam, aut findere, ipse arrepto ferro facit: Itaq; qui iræ intercepit è manibus ultionem, ipse tutò, nulloq; detrimento, atque etiam utilitate, punit cõmeritum, non seipsum uice illius, quẽ ulciscì uolebat, id quod non raro facit ira. Cæterũ quũ omnes animi cupiditates egeant assuetudine, ueluti domitrice, quæ exercitatione superet impetum rationi rebellẽ & intractabilẽ, non alibi maius est certamen heris inter famulos, quàm aduersus irã. Neq; enim aduersus hos oboritur, neq; inuidia, neq; metus ullus, neq; ambitio, sed iræ etiam assiduæ, quæ multas pariunt offensas & errores, ob faciẽdi quod uelis licentiã, uelut in lubrico loco abripiẽtes animum, nemine obsistente aut prohibẽte. Nec enim fieri potest, ut in eo affectu nihil peccans, cohibeat rebelles animi motus, nisi quis multã illam quod uelit faciẽdi licentiã, multa

multa lenitate circumsepserit, ac nisi multas uoces tolerauerit uxoris & amicorũ incusantiũ lenitatẽ & socordiã, quibus potissimũ exacerbabar & ipse aduersus famulos, ueluti quos corrumperẽ non castigando. Tandem uerò cognoui, quòd primũ quidem præstaret illos reddere deteriores tolerãtia, quàm si quis amarulẽtia & ira depranet seipsum, dum corrigere uult alios. Deinde quũ uiderẽ multos, hoc ipso quòd frequenter nõ punirẽtur, pudescẽtes timidos esse, quodq; his mutandorũ morum initiũ, magis esset ignoscentia, quàm ultio, atqueadeo per Iouẽ, cõspiccrem eos nutu sine responsatione, promptiusq; seruire quibusdam, quàm alijs cum plagis ac flagellis, persuasus sum, rationẽ magis herilẽ esse & principatui gerendo accõmodam, quàm iram. Non enim sicut poëta dixit:

Vbi enim est timor, & pudor hic est,

sed contrà, pudescentibus innascitur timor, sobrietatẽ adferens. Cæterum assidua uerberatio, non admissis precibus aut excusatione, nequaquam hoc efficit in seruis ut pœniteat peccasse, sed ut prospiciant, ne sentiantur peccare. Tertio, semper memor, ac mecũ reputans & illud, quòd nec is qui nos docuit iaculari, prohibuit ne mitteremus sagittam, sed ne aberraremus à scopo, ita nec obstabit quo minus sumas pœnas, si quis doceat id facere tẽpestiuiter, moderate, utiliter, & quemadmodum decet. Conor iram subducere maximè, non denegãs ijs qui puniuntur pro se respondendi facultatem, sed audiendo quid adferant. Nam cum ipsum tempus gignit in perturbatione, quo sese occupet, & inducit cunctationem remittentem impetum iræ, tum iudicium inuenit modum ac decentem pœnæ modũ. Ad hæc non relinquitur ei, de quo pœna sumitur, occasio reluctandi aduersus correctionem, si non per iracun-

diam,sed reuictus puniatur,nec iam adest id quod est turpissimum,ut famulus uideatur iustiora loqui, quàm dominus. Proinde quemadmodum Phocion post Alexãdri mortem,non sinens Athenienses ante tempus commoueri,nec facilè credere rumori:Si hodie, inquit, uiri Athenienses, Alexãder mortuus est, & cras & perendie erit mortuus. Sic nimirum oportet hominem iræ impulsu ad uindictam properantem sibijpsi suggerere, si hic hodie peccauit,& cras & perendie uerum fuerit eum peccasse, neque quicquam erit periculi,si paulò serius det pœnas, sed si præpropere punitus fuerit, semper uidebitur non peccasse, quod iam frequenter accidit. Quis enim nostrûm usque adeo morosus ac sæuus est,ut puniat ac flagris cædat seruum,quòd ante quinq; aut decem dies aduxerit obsoniũ, aut mensam subuerterit,aut tardius auscultauerit? Et tamen hæc sunt, ob quæ protinus ut acciderunt ac recens admissa sunt,turbamur,exacerbamur,& implacabiles sumus. Quemadmodum enim per nebulam corpora, ita per irã maiora uidẽtur cõmissa quàm sunt. Quapropter oportet ilico horum hisq; simiiũ præceptorum reminisci, deinde quũ liberi ab affectu iam nobis ipsi suspecti esse desierimus, si pura ratione sibiq; constante uidebitur admussum scelus,animaduertere,nec tum dissimulare,nec ultionem omittere eorum, ueluti solent quos edendi deserbuit appetentia. Neq; enim perinde culpandum est præsente ira punire, quàm ubi se remiserit non punire, sed remissum ac dissolutum fieri, ut idem accidat nobis quod solet pigris nautis, qui dum est tranquillitas,commorantur in portu,deinde periclitantur uelificantes. Nam nos quoq; neglecta rationis mansuetudine ac mollitudine in puniendo, properamus id facere adueniente ira, ceu flatu pericu

periculoso. Ac cibo quidem secundum naturam utitur qui esurit, ultione uerò tum rectè quis utitur, quum eam nec sitit,nec esurit,nec iam opus habet ad puniendum, uelut obsonio ad edendum. Quin potius quum longissimè coeperit abesse ab appetitu uindictæ, necessariò rationem ac prudentiam admouens. Neque enim quemadmodum refert Aristoteles, apud Tyrrhenos ad tibiam seruos cædi solitos, sic oportet ad uoluptatem, pœnæ ceu rei iucundæ appetitu satiari gaudereq; : rursus ubi punieris, pœnitentia cruciari: quorum illud ferinum est, hoc mulierbre:sed absq; dolore simul & uoluptate, eo tempore quo uiget ratio, pœnas sumere, nulla iræ relicta occasione. Hæc itaque fortasse non uidetur iræ medicina, sed depulsio potius & cautio, ne quid peccetur eorum quæ solent per iram committi. Quanquam & splenis tumor solet simul accidere cũ febre. Cæterũ is ubi resederit, febrim adleuiat, sicut inquit Hieronymus. Porrò ubi mecum recolo,quibus modis nascatur ira,uidebam alios alijs de causis in eam incidere, quibus omnibus probabiliter hæc accidit opinio,ut se cõtemni negligiq; credant. Quapropter his qui se defendunt, quasi iure irascantur, sic oportet succurrere,ut quod admissum est, quamlongissimè remouea-mus à suspicione contemptus & confidentiæ,transferentes ad opinionem dementiæ,necessitatis,morbi, aut infelicitatis,quemadmodum fecit Sophocles:

Neq; mens enim ô rex,quamlibet uigens,manet
Fortuna quibus est tristis,imò his excidit.

Ita fecit & Agamemnon, qui Briseidis ablationẽ in Aten reiecit. Nihilominus mox cupit satisfacere,ac

Donare ingentia dona.

Nam rogare,non est contemnentis. Et qui læsit, dum se

præbet humilem, amouit contemptus suspicionem. Verum hæc non oportet expectare cum qui ira correptus est, sed iuxta illud potius Diogenis: Hi te deridēt, ô Diogenes: Ego uerò, inquit, non derideor: ut non credat ad se pertinere, nec existimet se contemni, sed illum magis contemnat, qui per imbecillitatem, aut errorem, aut præcipitantiam, aut incogitantiam, aut ob seruile ingenium, aut ob senium, aut iuuentutem deliquit. Famulis autem & amicis modis omnibus talia sunt remittenda: non enim quasi non posimus ulcisci, aut quasi frustra simus, molituri uindictam, negligimur ab his, uerū ob humanitatē aut beneuolētiam. Nam alij potius negligūt nos ut placabiles, alij ut amantes. Nunc uerò non tantum aduersus uxorem, seruos & amicos quum contemnimur ab illis, exasperamur, sed & in caupones, in nautas, in muliones, in ebrios frequenter ob iracundiam irruimus, dum nos putamus ab his contemni. Quinetiam & canibus latrantibus, & asinis in nos impingentibus indignamur. Quemadmodum fecit ille, qui quam uerberare uellet agasonem, atque ille clamaret: Athenienſis sum: Atqui tu, inquit, asino loquēs, Athenienſis non es, cumq; uerberauit, multasq; plagas inflixit. Attamen huiusmodi perpetuas ac frequentes iras, quæ paulatim in animis colliguntur, potissimum gignunt in nobis, amor nostri, morositas, cum delicijs ac mollicie coniuncta, non aliter quàm examen apum aut uesparum. Proinde ad mansuetudinem nullum maius uiaticum, quàm facilitas ac simplicitas morum, erga famulos, uxorem & amicos, uidelicet si posimus rebus præsentibus esse contenti, nec egere multis ac superfluis:

At qui nec absis, qui nec elixis nimis,
Nec plus minus ue, nec cibis gaudet modo
Medio

Medio apparatis, sic ut appositis approbet,
Sed nix nisi adsit, non bibit, nec è foro
Panem edit, eq; uasculis frugalibus
Testaceis ue haud attigit piscem, neq;
Lecto incubat stratis ue, nisi tumentibus,
Non aliter ac mare fundo ab imo concitum:

Sed uirgis ac uerberibus mensæ ministros cogit accelerare, non sine cursu, clamore ac sudore, perinde quasi non cibum adferant, sed ulcerum cataplasmata, is imbecillis est, uitam uiuens iurgiosam & querulam, nec sentit se sibi paulatim iracundiæ uitium contraxisse, quemadmodum ex assidua tussi, crebrisq; concussionibus cōtrahitur ulcerosa ac pituitosa corporis affectio. Itaque consuefaciendum est corpus, ut per frugalitatem facilitatemq; discat sibi sufficere (etenim qui pauca requirunt, non frustrantur multis) utq; nihil tumultus mouens cibi gratia, silentio utatur his quæ forte contigerunt, ut ne multis de causis irascentes & indignantes, ingurgitemus nos opsonio insuauissimo, tum nobis, tum amicis: uidelicet ira.

Hac cœna haud possit contingere tristior ulla,

dum famuli uerberantur, uxor conuicijs afficitur, propter cibum adustum, aut fumum, aut salis defectū, aut panem frigidiorem. Arcesilaus uerò quum hospites quosdam unà cum amicis acciperet cōuiuio, apposita est cœna, sed deerat panis, nimirū pueris oblitis emere: quo quidē in casu quis nostrūm non rupisset parietes clamore? At ille ridens: Quàm, inquit, res est apta cōuiuijs apparandis, esse sapientē. Socrates uerò quū è palæstra redeuntē Euthydemū casu duxisset ad cōuiuū, Xanthippe quū iratā surrexisset, dixissetq; cōuicia, tandē etiam mensam subuertit. Euthydemus autem surgēs, abire cœpit, dolore affectus.

Tum Socrates: At domi tuæ nuper, inquit, non'ne accidit, ut gallina quædam subuolãs idem hoc efficeret? Nos tamen non indignabamuur. Oportet enim cum comitate, risu, ac beneuolentia amicos accipere, non adducentes supercilium, nec horrorem ac tremorem incutientes ministris. Consuescendum est autẽ, ut faciliter assuescamus & uasculis quibuslibet, nec hoc magis utamur quàm illo. Quẽadmodũ nonnulli poculo quopiã è multis sibi delecto, sicuti narrant Marium adamasse poculi genus, quod neryton uocant, nequaquam biberent ex alio. Similiter affecti sunt erga lecythos aestrigiles, ex omnibus unũ adamãtes. Deinde si quod istorum comminutum fuerit, aut perierit, grauiter ferunt, ac pœnas sumunt. Proinde qui ad iram propẽsus est, huic abstinendũ est à raris ac insignibus, uelut à poculis, sigillis, ac lapidibus preciosis, propterea quòd si pereant, magis turbãtur, quàm ob ea quæ paratu facilia sunt & uulgaria. Itaq; quum Nero aulæũ quoddã apparasset, magnificum spectaculum, tum pulchritudine, tum precio: Declarasti, inquit Seneca, te esse pauperem: Nam si hoc amiseris, non possis alterum parare simile. Et sanè euenit, ut naue demersa, periret aulæũ. At Nero reminiscens Senecæ, moderatius tulit. Cæterũ facilitas in rebus utẽdis etiã erga famulos reddit hominẽ facilẽ ac mansuetũ. Quòd si tales reddit erga famulos, haud dubiũ est, quin multò magis erga amicos, & erga illos, in quos gerimus imperiũ. Videmus autẽ & seruos nuper emptos, de eo à quo empti sunt percõtantes, non an sit superstitiosus, nõ an inuidus, uerũ an iracũdus. Atq; in uniuersum, si adsit iracũdia, uidemus neq; uiros posse ferre uxorũ pudicitiã, nec uxores uirorũ amorẽ, nec amicos mutuã inter se consuetudinẽ, adeò ut neq; cõiugiũ, neq; amicitia tolerari

possit, si adsit iracundia. Contrà si non adsit, etiã ebrietas res est toleratu facilis. Nam ipsa dei ferula satis est ad castigandum ebriũ, nisi addita iracundia unum indilutum, pro lyæo & chorio, quæ Bacchi sunt cognomina, à soluẽdis curis choreisq; ducendis imposita, reddat Omestlen ac Mænolen, quæ crudelitatis & insaniæ sunt cognomina. Atq; insaniæ quidẽ si sola sit, medetur Anticyra: q, si mixta fuerit iræ, tragœdias ac fabulas excitat. Cæterum nec inter ludendũ ac iocos oportet iræ dare locũ, propterea q, inimicitiã asciscat beneuolẽtiæ: nec in colloquijs ac disputationibus, eò q, ex cognoscẽdi studio gignit cõtentionẽ: nec in iudicando, nã uiolentiã addit autoritati: nec in docendo, desperationẽ enim adfert, ac studiorũ odium: nec in rebus prosperis, eò quòd auget inuidiam: nec in aduersis, aufert enim misericordiam, quoties se præbent difficiles ac præfractos his qui simul dolent. Sic Priamus:

Obiurgatores procul hinc, procul ite molesti.
Num uobis deest luctus, ut huc me curaturi
Veneritis? Contrà mortũ facilitas alijs quidẽ opitulatur, alia uerò componit, alia cõdulcat. Vincit autem mansuetudine & iram & omnẽ morum difficultatẽ, quẽadmodum de Euclide narrant, cui quũ frater ob dissidium dixisset, peream ni te fuero ultus: At ego, inquit, peream ni tibi persuasero. Hoc dicto, mox uertit in diuersum fratris animũ. Polemon item, quũ in hunc quidam diceret cõuicia homo qui gemmis delectabatur, & in sigilla preciosa insaniebat, nihil quidem respondit, uerũ in unum quoddã sigillum erat intentus, eiusq; naturam explorabat. Id ubi sensit homo, Non sic, inquit, Polemon, sed ad lucẽ cõtemplare, uidebitur multò melius. Aristippo posteaquàm ipsi cum Aeschine nescio quid iræ incidisset, & quidam illi

diceret: O Aristippe, ubi nunc amicitia uestra? Dormit, inquit, sed eam ego excitabo. Adijtq; Aeschinē: Adeo'ne, inquit, tibi uideor modis omnibus infelix & insanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te? At Aeschines: Non mirum, inquit, si quum in omnibus me præcellas ingenio, hic quoq; prior uideris, quid esset facto opus.

Etenim ferocem non modò mulier caprum,
Verum & puellus scalpitans tenera manu
Flectit facilius quàm palæstes quilibet.

Nos uerò bestias feras cicuramus, ac luporū catulos manſuefacimus, etiam leonū catulos in ulnis circunferentes, ac post hæc & filios, & amicos, & familiares per iracundiam eijcimus, in seruos autē ac ciues, iræ ceu noxiæ bestiæ liberas habenas laxamus, morbum nostrum hoc prætextu extenuantes, quasi uitiorū odio cōmoueamur, non rectè, sed ita nimirū, quēadmodū & in cæteris animi morbis, dum aliud appellamus prouidentiā, aliud ingenuitatē, aliud pietatē, à nullo liberari possumus. Et sanè quemadmodū dixit Zenon, sperma mixturā ac temperaturā esse, ex omnibus animæ uiribus reuulsam, ita uidetur & ira semen quoddā esse, ex omnibus animi perturbationibus cōmixtū, siquidem & à dolore, & à uoluptate, & à ferocia decerpta est. Tum ab inuidia quidē hoc habet, quòd malis gaudet alienis. Cæterū homicidio deterior est. Nam illud conatur ira, nō ne quid ipsa patiatur mali, sed ut malè habeat, modò funditus perdat alium. Habet autē & ex cōcupiscētia sibi quod est insuauissimum, innatū. Siquidem libido adest alterū afficiendi molestia. Itaq; quū luxuriosorū ædes adimus, tibicinam audimus mane canentē, ac lutū, ut quidam dixit, uini fragmentaq; coronarū, ac famulos uidemus in foribus crapula grauatos. At iracundorum ac difficilium

difficilium hominum indicia, uidebis in uultibus famulorum, & in cicatricibus, & in compedibus:

At cantor unus in ædibus asperi uiri,
Nunquam deest ploratus, dum flagris cæduntur œconomi, dum torquentur ancillæ, ut qui uident has iræ molestias, in ipsis cōcupiscentijs ac uoluptatibus, commiserentur. Verūenimuero quibus accidit, ut uerè ob uitiorū odium frequenter ira corripiantur, hos oportet iræ nimietatē & intēperantiā detrahere, simulq; credēdi facilitatē, si quid defertur de his quibuscum habent cōsuetudinē. Siquidem hæc causa potissimū exaggerat iram, quū is qui pro bono habitus est, apparet improbus, & qui iusus est amare, incidit in dissidiū ac reprehensionem. Porrò mores meos profecto nosti, quanto impetu rapiantur ad beneuolendū ac fidendum hominibus. Itaq; quod usu uenit his, qui per uacuum eunt, ubi magis innitor amori, ibi pecco magis, lapsusq; molestè fero. Atq; hanc quidem ad amandum immodicā propensionem mihi penitus insitam, nondum possem eximere. Cæterū aduersus credendi facilitatem fortassis utar freno, uidelicet Platonis cautione. Ait enim Heliconem mathematicum sic laudare hominē tanquam animal natura mutabile, itaq; metuere, ne qui in ciuitate rectè fuerint educati, quum sint homines & ab hominibus prognati, declarent alicubi naturæ imbecillitatem. At quomodo ait Sophocles:

Pleraq; furum turpitudo, nil quidem
Est aliud, ac mortalium deprehensio:

Videtur nos supra modū incessere ac deijcere. Attamē hæc iudicandi de nobis morositas, & ad accusandū immodica propensio, nos reddit modestiores in ira. Etenim quod subitò ac præter expectationē acciderit, reddit attonitos.

Cæterum oportet, ut alicubi dixit etiã Panætius, uti Anaxagoræ exemplo, & quẽadmodum ille in filij morte dixit, sciebam me genuisse mortalem, hoc unumquenq; nostrũm subijcere his qui nos peccatis ad iram prouocant: sciebam me non emisse seruum sapientẽ, sciebã me non parasse amicũ adfectibus uacuum, sciebam quòd uxorem duxissem mulierẽ. Quòd si quis illud Platonis semper assonans alienis peccatis, nuncubi & ego talis? rationem ab externis referat intrò, & alienorum erratorũ incusationi interserat cautionẽ, nõ admodum execrabitur aliena peccata, cõsiderans sibijpsi multa opus esse uenia. Nũc unusquisque nostrũm dum irascitur ac punit, Aristidis Catonisq; uoces infert: ne furator, ne mentitor, quare cessator es? Deniq; quod est omniũ turpissimum, irascentes increpamus iracundè, quæq; per iram cõmissa sunt, per irã castigamus, non quidẽ ut medici solent, qui amaram amaro pharmaco bilem eluũt: sed exacerbãtes potius & exasperantes. Itaq; quum hæc mecum reputo, simul conor etiam aliquid detrahere curiositati. Nam omnia exacte obseruare ac deprehendere, & quicquid gerit famulus in medium adducere, quicquid agit amicus, quicquid exercet filius, quicquid clanculum garrit uxor, multũ adfert iarum & frequentiũ & quotidianarum, quarum caput est, morum difficultas ac morositas. Deus igitur, quemadmodum dixit Euripides, quæ sunt immodica tangit,

Curanda uerò parua fortunæ sinit.

Ego porrò non arbitror quicquam esse committendum fortunæ, neque dissimulandum ei qui sapit, sed concredenda, alia quidem uxori, alia uerò famulis, alia amicis ueluti principibus, principũ præfectis quibusdã, rationalibus & gubernatoribus, sic ut ipsa ratio tractet ea, quæ potissimum ad rem pertinent, quæq; sunt momenti maximi. Etenim quemadmodum minutæ literæ uisum, ita pusilla negocia, quoniam magis reddunt intentos, pungunt & commouẽt iram, malam hinc consuetudinem sibi contrahẽtem ad maiora. Super omnia uerò illud Empedoclis magnum quiddam ac diuinum existimabam, ieiunum esse à malicia. Laudabam interim & illas non inuenustas, nec abhorrentes à studio sapientiæ actas in precibus consuetudines, annũ à re uenerea uinoq; puros uiuere, colentes interim deum temperantia: aut rursus à mentiẽdo certum tempus abstinere, nos ipsos interim obseruantes, ut uera loquamur tum in ludicris, tũ in serijs rebus omnibus. Deinde hisce rebus instruebam animum meum, ut qui nõ minus amet pietatem, quàm philosophiã, ut primum paucos dies sacros sine irascendo transigerem, uelut absq; temulentia uinoq;, nõ aliter quàm si celebrassem Nephalia aut Melisponda, in quibus uinũ attingere aut luxui indulgere fas nõ est: deinde idem faciebam mensem unũ aut duos, paulatim meijpsius periculũ faciẽs. Sic tempore proficiebam ad ulteriorem malorum tolerantiã, diligenter attendens & conseruans meipsum, cum uerbis bene ominãtibus, placidum iraq; uacuum, purum & à dictis improbis & à factis absurdis, & à cupiditate, quæ ob uoluptatem exiguam, & inuenustam, tum turbas ingentes, tum pœnitentiam turpissimam adduceret. Vnde, ut opinor, etiam Deo aliqua ex parte adiuuante, ipsa experientia declarauit illud esse uerè iudicatum, quòd placabilitas hæc & mansuetudo et humanitas, nulli familiarium perinde grata est, nulli tam amica, nec tam molestia carens, quàm ipsis quibus hæc adsunt.

FINIS.

Videtur appendix hominis Christiani.

EIVSDEM, DE CVRIOSITAte, eodem interprete.

OPTIMVM fortasse fuerat prorsus fugere domum haudquaquam perflabilem, aut tenebrosam, aut frigori uentisq; obnoxiam, aut alioqui morbidam. Cæterum si quis ob assuetudinem loco delectetur, licet uel translato lumine, uel aliò trãspositis scalis, uel ostijs alibi apertis, alibi rursus occlusis, illustriorẽ, magisq; perflabilẽ, ac salubriorem reddere. Ac nonnulli ciuitatibus huiusmodi rerũ transmutatione profuerunt. Quemadmodũ & meam patriam spectantẽ ad Zephyrum uentũ, ac solẽ tendentẽ ad occasum à Parnaso accipientem, ferunt ad exortum fuisse uersam à Chærone. Empedocles autem physicus montis cuiusdam profundum inter rupes hiatum, grauem ac morbiferũ, eò quòd Notum uentũ efflaret in uicinos campos, obstruxit, atq; ita uisus est pestilentiam è regione depulisse. Itaque si quæ sunt cupiditates pestiferæ, noxiæq;, tempestatẽ ac tenebras inuehentes animo, optimũ quidẽ fuerit eas expellere, atq; ad solum usq; demoliri, quo nobis ipsis paremus aërem apertum, lucem, ac spiritum purum. Quòd si minus hoc placet, certè illud admittendum erit, ut quibuscunque modis licebit, translatis ac inuersis quæ nos offendunt, reddamus ea nobis aptiora commodioraq;. Velut ecce protinus curiositas: Studium est quoddam cognoscendi mala aliena, morbus qui neque ab inuidentia purus esse uidetur, nec ab improbitate. Cur, ô homo inuidentissime, in alienis malis perspicaces habes oculos, in tuis cæcutis? Inuerte cognoscendi studiũ, & istam curiositatem ab externis transfer ad ea quæ sunt intra te. Si cordi est aggredi

gredi malorum historiam, habes affatim domi quod agas.

Insula quammulta, uel drys oppletur aquæ ui:
Tãtam reperies multitudinem erratorum in uita tua, malarumq; cupiditatum in animo, nec minus negligentiæ in his quæ fuerat officij præstare. Etenim quemadmodum scribit Xenophon, dispensatoribus rerum domesticarum seorsum esse repositam supellectilem quæ pertinet ad sacrificia, seorsum quæ ad conuiuia, rursus alibi reposita, quæ pertinent ad agriculturam, alibi quæ ad bellum, itidem tibi digesta sunt mala partim quæ proficiscuntur ab inuidia, partim quæ à zelotypia, partim ab ignauia, partim à parsimonia. Hæc recense to, hæc recognosceto, fenestras unde prospectus in uicinos, aditusq; curiositatis obturato. Cæterum alias aperito uias, quæ ducũt in uirorum cõclaue quod tibi domi est, in cõclaue muliebre, in loca, in quibus uersantur famuli. Illic habet istud percõtandi studium et curiositas negociũ nec inutile nec improbũ, uerũ utile ac salutiferum: quum sibi quisq; sic loquitur:

Quò lapsus? quid feci? quod mihi munus omissum est?
Nunc uerò, sicut fabulæ narrant, Lamiam domi quidem canere cæcam, oculos habentem in uasculo quodam repositos, uerum ubi prodit foras, reponere, ac tum oculatam esse, ita quisque nostrûm foris & in rebus aliorum ob maleuolentiam, sibi curiositatem uelut oculum imponit. In nostris autem ipsorum erratis ac malis frequenter labimur præ ignorantia, ad hæc nec oculos habentes, nec lucem. Quapropter homo curiosus, hostibus utilior est quàm sibi. Siquidem illorum mala coarguit, profertq;, cõmonstrans illis quid sit cauendũ, quid'ue corrigendum. Porrò pleraq; quæ domi geruntur, non animaduertit, uidelicet attonitus studio negociorum alienorum. Proinde

Vlysses

Vlysses ne cum matre quidem prius colloqui uoluit, quàm ex uate percontatus esset ea, quorum gratia descenderat ad inferos. Ea quũ audisset, tum demũ et ad matrẽ sese uertit, & alias mulieres percõtatus est, quæ nam esset Tyro, et quæ formosa Chloris, et quã ob rẽ mortua sit Epicasta,

Dum tristem laquei nodum trabe nectit ab alta.

Nos uerò mire securi ignariq; eorum quæ ad nosipsos pertinent, aliorum genus inquirimus, uidelicet quòd auus uicini fuerit Syrus, auia uerò Thræssa. Ille uerò debet talenta tria, nec usuram persoluit. Quin & huiusmodi disquirimus, unde illius uxor redijt domum, quid hic & ille soli in angulo collocuti sunt. At Socrates obambulabat ambigens, quid Pythagoras dictis suis persuadere uoluerit, quid Aristippus in Olympijs cum Ischomacho congressus interrogarit, cur Socrates disputans sic afficiat adolescentes, curq; qui uel pusilla quædam dictorum illius semina & exempla cepisset, sic fuerit commotus, ut corpore concideret, fieretq; modis omnibus pallidus & gracilis, donec nauigasset Athenas sitibundus & incensus, hausisset q; de fonte, simulq; & uirum & huius sermones ac philosophiam didicisset, cuius hæc erat summa: Vt quisque norit sua ipsius mala, quo uidelicet ab his liberetur. Atqui nonnulli propriam uitam uelut inamœnissimum spectaculum non sustinent intueri, neque rationem ueluti lucem ad sese reflectere, ac circunducere. Verum animus omni genere malorum scatens, horrens ac metuens quæ sunt intus, exilit foras, uagaturq; circa aliena, nutriens ac saginans animi uitium. Etenim quemadmodũ gallina in ædibus frequenter, quum cibus sit appositus, subit angulum, ibiq; scalpens terram,

Sicubi, ut in fimo, uel granum appareat unum:

Itidem

Itidem qui curiositatis uitio laborant, prætermissis interim sermonibus institutis, ac narrationibus, alijsq; quæ nullus uetat percõtari, nec quisquã molestè fert, si quis interroget, occulta secretaq; mala totius domus efferunt. Atqui scitũ est illud, quod Aegyptius respondit interroganti, quid ferret obuelatum: Ideo, inquit, obuelatum est. Tu uerò cur curiosè uestigas quod occultatũ est? Si nihil esset mali, non fuisset occultatũ. Et sanè in alienas ædes nõ est mos ingredi quenquã, nisi prius pulsarit fores: quanquã nunc adhibentur ianitores, olim mallei circuli'ue pensiles, illisi foribus, efficiebant ut sentiretur ingredi uolẽs, ne matremfamiliâs alienus in opere deprehenderet, aut uirginem, aut uapulantem famulum, aut clamantes ancillas. Curiosus autẽ ad hæc ipsa clàm subit, pudicæ domus, rectaq; constitutæ, nequaquã libenter spectator futurus, etiamsi quis uocet. Ea uerò quorum causa clauis, repagulum, ac uestibulum adhibẽtur, retegit & effert in uulgus. Atqui uentorum hi nobis sunt molestissimi, sicut ait Ariston, qui nobis reuellunt pallia. Curiosus autem non pallia uicinorũ, neq; tunicas, sed parietes detegit, fores reserat, & ad teneram usq; uirginem, non aliter quàm uentus penetrat irrepitq; per omnia bacchanalia, choreas, ac pannychidas, quæ noctu celebrantur Dianæ, perscrutans & exquirens quod calumnietur. Adhæc quemadmodũ Cleonis, quem taxat uetus comœdia,

In Clopidis mens erat, in Aetolis manus: Sic hominis curiosi mens simul est in ædibus diuitum, in casis pauperum, in aulis regum, in thalamis nuper nuptarum, scrutans omnia omnium negocia, tum hospitum, tum præsidum: atq; id quidem haud citra periculum, sed perinde ac si quis gustet aconitum curiositatis uitio, scire cupiens

quale

quale sit, priusquam sentiat, tollitur è medio, sic qui potentiorum inquirunt mala, prius absumunt seipsos quàm intelligãt. Etenim qui solis radios, largos sanè atq; omnibus diffusos intueri nolunt, sed ipsum solis orbem impudenter obtuentur, ac lucem in semet auerti cogunt audaces, excæcantur. Itaq; scitè Philippides comœdiarum scriptor, quum rex Lysimachus ipsi dixisset: Quid è meis rebus tibi impartiam? Quiduis, inquit, ô rex, modò ne quid arcanorum. Etenim quæ regũ sunt, iucundißima pulcherrimáq; foris expetunt, conuiuia, diuitiæ, solennes conuentus, munificentiæ. Verum si quid arcanum est, ne adeas, ne'ue moueas. Non cælatur regis gaudiũ, quum res sunt prosperæ, neque risus ludentis, neque quum apparat aliquem humanitate seu beneficio prosequi. Quod occultatur formidabile est, triste, inamœnum, inaccessum, suppuratæ cuiusdam iracundiæ thesaurus, aut ultionis profunda in animo uersatio, aut zelotypia in uxorẽ, aut suspicio quæpiam in filium, aut diffidentia erga amicum. Fuge nigram istam & condensantem se nubem. Senties tonare ac fulgurare simulatq; eruperit, quod nunc latet. Quænam igitur fugiendi ratio? Si contrahas & astringas, ut dixi, curiositatem, potißimum autem si mentem uerteris ad ea quæ magis prosunt iuuantq;. Curiose perquire quæ sunt in cœlo, quæ in terra, quæ in aëre, quæ in mari. Vtrum paruarum rerum contemplatione delectaris, an magnarum? Si magnarum, circa solem curiosus esto, ubi occidat, & unde exoriatur. Quære cur luna uelut homo subinde mutetur, ubi tantũ luminis assumpserit, unde rursus quod amisit, reparauit:

Vbi iam uideri desijt, quî fiat, ut
Primum noua ac uultu decora prodeat,
Sensim usq; ad orbis aucta plenitudinem:
Rursum ubi decorem enituit ad summum, statim
Senescat imminuta, donec nulla sit.

Atq; hæc quidem sunt arcana naturæ, nec indignatur ea deprehendentibus. At magna contemnis. Curiosus igitur esto circa minora, quî fiat ut in his quæ terra producit, alia perpetuo floreant & uireant, omniq; tẽpore uernent, opes suas ostẽtantia, alia rursus nũc quidẽ sint illa similia, nunc rursus uelut homo negligens rei familiaris, qui semel omnes facultates profudit, nuda mendicáq; relinquantur. Deinde quamobrẽ alia quidẽ fructus ædant proceros, alia anguloſos, alia tortuoſos aut rotũdos. Fortaßis eã ob causam non es harũ rerũ curiosus, quòd in his nihil insit mali. Quòd si omnino necesse est curiositatẽ in malis, quẽadmodum serpentem in letiferis syluis semper ali uersariq;, ducamus illam ad historias, atq; illinc nobis congeramus copiã minimè malignam, abundãtiáq; malorũ. Hic enim insunt ruinæ uirorum, profusiones facultatum, corruptiones uxorum, incursiones famulorum, calumniæ amicorum, apparatus ueneficiorum, inuidiæ, zelotypiæ, naufragia familiarum, electiones principum. Hisce temet expleto, his te oblectato, nemini molestiam aut dolorem allaturus eorum, quibuscum uiuis. Verum, ut uidetur, curiositas non gaudet perantiquis & obsoletis malis, sed calidis ac recentibus, nouasq; tragœdias libenter spectat. Cum comicis autem & argumentis hilarioribus non admodum gaudet habere commercium. Proinde si quis de coniugio quopiã loquatur, aut de sacrificio, aut de deductione, indiligenter & oscitanter audit curiosus, aitq; sibi pleraq; iam antè audita esse, iubetq; narrantem conferre sermonẽ in pauca, aut prætercurrere. Quòd si quis assidens referre

cœperit uitiatam uirginem, aut adulteram uxorem, aut institutam litem, aut dißidium fratrum, hic neque dormitat, neque causatur deesse ocium,

Quin alias quærit uoces, atq; admouet aures.

Atq; illud, Heu ut magis in aures fertur mortalium, quàm felicitas? uerè dictũ est de curiosis. Quemadmodũ enim cucurbitulæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt, sic curiosorum aures deterrimos quosque sermones attrahunt, &, ut melius dicam, sicuti ciuitates habent portas quasdam nefastas sinistriq; omnis, per quas educunt supplicio capitis destinatos, sordesq; ac purgamenta eiiciunt, nihil autem purum aut sacrũ per eas uel ingreditur, uel egreditur, ita per curiosorum aures nihil probum aut uenustum transit, sed sermones de cædibus aditum inueniunt, atque ibi uersantur, impuras & impias fabulas secum deferentes.

Semper canens in ædibus manet meis

Ploratus. Hæc est curiosis musa ac siren unica, neque quicquam est istis audire iucundius. Siquidem curiositas est libido audiendi secreta retrusaq;. Nullus autem occulit, siquid habet boni. Quandoquidem hic simulantur adesse bona etiam quæ non adsunt. Proinde curiosus, qui appetit cognoscere mala, obnoxius est morbo, gaudendi de malis aliorum, liuoris & inuidiæ fratri. Nam inuidia dolor est de bonis alienis. Cæterum Epichærecacia, uoluptas est ex alienis malis cõcepta. Cæterum utrunque nascitur ex affectu immani ferinoq; maliciæ. Adeò uerò molestum est unicuique, si quis ipsius mala retegat, ut multi moriantur citius, quàm ut medicis aliquid secretorum morborum uelint ostendere. Age si Herophilus aut Erasistratus, aut Aesculapius, quum esset homo, tenens

nens remedia & instrumenta iuxta domum astans, percontatus fuisset, num quis haberet fistulã iuxta posticum, aut num uxor cancrum in membro pudendo (quanquam huius artis curiositas salutifera est) attamẽ nemo ni fallor, non abegisset percontatorem, qui non expectata necessitate inuocatus uenisset ad aliena mala cognoscenda. Atqui curiosi hæc eadem, atq; his etiam peiora disquirunt, idq; non ut sanent, sed tantum ut retegant, unde non iniuriæ habentur inuisi. Nam & telonis indignantur grauiterq; ferimus, non quum decerpunt aliquid ex his quæ palam importantur, sed quoties inquirentes quæ sunt occulta, in alienis uasis ac sarcinis uersantur. Et tamen illis hoc permittit lex, & damno afficiuntur, ni fecerint. Cõtrà curiosi perdunt ac proiiciunt sua ipsorum negocia, dum intenti sunt alienis. Neq; frequẽter eunt rus, eò quòd non ferant quietem ac silentium agrorũ. Quòd si quando sese post longum tempus eò contulerint, uicinorum uineas intuentur potius quàm suas, percontanturq; quot boues uicino perierint, aut quantum uini illi acuerit, citoq; recurrunt in urbem his expleti. Itaq; qui uerus est agricola, nec eum sermonem libenter recipit, qui sua sponte uenit ex urbe. Dicit enim: Itá'ne mihi fodiens dicet, quibus cõditionibus compositæ lites sint? Nam nunc harum rerum curiosus obambulat sceleros'us iste. Cæterum curiosi fugiunt rusticationem, uti rem quampiam inanem, frigidam, neq; quicquam habentem tragœdiæ, ad tribunalia, fora & portus se recipiunt. Nihil'ne noui? Nam manè non eras in foro. Quid igitur, num tribus horis existimas immutatum esse ciuitatẽ? Et tamen si quis habeat tale quippiã quod narret, descendit ex equo, datáq; dextera, & exosculatus hominẽ, consistit auscultans. Quòd si quis forte obuius dicat,

nihil esse noui, tanquam offensus, quid ais? inquit: Non fuisti in foro? Non praeteristi stationem, nec incidisti in eos qui uenerunt ex Italia? Itaq; laudanda Locrensium lex, quae si quis peregre reuersus rogasset, nunquid noui, eum mulcta afficiebat. Quemadmodū enim coqui optant uberem pecudum prouentum, piscatores piscium: sic curiosi optant annonam malorum, ac negociorum multitudinem, nouitatesq;, & rerum mutationes, quo semper habeant quod uenentur mactentq;. Quin & Thuriensium legibus rectè cautum est, quae uetant in comoedijs taxari ciues, praeterquam adulteros & curiosos. Siquidem uidetur & adulterium esse curiositas alienae uoluptatis, inquisitioq; ac perscrutatio rerum, quae sic asseruantur, ut plerosque lateant. Ipsa uerò curiositas, paralysis est ac tabes, renudatioq; rerum non efferendarum. Itaque ferè fit, ut multa cognoscēdi studium, comitetur garrulitatis uitium. Quapropter & Pythagoras solitus est iuuenibus indicere silentium quinquenne, quod ille uocabat echemythiā, à continendo sermone. Caeterum fieri non potest, ut curiositatem non comitetur maledicentia. Etenim quae libenter audiunt, ea libenter effutiunt, & quae ab alijs studiosè colligunt, apud alios cum uoluptate efferunt. Itaque morbus hic praeter alia mala adfert & illud, quòd impedimento est, quo minus assequantur quod concupiscunt. Etenim omnes illos obseruant cælantq;, neque libenter aut faciunt quicquam uidente curioso, neq; dicunt audiente. Verum & consilium differunt, & negociorum considerationes in aliud reijciūt tempus, donec è medio se tollat homo talis. Quòd si forte subitò superuenerit curiosus, dum quippiā arcani sermonis habetur, aut rei seriae geritur, non aliter quàm scile praetercurrente solent piscē, ita

ita tollunt è medio quod erat præ manibus, & abscondūt, adeò ut plerūq; quæ cæteris audire spectareq; licet, his solis nec audire nec spectare detur. Quamobrem prorsus omni fide caret homo curiosus: famulis enim & hospitibus citius credimus epistolas, aut literas, aut sigilla, quàm amicis aut familiaribus curiosis. At Bellerophontes ille ne aduersus ipsum quidem scriptas literas quum portaret, resignauit, sed abstinuit manum ab epistola regis quemadmodū abstinuerat ab ciusdē uxore, nimirum eadem animi temperantia. Siquidem intemperantiæ est curiosum esse, non aliter quàm adulterum esse: adiuncta est autem curiositatis morbo, grauis stultitia ac dementia. Nam praeteritis quæ plurimæ sunt, communibus ac publicis mulieribus, ad conclusam ac sumptuosam ferri, frequenter ut accidit, deformem, insignis cuiusdam insaniæ, demētiæq; est. Atqui idem faciunt curiosi, praeteritis multis ac pulchris spectaculis, prælectionibus, studijs ac disputationibus, alienas perfodiunt epistolas, aures admouent uicinorum parietibus, ac susurros miscēt cum famulis & uxorculis, nec id ferè citra periculum, certè semper cum infamia. Proinde conducibile fuerit curiosis ad morbi depulsionem, si quàm maximè fieri potest, recordentur, quæ antè compererunt. Etenim si, quemadmodum Simonides dixit, se quū ex interuallo temporis aperiret scrinia: alterum quidem quod mercedibus erat dicatum, inuenire plenum, alterum quod gratijs erat sacrum, uacuum: ita si quis ex interuallo curiositatis penum aperiat inspiciatq;, multis inutilibus, superuacaneis, & inamœnis rebus plenum, fortassis ipsum rei facies offendet, quum apparuerit modis omnibus inamabilis ac nugatoria. Nunc age, si quis aggressus uetcrum libros, ex his pessima quæque decerpat, ac librum

habeat hinc compositũ, uelut ex Homericis uersibus, quũ acephali dicuntur, aut ex tragicis solœcismis, aut ex his quæ Archilochus aduersus mulieres indecenter & intemperanter dixit, seipsum interim traducens, an non is uideatur tragicis dignus imprecationibus,

Malè pereas, mortalium excerpens mala?

Quin & absque tragicis imprecationibus, indecora est & inutilis collectio, repositioq; peccatorum alienorum. Qualis erat illa ciuitas, quam Philippus ex peßimis quibusq; ac deploratißimis cõditã ex re uocauit πονηρόπολιν. Itaque curiosi dum undique colligunt congeruntq;, non uersuum aut poëmatum, sed alienæ uitæ lapsus, errata, ac solœcismos, inuenustißimum & iniucundißimum malorum grammatophylacion circunferũt, suam ipsorum memoriam. Quemadmodum igitur Romæ quidam picturas ac statuas, ac per Iouem etiam puerorũ uenalium ac mulierum formas, pro nihilo ducentes, obuersantur circa forũ in quo uenundãtur portentum, inspicientes perquirentesq; mutilos tibijs, felium instar habentes cubitos, aut quibus sunt tres oculi, aut qui capitis forma passerem repræsentant, aut si qua alia species commixta, aut si quod portentum abortiuum: cæterum si quis aßidue perducat illos ad huiusmodi spectacula, cito res ipsa satietatem ac nauseam pariet: Ita qui curiosi sunt circa lapsus alienæ uitæ, circa probra generis, circa turbas ac peccata, quæ inciderunt in ædibus alienis, primum omnium recognoscant semetipsos, meminerintq; quòd ex alienorum malorum obseruatione nullam neq; gratiam, neque utilitatem retulerint. Igitur ad huiusmodi morbi depulsionem plurimum profuerit, si consuescamus exercere nosmetipsos initio è longinquo facto, atque hoc pacto discamus in hoc affectu tempe

temperare nobis. Quoniam enim ex assuetudine natum est incremẽtum morbi, paulatim in peius proficientis, eodem modo sumus pariter & de exercitatione temperantiæ disputaturi. Proinde sumamus initium ab his quæ & celerrimè fieri possunt, & maximè uulgaria sunt. Quantulum enim negocij est, per uias sepulchrorum inscriptiones non legere? aut quid habet difficultatis, inter deambulandum literas parietibus inscriptas, oculis præterire, tacitè nos ipsos commonentes, in illis nihil esse scriptum, quod utilitatem aut oblectationem adferat, sed memunit ille illius in bonum, & amicorum optimus hic est quispiam, multaq; his simulia illic uisuntur, plena nugamentorum? Quæ uidentur quidem nihil officere, quum legũntur, lædunt tamen clanculum, eò quòd gignunt in nobis studium disquirendi, quæ nihil attinẽt. Et quemadmodum uenatores non sinunt canes aberrare, & quemlibet odorem persequi, sed loris retrahunt reuocantq;, olfactum illorum seruantes purum & integrum officio peculiari, ut acrius inhæreat uestigijs,

Naribus inquirens uestigia summa ferarum.

Sic oportet & curiositatem, ad quidus spectandum audiẽdum ue excurrentẽ atq; oberrãtem, cohibere ac retrahere quo seruetur ad utilia. Etenim sicuti leones & aquilæ dum ambulant, ungues uertunt introrsum, ne aciem illorum & cuspidem deterant, sic existimantes curiositatem ad multarum cognitionem aciem quandam & acumen habere, ne consumamus illud neque hebetemus in rebus deterrimis. Secundo uerò loco consuescamus, si quando præterimus fores alienas, non introspicere, neq; in ea quæ sunt intus oculis irrumpamus, curiositate manus utentes uice, sed illud Xenocratis in promptu sit, qui negauit

quiequam referre, utrum pedes an oculos inferas in ædes alienas. Neque enim iustum, neque honestum, ac ne iucundum quidem spectaculum est,

Hospes uidere, turpe siquis intus est.

Nam ea quæ uidētur in ædibus fermè sunt huiusmodi, uascula humi iacētia, aut ancillæ sedētes, nihil uerò seriũ nihil iucũdũ. Cæterũ turpe est ad hæc obiter diuertere mētis oculos, huc intēdere aciē ingenij, hisq; assuescere malũ est. Diogenes quidē quũ spectaret Dioxippũ Olympionicen, curru inuehi, nec ualentem interim oculos auertere à formosa muliercula, quæ spectabat pompam, sed respectantem, ac circuntorquentem ad illam oculos: uidete, inquit, athletam à puellula collo obtorto uinci. Curiosos autē uideas pariter ad quoduis spectaculum flectere ceruicem ac circumagi, posteaquam eos ceperit assuetudo euaq; oculos per omnia circunducendi. Oportet autem, ut arbitror, sensum nequaquam foris deuagari, ueluti famulam absq; custode: uerum quum ab animo dimittitur ad negocia, in illis uersari, celeriterq; renunciare quod mandatum est. Deinde rursus decenter intus apud rationem uersari, illiq; attendere. Nunc autem accidit illud quod ait Sophocles:

Deinde uerò uiri non tenentis habenas

Liberi equi ui rapiunt: ita sensus destituti recto, quemadmodum diximus, ductu atque exercitatione, ultro excurrunt, ac plerunq; secum unà trahunt animum ad quæ non oportuit, tandem dant illum præcipitem. Vnde illud quidem falsò iactatum est de Democrito, quòd spōte sibi ademerit oculos, admouens eos speculis igni candentibus, & ab his repercussu accepto, nequid obturbarent menti, subinde uocantes ad res externas, sed sinerent illam intus seruare domum, uersariq; in rebus intelligibilibus,

Democritus ubi nam uult oculos

bus, uelut obturatis quæ in uiam spectant fenestris. Illud tamen uerissimum est, quòd raro mouent sensum, qui plerunque mentis agitatione utuntur. Siquidem & musea quammaxime procul ab urbibus collocabant, & noctem uelut amicam intelligentiæ, uocabant euphronem, uidelicet arbitrantes quietem & assiduitatem illam nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum quæ inquiruntur. Ac ne illud quidem arduum est ac difficile, quoties homines in foro sese uicissim conuicijs ac maledictis impetunt, non adire: aut si quando multorum concursus fuerit, manere sedentem: quòd si tibi non temperas, surgere atq; abire. Nam si teipsum curiosis admiscueris, nullius bonæ rei fructum inde capies. Plurimam uerò capies utilitatem, si curiositatem auertas, uisq; coherceas, ut consuescat obtemperare rationi. Ab hoc initio proficiens ad acriorem exercitationem, rectè feceris, si theatrum, in quo quid iucundi recitatur, prætereas, siq; amicos ad saltationis aut comœdiæ spectaculum, secum abducere conantes repellas, aut si clamore in stadio circo'ue exorto non aduertas oculos. Quemadmodum enim Socrates monebat, cauendos esse cibos, qui non esurientes inuitarent ad edēdum, similiter & potum, qui non sitientes ad bibendum: itidem oportet & nos omnia spectacula, omnesq; recitationes cauere fugereq;, quæ nos ad se cogunt allectantq;, quum illis nihil sit opus. At Cyrus nolebat aspicere Pantheam, uerum quum Araspus diceret, mulieris formam dignam esse quam contemplaretur: Ob hoc ipsum igitur, inquit, magis abstinēdum est ab ea. Etenim si tuum sequutus consilium illam adiero, fortasis ipsa rursus mihi persuaserit, ut ad ipsam commeem, etiam quum non uacabit, spectemq; & assidea,

neglectis interim multis serijs negocijs. Eundem ad modum nec Alexander uenit in conspectum uxoris Darij, quum prædicaretur esse decentißima specie, sed huius matrem conueniens anum, puellam ac formosam uidere noluit. Nos dum in uxorum cubicula clam immittimus oculos etiam à fenestris pensiles, nihil flagitij nobis uidemur admittere, qui curiositatem nostram patiamur illabi influereq; per omnia. Est igitur & ad iusticiam exercendam utile, nonnunquam & quod iustum est prætermittere, quo consuescas procul abesse à factis iniustis. Similiter & ad pudicitiam conducit nonnunquam à proprijs uxoribus abstinere, ne quando commouearis in alienas. Hanc denique consuetudinem adducens curiositati, tentat nonnunquam & eorum quæ ad te pertinent nonnulla dissimulare, nec in aures admittere: & si quis uoluerit aliquid earũ rerum quæ domi tuæ gestæ sunt renũciare, differas, uerbaq; quæ de te dicta uidentur, repellas ab auribus. Siquidem Oedipodem curiositas maximis inuoluit malis. Etenim quum de seipso perquireret, quasi non esset Corinthius sed hospes, obuium habuit Laiũ quo perempto, propriaq; matre in matrimonium ducta, dotisq; nomine regnum adeptus, quum iam uideretur beatus, rursum inquisiuit de se ipso, idq; quum non permitteret uxor, uehementius etiam redarguebat senem conscium, nihil non admouens, quo cogi posset ad prodendum arcanum. Tandem quum rei suspicio iam illum torqueret, & senex exclamasset:

Heu me eloquendi iam peremit necessitas,

nihilo secius tamẽ curiositatis uitio deuinctus ac discruciatus, respondit:

Ac me audiendi, audire oportet attamen.

Vsque

Vsque adeo dulcis quædam est amaritudo, nec cohiberi potest curiositatis titillatio, uelut ulcus semetipsum cruentans dum sugitur. Cæterum qui sit hoc morbo liberatus, naturaq; placidus, neq; gnarus ullius mali, dicturus est:

O diua quàm sapis malorum oblitio.

Quapropter & aduersus hæc est consuetudo ducenda, ne redditum epistolam mox ac protinus soluamus, quẽadmodum faciunt pleriq;, qui si manus sint tardiores, dentibus epistolæ uincula dilacerant. Tum si cunde ueniat nuncius, ne accurramus, neq; surgamus loco, si quis amicus dixerit, habeo nonnihil nouæ rei quod tibi dicam: Imò potius si quid habes quod utilitatem ac fructum adferat. Quũ ego quondam Romæ dissererem, Rusticus ille quem pòst occidit Domitianus, gloriæ illius inuidens, me loquentem audiebat, atq; interim satelles accedens, Cæsaris epistolam illi reddidit. Atq; orto silentio, meq; sermonem interrumpente, quo posset epistolam legere, noluit, nec prius resignauit, quam ego finissem orationem, ac dimisissem auditorium. Quæ quidem in re omnes uiri grauitatẽ admirati sunt. Verum ubi iam quis quibuscunque potest modis ardens curiositatis morbum ualidum ac uiolentũ reddiderit, non iam facile est eam cohibere, propterea quòd ob assuetudinem fertur rapiturq; ad ea quæ uetita sunt. Verum hi resignant epistolas, secretis amicorum concilijs semet ingerunt, sacrorum spectatores fiunt, quæ uidere fas nõ est, loca inaccessa calcant, facta dictaq; regum scrutantur. Et tamen tyrannos, quos necesse est omnia cognoscere, inuisißimos reddit hominum genus, quos aures ac delatores appellant. Primus itaque Darius minor, quosdam habebat auscultatores, quos ὀτακουστὰς uocant, sibijpsi diffidens, nullosq; nõ suspectos habens ac metuens. Dionysij ucrò,

dcla

delatores huiusmodi Syracusanis admiscuerunt. Vnde nouatis rebus hos primum apprehensos Syracusani expulerunt. Etenim delatorum genus ex curiosorum gente familiaq; est. Ac sycophantæ quidem inquirunt, si quid quis mali uel decreuit uel fecit. Curiosi uerò etiam calamitates uicinorum, quæ præter animi decretum accidunt, exquirunt, atque in uulgus efferunt. Dicitur autem & Aliterij. Aliterij cognomen ex curiositatis uitio primũ esse natum. Quum enim, ut est uerisimile, ualida fames esset apud Athenienses, nec hi quibus erat frumentum proferrent in medium, sed clam noctuq; domi molerent, isti obambulãtes obseruabant molarum strepitum, unde cognomen inditum Aliterijs. Simili de causa narrant Sycophantarum cognomẽ ortum. Quum enim lege uetitum esset, ne quis exportaret ficos, qui prodebãt ac deferebant exportantes, Sycophantæ dicti sunt. Proinde nec illud fuerit inutile curiosis, quo pudeat ipsos sui, si cogitent sese simili cognatoq; studio teneri, quo tenentur hi qui maxime sunt inuisi molestiq; cunctis.

Sycophãtæ.

FINIS.

EX OCTAVO CON
VIVALIVM QVAESTIONVM
libro Plutarchi Chæronensis, De nota Pythagorica, quæ hospitem Hirundinem recipi uetat.

SYLLA Carthaginensis, [illegible] tempore quum Romam uenirem, liberaliter me salutatorijs (ut uocant) officijs excepit. Quibus omnes cum plerosque alios, tum maxime Leucium amant, Tyrrhenum Megarati Pythagorici discipulum, uocabat. Is quum forte fortuna Philinum nostrum amicum agnouisset, apprimeq; quod pro ordinis studio conijcere licebat, uelit, nolit, secum habitum prorupit. Inter cæteras Locrensem illum, iuxta uulgi opinionem, esse negauit, Tyrrhenis adscripsit, apud hos enatum, alitum, eruditumq; indicio symbola esse, qualia sunt hæc:

Quum lecto exurrexeris, stragula turbato.
Ollæ uestigium in cinere confundito.
Sarum ne transilito.
Hirundinem in contubernio ne habeto.
Aduncæ unguibus domi ne nutrito.

Ista hæc, ait, quum Pythagorici passim & scribant, & doceant, soli tamen reipsa Tyrrheni obseruant, assiduo iam olim ac iugi sanctæ studio. His ce ab Leucio dictis, in primis quod de hirundine uberius disputarat uidebatur absurdum, auiculam innoxiam, dein & humanæ societatis non expertem, cum eximijs illis sæuitia, sanguinisq; libidine

dine animantibus quibus aduncæ sunt ungues, cõferri. Neque enim rectè Leucio probabantur, qui scitum hoc symbolum alió referebant, in consuetudinem uidelicet uitilitigatoris cuiuspiam, criminibus infestiuo murmure conuictorem exagitantis. Is enim uel picis, uel perdicibus, uel gallis cõmodius notaxi poterat, auibus multò maximè garrulis, quando & hirundini cum hoc garriendi stridendiq; perpetuo morbo nihil est commune. Tum Sylla Carthaginensis, id esse commenti, ablegari ab domo familiariq; cõuictu hirundinem prodigij causa, quòd uitæ sanguiniq; cognato ferale habent. Terei familiam ferunt partim fuga sibi consuluisse, partim horrenda quædam & nefaria passam, iam nũc quoq; Daulidum nomine celebrari. Gorgias sophista contrà eminus ad se properantem contuitus hirundinem: Nec admodum, ait, hæc quoq; bella. Age num id prodigij non est stridulæ illi luscinię commune, quam eidem obnoxiam tragœdiæ domo non reijciunt? Rectè, inquam ego, & hæc adrem faciebant Sylla, uerum quæ ratione quæ aduncis sunt unguibus non admittantur, primum spectà, dein ut eadẽ habeatur ominosa hirundo. Carnem depasci solet, uenaturq; sacras illas Musis canoras cicadas. Humi uolitãs oberrat, exiguas captat bestiolas, autore Aristotele. Insuper unà nobiscũ uersari solita, immunis nostro tecto utitur, neque quicquam parit commodi, quũ contrà ciconia, neq; tegulis tuta nostris, neq; uspiam aut facultatibus, aut studio adiuta, officio tamen sese, ceu mercede communis impensæ in terram collato, redimat. Nam quæ uitæ hominum aduersa animantia insidiantur, serpentes, busones, absumit enecatq;. Hirundo uerò nostra tantisper abusa ope, pullo ædito ac educto, auolat in gratia, deinde & in recessus quosdã desertos, ignorabilis.

ũmvre&. legi. non uano ductus argumẽto.

Iam

Iam quod grauissimum uidetur, animantium duo sunt omnium, quæ nostro utuntur hospitio, musca & hirundo, quæ nulla queunt arte cicurari, neque ullo nobiscum officio aut ductu communicant. Musca ne molesti quicquam patiatur, prehensari horret. Hirundo suopte ingenio exosa hominem, adeò diffidit, ut & mansuefieri non posit, & nihil non suspectum pauitet. Quæ (siquidem non adcurate nimium, nec quasi ad regulam dispensa uolo, sed feriendi refriendiq; studio in medium collata: certemus enim mutuis licet sententijs) opinor qui cauet, hirundinem, infidum, leuem, ac ingratum conuictorem, non quemuis pro tempore occursantem, mēsæ, tecti, ac reliqui domestici commodi gratia subrepetentem, familiari consuetudine dignabitur. Hæc quum dixissem, sat mihi uerborum uidebar feciſſe. Nam & reliqua penè symbola, moralibus argumentis expedieram audacius. Interpellat Philinus, Ollæ uestigio turbando significari, ne quam prisinæ iræ indicem notam in animis nostris relinquamus, quin quum efferbuit, omnia cōtinuò pacanda abolendaq; iniuriæ monimenta. Iam in confundendis stratis nihil esse secreti quibusdam uidebatur, sed pudorem tamen & thalami reuerentiam indicari differebatur. A bamico non auferendum onus, quid aliud, quam adiuuare laborantem, nihil ocio, nihil inertiæ dandum? Leucius interim quum hæc disceptantur, neque commendans, neque reprehendens quicquam, agit silentium,

&c.

REVE

REVERENDISSIMO IN CHRISTO patri & domino, D. Sebastiano, Brixinensis ecclesiæ, & optimarum literarū optimo Antistiti, Ottomarus Luscinius S. D.

QVANQVAM nulla fortunæ meæ ratio, nulla eruditionis, aut rei alterius splendor ac dignitas, licere mihi permittat, ut ad celsitudinem tuam, Præsul reuerendissime, literas aut xeniola mittere ausim: quando nihil est in hac mea tenuitate, quod eximijs illis uereq; heroicis uirtutibus tuis respondere possit: cogit tamen hinc publica quædam & communis mihi cum multis tui admiratio, qui laudatissimorum Brixinēsium Episcoporum gloriam æquare, aut certè longo etiam interuallo post te relinquere, uno omnium ore prædicaris. Hinc priuata quædam necessitudo, qua me iampridem à dignitatis tuæ fulgore deterritum, ac penè consternatum, mira quadam humanitate es complexus, dignum etiam iudicans hunc homuncionem qui inter tuos numeretur, pontificijs cohonestetur fauoribus, ac spe pulcherrima ad benigniorem aliquando fortunam emergendi foueatur. Itaq; si non intelligam quod uulgus hominum, ingenuè fatear me pistillo quouis obtusiorem. Porrò autē si nō eloquar, uereor ne ad hoc quoq; habear inuidus, aut certè quod ad priuatum attinet negocium, omnino ingratus. Neq; est, si fugere uelim rem multis etiam nominibus honestam, cur rudem prætexam infantiam. Quasi uerò non diuina præconia ex infantium ore atq; lactentium, ut autor est uates cœlestis, iam olim prodierint suis numeris omni ex parte perfecta. Liceat igitur iam mihi bonis auibus ἀλλοῦς σεβας ἐμῶ τὸ ὄνομά σου,

Ec ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

(ita enim cõmodius dixero Græcè) perpetuis attollere præconijs, & quod præstare non possum, saltem ab eo exigere uotis, qui sedulus est uirtutis spectator, ac solidum præmium. Ita enim fiet, ut gloria tua seculis omnibus uiuacior, nunquam sit intermoritura. Proinde quo testatißimus sit tuæ R. P. animus meus, beneficij accepti perpetuò tenax, hortatu nobilis & doctißimi iurium Doctoris Ambrosij Ypphoferi, Canonici tui, & patroni mei amicißimi, scriptoris illius, quo non est alter grauior, Plutarchi, commentariolos quosdam Latinitate donare tuæ R. P. auspicijs aggressus sum, utinam tam felici successu, quàm diligenti Ambrosio meo morem gerendi conatu. Quòd ex huius epistola didicerim, te illius autoris impendiò scriptis animum oblectare. Quippe qui non aliter quàm conuiuium lauticijs plurimis, ac epulis multifariam instructum, non modò delicato, sed etiam auidißimo lectori faciat satis. Mirum autem quàm mihi arrideat, quòd in hoc ab Erasmo nostro non dißides. Nam præceptor ille meus nunquam satis pro meritis laudatus, quum forte in lucubrationem meam de Musica incidisset, & me Plutarchi monimentis alicubi adiutum subodorari sese indicaret, neq; ego maximopere tum repugnarem: Rectè, inquit, agis Luscini, qui hunc autorem tibi facis familiarem. Est enim tanti apud me momenti, ut uel solum sui studioso eruditionem minimè uulgarè allaturum credam. Sunt autem hæc quibus admolitus sum manum, non usque adeo tum à pontificali dignitate, tum ab indole etiam tuæ R. P. ut ne dicam à nostra item religione, multũ abhorrentia. Quid enim tam salutare cognitu est, quàm uirtuti strenue nauaturo operam, quo pacto deesse non debeãt optima quæq; eò pertingendi quò tendit instituta? Deinde quando in omnium

omniũ uotis iam est felicitas, & nemo non execratur miseriã, ut nil aliud accedat, ex sola improbitate eam cõparari: Philosophiam deniq;, rerũ humanarũ moderatricem, ut nusquam non præsto esse gerẽdis negotijs debeat, nec ita liberali quoq; cõuiuio illam excludi fas esse. Hæc summa est præsentium Plutarchi lucubrationum, succinctarũ plane, si quis uerba numeret, cæterum si uim metiaris & energiã, iustis uoluminibus comperies cumulatiores. Quo magis mirandum, doctißime princeps, quis malus genius hanc opinionem mẽtibus humanis inuexerit, ut in huiusmodi Græcarum literarum monimenta, uentres quidam & pecudes malè feriatæ causam reijciant nocentißimæ horum temporum pestis, qua non usu uenit, id quod ijs de quibus sic cecinit poëta:

Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. Sed ne uniuersa in pristinum relabantur chaos, iam propemodum periculum est. Nisi enim maturè prospiciamus, quomodo illud non iamiam futurũ sit, sublata ecclesiastica monarchia & legibus, ego haudquaquam uideo. Atqui cum Græcorum decretis quo pacto utrunq; pugnet ex diametro, in procliui est indicare. Homerus in maximo procerum Achiuorum conuentu, multorum principatũ damnat, monarchiã asserit, Vlysse ita pronunciante:

Οὐ μίνπως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' ἀχαιοί.
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς. Et quæ deinceps sequuntur. Item quod ad leges attinet. Δημοδόκου δ' ἑάστῳ ἵρ' πόλεως ἔνι ψυχὴν πὸς νόμους. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα σιφυδὶν ψυχὴς πίπτει, ὄτω καὶ πόλις μὴν ὑπ' ὠμῶν νόμων καταλύεται. Sed de his alibi copiosius. Quæ tua est bonitas, summa eruditio pari iuncta elo

quentiæ, princeps humanißime, tuiq; similium episcoporum, sesis iam rebus Christianis, ad eum modum quo nuper coràm commentabamur, succurrite, & quò facilius potestis, eò etiam propensius uelle debebitis. Peculiaris hæc laus est Brixinensis ecclesiæ, uiros insigniter eruditos illi nunquam defuisse. Atq; isthuc cum aliás, tum uerò hac potißimũ tempestate uidere licet, qua doctißimus ipse apprime doctis Canonicis præsides: ut ne obtiteam nobilitatem generis, singularem animi candorem, & morũ festinam quandam comitatem. Quæ ut donemus alibi paria inueniri singula, uix tamen eodẽ credimus usquam omnia confluxisse. Deniq; si uerum est quod dicitur, expertos in omnibus melius iudicaturos, dabitur mihi uenia, si laudatißimum μονόλογον Brixinense, quod toties sensi non esse sibi dißimule (id est semper beneuolum, & Gratijs quoq; ipsis humanius) meritæ nõ fraudẽ gloriæ, quam illi quoq; uelim esse sempiternam, & ita indies gliscentem, ut tua R. P. simul cum ipso, omnem maiorum splendorem superet, & posteris perpetuum fiat uirtutis & eruditionis exemplar: Cui me meaq; omnia dedo & commendo unicè. Valeat tua R. P. & Canonicis uenerabilibus, longeq; doctißimis Doctoribus, uel Ypphofri nostri ore salutem meoq; nomine comprecetur. Iis saltem quorum etiamnum teneo nomina, clarißimo D. Ruepero Decano, Blasio Aichhorn, utriq; Stamlero, Ludouico Emerschofer, Nicolao Leopoldo, Sigismundo Han, & si qui sunt quorum mihi exciderunt nomina. Valeat denuo R. P. T. Ex Argentorato.

PLVTARCHI CHAERONEI LIBER DE EO QVOD DOCENDA SIT VIRTVS.

Ottomaro Luscinio interprete.

DE uirtute consultamus & ambigimus, num docendus sit quispiam ut recte sapiat, iustè agat, ac bene uiuat. Miramur deinde si rhetoribus id detur negocij, aut magistratui, ædificatoribus, uel agricolis, nulleq; id genus alijs, quòd uiri boni nomen duntaxat obtinent Hippocentauri, Gigantes & Cyclopes, in quibus tamen nihil inculpatũ aut innocuum, si res gestas excutias, quod ad uirtutem attineat, neq; mores à prauis affectibus liberos & incorruptos inuenias. Atq; ut donemus naturam sua sponte in illis honesti quippiam decoriq; producere, id tamen rebus longè dißimilimis & alienis, ceu fructus quidam syluæ incultæ agrestiq; implicitus, floccescit nimirum, planeq; obscuratur. Canere proinde discunt homines, saltare, literas, agriculturam, equo insidere, calceari, uestiri, pocula ministrare, & coquere. At quæ, malum, demẽtia est, ô mortales, quum hæc omnia præter disciplinã non liceat commode agere, ut uos probè homines uitam instituisse, nulla disciplina, nulla adhibita ratione aut arte, sed fortuito putetis cõtingere? Adde quòd uirtutem quum discendã negamus, prorsus tollimus, quando disciplina generatio quædã est, qua fœtus in animo discentis à doctore producitur. Itaq; si à discẽdo mor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tales cohibeas, & doctrinam omnem sustuleris, uideberis haud dubie cuncta extinxisse, rebusq; ipsis perpetuum inuexisse interitum. Cæterum ut autor est Plato, ob pedis ad lyram imparilitatem, dum malè congruit cum modulatione saltatio, neq; frater unquam cum fratre pugnam capeßit, aut amicus dißidet amico, urbes'ue inter se hostiliter decertant, ut extrema quæq; & facere & pati cogantur. De accentus item ratione nemo dicere poterit, aliquando in ciuitate ortam seditionem, nũ uidelicet Telchinas penanflexè, aut aliter sit legendum. Ad hæc in ædibus fortè priuatis inter maritum & uxorem nulla adhuc nata dissensio est super telis, stamen'ne an trama subtegmẽ ipsum uocetur. Et hæc quidem quum ita se habeant, nemo tamen libro protinus, aut telæ lyræ'ue manũm admouet, nisi peritus. Etiamsi non sit periculum, ne quid inde accidat incommodi: at nemunem non pudet haberi ludibrio, cunctisq; ridiculum fieri. Adeò ut Heraclitus insciti non absurde, cælari magis quàm turpiter prodi uoluerit. Atq; idem ille uxorẽ, domum, remp. aut principatum rectè tractari ab alio quàm perito arbitrabitur? Diogenes igitur puero quodam obsonium comedente, pædagogo illius manum impegit, scitè admodum ei qui non doceret, non illi qui nihil disceret, peccatum imputans. Deniq; communis ille catini usus & calicis, haudquaquam ulli decorè contingit si à puero non fuerit apte assuetus, ut ne dicam turdos etiam edere, obsonari, ac pedes simul continere: Et nos rem familiarem administrare gnauiter, remp. coniugium, alimoniã, & principatum, mutuisq; pro dignitate rei cuiusq; respondere officijs, rudibus citra erratũ putabimus ac fortuito accidere? Aristippus à quodã interrogatus, an esset ubiq; subridens, ait: Naulum igitur mihi, si nusquam

nusquam non sum, indubie non perierit. Ad eum sanè modum si non fiunt mortales disciplina meliores, periisse impendia dixeris quæ fiunt in pædagogos, à lacte ipso primum pueros in disciplinam accipientes. Nam ut nutrices manibus corpus effigiant, ita illi mores componendo, in primũ uirtutis uestigiũ collocant. Et Spartanus ille rogatus, quid cõmodi afferret præceptorũ opera: Honesta, inquit, pueris illi faciunt iucũda. Docent proinde, quo pacto incedentes proni incumbant itineri: digito salsamentum uno cõtingant, piscem geminis: cibũ aliter discindãt, aliter carnes: palliũ corripientes corpori quomodo apteẽt. Igitur quod dicat aliquis aduersus impetiginẽ & reuuiam paratam esse medicinam, laterum autem dolori, febri & insaniæ nihil esse quod medeatur: Hoc perinde est ac si cõtendas, minutulis rebus & puerilibus instituta quædam, ac proditas esse rationes, certáq; rei gerendæ consilia, cæterũ arduis illis atq; perfectis nullã esse moderationem, adeoq; uanam in ijs tractandis exercitationẽ, tum nihil præter miseriã uideri. Deniq; ut ridiculus habetur qui dicit: Oportet remum impellere eum qui didicit: Ita & is quoq; qui alijs artibus permittit disciplinam, & ea spoliat uirtutem, diuersum sanè nonnihil agens à Scythis: Illi enim, ut testis est Herodotus, seruis eximunt oculos, nempe mancipijs. Verum hic noster seruilibus & ancillantibus disciplinis rationẽ ceu oculũ imponẽs, uirtuti eam uidetur adimere. Iphicrates dux ad Calliã Gabrij filiũ sciscitantẽ, quis nã est nũ sagittarius, scutifer, eques, aut armiger? Nihil horũ, inqt, sed omnibus hisce imperãs. Fallor igitur si nõ desipit, qui iaculatori, arma gestare, fundã impellere, et eqtẽ agere, iudicabit ad doctrinã ptinere. Imperiũ aũt administrare, et ductitare exercitũ, ita ut forte cuiquã

Præceptores ad quid conducant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa obuenerunt, adesse. Adde quòd maiori laborat uecordia, qui prudentia hæc posteriora geri diffinierit, nihilq; tribuit doctrinæ, sine qua tamen perspicuũ est, nullũ aliarũ artiũ esse incrementũ, nullũ operæ preciũ. Postremo obscurum non esse arbitror, ducem hanc esse rerum omniũ, certamq; rationem & ornamentum, quæ ad bonam frugẽ sui studiosos solet perducere, uel hoc potissimũ argumento, quòd nisi quis maiore affectu ministrorum quam artis præscriptiq; cuiusdam & legis conuiualis teneatur, non deest ne cœnæ quidẽ sua gratia, si pueros habeat pocillatores, ad assandũ, partiendũ obsonia, reliquaq; id genus gnauiter obeũda munia exercitatos, arteq; instructos.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI COMmentarius, in quo quærit, num improbitas sufficiat ad infelicitatem.

Ottomaro Luscinio interprete.

MANENT corpus hoc nostrum (ut auctor est Euripides, & planè cõprobauit rei cuẽtus) ceu dotis nomine, certa quædam acceßio, momentanea minimeq; stabilita bona. Quæ illi instar opum Tantali, non multos cineres, sed mare & rogum quendam regium penetranti, ambusto, anhelo, pauido, marinoq; sudore madenti proposita sunt. Ita tamen ut ijs præ negocio frui non posßit. Rectè igitur Sicyonius ille equorum altor sapere uisus est, quòd Achiuorum regi ex equis cursoribus fœminam dono dederit, ne ad celsa Troiæ mœnia illum sequeretur. Quin magis domi suæ manendo sese oblectaret, dum opibus inexhaustis, dul

stis, duleiq; ocio totus incumberet. At nostra hac tempestate, qui sirenui ac indolentes habentur, diuerso quodam studio, ne uocati quidem, ipsi sese urgent, & aulæ principis insinuant, multitiæ illius ac custodiæ ærumnis scatenti colla submittentes, quo equũ aliquem bullam'ue, aut aliud huiusmodi quippiam felicitatis assequantur. Illius etiam uxor in luctu iã olim relicta erat, paria Phylace, domoq; semiperfecta, simul post se desertis, dum ipse attritus ac probris affectus, in pernitiem adduceretur ab ijs in quos spem omnem collocauerat. Atq; ut maximè aliquis assequatur ea quæ expetit, agitatus tamen & defatigatus fortunæ ludibrio, ad fugam tandem adornatur, illosq; uerè beatos prædicat, qui ignobiles in tuto uitam agunt. Rursus illi hunc suspiciunt, felicem æstimantes, quòd sibi uideant prælatum. Itaq; quis nesciat mortaleis omnes ita improbitate ac malitia inuolutos, ut si desint instrumẽta & operarij, abunde magnus artifex infelicitatis sit peruersitas? Iam alij tyranni dum efferato animo student quos cruciarint infelices reddere, carnifices in id alunt negocij & tortores, cauteria atq; alia id genus tormenta fabricant. Atqui improbitas nullis machinis, nulloq; apparatu, sed sola præsentia, animum atqueadeo totum hominem labefactat ac deijcit, deniq; mœrore, luctu, angore, & pœnitudine prorsus implet. Hoc nimirum argumento, quòd uideas complures dum magno cruciatu conscinduntur, silere tamen: alios tolerasse flagella, pleroſque à tyrannis aut heris tortos uocem non emisisse, eò quòd animi ratione occlusa, sonitum non aliter quam manu quadã compresserit ac detinuerit. Cæterum animo quanquam imperes quietem, aut in luctu inbeas conticere, non tamen hũc à metu miseriæ ullis persuasionibus retrahes, aut certè le

De Protesilao loquitur, qui in primo cõflictu Troiani belli occubuit.

nias, ut anxius ex pœnitudine non uociferet, capillos corripiat, ac pulset membra. Ita est improbitas ferro aut igni quocunque uiolentior. Vrbibus præterea sicubi decretum est impendia facere in templa aut colossos, artificum certamen de sumptu & opera audiunt, tum curatis ex præscripto rationibus, & rei extruendæ figuris, eum deligunt opificem qui minore impensa melius absoluit atque celerius. Age igitur liceat nobis quoq; ad eum modum impendia in hominem uitamq; infelicem proponere. Et ut diuersi accedant artifices, fortuna & improbitas, prior ille apparatu uario machinisq; sumptuosis instructus, ad uitam infelicem & miserabilem fabricandam, latrocinia quædam & bella, cruentas tyrannorum cædes, marinas tempestates, quid dicam? & fulmen è cœlo quoque detrahat: ad hæc uenena commisceat, gladium porrigat, sycophantas, alienorum militum fœcem uniuersam conuehat, febrium incendia suscitet, pulset natos, & extruat carceres. Quanquam bona pars ex hisce rebus ad improbitatem magis, quàm ad fortunam pertinere uideatur. Sed esto sanè, cuncta sibi uendicet fortuna: at ex aduerso consistens improbitas, nuda prorsus nulliusq; rei, earum quæ extraria sunt homini, indiga, fortunam interroget: Qua ratione hominem tu reddes deiectum & miserum? Inopiam minaris? Atqui irridet te Metroeles, qui dum in dolijs hyemaret, & in delubrorũ uestibulis æstates ageret, Persarum regem qui in Babylone hybernis mẽsibus tum erat, & prope Mediam metebat, in certamẽ ob felicitatem uocabat. Seruitutem affers, & uincula, tum uenditionem? Despicit te Diogenes, qui à latronibus ueundatus exclamauit, Num quis uellet emere dominum. Poculis cicutam cõmisces? At nunquid Socrati illam præ-

gustasti?

gustasti? qui comis, placidus ac intrepidus, colore ac uestitu nihil mutatus, mirum quàm facilè uenenum hausit. At ignem nondum oblatũ, tibi Decius Romani dux exercitus iam olim præripuit, quando in conflictu bellico, legionibus imperans, Saturno sese pro imperio litauit ex uoto. Apud Indos præterea mulieres castæ & maritorum amantissimæ, circa rogum uiri defuncti contendunt, & inter se pugnam ineunt: Ex his quæ superat, simul cum marito igni traditur, reliquæ conflagrantem beatam canunt. Proinde sapientum illic nemo eximius longeq; felicissimus habetur, qui non uiuus, corporis uiribus animiq; etiamnum sanus & integer, in igne à corpore animam deponat, purusq; decedat è carne mortali, flamma repurgatus. Sed à re familiari præclara, domoq; ac mensa sumptus non mediocris ad lacernas, peram, & mẽdicitatẽ diurni uictus adiges? Atqui fuerunt hæc felicitatis auspicia Diogeni libertatis & gloriæ Crateti. Tolles autẽ in crucem, aut palo transfiges? Verum quæ cura Theodorum solicitat, ut subter humũ conditus putrescere malit, quàm ad auram? Apud Scythas ea felicitatis est portio, ut sepulcrum cõtingat? Cæterum Hyrcanorũ canes, & Bactrianorum uolucres, ex legum quodã præscripto mortuos uorant, quo finẽ beatũ sortiãtur. Sunt igitur quos prædicta hæc infelices reddunt, fatemur. Sed ignauos istos, effœminatos, improuidos, & nullo rerũ usu exercitatos. Quippe qui nullis ad ueram gloriã stimulis aguntur, sed stultam illã mordicus suã, atq; adeo prorsus uanã retinẽt. Vnde persuasum habeamus oportet, fortunã nõ nisi improbitatis præsidio infelicitatis esse effectricẽ. Perinde enim atq; trama cinere & aceto madẽtia ossa secãtur, et ebur Zytho liquescẽs, et ad omnẽ ductũ sequax, flectitur ac formas diuersas

suscipit

suscipit, alioqui contumax: Ita fortuna in molliculum & indulgentiorem ex improbitate effectum, forte incidens, excauat planè hominem ac uulnerat. Et quemadmodum externus alieno cœtui se immiscens, etiamsi innoxius sit, & nemini iniurius, tamen uulneratus quamprimum perit: nimirum quia suo in eam calamitatem tractus fuit affectu: Ita cuius animo pernitiem fortuna uidetur allaturā, subtercutaneum in sese ulcus ac peculiare malum circumferat necesse est, ut aduentitia extrorsum, miseriam & dolorem efficiant. Postremo finge malignitatem in parienda infelicitate, fortunæ adminiculis maximopere egere. Vnde fit obsecro, ut asperum pelagus tempestatibus sæuiens ac fluctibus, non dirimit in montium declius solitudines, ubi itinera latronum patent insidijs? Aut qua ratione nimbi grandine uastant agros ac segetes, quū nulla fortuna Meletum, Anytum & Callixenum, imò & calumniæ autorem aliquando deijciat opibus, aut arceat magistratu, quo illos reddat infelices? Verum quid ego de infelicitate loquor? quando propensior est illa etiam in istorum uota, quòd affatim accumulet opibus, ita ut affluant quoq;, & terris hæreditates adeant, dum hæc mariapenetrarit ac præsto ijs fuerit præsenti ope, modò blanda leniendis affectibus, mox animo inflammans, iam concutiens superstitionibus, postremò etiam ex oculis ipsos subducens.

Fortuna improbis propitia.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI PROblema, num Philosophari conueniat inter pocula, ex primo Symposiacon eiusdem.

Ottomaro Luscinio interprete.

QVOD uulgo dici solet, Odi memorem compotorem, ô Sosie Senecion, quidam in præmolestos & nimium pertinaces compotationum magistros rectè aiunt competere, quòd Dores in Sicilia cōuiuiorum ac mensiarum præpositum cōpellando, haud ita multum absurdè Mnamona, id est memorem, uocitarint, neq; desunt rursus quibus de hoc adagio alia insedit opinio. Præscribi enim eo legē quandam putant conuiuijs, ne ulla dictorū ibi factorumq; posthac habeatur memoria, quando obliuionem & ferulam patrio instituto maiores Baccho consecrarunt, ceu uel parum conueniat, erratorum inter pocula deinceps comminisci, aut si qua in parte peccatum sit, puerilis ac leuis reprehensio sufficiat. Nam & tibi iam planè perspicuum est, Verè sapientem esse ex Euripidis sententia, ineptiarum obliuionem. Cæterum si quis à uino & potationibus prorsus exulare uelit rerum gestarum memoriā, hic non modo Philopœo negocium facessere uidebitur, qui ad mensam egisse pugilem dicitur, sed & præstantissimum quenq; philosophorum ac eloquentissimum contra se testem admittat oportet, nempe Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Speusippum, Epicurū, Prytanem, Hieronymum & Dionem illum ex Academia. Quorum idem studium fuit omnium, quādoquidem operæprecium id quoq; uidebatur, inter pocula iactatos sermones literarum monimentis cōmendare. Deniq; haud mediocriter nobis

nobis iudicant profuturum, si passim non tam ea quæ inter nos, quàm quæ alibi per Græciam eruditè super cœnam dicuntur, stylo excipiamus, cum omnia, tum illa imprimis quæ bonam frugem sint allatura. Proinde in hoc ego totus incumbẽs, tres ad te libros cum singulis decem dedi propositionibus, mox daturus et reliquos, modò sint tempestiui, & à Musis Bacchoq; nihil abhorreant. Prima autem earum propositionum de philosophando est inter pocula, munitque illius apud Athenienses ortæ post cœnam quæstionis, Num utendum sit in combibonum conseſſu philosophicis rationibus, uel quomodo aut quatenus? Sanè Ariston forte tum præsens, Deum immortalem, inquit, inuenias nonnullos qui philosophis nihil cum uino & potationibus conuenire contendant, quique ita illos relegent à conuiuio, ut ne loco quidem ullo dignentur. Atqui ego amice, inquam, quos refers adsertores, nulli sunt. Etiamsi non sim nescius, quàm apposite quidam nobis obturbent, qui philosophiam decere haudquaquam existimant, ut inter pocula sermones misceat, non minus equidem, quàm uerendas ac honestiores matronas. Persas item ut consultò facere solitos ferunt, quòd ad ebrietatem & tripudia inuitant scorta & pellices, cæterum coniuges missas faciant, ne bonore uxorio abuti uideantur: Ita rectè facturos prædicant, qui nugacem & ioculatoriam adhibeant conuiuio, à philosophia autem ueluti supercilioſa, & iocorũ ignara, penitus temperent, ac eam ne digito quidẽ contingant. Quotus enim quisq; nostrûm est, qui inter cõuiuandũ aut uelit sapere, aut certè possit? Socrates itaq; sophista, uino & potationi indulgens auscultantibus, & crebro ad dicendum inuitantibus amicis, tantillum istuc respõdit: Quæ mearũ sunt uirium,

uirium, neq; huic loco conueniunt, neq; tẽpori: Quæ congruunt, in ijs ego parum ualeo. At ubi hæc refero, reclamat Craton, & age, inquit, per Bacchũ te obtestor, si nõ ueſanus abiurarit omnem prorsus rationem, quisquis hoc nixus argumento omnem è conuiuio gratiam sustulerit. Etsi non me clam est, quanto discrimine quis eliminet è compotatione rhetoricum sermonem, & philosophicum. Nam quod proprie ad philosophiam attinet, quæ ratio quædã est & disciplina uiuendi, si nihil habet quod delectet aut doceat, meritò exploditur: sin modũ rebus imponit, & opportunitatẽ agẽdorum consectatur, quis eã non admittat? Alioqui ne modestiã quidẽ, quod planè credidirim, admissurus, neq; iustitiã: æquè enim & in illis quoq; dimouendis honestũ causabitur. Porrò si cõmessationibus ac sympoſijs indulgendũ est ad eum modũ quo in sacris epulis Orestis illius insani cõuiuis, est quo nos in rudi & indomita turba nõ infeliciter philosophia solemur. Deinde si Bacchũ eundẽ esse constat, & Liberũ & Lydium, id est eum simul qui ad ingenuè agendũ instruit, & mores cuiusuis ut boni sunt mali ue, diligenter explorat, atque isthuc cum nunquã non facit, tum uerò potissimũ linguæ laxatis habenis, absurdũ esse puto, ut ne dicã etiam stultum, quòd intempestiuis clamoribus affatim per summã licentiam locus cõceditur, & uerbis à ratione profectis nil uspiam patere debet, dolẽdumq; apprime, si ijs destitui patiamur conuiuia. Quasi uerò in potatorũ conuentu de ijs solum inquirere liceat, quæ ad sese ingurgitandũ sint accõmodata. Quantũ uidelicet exhaurire queat compotor, & quo præscripto uino utaris, reiecta interim prorsus philosophia, haud aliter quàm si ea quæ ratione potest plurimum, in rerũ usu nihil ualere uideatur. Quando igitur

Bacchus. Liber. & Lydius.

tur tu Cratoni primas in hoc certamine tribuis, illiq; re-
luctari nefas ducis, etiamsi finem ille ac formulam ad po-
cula philosophandi neglexerit, id quod per lusum quen-
dam nō illepide apud contentiosos & sophistas, ad quos
eares potissimum attinet, tractaretur. Quòd uideas iam
in cœnam nos uenire, quo Martem simul adducamus
comitem. Itaque quum ad dicendum me ille inuitaret, ita
exorsus: Primum sedulò, inquam, conuiuij cuiusque ratio
mihi habenda uidetur, an uidelicet præsentes habeat com
plures ad bene dicendum appositos. Quemadmodum in
Agathonis conuiuio Socrates, Phædros, Pausanias, Eri-
machos, & quod pulchrius est, Charmides, Antisthenes,
Ergogones, & alios qui ad hosce propius similitudine
quadam accedunt, ut uidelicet tum permittamus eos iu-
cundis fabellis philosophari, Bacchum non tam Nymphis
quàm Musis coniungentes. Sic enim felicius gratiæ o-
mnis largitor utrisque comitatus accedet. Quarum illæ
corpus uoluptate quadam eximia capiunt, eæ autem &
animum. Nec obest quòd in tali doctiorum hominum cœ-
tu pauciores quidam indocti considant, nam ex ea con-
suetudine illi nonnihil accipient eruditionis. Et sicut mu
tæ literæ ex commistione uocalium in concinna & rectè
articulata erumpunt uerba: Ita rudes isti ex sapientū con
uictu & ipsi quoq; tum demū sapere incipient. Et diuerso
si in multitudinem indomitam incidamus, quæ omnē citra
delectū alitem, fistulam, aut chordam quàm philosophum
audire malit, sanū illud imprimis tyranni Pisistrati consi
lium nobis captandū existimo, qui orto inter se & filios
dissidio, quum inimicos ex hoc uehemēter lætari animad-
uerteret, cōcionē cogit, atq; nihil tam se cupere ait ex ani
mo, quàm ut dicto audientes habeat liberos. Verū quia id

perquam

perquam difficile factu sentiret, in contrarium mutatam
esse sententiam: Quippe qui iam parendum sibi censeret
filijs, illorumq; sequi uellet decreta. Ita philosophus sicubi
conuiuas se nactum senserit nihil attētos, si quà citra de-
decus fieri poterit, leuiter & quasi per transcursum dili-
gere conabitur, & amplecti illorum mores: Quippe non
admodum nescius, rhetorum quidem id esse muneris, ut
oratione & dicendi copia professioni suæ respondeant,
cæterum philosophos quoq; haberi eos qui taceant ac col
ludant, simulq; dum sales uicissim inter alios & iactitant
& accipiunt. Deniq; sicut extrema est peruersitas, ut ait
Plato, quum prorsus iustitia uacet, ad id tamē eniti, ut uir
bonus esse uidearis: Ita prima est sapiētia ut philosophum
agas, neq; tamē illud ex professo, sed quasi per lusum atq;
iocum agas quæ sunt hominum doctissimorū. Nam sicut
Mænades apud Euripidem, inermes quidem illæ & sine
ullo ferro, minutulis quibusdam thyrsis ferientes, eos quos
adoriuntur uulnerāt: Ita uerorum philosophorum urba-
ni morsus, quos ridentes quoque torquent in eos qui non
ita prorsus sunt inuulnerabiles, nonnihil commouent illos
ut sui dissimiles reddantur. Cæterum ut ego quidem ue-
nari coniecturis ualeo, ex uarijs sermonum generibus nō-
nulli conuiuales dicuntur, atque illi nimirum quos exhi-
bet historia, quosq; in promptu est è medio rerum huma-
narum usu accipere. Quod genus sunt ad philosophiam
exempla, & pleraq;, ad pietatem ac fortium & magna-
nimorum uirorum egregia facinora. Proximi deinde qui
in humanitatis & beneuolentiæ affectum ui sua rapiunt
auditores, atq; ijs si quis obiter, & fermè ita ut nemo de-
prehendat utatur, probè nimirum edocuerit potatores,
dictuq; haud facile, quantis incommodis exemerit ebrie-

Ff tatem.

tatem. Huc accedit, quòd alij bugloſſam admiſcent uino, & rebus conuiualibus plurimum Ariſtonis, pauimẽto capillum Veneris aſpergunt, quòd herbis huiuſmodi conſentaneum ſit lætitiam inter conuiuas ac beneuolentiam coaleſcere. Idq; non ſine Homericæ illius Helenæ exemplo, quæ mero medicamenti nonnihil adhibuit. Quanquam nondum mihi perſpicere illi uidentur, quod ea fabula ab Aegypto itinere longo circumlata, uerbis benignis ac placidis decorè admodum finierit. Siquidem Helena in Homeri Odyſſea conuiuis narrat,

Quid toleraſſe uelit, fortis quid fecerit aut uir,
Vt feriat patiens immiti uerbere corpus.

Nepẽthes pharmacũ quo uſa eſt Helena.

Et hoc planè erat Nepenthes pharmacum, & nihil planè aliud quàm indolentia: ſermo utique tempeſtiuus, & rebus præſentibus gnauiter gerẽdis aut ferendis ex æquo accommodatus. Proinde qui ciuiliores habentur, etiamſi pro tempore non ineptè referant philoſophos, nihil tamen uidentur uiolentis urgere demonſtrationibus: ſed ueriſimilia magis leni ſuadela ſectantur. Itaq; Platonem uideas in conuiuio, ubi rem perpetuis agit dialogis, de ſummo bono diſſerit, & prorſus partes ſuſtinet Theologi, non tamen intendere neruos demonſtrationis, neque ut alibi aſſolet, cauſam fulcire coloribus, ac robur tale addere, quod euincere nequeas. Quin magis quibuſdam mol liuſculis lemmatis, exemplis, & lepidis fabellis, homines quò mauult adigit. In conuiuio igitur agitari conuenit quæſtiones mutiores, problemata familiaria, interrogationes iucundas, non captioſas ac lubricas, quibus rudiores illaqueentur, aut quas auerſati ſuffugiant ac declinent. Quemadmodum autem in cõuiuio per choreas & tripudia moneri combibones legibus eſt permiſſum, at armis in ſeſe

in ſeſe mutuis concitari, aut ad iacula urgeri, non modò inamœnum efficit conuiuium, ſed & noxium eſt atque peſtiferum: ita animos faciles haud dubie quæſtiones & iucundæ, non ſine fructu demulcent & delinimentis agitant: amarulentæ ac nimium intricatæ iuxta Democritum, quando difficultatem ingerunt imperitis, triſtes auditores reddunt & anxios. Id enim apprime expedit in cõuiuijs, ut ſermonis eadem ſit quæ eſt uini cõmunio, quod omnes citra delectum bibũt, nulla dignitatis habita ratione. Cæterum qui perplexas quæſtiones inter conuiuas ſuſcitant, quantum ad communionem & mutua beneuolentiæ officia attinet, non ſunt grue illa Aeſopica uulpeculæ ue multò æquiores. Fabella ſic habet: Vulpes uafra in lato lapide fabas elixas grui conuiuæ appoſuit, uerum ſine ullo eius emolumento: quippe oris acumini quoties lubricæ admouebantur fabæ, mox elapſæ ridiculam omnibus gruem fecere. At rurſus alibi grus uulpi in lagena cœnam apparat, ſibi quidem ſatis idoneam, quòd ob colli longitudinem & exilitatem, demittere in deciue roſtrum per lagenæ anguſtias facilè poſſet, & illinc cibum ſumere, atqui uulpecula tali opportunitate deſtituta, inediam perpeti cogebatur. Ad eum ſanè modum philoſophi quidam intempeſtiuas argutias & dialectica problemata cantillantes, obturbant alijs qui concinere huic cantilenæ parum callent. E regione alios uidere eſt, longè diuerſo intentos carmini, nempe nugacibus deliramentis, dum uerbis ſellularijs et forenſibus obſtrepũt: quibus utrinque diſſidijs id in conuiuio perit quod in primis ſpectabatur, & cuius ſolius ratio erat habenda, dulcis uidelicet & iucũda amicorũ cõſuetudo, atq; ita fit ut Bacchus uergat in cõtumeliã. Vt autẽ Phrinichi & Aeſchyli

Sermonis eadẽ ſit quæ uini cõmunio.

tragœdiã in mediũ afferentes, quo affectus moueant, protinus audiunt: quomodo hæc ad Bacchum? Ita mihi nõ semel cordi fuit, dum potatorum coronæ permistus essem, in qua de principibus & republica uerba fiebant, ut hominem satrapam compellarem: Heus tu uir bone, num hæc ad Bacchum? Nam ut donemus calice in medio posito, sertisq; inter conuiuas uiritim distributis, quæ uindex ille noster Bacchus uereq; liberator nobis imponit, canere quempiam ea quæ uocantur Scolia, non tamen pulchrum id quidem est, neque conuiuio accommodum. Quanquam isthuc non ea ratione, quòd ex obscurorum cantionum genere illa esse perhibeantur: sed quia primo omnes pari concentu Pæana deo canebant: deinde alterum carmen cœptum, quo myrtum ex ordine uicissim modulaturi accipiebant: id quod uocabant Asarcon, ab eo quòd à cantu cessans alium sufficeret, ut crediderim, appellatũ: Quum non ita multò post circunlata lyra, argute pulsarent artis periti, omissis illis qui à musica erant alieni. Scolium planè hoc uocatum, quod neque commune esset omnibus, neque admodum facile. Etiamsi non sum nescius plerosq; alia teneri sententia, qui myrtum eo quo prædiximus ordine circumferri negant, sed de lecto potius in lectum transmitti: Primumq; canentem primario secundi hanc missitare solitum, & illum mox tertij lecti primario, post hæc secundum secundo: adeò ut ex illa uarietate et præter ordinẽ facta missitatione cantile na nomẽ inuenerit.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI libellus, de Fortuna.

Ottomaro Luscinio interprete.

Auspicatur ab absurdo, rationem temere negantium.

FORTVNA primas tenet in rebus mortalium, cunctaq; illius ductu magis quàm cõsilio ullo reguntur. Atq; hoc si ita habet, mox incidit quæstio, Num iustitiã aliquo loco inter hominum negotia dignemur, aut æquabilitatem, moderationem, siue decorem & uenustatem. Nisi enim hoc cõcesserimus, Aristides ille fortunæ adactus imperio, per illam tolerasse inopiam credendus est, quum magnam pecuniarum uim habere potuerit. Et Scipio capta Carthagine fato quodam non modò non attigit prædam, uerum ne aspexit quidem. Sic Philocrates pecunia à Philippo rege missa non usus, scorta & pisces ceu res superuacaneas coëmit. Et Lasthenes simul cum Euthycrate Olynthum urbem perdiderunt, felicitatem uentre & rebus turpissimis dimetientes. Item Magnus ille Alexander fortunæ impulsu à captis mulieribus præstanti forma sibi temperauit, idemq; alibi de conuiciatoribus pœnas sumpsit. Paris quoq; Troianus malo genio adactus, & infelici fato, alienæ commistus est uxori, domumq; illam ducens, patriæ immensam cladem attulit. Atq; hæc omnia si quis contendat nullo consilio, sed fortuna cogente facta, cur non uidemus itidem alia animantia, in quibus nullum uiget consilium, fortuna quapiam ad insolita rapi, ut uidelicet feles, & simiæ non liguriant nec uorent edulia, & prorsus à lasciuia temperent? Porrò si ulla est temperantia, si iustitia, & fortitudo, cur non æquè prudentia? si

Ne bestiæ quidem fortuna regantur.

illa, quare non ratio, sanumq; consilium? Quando temperantiæ multũ cum prudentia cõuenit, ut aiunt, & iustitia plurima eget prudentia, aut certè illam planè refert. Itaq; prudentiam & cõsilium, quibus boni uiri à uoluptate sibi temperant, continentiam appellamus & moderationem.

Continentia. Fortitudo.

Circa labores & pericula fortitudine opus est & patientia. In hominum uerò societate & Reipub. administratione, leges colamus oportet, & iustitiam.

Iustitia.

Vnde si res sano consilio gestas fortunæ tribuamus, esto sanè, concedamus illi & ea quæ propria sunt iustitiæ, & prudentiæ, ut iam furari item pertineat ad fortunam, & crumenas abscindere, atq; per omnia libidinum genera diffluere, quod nil iam est aliud, quàm dimissis proprijs, atqueadeo domesticis uiuendi rationibus, fortunæ non aliter atq; uento sese tradere, quæ uiles ceu pulueri concitet & dispergat. Si igitur consilio locus non est in rebus mortalium, profectò exulabit item uoluntas, & tota illa ratio considerandi ac inquirendi quod deceat, & ex re nostra fore uidebitur.

Rationem hominis nonnihil posse.

Iamq; mendacij arguamus Sophoclem, qui astruit nihil tam esse ab humana cognitione remotum & abstrusum, quod non quærendo inuestigari possit. Deinde partitur quod proposuit. Disco enim, inquit, ea quæ alij docuerũt, inuenta illorum disquiro, & alia à superis optanda precibus obtinere cõtendo. Quid igitur inuentum esse in uita poterit honesti, & cõmodi, si omnia agit & perficit fortuna? Cur non diruimus per urbes, prætoria senatorũ, & principũ aulas, procerũ uenerandas cõcilijs, quãdo omnia

Fortuna quomodo cæca.

potest fortuna illa cæca? Sic enim illam per contumeliam inceßimus, dum cæciores ipsi in eam impingimus, consilia sana nobis eruentes quasi oculos, cæcumq; hũc ducẽ uitæ pædagogum statuentes. Cæterum dicat nunc quispiam ex

ex nobis, fortunã in rebus mortalium dominari ipsis uidentibus, neq; oculos asserre lucis ministras (ut ait Plato) & aspectus. Eandem præterea fortunam audientibus itẽ præsidere, quanquã uim eam non habeat, uerberatũ acrẽ per aures in cerebrum transmittendi. Rectè enim habet, quòd in sensus non fatemur dominari fortunam: Quia uisum, auditum, gustum, odoratum & reliquas corporis uires, natura consilio subdidit & prudẽtiæ. Nam mens planè ipsa est quæ uidet auditq;, reliqua surdescunt & cæcutiunt. Et quẽadmodum si careamus sole, per reliqua astra perpetuã egerimus noctem, ut ait Heraclitus, ita quod ad sensuum uirtutem attinet, nisi mens hominibus adsit & ratio, nihil in hac uita à brutis differramus oportet: Neq; iam à fortuna aut uoluntate constamus nobis, aut præstamus cæteris animãtibus, sed Prometheus furtim è cœlo nobis afferẽs ignẽ, id est rationẽ, omnia ista suppeditat. Et ut Aeschyli utamur uerbis, equorũ & asinorũ ille admissarius, taurorumq;, fœtũ reddens uicißim, omniq; leuans labore. Proinde quũ ualidißimũ quodq; animãtium natura sua probè nouerit uti, alijs cornua armorũ uice accipientibus, alijs stimulos, dentes alijs, & ut scriptum reliquit Empedocles, Echinus acutis telis, horrẽdoq; dorso plurimũ est formidabilis. Vt addã insuper, alia uestiri squamis, alia uillis, multaq; armari ungulis asperrimis: Solus homo, ut meminit Plato, nudus, inermis, neq; calceatus, neq; penulatus à natura relinquitur, contenta tamen unum illi dedisse quod omnia molliat, nempe rationem, curã & prudentiam. Iam dispiciamus quàm tenue sit robur humanũ, & tamen industria, plurima conficiuntur, terra mariq;, & summis montium iugis, quæ miranda prorsus uidentur. Equorum leuitas insignis, miraq; pernicitas, nunquid

Naturæ operatio fortuna non eget.

Rationis miranda uis.

hominis ingenio paret suo cursu? Et canũ iracundia in pugnã procluuis, num defendit hominem? Sic piscis, & plurimi pulpamenti sus, nõ modò cibant, sed & delicias præstant ad luxũ. Proinde quid maius habet natura elephanto, aut quid terribilius? atqui ludis hominũ iandudum paruit ille in spectaculis: Discit enim saltare, tripudia in choreis, & honorẽ exhibet geniculatione. Et hæc quidem recensere existimauimus operæprecium, quo perspicuũ fiat, quatenus hominem euehat prudentia, quatenus præstare etiã faciat cæteris, ac potenter dominari. Non enim pugiles & palæstritæ sumus atq; cursores omnium optimi, sed animãtibus alijs longè inferiores, planè uincimur in hijs rebus. Porrò experientia, usuq; longo, memoria, sapiẽtia, & bonis artibus, Anaxagora teste, bona illorũ nobis usurpamus. Mel colligimus, & lac mulgemus, confrimus ac traducimus omnia in usum nostrũ, ita ut nullæ hic sint fortunæ partes, sed totũ agit consilium & industria. Cæterũ inter res mortalium habentur item fabrorum opera, eorumq; qui ex ære fundunt statuas, domos extruũt, & monumenta uirorum illustriũ, quæ dum uisuntur, nihil profecto præ se ferunt casu quopiã aut fortuna sic elaboratũ. Siquidẽ ut condonemus sapiẽti artifici in statua ærea aut domo absoluenda, fortunam bonã aut aduersam incidisse, atq; illã sanè admodum tenuem, quod reliquum est longè maius atq; præstantius arte nimirũ perficitur, ueluti testatum reliquit ille, qui artifices compellans ait:

Armis adeste uestris, artibus bonis,
Instructe grex, diuam uocate Palladem:

Ars laborat citra fortunæ opem.

Mineruæ enim tutelã gaudẽt artes, doctæq; illius deæ sentiunt opẽ, fortunæ haudquaquam. Aiunt tamen pictorem quendam equum expressisse, cætera & forma & coloribus insi-

bus insignẽ, uerum spumã circa habenas concisam, & exanheli ore sensim labentẽ dum reddere nequiret, ac erebro quod effinxerat deleret, irato tandem casu incidisse spongiã uarijs coloribus imbutã, in tabulam quã pingebat, miréq; absoluisse ac decẽter quod anxie desiderasset. Estq; hoc unicũ monumentũ fortuiti casus, sine artificio apti atq; decẽtis. Nulla præterea regio est quæ nõ libra, numeris, mensura & regulis utatur, ne in rebus gerendis locũ habeat temere & sine cõsilio cõtingens casus. Quãquam interea nõ abhorret à uero, quòd aiunt artes quasdam esse prudentias & rationes, aut quod ueri similius, semina quædã rectitudinis in cõmunẽ uitæ utilitatẽ insperfa, quẽadmodum fabella de Promethei igne alio atq; alio uiritim omnibus diuiso, sub inuolucro indicat partes prudentiæ in orbẽ particulis exiguis esse dispersas, deinde se recepisse in ordinẽ. Minimè autẽ mireris, quòd artes fortunæ auxilio ad hoc ut rectè operentur nõ egeant. Nulla enim ars inter alias præcipue eminet, adeò ut caput dici possit humanarũ inuentionum, laudis, & rectitudinis. Sed in chordarũ intensione & remissione consiliũ quoddã est propriũ & domesticum, quod uocant musicã. Item circa opsoniorum dispositionẽ alia quæ dicitur coquinaria, in uestibus uerò comandis fullonariam appellant. At liberos nostros docemus quo præscripto se uestiant & præcingant, deinde ut panem sinistra teneant, dextra accipiant cibos. Decet enim ut hæc non fortuito accidant casu, sed peritè fiant & cum attentione. Porrò si in his leuioribus egemus industria, cur adhuc dubitamus in rebus summis, quibus bona pars humanæ felicitatis constat, prudentiam rationi cõiunctam adhibendam esse? Terram proinde limosam nemo fortunæ relinquit, ut ex illa lateres confi-

Casus mirabilis.

Ratio casum aptẽ excludit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciat,neq; corũ poſsidens aut lanam ocioſus ſedet,fortunã precibus fatigans,ut ex hac materia togã & calceos paret. Sic qui aurum cõgerit & argentũ, mancipiorum gregem,multiſores domos,lecticas,& menſas affabre elaboratas ſibi conquirit,nemini hæc omnia refert accepta niſi rationi & induſtriæ,unde ea contingat felicitas,ut uitam uiuas beatam & nullius rei indigã. Cæterum perinde atq; dux Iphicrates reſpondit ad reprehenſionẽ ſibi indicatum, quòd non eſſet armiger,non ſagittarias,aut ſcutiferi: Noui,inquit,omnibus ijs imperare,& illorum uti opera. Sic ratio atq; prudentia non eſt aurũ uel argentum,non gloria,aut opum ingens uis, neq; item ſanitas, robur,aut formæ præſtantia. Quid eſt igitur? Nimirum ipſa,quæ ijs omnibus rectè ac decenter uti poteſt, & cuius beneficio quodlibet horũ plurimum ſuaue redditur,ac iucundũ,nec minus utile & honorificũ. Quòd ſi in rebus omnibus hac ſola careas, acerba, infrugifera, moleſtaq; fiant protinus reliqua neceſſe eſt,ita ut dominũ rerum ſuarum etiam pudeat. Huius rei gratia pulchre apud Heſiodum Prometheus fratri Epimetheo præcipit, ne dona Iouis celſo ab olympo miſſa accipiat, ſed remittat fortuita illa quæ foris ſunt,minimeq; ad nos pertinent. Non aliter ac ſi iuberet muſicæ imperito,ne lyrã attingeret:indocto, ne rem haberet cum literis: & equitandi neſcio, ne conſcenderet equum: Atq; ad eum modum inhiberet ſtulto Reipub. gubernacula capeſſere,ſordido ac tenaci opes affectare,muliebriq; ſuccumbenti amori,uxorẽ ducere. Felicitas enim in rebus agendis,ſi Demoſtheni credimus, ſtultum complexa uirum,prorſus inſanire facit. Atq; eadem inſano, turpia perpetrandi certiſſima occaſio eſt.

Ars non expectat fortunam. Opes arte parantur.

Ratio eſt communis bonis omnibus.

Fortuna abeſt ratione nõ uitiũ.

FINIS.

PLVT

PLVTARCHI CHAERONEI commentariolus De uirtute & uitio.

Ottomaro Luſcinio interprete.

VESTES conſouere quidem uidentur hominem,at nihil habent in ſe caloris, neq; illum poſſunt corpori miniſtrare, quãdò ſuapte natura gratiſſima quæq; ueſtis mire friget,ueluti experientia docet febri æſtuantes, dum ſubinde mutatis ueſtibus quærunt refrigeria. Verũ qua ratione ab amictu calefiamus, paucis accipe. Calor ipſe ex humano corpore effuſus,à ueſte ſuperiniecta excipitur, ac retinetur,mox in omnes diuiſus partes,inq; corpus quodãmodo adactus,diſpergi & perire nõ ſinitur. Hæc quum ita ſe habeant in rebus humanis, falluntur longè, qui magnas & ſumptuoſas ſibi circundãt domos, mancipiorum turbam, opesq; inexhauſtas cõgregant, hac ſola ſpe freti ut uiuãt iucundius,quãdo dulcedo uitæ atq; hilaritas haudquaquã in rebus externis ſita eſt, ſed potius ex domeſticis & ſuis, id eſt ex propria animi uirtute, homo ueluti ex fonte, uoluptatem ſibi comparat & gratiam,dicente poëta:

Homioſis uenuſta.

Felicitas nõ fortuito, ſed ex ſe contingit.

Eſt honorata domus magis hæc ubi flamma relucet:

Opes enim plus habent uoluptatis, gloria multò eſt illuſtrior,& potentia item,ſi in animo ſolidum poſsideas gaudium,unde inopiam,exiliũ & ſenectam quoq; ipſam leniter & placidè ad patientiam morumq; lenitatem traducere poſsis. Et quemadmodum aromata trita etiam lacernas ſuaui replent odore, Anchiſæ ueſtimento contrà tabo fluente,ut ait poëta, & tetram ſaniem ſtillante purpura: Sic cum uirtute uictus omnis,totaq; uiuendi ratio amœna

eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

est & periucunda. Vitium uerò etiam quæ splendida apparent & preciosa, multumq; honesta, contaminat, molesta illa reddens, horrida & abiecta suis possessoribus, adeò ut rectè dictum sit:

Quem uulgus in foro beatum prædicat,
Domum petens est omnium miserrimus.

Vxor enim ibi imperat omnibus, leges imponit, sæuoq; cuncta Marte conturbat. Atqui muliere improba facilè careat quispiam, & in libertatem sese uendicet, modò uir siet, & non uile mancipium. Porrò aduersus suaipsius mala nemo scribit repudij libellum. Neq; enim fieri potest, ut dimittas atq; sedes ea mala quæ occuparūt uiscera, & intimas medullas, iamq; simul à teneris coaluerunt et nocties & dies: Inflammant enim miserum occultis uiribus, effœtæq; tradunt senectuti: Molesti planè hi tui sunt comites, ob nimiam arrogantiam: Sumptuosi conuiuæ, atq; æris prodigi, crapulæ gratia, simul tecū cubantia summo cum dolore, ob solicitudinem & curas ac zelotypiā, quibus dulcem excutiunt somnum, prorsusq; profligant. Somnus enim incidens dormientibus corpori quidem ministrat quietem, sed animo peruerso somnia affert, metum, & perturbationes superstitionum gratia, dum aiunt, En dormuturienti mihi & quasi conniuenti obrepit anxietas, nullus iam sum, planeq; perij in somnis. Estq; in causa aut liuor, aut metus iracue, seu totum hoc agit uitæ intemperantia. Itaque interdiu peruersitas animi prædicta, foras prospicit, & alludit comparibus, interea noxios leniens ac cælans affectus. Non enim totum se prodit etiam acrius concitata, sed in diuersum nititur plerunque & repugnat. Cæterum in somnis, ubi longè exulant honestas & legum seueritas, maximisq; interuallis absunt

Peruersitas morum omnē fortunam inamœnam facit.

Somnū peruertorum turbata.

metus

metus & pudor, tum omnem appetentiam commouet, ac excitat morum prauitatem inconcessamq; libidinem, adeò ut matri etiam se uideat quispiam impias manus iniicere, ueluti meminit Plato, illiq; turpissimè commisceri, et uesci insuper uetitis à lege cibis, à nullaq; turpitudine manum cohibere, in eo fructum omnem uoluptatum constituens, si leges transgrediatur uel solis spectris & nocturnis illis uisionibus, dum non liceat animum ueris cupidinibus explere, sed mouere duntaxat affectus & irritare animi morbos. Iamq; ea est peruersitatis summa felicitas, si nihil tutum sit, nihil satis, nihil quietum, sed confusa atque turbata omnia. Et corporis quidem uoluptatem ex eo metimur, si rectè ualeat, bonaq; sit ac temperata illius habitudo. Verum ut hilaris sis, & gaudeas animo, cautio certa est adhibenda, ne sedem ibi tranquillam struat inconsulta nulliusq; rei metuens temeritas, sed arridente spe quapiam & uoluptate, ratio suo clamore omnia contineat in officio: Non aliter ac si turbo uentorum diei serenæ incidat. Iam abi & corrade aurum, comporta argentum, ambulacra constituito, seruis domum, & urbem debitoribus impleto, si non sedaueris in animo turbatos affectus, & immodicū habēdi amorē, teq; metu inani curisq; exemeris, ita habeto, te febri laborantem uino fouere, bilioso adhibere mel, cibos & opsonia præparare intestinorum difficultatem, aut alui fluxum patientibus, non modò nihil gratificans morbo affectis, aut sanitati consulens, sed insuper etiam præsentem afferens pernitiem. Videas autem languentes odisse cibos etiā selectos & preciosos dum offerūtur ipsis, atq; etiā ad sumendū eosdē urgētur, respuunt enim eos cōstanter et auersantur. Porrò ubi primum reddita fuerit tēperata habitudo, concitatus spiritus & anhe-

Rationis est sedare noxios affectus.

lus

lus sedatur, sanguis acidum mutat saporem, & calor naturalis suo consistit loco. Tum surgunt è lecto, & panem etiam cibarium simul cum caseo & nasturtio edentes, summopere exhilarantur. Talem profecto concinnitatem efficit in animo ipsa ratio, ubi didiceris quid uerè sit bonum, quidue honestum, mirum enim quàm facilè euaseris frugalis, tuaq; contentus sorte. Iam fallor si paupertatem non sis habiturus in delitijs, ibiq; regnum tuum constituas, uitam illam populârem, nullius opibus inuidentem, minusq; curiosam, pluris etiam faciens principum imperijs. Itaque sapientiæ incumbes studio, uitam uiues mulcò omnium dulcissimam, etiam atque etiam teipso indies euadens melior, atque hilarior. Nunc dulcedine sua te capiant opes, quò in multos possis esse beneficus: Modò paupertas erit iucunda, uitam tribuens curis solutam, planeq; liberam. Est quando gloria titillabit animum, ut perspectum habeas uirtuti sua non deesse præmia. Quòd si honor meritus (ueluti ferè fit in tanta rerũ confusione) non contingat, maximo carebis malo, quippe inuidia.

Rationis officium, omnia iucunda reddere.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI
περὶ πολυφιλίας. Id est, de amicitia in multos diffusa, libellus.

Ottomaro Luscinio interprete.

MENNONEM quendã Thessalũ, rhetorem planè nõ inexercitatũ, sed in quo illud Empedocleum agnoscas licebit: Sapiẽtia ad summũ euecta ueluti immodica effluit, Socrates interrogabat, quid esset uirtus. At ille impudens quod in buccam uenerat mox respondit: Virtus est quæ cadit in puerũ, senẽ, uirum, fœminam, principem, populârẽ, dominum & seruũ. Rursus Socrates: Age uir bone, de una uirtute interrogatus, ingens uirtutum examen nobis cõcitasti: recto nimirum in hoc usus consilio, quia unam ignorans, multas nobis memoraueris. Sic nos itidẽ ueremur, ne fiamus ridiculi, multorum affectantes amicitiã, dum ne unum quidem constanter posideamus amicum. Estq; non alius hic metus, atq; si membris mutilus aut cæcus, timeat ne Briareus fiat, cui centum erant manus, aut Argus, qui totidem oculos habebat. At nos cõtrà impendio celebramus iuuenis illius apud Menandrum insigne elogiũ: Præclarũ, ait, æstimes optimum quenq; uirum, cui amici cõtigit etiã umbra. Causæ autẽ quum plures impediant ueram amicitiã, tum uerò potissimũ plurium amicorum appetẽtia, quæ non aliter atq; parum honestis cõtingit mulieribus, crebro atq; multorum complexui patentibus, primi amorem dum retinere non potest, facilè cõtemnit & abijcit. Et ueluti puella in uiridi prato cõsidens, dum aliũ insuper atq; alium florem decerpit, semper nouis arridentibus, & in sui amorẽ trahentibus, primos fastidit ac neglegit: Sic nouitatis studium & animi inconstantia, inconsulcò aliud alio cõmutans nos semper ad recentiora pertrahet, ut noua subinde meditemur initia, eaq; relinquamus imperfecta, nouam familiaritatem & gratiam nunc cum illo incamus, mox cum alio, ob præteritos amicos atque neglectos, nullo amore penitus nobiscum perdurãte. Primum igitur à Vesta deorum matre incipiendo, famam per tot secula ad nos deductam sequamur, de amicis constantibus, uetus nimirum & efficax rationis, certiq; exempli documentum. In quo amicorum quædam paria numerantur,

Inconstantia fastidit amicos.

rantur, Theseus & Perithous, Achilles & Patroclus, Orestes & Pylades, Phintias & Damon, Epaminondas & Pelopidas. Est enim amicitia animal minimè gregarium, aut graculatim uolitans, dum amicũ alterum seipsum esse putat, mutuo colloquio sese compellans, quod nihil planè est aliud, quàm præscribi illius modum duali numero. Eò quòd exiguo ære nulli contingat multos possidere seruos, aut amicos, sitq; numisma ad amicos comparandos idoneum, uel sola beneuolentia, propensusq; in alterum amor, uirtuti coniunctus. Quibus profecto rebus natura nihil possidet rarius: Vt rectè hinc consequatur, ardentius amare, amariq;, haudquaquam inueniri posse in turba. Verum quemadmodum fluuij in multos diducti riuos lentiorem habent cursum: Ita uehemens amor in multos dispersus haud dubie marcescit. Ea certè est ratio, quòd natura quibus animantibus unicum tribuit fœtum, eis amorem indiderit uehementiorem. Hinc Homerus dilectũ filium unicum & hunc telygetum, id est in senecta matris æditum uocat, quasi quem solum genuerit, post hac fœtum nullum habitura. Nos igitur amicum solum fore, indignum quidem ducimus, sed inter plures unũ esse placet, qui sit telygetus, id est postremo æditus, & item ultimus, sequuti nimirum in hoc uulgatum numerum eorum, quos, ut diximus, tradit antiquitas modum rei infinitæ statuentes. Non enim illorum accedere lubet sententiæ, qui amicos esse uolunt, nominéq; isto dignantur combibones, pila, talisq; simul ludentes, & ut insuper addam negociationum socios, palæstræ, & cõmunis hospitij. In ædibus item principum & hominum ditiorum cernere liceat turbam illam salutantum, chaosq; immensum eorum qui dextras exhibent, & in satellitio comitantur. Vnde quidam

Quibus rebus compàrentur amici.

Amici nomen sanctum.

quidam felices prædicant, quibus agmen tam immensum contigit amicorum: sed longè falluntur opinione: Quippe si popinas illorum multis cupedijs instructas intrent, uidebunt item multa muscarum examina, nidore illuc attracta, & quemadmodum illo cessante mox omnes auolauerint, ita si istis spes desit quæstus, dispereã si non protinus aulæ frequentia in ipsissimam uertatur solitudinem. Non igitur æstimes illos amicos, qui solum spectant lucrum, quando omnium isthuc est postremum, uera atque absoluta amicitia tria potissimum requirente: uirtutem ueluti rem honestam, familiaritatem uitæq; dulcem consuetudinem, ceu uoluptatem, & utilitatem tanquam rem apprime necessariam. Primum enim ad deligendum amicos iudicio est opus, deinde uoluptate in conuersando simul, & postremo, ut usui sint, si illorum egeamus opera. Quæ omnia quum ex diametro pugnent cum ea amicitia quæ dispersa est in multos, tum uerò maximè exactum in probando iudicium. Experientia enim uel breuiusculi temporis non admodum possibilis est erga musicos, dum mutuò confabulantur, & remiges importune irruentes: Sic erga futuros dispensatores rei familiaris, & filiorum pædagogos, quorum amicorum turba omnibus fortunæ dotibus nudata esse poterit & hero inutilis: quãquam interim quisque se frugi iactet, felici uenditet titulo, nihilq; tristetur si res aliter atque uelimus cedant. Atqui nauis in mare non uoluitur tot exponenda tempestatibus, neque agris sepem prætendimus, aut pratis uallum aggeresq;, multis obiectos incommodis, nisi bene exploratum illorum robur habeamus. Nosq; amicum, quem nobis pollicemur futurum uitæ huius asylum, & opem illius in periculis uniuersis præsentem, nõ probatum prius & fortuito

Amicitia tribus rebus conflatur.

Amici futuri explorandi.

fortuito casu oblatum, admittemus? Profecto illum non aliter atq; numum adulterinum, dum habemus, perditum uolumus, amissum gaudemus. Cæterum amittendi facultas atque perdendi amicum displicentem, non tam in procliui est, ut admittendi. Perinde enim atque cibum noxium & pestilentem retinere non audes, ueritus ne te corrumpat, neq; ejicere potes sine molestia, iam bili permistum: Sic malum amicum si habes, læderis: Sin reijcis per uim & amarulentiam, non aliter atque choleram summo dolore euomis. Decet igitur, ut non facilè amicos quoscunq; obuios cõplectamur, neq; eos mox in amicitiam recipiamus qui nos studio prosequãtur, sed dignos amicitia summo magis studio prosequamur. Non enim protinus eligẽdum est quicquid se sponte offert, quãdo rubum spinaq; nos complectentes ac sedulò prosequentes, discutimus, ut rectà ad uitem aut oleam cõtendamus. Atque cum in modum minimè est ex re nostra, ut mox illis pareamus, qui facilè nos colunt & obseruant, sed refert potius ut ita nos comparemus, quo boni uiri ac frugi colunt atque obseruent. Itaq; ut Zeuxis pictor quærentibus, cur tardius longoq; tempore pingeret? respondit: Ego longo tempore haud dubie pingo, id est æternitati. Sic perpetuam amicitiam conflare non licet, nisi longa uitæ consuetudine, exactoq; iudicio. Vnde consentaneum est, de multis nulli certum contingere iudicium. Quanquam multis fortassè commorari facilè quis possit, sed hoc item fore haudquaquam posibile crediderim. Est proinde fructus amicitiæ præcipuus, mutua uitæ consuetudo, multoq; omnium dulcissimum, commorari amico, & totos in illius contubernio dies agere.

Consuetudo amicis dulcis est.

Nanq; decet charis uiuos considere amicis

Concilio,

Cõcilio, ut ait Homerus. Et in Odyssea Menelaus:

Secernet nemo socijs nos, dum mihi dulcis
Vita manet, claudituq; oculos non longa caligo.

Atqui longè diuersum est amicitiæ in plures diffusæ officium, si quis cum uera illa inter paria constante conferat. Quòd hæc dulci hilariq; colloquio ueluti lac candidum, ut est apud Empedoclem, coit, condensatur, & concrescit in coagulum, nil aliud præ se ferens quàm unionem animorũ, & complexionẽ. Illa uerò dum alius aliò uocat, uni attentũ auellit, disgregat atq; auertit, nõ sinens coalescere beneuolentiã uno glutino amici contubernij. Et ut hoc insuper addam, asperitatẽ affert secum clamorus, tempestiuos sermones, qui per uices subseruire deberent societati, excludentis: Adeò ut quæ dulcissima sunt longeq; utilissima inter amicos, fiant maximè inamœna & molesta, si in turbam amicorum transferas, ubi alienos subinde mores ferre cogaris, & peregrina hominum ingenia. Neque enim natura ita comparatum est, ut quilibet homo cuique conueniat, nec fortuna sinit eadem quibusuis esse paria. Sed uir frugi non aliter atque uentus, hunc proue hit, illum remoratur. Quòd si quis omnium simul cupiat esse amicus, sufficere non potest cunctis debito officio, dum hic gerit magistratum, ille eundem ambit, alius suscipit. Vt ne dicam quàm sit absurdum, eodem tempore à diuersis ad diuersa uocatum, singulorum desiderijs uelle respondere. Alius enim nauigans, peregrinationis cupit esse comitem: alius in ius uocatus, patronum: aduersarius, accusatorem. Est qui adesse te uelit uenditioni, rursus alter emptioni: Vnus nuptijs festinum interesse, contrà alius funebri pompæ lugentem optat. Amicitia ergo in multos dissecta, urbi similis est diuersis sacrificijs re-

Molesta est in multos diffusa amicitia.

fertæ, alijs ad iucundam celebritatem, alijs ad planctum appositis. Impossibile autẽ est omnes prosequi officio, nemanem, planè inurbanũ. Vt hoc insuper addam, quòd uni inseruiẽs, multis alijs præteritis, infensos nimirum illos tibi feceris. Nemo enim tui amans æquo tulerit animo, si uideat se abs te negligi. Quanquam in excusanda desidia huiusmodi & negligẽtia circa amicos, quo minus nobis succenseant, præstiterit simpliciter dixisse: Excciderat animo, obliuio me huius rei ceperat, quàm si dicas: In ius uocato tibi aduocatus non fui, alterius amici causæ tum patrocinatus. Item, nõ acceperã te laborare febri, amicos fouens alios, & circa illorũ incommoda occupatus. Causam enim negligentiæ prætexens, in alios diligentiam, querimoniam non lenieris, sed potius reddideris asperiorem. Porrò complures inuenias, qui amicitias ineunt, id solum spectantes quòd possint accipere, non etiam quòd cogantur ex æquo præstare. Neque meminerunt quòd multorum adiuti commodis, uicissim ijsdem multis inseruire debeant opera eadem egentibus. Vt enim Briareus centum manibus quinquaginta alens uentres, nobis non fuit felicior qui geminis curamus unum: Sic ex amicis multa referẽtes cõmoda, rursus labores suscipiamus oportet, in illis tutandis, uariisq; occupationes in fouendis. Neque audiendus hic mihi Euripides uidetur, qui in iuuando amicos modum statuit, uelaq; contrahi iubet, ne ex intima animi medulla afficiamur amicis: Ita enim facilius per occasionẽ solui posse cœptas amicitias, potissimum si ad illas cursum dirigens proposito in animo quæstu quẽ inde speres, nõ aliter atq; nauigio uectus, modò progredi uelis claui ministerio, mox aliò nauim auertere. At nobis te compellare iam libeat ô Euripides, cur non magis

Vicissimdo beneficiorum in amicitia necessaria.

Odia soluenda non amicitiæ.

hæc

hæc uerba in eos torques qui hostiles gerunt animos, iubesq; modam ponere dissidijs, ne ad intimã animi medullam penetrẽt, quo facilius soluantur odia, iræ, rixæ, suspiciones, & reliqua id genus incommoda: nobisq; præcipis illud Pythagoricum, Ne cuiuis inijcias dexteram, id est, ne multos tibi compares amicos, ne amicitiam cõplectaris omnibus in communi patentem, prorsusq; popularem. Porrò affectũ in amicos retineas ingenuum, & ad quæuis officia propensum: Quãdo generosi animi est, amici angores, luctus, labores & pericula sua facere. Non minus igitur uerè quàm elegãter Chilon ad quendam, nullum se inimicũ habere iactantem, ait: Videris mihi ne ullum quidem amicum posidere. Maleuolentia enim aduersariorũ mox consequitur initam amicitiam. Quis enim usquam gentium amicum habet nulla læsum iniuria, nulla ignominia, & cui nemo sit infensus? Atqui inimicorum hoc est proprium, mox despexisse eum qui in amicitiam inimici se insinuauerit, perpetuoq; odisse. Cõtrà uerò amici, erga alios in amicitiam receptos, liuore quopiam aut zelotypia fortasse extimulantur. Quemadmodum autem Timesiæ datum oraculum de futura quadam colonia ait:

Symbolum Pythagoræ.

Oraculum.

Alueus hic iam pulcher apum, mox tempore uespas
Accipiet.

Sic quicũq; amicorũ tota quærunt examina, de uespis hostium in quos incidẽt, parũ interim sunt curiosi, nec intelligũt quãto distẽt interuallo inimici ad nocendũ maleuolentia, et amici ad iuuandũ amor. Nam si æqua lance rem tecum pensites, acrior plerũq; in nocendo est malignitas, quàm in iuuãdo amicorũ dilectio. Atq; isthuc uel præsenti discas licebit exẽplo Alexãdri, qui sæuijt in Parmenionis amicos et domesticos, sic Dionysius in familiares Dionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Boni uiri amicorum causa torti.

Nero in Plynti necessarios, Tiberius in eos qui Serani partibus fauebant: omnes enim isti amicorum gratia torti sunt immaniter à principibus, uitaq; priuati. Et quemadmodum Creonti nihil profuit filiæ aurũ immensæq; opes, igne subito accurrente & colligẽdi auidũ corripiente, ita ut simul periret incẽdio: Sic quidã nullũ capiẽtes fructum ex amicorum felicitate, simul cum miseris pereũt. Id quod fermè accidit sapiẽtiæ studio & humanitatis incumbentibus, ueluti Theseo, qui suo Perithoo ad pœnas rapto, & cõpedibus uincto, pprios pedes uinculis liberos, adiũxit. In pestilente uerò morbo, ut autor est Thucydides, uirtus animi summaq; beneuolentia plerunq; in causa est, ut eodem fato implicẽtur, simulq; pereant amici, dum nihil pẽsi habẽt, & parũ prudenter inuisunt lãguidos. Vnde in eum modũ uirtuti haud parcere suæ, non admodũ decens mihi uidetur, dum liberã illam, simul implicare et uincire libet amicorum incõmodis: Quin magis præstat mutuam illam communionem uitæ seruare dignis, hoc est ijs qui uicissim amare, cõtubernioq; dulci exhilarare possunt. Est præterea hoc uel maximè aduersum in amicitia erga multos, quum ueram pariat similitudo, quòd hic omnia uideantur diuersa, quæ ne beluis quidem aliqua ex parte iucunda putantur. Nam si necessitas urgeat ad concubitum illegitimum alterius generis, collapsæ præ mœrore diffugiunt, cognatis uerò permistæ & suis, gaudent, benignoq; animo ac facili illis cõmorantur. Quæ igitur, malum, ratio est, illic plantare amicitiam, ubi morum insignis est imparitas, & affectuũ non minor: ut ne dicam ubi illegitima sunt omnia, & planè coacta, longeq; aliud atque aliud illi & alteri propositũ? Cæterũ musice in cantu & organis argute quidẽ cõcors est ex acutis, medijs & grauibus

Quidam temere amicorũ gratia pereunt.

Feræ promiscuos concubitus auersantur.

uibus modis, quãquàm sint dissimiles. Porrò amicitia nihil recipit, nisi existat simile. Eadẽ enim uelle, eadẽ sentire, ac fateri, eisdemq; affici, ea res demum firma amicitia est, nõ aliter atque una anima in multis corporibus æquabili ratione consistens. Quis igitur est ille tam uariabilis homo, nunquam sibi constans, qui mutetur in horas, & quemlibet referat moribus, cuilibet sese aptet, similisq; reddatur? & non magis ridiculum se præbeat uel Theognidis censura, qui sic ait:

Vt polypus petræ faciem mentitur inhærens,
Sic mentem uariat subdolus arte nouã.

Amicitia animorũ paritas.

Polypi natura.

Polypi autem subita commutatio non pertingit ad corporis penetralia, sed contenta est sola superficie, accedentium duntaxat oculis imponens, quo facilius posit elabi. At longè aliam desiderat amicitia, in qua eosdem expressas mores, pares affectus & sermones, similia studia, eademq; fugias & sequaris, oportet. Protei uerò illius fabulosi alia erat, multifariam enim uertebatur præstigijs, quum nullam formam certam haberet, ac propriam. Talis, nimirum fies, si libeat cum literarum studioso libros euoluere, cum palæstricis colluctari, cum uenandi cupidis feras persequi, cum potatoribus inebriari, & cum ambitiosis magistratum ambire. Postremo sicut maximè informem Physici nudamq; substantiam esse prædicant materiam primam, in omnes formas mutari solitam, adeò ut modò ardeat, mox in aquæ liquorem se uertat: iam euanescat in auram, & protinus concrescat in solidum corpus: Ita in multos diffusa amicitia, animum subijcit uarijs affectibus, uersipellem facit hominem, subdolum & uarium, maleq; moratum. Atqui amicitia mores exposcit minimè lubricos, sed firmos, & perpetuo tenore sibi constantes,

Amicitia in multos diffecta obest moribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eundem amat locum,& eandem uitæ societatem, quæ cau sa multò omnium potissima est,cur tam rara auis sit,inuē tuq; difficilis,constans amicus.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI Commentarius, docens quatenus, aut quo fructu liceat iuueni audire poëticam.

Ottomaro Luscinio interprete.

QVO'D ex carniū numero,ut autor est Philoxenus poëta, ò Marce Sedape, dulciores illæ habeantur, quæ carnes non sunt, & ex piscibus hij qui non sunt pisces, in manu nobis est,ut protinus doceamus,potissimū apud eos, de quibus Cato ait, quòd sensu polleant acutiore palati, quam cordis. Quando perspicuū est nobis,iuniores ex hijs quæ in philosophia dicūtur,impēsius gaudere,alienis à uirtute ac sapiētiæ studio,illisq; auditores sese exhibere,& discipulos nō admodū probè moratos: Ita ut non modò Aesopicas fabellas & poëtica argumenta, sed Abarin quoq; illum Heraclidi,& Lyconem Aristonis percurrentes,quæ illic cōmista sunt ad animi rationē conducibilia præcepta, ipsi cum uoluptate quadam, nugacibus fabulamentis applicant: Adeò ut non solum oporteat in ijs uoluptatibus quæ circa cibum sunt ac potum,turpitudinem fugere,uerumetiam legendo & audiendo assuescere, ut non aliter atq; in obsonio quodam māducando,modestè eo quod delectat utamur,non minus interea sequentes quod salutare est & commodum: Non enim obseratæ urbem quampiā seruant

seruant portæ,ne præda fiat hostibus,si alibi pateat aditus: neq; iuuenē satis munit ab alijs oblectamentis tenaci proposito indicta cōtinentia, dummodo auditu capi sese permittat. Itaq; quo magis ille sensus rationi & humanis cogitationibus atq; consilijs uidetur esse coniunctus, eò maiori nocumēto lædit ac corrūpit mortales,qui claustris illum cohibere neglexerint. Cæterū quando haudquaquam fieri potest,ut à poëtica prorsus arceatur iuuenis, neq; isthuc admodum expedit,in ea potissimum ætate qua meus est Soclarus,& tuus itē Cleandrus,omnis in hoc cura adhibenda est,ne custodia desit: quòd in lectionibus magis quàm in itinere uideātur ducibus ac pædagogis indigere. At mihi quidem in mentem uenit,operæprecium fore,ut quæ iam pridem de poëtica disseruerām, conscripta à nobis,& ad te protinus missa perueniant: tuq; illa si nō appareant inferiora uirtute ijs lapillis qui uocātur Amethysti, uim quandam attrahendi dum labore fatigati accenduntur, nacti, Cleandro tuo exhibeas uelim: Explorato tamen in primis illius ingenio, in nulla equidem re ignauo,sed ad omnia uehementer acri & perspicace: quo duce ad hæc nostra facilè sibi præuerit aditum. Polypodis caput partim est bonum, ut plurimum item noxium: Nam si cōmedas,nihil est dulcius: Porrò somnum perdifficilem uisionibus horrendis & portentosis, ut perhibent, facit. Ad eum modum poëtice non parum multa cōtinet, quæ dulcedine sua iuuenile uegetent ingenium: at nō minus ibi liceat inuenire quod conturbet, & à ueri ratione distrahat,potissimū si recta desit in ea re institutio. Quod non tam uerè de Aegypto dicere possis quàm de poëtica, quoniam in promptu habeat

Et bona permista,& sua tristia pharmaca multa.

Auditus à turpitudine cohibendus.

In poëtica bona tristib⁹ sunt permista.

Hinc amor additus & uerbis dolus, inde uoluptas,
Docta quibus mentem sapientibus abstulit omnem.

Non enim adoritur bardos fallax hoc genus cõmenti stupidosq;, quòd parum sint idonei ad hãc rem, quæ captum illorum excedat. Adeò ut interrogatus Simonides poëta, qua ratione fraudem poësi sua non strueret Thessalis, dementiores ait esse illos, quàm ut à se quærant decipi. Gorgias proinde Tragœdiã definiuit esse dolum quo instructi autores, illum usurpantes, meliores sint quam hij qui ab eodem abstineant, & decepti sapientiores non deceptis. Vtrum igitur ex his duobus amplectamur, incertum. Num uidelicet adolescentibus sociorum Vlyssis exemplo, aures cera obturemus, atque cogamus illos arrepto auxiliari nauigio, poëticam fugere ac præternauigare: Seu recta magis ratione perdurantes, & ab illa sententiam rogantes retineamus, ac ita reddamus instructos, ut per uoluptatẽ in nulla prorsus incõmoda labantur. Neq; enim Dryantis ille filius, insignis Lycurgus, uisus mihi est sapere, quia ob multorum uinolentiam & ebrietatem, uites circumambulans illas amputauerit, quum licuisset illi propius admouere fontes, & insanientem deum Bacchũ, id quod ait Plato, altero deo sobrio cõpescere, & ad moderationem perducere. Aufert enim à uino aquæ cõmistio id quod est noxium, non perimens interim quod est utile.

Poëtice non reijcienda.

Itaque poëtica Musarum quædam portio, haudquaquam excidenda nobis est & prorsus reijcienda, sed fabulosum hoc & theatrale quod habet, ſicubi deprehenderimus intemperie quadam uoluptatis temere in expugnanda ueri opinione omnia audere, ac prorsus insanire, cohibendum utiq; est illud & protinus reprimendum. Porrò ubi musam coniungit gratiæ, amœnitas illa sermonis, ductu suo non

suo non modò non inanis, sed etiam plurimum frugifera est, atq; tum maximè locus postulat, ut illic philosophiam inuestigemus ac introducamus. Vt enim mandragora prope uites nascens uirtutem ministrans uino, leniorem efficit illius in potatores uim inebriãdi: ita poëtica ex philosophia certas accipiens rationes, & fabulosæ narrationi commiscens, faciliorem nimirum efficerit & amabiliorem illius cognitionem. Proinde nec fugienda quidem est poësis ei qui philosophiæ studijs fuerit destinatus, sed magis in poëtica præludijs quibusdam philosophandum est, adeò ut in eo quod oblectat, assuescant id demum quærere quod est utile, atque inuentum amare impensius, modò non repugnent sibi hæc duo ac penitus dissideant: Nam initium est profectò omnis disciplinæ poëtica: Et hæc quod ait Sophocles,

Philosophia admouenda poëticæ.

Poëticæ omnis disciplinæ initium.

Initia si bona cuiq; das negotio,
Talem rei speres licebit exitum.

Primum igitur asseramus in medium quod passim est obuium, & in poëticen ingeniosè excogitatum, quoniam multa mentiuntur poëtæ: & ex illis sua sponte quædam, nonnulla uerò necessitate coacti. Sponte, quia non admodum suauem auditu plerique arbitrantur ueritatem: quæ ratio poëtas urget, ut maiori studio uoluptatem & gratiam in nugis sectentur. Nam res gesta si finem habeat inamœnum, nihil commouet animos. Cæterum afflictio in uerbis, mirum dictu quàm facilè à rebus tristioribus ad hilaritatem auditores commouerit, atq; ui sua traduxerit: quòd neq; uersus ipse, neq; figura, neq; acumẽ dicẽdi, aut tẽpestiua metaphora, cõcinnitas aut structura, tantũ afferat secum illecebrarum, quantum inest fabulæ suis affectibus rectè sibi constanti. Et quemadmodum in picturis uehemen

Fabulæ uis.

hementius mouet color quàm linea, ad hoc ut humana effigies reddatur conſpicua, & fallantur ſpectatores: Sic in carminibus ueri ſimilitudo admiſta nugis, attonitos quodãmodo reddit ac decipit eos qui audiunt, magis quàm diligens ille apparatus uerſibus ac dictionis elegãtiæ adhibitus. Vnde & Socrates quibuſdam somnijs poëtarum aliquando tactus, ueritatem quoad uixit impugnans, non inelegans, quod ad perſuaſionẽ attinet, nugarum artifex erat, atq; idem fabellas Aeſopicas uerba eſſe cenſuit, nec ad poëticen accedere, quæ fictionem adeſſe poëmati uelit. Proinde ſacra quidem inuenire licet ſine choro & tibijs, at poëticen eſſe neſcimus quæ fabulis careat ſuoq; mendacio. Carmina autẽ illa Empedoclis, Parmenidis, Theriaca Nicandri, & Theognidis morales ſententiæ, orationes ſunt quæ à poëtica mutuantur ceu uehiculi uice uerſum & dicendi acumen, quo effugiant humile genus eloquij. Igitur ſi abſurdũ aliquid & moleſtũ in poëtica dictũ fuerit de ſuperis ac heroibus, aut uirtute, à uiro eloquente & celebri, quicũq; rem ita accipit, ac ſi uerè ita ſe habeat, mox fertur in præceps, corrupta recti opinione. Porrò qui meminit præſtigiorũ mẽdacij, quæ nunquã nõ palàm apparẽt in poëtica, quiq; in promptu ſemper habet quo illã compellet, ac dicat, O machina mutabilior ſingultu, quid ludens ſupercilia ducis, aut quid effingis dolo quod doceas? nihil ille audiet moleſtum, aut turpe credet, uerum tunc capietur, quum metus ac terror illum agent ſollicitum, ne terram corrumpat Neptunus, illaq; ablata, manes tecto ſuo nudentur. Capietur item Apolline in principem Græcorũ ſæuiente, quando ipſe Deum euehit hymnis, illius adhæret ſententiæ, ſimulq; dicit, is planè eſt qui Graios occîdit. Proinde à lachrymis quoque facilè temperabit,

perabit, Achille & Agamemnone languidas manus ac ſupplices ad tartara immenſo uitæ deſiderio tendentibus. Porrò ſi uiribus aliquando diffiſus, cedere uidebitur, affectibus, ceu ueneno quopiã infectus, non grauabitur huiuſmodi uerbis ſeſe compellare:

Quin tu lucernam poſcis tibi protinus euge?

Atq; haud dubie noris hæc omnia à tergo tibi imminere, ſi mulier fueris. Nam in gratiam fœminarũ hæc funebria ſcripſit Homerus, ueluti fabulã uerè anilẽ & muliebrẽ. Et hæc quidem ſunt quæ ſponte confingunt poëtæ. Atqui bona pars non fingitur, ſed ab illis certa perſuaſione credentibus ceu unguento nobis delinitur mẽdacium: Quale illud de Ioue, quod narrat Homerus:

At duo facta ſimul mortis crudelia firmat,
Caſura in caput Hectoris olim & Achillis.
Diſtrahe de medio, ſubducito penſa dierum
Hectori, adit Stygios, hunc liquit clarus Apollo.

Aeſchylus tragœdiam totam fabulæ inuoluit, quam inſcripſit Pſychoſtaſiam, utriſq; lancibus trutinæ Iouis admouens deas pro filiorum pugnantium ſalute ſupplices, hinc Thetidem, hinc Matutam: Atque hoc quidem minimè eſt obſcurum, eam poëſim fabuloſam, & afflictionem, ad uoluptatem, & quo concitatum redderet auditorem, eſſe compoſitam. Porrò illud:

Excubias agit in bello Saturnius ipſe.

& quod dicitur: Cauſam deus inſerit mortalibus,
Totam domum affligere dum uult quampiam.

Hæc iam ex opinione dicta ſunt & fide autorum, qua proprium circa deos errorem, atq; inſcitiam nobis exhibent ac ingerunt: Rurſus portentoſæ narrationes de Manibus, & affectus horrendis nominibus phantaſmata cordibus

dibus humanis inferentes: simulacra fluminum ardentiũ, locorum agrestium, & suppliciorum immanium, non admodum multos fallunt, quòd pleriq; sciant fictionem & nugas ijs rebus ccu toxicũ epulis esse permistum. Proinde neq; Homerus quidem, aut Pindarus, uel Sophocles, quasi illa habuerint certa & persuasa conscripserunt, quæ passim leguntur: Hinc languida flumina eructant obscuræ noctis immensam caliginẽ. Et rursus: Ibant ad flucta oceani, albicantem petrã, & restuas undas, angustis faucibus ac porrò profundi orci. Deniq; sunt qui mortẽ quasi miseram deflent, & illos item qui iacent inhumati, infelices æstimant, quando trepiduli has uoces emittunt:

Cura ne planctus desit post fata, sepulchro
Neu caream uagus errans. Et alibi:
Spiritus infernum uolitans è carne petiuit,
Sortem pertæsus miseram, quia linquere robur
Visus erat iuuenum, tum fortia corda uirorum.

Item: Ne me perdas morte immatura: iucundum est enim uidere solis lumen. Et: Ne me cogas sedes uidere subterraneas. Verum hæc omnia affectibus laborantium, & errore ac gloria captorum sunt uerba: Vnde accidit ut magis ijs tangamur & loco cedamus, dum eorum imbecillitas & tristis affectus nobis insidet animo, à quibus hæc dicuntur. Ad hæc itaque rursus tramitem struamus oportet, qui rectà eò ducit, quòd poëticæ nihil fermè conuenit cum ueritate: quippe difficilè hanc assequeris & comprehendes, si aliud agens, circa ueri studium & cognitionem nõ totus uiribus occuperis: id quod in confesso quoq; positum uideri potest Empedoclis testimonio: Nam illud nobis est in promptu:

Quæ non uisa uiris, quæ mens non hausit & auris.

Poetica expers ueritatis.

Et

Et Xenophonis item:

Vir mihi nullus erit, fiiit aut, qui norit aperte
Dicere quæ mens est de cunctis ordine diuis.

Quodq; apud Platonem Socrates sanctè abiurat poëseos cognitionem, quasi poëtæ uulgo parum sint attenti illis in rebus, quas uident philosophis uertiginem concitare. Deinde & hoc insuper adijciamus, quòd poëticam deserbentes, quum illam ad poësim conferunt, histrionicam artem aiunt esse, & uirtutem quandam picturæ simulem: Adeò ut non solum uulgatum illud receptum esse uideri debeat, quòd uidelicet poëtica loquens sit pictura, atque hæc mata poëtica, sed id quoq; astruendum, quòd pictam alicubi lacertam, simiam, aut Thersitæ faciem intuentes uoluptate capimur & admiratione, non quia appareant hæc esse pulchra, sed quia rectè expressa, & similia: Nã ita res habet, ut non possit uideri speciosum quod natura est fœdum: quanquam non minus interea imitatio laudatur, quæ rei similitudinem artificiosè assequitur, siue illa sit pulchra, siue deformis: Ac contrà nihil præstitisse uidetur, qui corpori inepto & turpi, imaginem formosam dederit, quòd hoc sit aberrare à decoro & lineamentis. Scribunt autem nonnulli res absurdas, ut Timonachus Medeæ cædem qua sustulit liberos: Theon Orestis paricidium in matrem: Parrhasius simulatam Vlyssis insaniã, & Chærephanes intemperiem uerborum qua mulieres adoriuntur maritos: in quibus potissimum rebus docendus est iuuenis, ut assuescat secum expendere, quòd minimè rem ipsam laudamus cuius facta est imitatio, sed potius artem, quæ decore consequitur subiectæ rei argumẽtum. Itaq; quando poëtica crebro facta tristia, & affectus ac mores pestilentes per imitationem prædicat, amplexari

Histrionica.

Pictura.

Ars imitanda & decorum, non res.

Universidad de Deusto
Biblioteca

xari iuuenem par est admiranda illa & egregiè dicta, atque probare, non quasi uera & honesta, sed laudare solum quia concinna sunt, & personæ congruunt, ac materiæ sunt maximè propria. Nam ut porci clamorem, rotæ sonitum, uentorum susurrum, & maris fremitum audientes turbamur & indignè ferimus, porrò si quis festiuè hæc æmuletur, quemadmodum Parmenon suem, & Theodorus rotas, uoluptate afficimur: Sic implicitum morbo hominem, taboq; fluentem, ceu spectaculum minimè iucundum, auersamur: at Aristophontis Philoctetem, & Silamonis Iocastem, pari modo corrumpi ac trucidari ab histrionibus qui illas agunt, uidemus, & lætamur. Ita iuuenis legens quæ ridiculus Thersites, aut Sisyphus latro, uel Batrachus leno dixerit aut gesserit, artem illam & uirtutem imitatricem studeat probare, cæterum affectus & res gestas execrari & reijcere: quòd in ijs rebus nihil sit boni quod imiteris, quãdo pulchrum in eo duntaxat est situm, quod rei aptè congruit, & prorsus est cognatum. Atqui cognata sunt & maximè conueniunt turpia turpibus, unde claudus ille Demonides, quum amisisset crepidas, optauit ut furis, qui eas surripuerat, pedibus aptè conuenirent: prauæ enim erant, & ideo claudo magis idoneæ. Proinde uulgatum illud:

Decorum dum turpia turpibus cõuentũt.

—Peccare si liceat modò,
Pulcherrimum est regni peccare gratia. Tum isthuc:
Viri boni æstimationem acceperas,
Felicis at rem omnem tunc lucraberis.

Item: Talentũ si dos nõ capiat, tum uitam despicieti mihi talentũ est, ut accingar in occursum somno, neq; præbebo quanquam inferorum urgeat pœna, ceu impius in talentum argenteũ. Peruersi planè sunt hi sermones & meræ nugæ

nugæ, Eteocli, Ixioni, & Tocoglypho seni non parum apti. Porrò si commonefecerimus iuuenes, quo pacto hæc non euehant præconijs scriptores, neq; probent, sed absurda magis ac turpia, fœdis & inconcinnis moribus ac personis tribuant, sic fiet ut opinio poetarum illos minimè fallat, dum suspicio in personam incidens, opus illius simul cum sermone proscindat necesse est, ueluti res fœda à nebulone dicta factaq;. Quale est illud Paridis è bello in lectum fugientis, quum nemo alius à poeta describatur interdiu mulieri concubere, præter hunc lasciuum & adulterum, ita ut minimè obscurum sit uitio dari, ac turpitudini coniunctam hanc intemperantiam uideri. Proinde in huiusmodi uerbis diligenter animaduertendum, si poeta quibusdam indicijs prodat se rebus peruersis offendi: Id quod egit Menander in prologo Thaidis, ijs quidem uerbis: Musa mihi memora talem audaciam, formam simul & suadelam subdolam, quæ excludat amatores, immensum petat, nullum amet, quanquam se affectam simulet. Optimè autem Homerus hoc genere dicendi utitur, qui primo accusat improbitatem, præferens interim quæ sunt utilia. Præfert autem ad hunc modum:

Poetæ damnãt turpia quæ recenseãt.

Protinus hic uafra est & mellea uerba loquutus. Itẽ:
Astitit, & placidis dictis fera pectora mulcet.

Et in damnãdo primum tantum hoc agit poeta, ut aperte dicat & testetur, sese intempestiuis huiusmodi dictis & pernicioſis neq; uti uelle unquam, neq; animum intẽdere. Veluti quum narraturus esset, quo pacto Agamemnon sacerdotem uerborum intemperie profanaret, ait primo:

At non Atridæ placuit sententia Graiũm,
Quin malè sacrificum dimittit.

Hoc est inciuiliter et animo feroci, id quod parũ decebat.

Achilli item poëta uerba hæc amarulenta, & temeraria tribuens:

O temulente, gerens faciem canis & leporis cor.

Idem suum tacite subindicat iudicium, dum ait:

Compellat sæuis rursus Agamemnona uerbis,
Pelidesq; ferox tristi male temperat iræ.

Ita enim fieri par est, ut nihil ex ira in quempiam acerbe dictum, pulchrum, aut decens uideri possit. Idem illi consilium est in uelanda turpi re gesta, dum ait:

Non decet ut Hector pronus incumbere lectis
Ille uelit clarus, fixusq; insidere plumis.

Rectè enim uerbis obiter interiectis non aliter atq; calculis suffragiorum utitur, dum ex propria indicat sententia, quid dici aut fieri omnino deceat. Quū enim de adulterio Martis deos induceret loquentes, re uidelicet mala atque ingrata, lentus mox inuenit celeritatē. Sic de Hectoris superbia & immodica arrogantia uerba faciens, ita ait:

Ille quidē iactat sua, nō tamē oīa Iuno Diua probat.

Eódem pertinet quod de Pandari fastu loquitur:

Dixerat: at stulto paruit mox docta Minerua.

Cæterum sententiæ & pondera uerborū inspicienda sunt cuiuis diligenti, aliàs enim subinde rerum gestarum documenta sese ingerunt. Veluti Euripides fertur dixisse ad eos qui Ixionem lacessebant maledictis ceu impium & prophanum: E scena equidem illum facilius eiecerim, quàm rotæ affixero. Porrò apud Homerum tacite latet genus hoc doctrinæ, habetq; speculationem quandam non inutilem, in fabulis potissimum narrationi passim iniectis, quas ueterum annotationibus, & (ut nunc uocant) allegorijs quidam torquēt atq; inuertunt, dicentes Veneris cum Marte adulterium significare, quòd in solis & Veneris stellæ congressu, Mars adulterinas perficiat generationes: & si sol inferatur ac utrunq; comprehendat, nunimè latere adulteria. Iunonis autem ornatum apud Iouem & incantationem cesti, uolunt defecationem esse aëris, quando poëta igneam uim applicat, nec tamen ullam solutionem Venereā dijs illis tribuit. Nam in Venereis cōmustionibus planè docet attentos, quòd poëma turpe, & orationes argumenta parum honesta recipientes, & mores contaminent, & cupidos delitiarum homines, molles, effœminatos prorsusq; enerues efficiant.

Allegoriæ in poësi.

Balnea calda Venus sequitur, dum uestle renudat.

Itaq; Vlyssem citharœdo præcipientem inducit poëta his uerbis:

Quin tu hæc missa facis, canis & mihi cultus equorū.

Rectè subindicans, quo pacto musici, & poëticæ studiosi argumēta à sapientibus & cordatis uiris recipere debeant. In illis autē quæ de Iunone referūtur, egregiè ostēdit cōsuetudinē uirorū & gratiā ex mulieribus ueneficijs incātationibusq; conciliatā, non solū momentaneā, fragilem, breuiq; perituram esse, sed etiam mox ubi uoluptas deferbuerit, in iram & inimicitias sese commutare. Hæc enim sunt quæ Iupiter ipse Iunoni cōmunatur, ijs eam cōpellās:

Quo uideas quid profit amor tibi, concubituq;,
Quodq; mihi strius arte dolos, à limine diuūm

Progressa. Res igitur si gerātur noxiæ, illarūq; imitatio idonea, modò sequēs è uestigio secū afferant nocumentum, & quòd autores turpitudinis pudefiāt, proderit nimirum auditoribus, tantum abest ut officiat. Philosophi autem in admonēdo & ad bonos mores cohortando, subiectis utuntur exemplis, id quod poëtæ effingūt fabulis, re ante oculos dum geri uidetur, quodammodo posita. Me-

Ianthius proinde quidã dicebat, siue luderet, siue res tractaret serias, Athenienſium urbem ſe à rhetorum turbulentis ſeditionibus liberare: non enim omnes in unum impingerent parietem, ſed eſſet quoddam lenimentum eius quod offenderet, in diuerſis factionibus Rempublicam adnuniſtrantibus. Ad eum modum poëtarum inter ſe diſceptationes, fidem attenuant dictorum, nec ſinunt auditores acrius offendi. Vbi ergo ſcripta illis inſigne quoddam pariunt diſſidium, ei adhæreas oportet qui eſt melior, quẽadmodum in iis quæ ſequuntur:

Controuerſia, & diſceptatio ad quid utilis.

O nate lædimur multum à cœlitibus.
Dixti deos quàm facilè, ut in crimẽ uoces. Et rurſus:
Impleris auro hoc, te gaudere non licet.
Stultum eſt opes colere, aliud quum neſcias.
Et quid iuuant hæc, num eſſet melius emorit
Rectè deos coles præter negocium.

Quæ enim ad hanc claſſem pertinent, in promptu habent uiam, qua nodum dirimas, modò ad rectum & indubitatum iuuenes, ut diximus, prouehãtur iudiciũ. Porrò quæcunq; abſurde dicta ſunt, non protinus ſolui poterunt, ſed per diuerſã ſententiã alibi prolatã ea perimas, neceſſe eſt. Neq; poëtæ interim inſenſus uideare, ſed magis affectibus illis puerilibus, ex quorũ præſcripto hæc dicta ſunt, ſuccẽſeas. Iam ſi lubeat ad deorum tela, quibus uicißim ſeſe offendunt, & ut autor eſt Homerus, ab hominibus uulnerantur, mutuaq; illa diſſidia & ſimultates rectà cõtendamus.

Abſurde dicta per diuerſam ſententiam eliduntur.

Noſti num aliud melius, quod noſcere dignum?
Et planè non te præterit, per Iouem, quando alibi meliora recenſes, qualia ſunt:

Facilem dij uitam uictitant,
Delitiasq; ſimul capiũt in ſecla beati Dij ſuperi. Et:

Quàm

Quàm dij mala ferre ſinunt mortalia corda,
Ipſi perpetuò ducentes ocia luxu.

Hæ nimirum ſanæ de dijs, ueræq; ſunt opiniones, at ſuperiores illæ confictæ, ad homines metu percellendos. Proinde quum Euripides ait: Multis modis fraudum, lædunt nos ſuperi, ſicubi à ſe degenerant: Id in meliorem utiq; partem ita eſt accipiendum, ut dij ſi turpitudinis ſint autores, iam in deorum numero eos haudquaquam habendos. Et Pindari item illud nimis acerbe atq; ex amarulentia quadam dictum apparet:

Dij turpitudinis non ſunt autores.

Hoſtem decet, inimici perdere omnia.

Atqui tu rurſus ira dices licebit, quòd is præter ius ac fas dulci iræ hac crudelitate medeatur. Et quod ait Sophocles: Lucrũ dulce eſt, etiamſi ex fraude naſcatur, ita refellendũ. Ex te audiuimus, ſubdolas rationes parum eſſe frugiferas. Atq; ad ea quæ de opibus referuntur: Moleſtum uidelicet Plutũ ad peruia ſimul ac inuia ſerpere, unde ne gregarius quidẽ pauper è triuio queat aliquid ex his rebus, quarũ deſiderio impendio crucietur, aſſequi. Item quòd ait: Deformem corpore ac obſcurum fama, modò accedant opes, mox ſapientem lingua, formoſumq; uideri. Contra hæc omnia rurſus alia Sophoclis opponenda ſunt, ueluti:

Etiam ſuus egenti rerum ſit honos,
Et ſi ſapiat pauper, ſit nullo inferior.

Ad eum quoque modum alia. Multorum ſanè bonorum quæ eſt gratia, ſi maleuola ſolicitudo fouet felices fortunas? Menander præterea ingeſſit nobis uoluptatis ſtudium, & amatoribus iſtis iandudum inflammatis fõlles admouit, quum ait:

Quicunq; ſunt, ſolis uidentes lampada,
Communibus deſeruiunt amoribus.

Rursus uerò retrahit nos & impellit ad honestum, nec sinit lasciuire, omnem eius mali rescindens materiam, his quidem uerbis:

Probrum molestum est, quanquam uiuas dulcius.

Hæc quidem in autoribus diuersitas melior est & planè utilior. Ex duabus igitur rebus alterum efficiet hæc rerum secum pugnantium compositio, & consideratio: aut enim aditū parabit ad id quod est melius, aut illi quod est peius fidem abrogabit. Cæterum si non præbeant absurditatis dissolutionem, commodum fuerit ex alio quopiam aptè & pro dignitate prolatam sententiam, peruersæ illi quam habemus in manibus, obijcere, & perinde atque ad trutinam appendere id quod est melius. Veluti si illud Alexidis aliquos moueat, quo ait, Sapientem decere ut uoluptates congerat: proinde tres esse quæ haud dubie in uita utilem uim quandam pariant habenti: bibere uidelicet, edere, & Veneris usum: alias uerò omnes meritò uocari adiectitias. Meminisse utique oportet, Socratem in contraria esse sententia, dum ait: Malè moratos ideo uiuere, ut edant bibantq;: sed bonos uiros cibum sumere ac potum, quo possint uiuere. Ad quendam autem qui scripsit, quàm idonea sint ad expugnandam improbitatem arma si mores honestos cum illa componas, rectè quadrabit illud Diogenis dictum, qui interrogatus: quanam ratione quispiam de inimicis pœnas queat sumere, respondit: Si quis uirum bonum & inculpatum sese exhibeat. Cōueniet item Diogenis uerbum contra Sophoclem torquere, qui scribens de sacris, infinitam multitudinem his uerbis dehonestauit: Quam sunt ter beati mortales, qui ijs sacris operati, honorem assequentur, tum demum ubi uitæ fuerint defuncti, quando solis licebit uiuere illis, at alij omnibus prementur malis.

De inimicis pœna honestè sumenda.

malis. Itaque Diogenes aliquid aliquando huiusmodi audiens: Quid ais? inquit: Manēt fortem Pœtionem feliciora fata, quia initiatus est sacris, quàm Epaminondam cum uirtute morientem? Timotheo proinde musico canente in theatro Dianam bacchantem esse, insanam, uecordem ac furentem, Cinosias protinus reclamauit: talis tibi opto filia contingat. Festiuum planè & illud, quo Bion compescuit Theognin dicentem:

Quisquis erit pauper uinctus nil dicere, factis
Nec præstare potest, omnia lingua timet:

Cur igitur tu pauper, ait Bion, tanta nugaris, nobisq; loquacitate tua imponis? Oportet autem nullam penitus ex his uerbis quæ adiecta sunt, uel in orationē uenerunt, occasionem præternittere, quo minus ad rectitudinem perducamur. Sed quemadmodum medici cantharidis usu, quæ exitiale uenenum est, pedes curāt & alas, ui nocendi sublata: Sic in poëmatis, si nomē aliquod aut uerbum in contextu infirmius est quàm ut possit ad peius parare aditū, accipiendum sanè est illud, & uires illius aperiendæ: quēadmodum in sequentibus aliqui faciunt:

Loci autorum ita exponendi, ut honestas pāsitur.

Quæ maneant miseros mortales præmia disce,
Tonsa coma et lacrymis quæ turpia multa supersunt,
Et quàm dij mala ferre sinunt mortalia corda?

Non enim in uniuersum ait, omnes deorum opera uitæ præsentis calamitatibus inuolui, sed dementes, & stupidos, qui per improbitatem miseri redditi, à poëta arumnosi suo more appellantur. Alius itaque modus est, quo suspectas de prauitate sententias in poësi, ad bonum licebit traducere, dum in nominibus, quorum significatio solita recepta est, nouam quandam inducimus, & ueterem loquendi ritum negligimus. Quod genus est illud, in ore

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium,& non prorsus inamœnum:

Scire licet quàm sit mors execrabilis atra.

Quo in uersu ἄτλητον,quod nobis sonat terrificum, Macedonibus mortem significat. Sic καματηρὰν Aeoles eam uocant uictoriam, quæ ex sedulitate pugnæ & perpetua constantia obuenit. Dryopes rursus dæmonas appellant popos. Adeò ut prorsus necessarium sit, plurimumq; conducibile(modò ex poëtarum carminibus fructum aliquem assequi uelimus, minimeq; offendi)ut sciamus quibus uocabulis deos poëtæ appellent,quibusq; bonos, aut malos, quidue intelligi uelint, quando animæ aut fati fecerint mentionem,utrum simpliciter id significent quod sonant uerba, an uerò id quod plerunq; apud illos eorum nomine accipis, quemadmodum in alijs quoq; rebus compluribus usu uenit. Domũ equidem modò uocant ædes, ut: Inq; domum celsam. Modò uictum,& substantiam omnem,ut: Domus est mihi tota uorata. Proinde uita illis aliquando hoc ipsum est quo uiuimus, ut:

Domus æqui uocum.

Vita.

Cæruleus illi ferrum Neptunus ademit,
Vitæ tum Megaris.

Nonnunquam opes hoc uerbo indicantur,ut:

Pergunt alij mihi rodere uitam.

Ἀλύειν. Sic ἀλύειν aliquãdo pro morderi et indigere usurpatur,ut:

Dixerat & mœrens abijt,dolor omnia uersat.

Aliquando pro superbire & gaudere,ut:

Θοάζειν. Erronem diuum quia uiceris,inde superbis. Θοάζειν item moueri significat,quemadmodum ait Euripides:

Cetus ex Atlantico mari mouit sese.

Et nonnunquam sedere, ut Sophocles inquit:Sedes mihi quasdam ponite,ramis uirentibus coronati. Gratum non minus est & illud quod grammatici docent, ut uocabulorum

Ratio grãmatica.

rum usus rebus subiectis inseruiat, illisq; rectè copuletur, dum alia uis ad res subinde alias usurpatur,ut:

Exiguam laudare,at magnæ imponere naui
Pondera.

Quo in loco laudare non significat celebrare,ut plerunque accipimus, ac laudibus uehere, sed ponitur pro non recusare,siue magis exposcere. Quemadmodum usus permittit ut dicamus, rectè habere, & iubemus alios ualere:quando in eo negocio neq; petimus aliquid, neq; accipimus. Ita & laudem Proserpinæ quidam aiunt quasi deprecationem dici. Cæterum hanc separationem, & diserimẽ illud uocabulorũ obseruãtes in sentẽtijs grauioribus, illisq; quæ alicuius sunt momenti,iuuenes à dijs ipsis quid sequantur,docere aggrediamur. Vsurpãt equidem poëtæ deorum nomina aliquando ita ut sententiæ prorsus congruant, deinde non raro ut uis quædam cuius largitores existimantur dij, quorumue autoritate & ductu obueniat ea,pari nomine significari uolunt. Atq; huius rei in promptu est exemplum apud Archilochum poëtam, qui quum precatus ita est: Audi me, ô rex Vulcane, mihiq; oranti propicius fer opem, ac gratificare adeum modum quo assoles, haud dubie deum inuocauit. Porrò quum maritum sororis qui in mari perierit, nec sepulcrũ legitimum assequi posßit,modestius ferre calamitatem posse ait, si Vulcanus caput illius pulchraq; membra puris induat uestibus, ignem non deum uidetur significare. Sic Euripides conceptis iurans uerbis:Per astra,inquit, Iouẽ ac funestum Martem, deos nimirum intelligit. At quum Sophocles ait, Cæcus est Mars ô fœminæ, nihilq; uidet, omnia suo aspectu concitans mala, bellum ex ijs uerbis intelligas necesse est. Quemadmodum & Homerus aheneum uocat, eos describens, quorum nigrum cruorem

Deorũ nomina à poetis uarie usurpata.

Vulcanus.

Mars.

in Scamandrum defluentem Mars pernicioſus diſperſerit. Ex his igitur quæ prædiximus, noſſe decet atq; meminiſſe, quòd Iouis nomine iam deum ipſum indicant poëtæ, modò fortunam, ac mox item fatum. Quando enim aiunt:

Iupiter pro fato & fortuna.

O' Iupiter ex Ida regnans, & O' Iupiter, quis iactare queat ſeſe tibi præſtare ſapientia? deum profectò ipſum compellant. Verum dum rerum geſtarum primas cauſas commemorant, Ioui ea accepta referentes, quale eſt illud Homericum, Multas præclaras animas præmiſit adorcum. Et: Iouis eſſe peracta Conſilia, nemo ambigit fati illic fieri mentionem, quando nulla ratione poëtæ ducuntur, ut diuino conſilio hominibus mala immitti arbitrentur, ſed magis neceſſitatē quandam rerū ſeſe conſequentiū his uerbis explicāt. Quando alijs urbibus, exercitibus, & ducibus fato quodā accidit ut ſapiant, hoſtes ſuperēt, multaq; identidem felicitate fruātur: Alijs, ut in affectus erroneos incidant, agitentur mutuis diſſidijs & ſeditionibus, turpitudinē ſectentur, & uarijs perturbationibus in peius agantur præcipites: Ex fato nimirum praui conſilij, unde pernitioſi ad mortales ipſos redeūt fructus. Heſiodus quoque inducēs Prometheū in poëmate, qui Epimethea fratrē adhortatur, ne dona ab Ioue olympio miſſa accipiat, ſed remittat potius in fortunæ uiribus cōmemorādis Saturnij nomē uſurpat. Appellat enim fortuita illa bona quæ uocātur,

Iouis dona.

qualia ſunt opes, matrimonia, imperia, & prorſus ea quæ extra animū noſtrū ſunt, Iouis dona: quāquam illorū poſſeſſio planè inutilis ſit ijs q̄ rectè uti neſciūt. Itaq; Epimetheū qui erat improbus, ac parū cordatus, apprime decere exiſtimauit, ut fortunæ proſperitatē ſuſpectam haberet, ac etiā ceu peſtiferā & exitioſā formidaret. Rurſus quū ait:

Obijcere haud tentes inopi ſucceſſus iniquos:

Diuo

Diuorum dona hæc nam ſunt, mihi crede potentum. deorum donum eſſe prodit, quod largitur fortuna, adeò ut minimè ſint accuſandi quos fortuna pauperes reddidit, ſed magis qui ex ocio, negligentia, animi mollitie ſumptuq; immodico rem familiarem decoxerint, hoc meritò fœdum & probro dignum dixeris. Sicubi enim fortunæ uerbum in dicendo incidit, dum ratione percipimus uim illius cauſæ occultæ, quæ rebus ipſis neceſſitatem imponit, nullo fine, nullisq; legibus humanis circunſcribi ac comprehendi poſſe, poëtæ deorum nominibus illam haud abſurde explicarunt, quemadmodum & nos ſolemus res, mores, ſermones, hominesq; ipſos plerunq; diuinos appellare. Ad hunc ſanè modum multa praue dicta de dijs ad rectitudinem ſunt reducenda. Veluti in illo Homerico:

Dolia bina iacent Iouis alto in limine fatis
Plena, bonis illud, ſcatet hoc turba inde malorum.

Item in ſequenti:

Iuppiter icta prius, malè tum ſua fœdera ſeruat,
Conſiliumq; capit, premat ut uirtute Pelaſgos,
Troiugenasq; ſimul, prima hæc incommoda belli
Cæca ruunt, quia ſtat ſententia fixa tonantis.

Obtinet autem quod de fortuna iam diximus & de fato, Fatum. in quibus nihil certi habemus: Suffugiunt enim nos harum rerum cauſæ, adeò ut nihil ad nos negocium agitur honeſtum, ac decens, tum Iouem meritò proprie nominandum cenſemus, ut ibi:

Infeſtat pugna hinc alios, Telamonius Aiax
Vitatur ſolus, Iouis hæc quia certa uoluntas.

Hæc enim ſunt quæ ex rebus mortaliū curat Iupiter, præteritis ijs quæ leuis ſunt momenti, & aliorum deorum ſolicitudini relictis. Plurimum autem congruit, ut alia

quoq;

quoq; nomina respiciamus, quæ ad res plurimas à poëtis
Virtus. adhibentur aut transferuntur. Quod genus est illud de uirtute: nam hoc uocabuli non solum in negocijs & orationibus prudẽtes cõplectitur, & uiros bonos laudatosq;, uerum etiam quicquid est excellens, atqueadeo omnem uim ingenitam abunde sibi uendicat. Et hoc ordine agũt, quũ omne quod est in precio, uirtutem, & uim quandam uocant: Ceu oleam ab olea, fagum à fago, id est nominis similitudine, fructiũ & utilitatem ab eo unde illa proueniũt appellando. Iuuenis igitur noster, dum canunt poëtæ:

Sudorem superi uirtuti præposuere, Et:
Virtute en Graij istorum fudere phalanges, Item:
Si fas est fato concedere, nunc puto pulchrum

Vitam in uirtutẽ demergere, mox æstimabit quod res est, de optima illa atq; diuina habitudine, quam inditam nobis possidemus, dicta: quam rectitudinem quandam esse intelligimus, arcemq; rationalis naturæ, atq; ut in confesso est animi bonum affectum. Rursus dum legit illud:

Extenuat uirtutẽ, auget quoq; Iuppiter idem. Item:
Gloria diuitias sequitur uirtus quoq; clara, nõ obstu

pescat mox insolita admiratione, ac diuites eò loci prouehat, ut uirtutem quasi argento uenalem habeant. Nec arbitretur ingeniũ ita fortunæ esse subiectũ, ut ex illius nutu proficiat in melius, aut detrimenta quædã accipiat, sed norit poëtam talem quẽ legit, sub uirtutis nomine rem præclaram, felicitatẽ, aut uim quampiã animi occuluisse. Nam ad hunc modum mali nomine aliquando propriæ mentis improbitatem & uersutiam significant, uelati Hesiodus:

Expedit in primis mala cuncta per omnia nosse.

Nonnũquam fortunæ iniquitatem, aut infelicia tempora, ut apud Homerum:

Sæpe

Sæpe malis homines quamprimum consenuerunt.

Deinde poëtas haud aliter de felicitate loqui putabit, atq; si quis illam irrideat, quemadmodum & philosophi habitudinem rerum perfectæ, secundum cuiusq; rei absolutam naturam in hac uita sectantes, explicant. Atq; inter hæc non raro abutuntur uocabulis, diuitem felicem & beatum uocando, ipsamq; uim insitam ac præstantiam, felicitatem. Homerus autem proprie utitur nominibus, quũ ait: Gaudeo iam multis congestis dum impero rebus. Sic Menander: Habeo magnam uim opum, diuesq; uocor ab omnibus, beatus autem à nullo. Porrò Euripides insignem inducit rerum turbam & confusionem, his uerbis: Ne mihi contingat tristis uita quæ felix sit. Item: Cur ueneraris tyrannidem iniquam, etiam si felix sit? Nisi quis, ut iam dictum est, improprietatem sermonis & abusum nominum sectetur. Sed de his fortasse plus satis. Illud etiam atque etiam iuuenibus inculcandum, ac crebro indicandum est, quòd poëtica histrionicæ propemodum accedit in argumentis, decorum sibi usurpans, plurimumq; ornamenta, prout mores exigunt personarum, reiq; materia. Atqui ueresimilitudinem ideo non deserit, quando in ea histrionica persuasio, ceu regula quædam latet, ad cuius præscriptum alia sunt iudicanda. Vnde improbitatis ac uirtutis signa nonnulla rebus permista, histrionica ueritatis non admodum negligens, egregiè effert: Id quod Stoicis mire arridet in multò plurimis locis apud Homerum, quippe qui uirtuti nihil turpitudinis sinunt coire, nec uitium honesto aliqua ex parte coniungi. Itaque quod ad hanc rem attinet, stultum ac imprudentem semper peccare, & sapientem ciuilemq; rectè omnia adhibito decoro agere prædicant. Sunt quæ in scholis quidem

audi

Commutatio subita in poetis affectus mouet.

audimus, at in rebus agendis iuxta Euripidem, cõperimus bonorum ac malorum ut plurimum confusum quoddam agmen esse, minimeq; alterum discretum ab altero. Cæterum citra ueritatem poëtica plerunq; uarietate utitur & morum plurima commutatione, eò quòd ex huiusmodi affectuũ diuersitate, quæ ex insperato improuisoq; accidit, quando animus ad ea obstupescit, gratia quædam conciliatur, quam fabularum illa commutatio secum affert. Atqui si oratio est simplex, & ab his figuris aliena, ea profecto & affectibus item careat, necesse est. Nam hac potissimum ratione non semper eosdẽ poëtæ uictores inducunt, non semper eosdem felicitate fortunæ florentes, aut in rebus per uirtutem gerendis, strenuos: Nec deos sicubi in negocia humana inciderint, expertes proferũt affectuum culpaq; omni uacantes, ne uidelicet hoc quod concitat mentẽ, & facit obstupescere, à poësi prorsus exulet, dum sedata est, nihilq; periculi aut motus præ se ferre uidetur. Atq; hæc quum ita sint, aditũ illi struamus iuueni ad poëticam oportet, qui tanti nõ faciat pulchra ista præclaraq; nomina, sapientum uidelicet, & plurima integritate præstantium uirorum, regumq; summorum, ut illi sint totius uirtutis canones, & certissima præscripta uiuendi. Quandoquidem lædetur, si magna illa omnia probabit & admirabitur, iniquo non ferens animo, neq; audiens aut receipiens eum qui huiusmodi facta dictaq; improbauerit:

Iupiter alme pater, Phœbe, insigniscq; Minerua,
Troiugenũm nemo effugiat crudelia fata,
Nec superent Danai, cladesq; exerceat omnes,
Mœnia sacra ruant extemplo. Et:
Heu miseram uocem Priami natæ hausimus omnes,
Cassandræ, dum cæde Clytemnestræ perit, ingens

Certe

Certe dolus uersat mentem, quo perfida turbet
Corda senis, iamq; obsequor, atq; peregi
Fœmina quæ iussit. Item:
O' pater haud ullus toto orbe nocentior alter
Iuppiter est superũm te.

Ex his uersibus haudquaquam assuescat aliquem laudare iuuenis, erratum illius defendere, aut in re honesta quippiam fœditati huic ceu basi superstruere, atq; in eo negocio idoneum se gerat atq; callidũ. Cæterũ illud potius æstimabit, imitatricem quandam esse poëticen morum, uitæ ac hominum, quanquam non tam absolutæ uirtutis, ac puritatis, ut nihil queas reprehendere: Essèq; eas res permistas plerunq; falsis opinionibus ac stultis, parũq; probatis affectibus, quæ omnia poëtis non citra operam & industriã crebro in peiora trahuntur. Atq; hæc quidem præparamenta, quibus iuuenilis imbutus fuerit animus, id præstabunt, ut quæ rectè sunt dicta factaq;, laudibus euehat, & ceu numine quodam afflatus sit, admiretur: contrà turpia ne admittat quidem, tantũ abest ut ab illis offendatur: quæ ratio innocuam planè efficiet poëticam lectionem. Porrò quisquis admiratur omnia, illisq; se exhibet familiarẽ, dum iudicium subijcit opinioni, heroicis istis ac præclaris nominibus infectæ, simlis erit quibusdam insignium autorũ discipulis, qui dum præclara referre non possent, exprimebant turpia, ueluti Platonici quidam, præceptoris incuruos humeros, & Aristotelici balbutiẽ magistri æmulabantur. Oportet autem non ueluti meticulosi ex superstitione in templo omnia exhorrent & reuerentur, ita in poëtis quoq; uersari, sed sumpta audacia cõsuescere de eo quod decet ac rectum est liberè pronunciare. Perinde atq; hoc quod de Achille proditum est, quando concionem

Imitatio in turpibus.

exerci-

exercitu pestilẽtia laborãte coẽgit, indignè ferens ocium ab armis, eratq; inter milites insignis de illo omnium opinio, quæ ratio medicũ eum reddiderat, adeò ut post diem nonum, quæ de morbo potissimum iudicare solet, quum didicisset languorem non esse uulgarem, neque ex communibus causis accidentem, surgens non congregat multitudinem, sed cum rege Agamemnone communicat super ea re consilium:

Atride nostras puto concedemus ad ædes
Protinus, hæc melior sententia.

Rectè id quidem dictum est, modestè, & omnino pro dignitate. Porrò quum uates diceret se iram potentissimi Græcorum formidare, non satis modestè ac consultè iurauit, se uiuo minime fore, ut manum præsagienti quispiam iniecit: Ne Agamemnon quidem inquit, contemptum his uerbis reddens principem ac floccipendẽs. Deinde nõ ita multò pòst ira accensus ad mucronem fertur, etiam trucidare illum cogitans. Quis hoc rectè factum, & pro dignitate, aut conducibile arbitrabitur? Cæterum quòd mox resipiscit, & in uaginam capulotenus abdidit ensem illum prægrandem, morigerus Mineruæ monitis, id rursus aptè simul ac decorè gestum, quòd uidelicet iram quam prorsus præcidere non potuit, continuit tamẽ, ac cessit illi, donec immedicabilem, rationi parentem efficeret. Agamemnon rursus in his quæ dixit, ac gessit in cõcione, sanè quàm ridiculus habetur, quæ uerò in negocio Chryseidis magis sunt regia tantoq; principe digna:

Nam quum Achilles abducta Briseide
Illachrymat socios uitans, solusq; sederet,

Interea Agamemnon naui ingressa, mulierem sociis tradens, remisit, quam paulò antè ob miram indolem Clyte

Clytemnestræ præferẽdam, & uxoris loco habiturum se dixerat, atq; in ea re nihil peccauit, nec amatorios mores quoquomodo præ se tulit. Atqui Phœnix à parente ob pellicem damnatus maledictis, ait:

Protinus hunc ferro libuit demittere ad orcum,
Adsit ni quidam diuũm qui leniat iras,
Quiq; probris uulgi, fama quoq; liberet atra,
Ne patricida uocer, præstanti nomine Graius.

Aristarchus autem metu quodam perculsus, sustulit hæc carmina è poëta, quanquam non usqueadeo sunt intempestiua, si quis expendat Achillem Phœnice aliquãdo usum fuisse præceptore, qui pari solitus sit ira æstuare. Perspicuũ est enim, quàm exagitet homines iste feruor, quid'ue doceat audere, dum omnis sepulta est ratio, nullaq; admittitur admonitio. Et Meleagrum equidem inducit ira aduersus ciues cõmotum, sed mox sedatis fluctibus aptè affectus tetricos increpantem, laudatq; illum impendio quia illos non fuerit secutus, sed felici quodã Marte repugnãs, in eo conflictu euaserit superior: atq; isthuc quum sit resipiscere post erratum, pulchrũ id esse putat, & plurimũ conducibile. Nunc differentia hæc ex prædictis satis liquet. Verum in obscuritate aliqua sententiæ, iuuenis illam definiat ad eum modum quo faciunt, qui rei incumbunt. Nam si Nausicaa peregrinũ Vlyssem conspicata, in illius amorem incidat, par iam Calypsi, quod ad eum attinet affectum, reddita, ceu lasciuiens & nuptiarum nacta tempus, ineptire uideatur apud puellas huiusmodi uerbis:

O' mihi contingat talem uidisse maritum
Aedibus ex illis, donec mihi uita supersit.

Culpanda nimirum est hæc petulãtia muliebris, audaxq; procacitas, nisi consideratis uiri uerbis ac uirtutibus, mã-

gnamq; in mutuo colloquio admirata prudentiam, optarit illius potius frui contubernio, quàm municipis cuiuspiam, qui nauiculatoria aut histrionica victum quærat: huiusmodi prudentiam in fœmina nemo sanè est qui non faciat plurimi. Rursus dum Penelope cum procis miscet sermones, utiq; placidos & humanos, atque quum dono dant mulieri uestes aliumq; ornatū, lætatur Vlysses eius rei gratia, & donorum spe recipiendorum diu illos frustratur, animos eorum ludificans. Atque in donis huiusmodi, ac re familiari amplificāda, si tanto studio sese oblectat Vlysses, quod ad lenocinium attinet, lōgo interuallo superabit subdola uafricie Poliagrum, de quo illa extant uerba: Felix Poliagrus fouet cœlestem caprā, quæ illi opes suppeditat. Cæterū si spē cōcepit potius Vlysses, fore ut ex procis habeat mācipia, quanquam nihil nunus uereantur, rationē habet hoc gaudium, cui uir tantus inCœlestis capra.

Odyss. 13. nitatur. Ad eundem modum in dinumerandis opibus quas Phæaces illi exposuerūt, mox domū naui redeuntes, si uerè in deserta huiusmodi, ignota, obscuraq; regione, ueluti ipse prædicat, uersatus est, diuitiarum causa metuens periculum, ne quid sustulissent ex naui, cōmiseratione equidem dignus uideri potest, uel etiā, per Iouē, si fastidire potuit diuitiarū amorem. Sin, ut quidē aiunt, de Ithaca addubitans, saluas opes indiciū esse sanctitatis morum quā præstabant Phæaces putauit, nō sine acceßione quæstus, illum in alienā uexerunt regionem, ut illic exponētes, simulq; relinquentes cum suis opibus, intactis illis, specimē probitatis de se præberēt: dignumq; est ut hāc laudibus uehamus homunū cautionem. Sunt proinde qui uitio uertūt Phæacibus hanc opū è naui in littus expositionē dormiente Vlysse, si modò sit uerax historia, aiuntq; Tyrrhenos rem

rem gestam aliter explicare: Quòd uidelicet Vlysses homo fuerit natura somnolentus, quæ ratio illū non permiserit pleriſq; colloqui. Atqui somnus si nullus fuerit, & dimittere à se Phæacas sine munusculis familiariq; colloquio puduit Vlyssem, nec latere potuit domesticos hostes, illis præsentibus, cōmento eius ambiguitatis, simulem illum à poeta dormienti descriptum, accipiūt. Itaq; dum hæc iuuentibus ostendimus, ne cōmittamus ut ansa ad morū corruptelam illis præbeatur, sed zelum potius & appetentiam ad meliora protinus arripiant, hæc extollentes laudibus, & illa carpentes. Cæterum quum ubiq; hæc cautio frugifera est, tum uerò potißimum in tragœdijs, quòd sermones habeant nonnihil ueriſimules & callidos in negocijs parum honestis, & turpibus. Non enim uerè admodum dixit Sophocles:

Non conuenit turpi rei bona cautio.

Solet enim ille moribus fœdis & absurdis rebus, sermones iucundos & humanos præbere, & qui in eadem scena illi coniunctus est, contrario modo. Vides nanque quo pacto Phædram accusatam induxerit, ceu ob Hippolyti improbitatem ab illo fuerit adamata. Deinde non absimulem loquendi licentiam tribuit inter mulieres Troianas Helenæ aduersus Hecubam, dum putat hanc iustius pœnis plectēdam quæ adulterum Paridem peperit, quàm se quæ fuerit comes. Nihil igitur ex his dictis decorum iuuenis noster æstimare cōsuescat, nec arrideat huiusmodi nugis, quin magis execretur uerborū ac rerū gestarū inconditam lasciuiam. Atq; ad hoc negociū plurimū afferet adiumenti, si exquisite causam reddi cures singulorum, quemadmodū Catonem fecisse referūt dum puer pædagogo in disciplinam esset traditus: Non enim recusabat

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille quæcunq; præcipiebãtur, sed rationem singulorũ exposcebat. Nam poëtis non aliter credẽdum puto, atq; pædagogis ac legumlatoribus, tum uidelicet, ubi causam idoneam reddiderint: sine illa uanũ esto & inane quicquid gesserint. Porrò complures inuenias nimium amarulentos causarum inquisitores, qui interrogant quomodo dictum sit:

Potorum cyathum supra haud disponimus unquam
Cratera. Item:
E' rheda in currum qui uenit, rite petatur
Hasta. Rebus autem maioribus, etiam si non feceris periculum, facilè creditur. Cuiusmodi est illud:

Viram parentum culpæ conscium, premut
Metus, ferocia etsi gerat ille pectora. Et:
Abiecto animo esse cogit infelicitas.

Hæc ad mores referuntur, uitamq; conturbant, dum iudicia praua ingerunt & opiniones impẽdio ignobiles, nisi assuescat ad singula in promptu habere quæ opponas. Veluti dum aiunt, animo esse demisso oportere eum qui aduersa laboret fortuna, magis in sortem illam iniquam omnis culpa est reijcienda, & uir ipse non modò non deprimendus, sed etiam eleuandus est. Sic patre æditus improbo & parum cordato, dum modo ipse sim uir bonus & prudens, cur nõ debeo per meam uirtutem animo esse erecto, sed obstupescere, & indolem demittere ob patris inscitiam? Qui igitur ad hunc modum obuius fertur acre luctatur, nec se omnibus dictis ceu uento quolibet rapiendum exponit, sed uerũ esse arbitrabitur, quod aiunt: Vesanus homo quolibet sermone capitur, multa ille profecto falsò uanéq; dicta, à se dimouerit. Illa sunt igitur quæ innocuam efficiunt poëticam lectionem. Quando non aliter atq; in

atq; in uitibus plerũq; sub fõlijs & palmitibus pulchre uirentibus occultatur fructus, latetq; in umbra, ita in poëseos dictione & fabellis circumfusis multa suffugiũt inuenem bona & cõmoda. Proinde sedulò curandũ ne id contingat, ut à rebus prorsus aberret, sed incumbat magis sententijs quæ uitã struunt ad uirtutẽ, bonosq; effingunt mores. Fieriq; potest, ut in hoc negocio ita uersetur, ut breuibus typo quodã omnia complectatur, prolixã uerò seriem, & apparatum, turbamq; exemplorum missam faciat, illisq; commutet qui scribunt diffusius. Principio igitur quæ honesta sunt & turpia in moribus atq; personis cognoscens iuuenis, tum intẽdat animũ dictis & negocijs, quæ poëta utrisq; obseruato decoro tribuit. Veluti quum Achilles Agamemnona ira percitus his uerbis compellat:

Aequa satis nunquam spolijs mihi portio fiet
Tecum, si Danai firmissima mœnia Troiæ
Eruerint.

Thersites proinde his conuicijs eundem insectatur:

Aeris plena tibi tentoria sunt, mulieres
Suntq; tibi forma præstantes, munera Graiũm,
Dum capiũt urbes. Sic rursus deinde Achilles ait:
Si dederit nobis euertere mœnia Troiæ
Iuppiter ex alto. Et Thersites rursus:
Quicquid ego uinctum porto, uel alter Achiuũm,
Tu rapis. Cæterum dum Agamemnon inter conuersandũ uituperaret Diomedem, nihil illi cõtumeliosam respondit, principis maiestatem reueritus. Stheneli autem parum consultus extat sermo ad Agamemnonem:

Non mentire, mihi quum dicere noris aperte.
Nanq; sumus multò maioribus en meliores.

Hæc nimirũ dicendi uarietas si obseruetur, docet iuuenem

Universidad de Deusto
Biblioteca

æstimare quàm egregia ac urbana res sit alacritas iuncta mediocritati, contraq; quàm detestabilis arrogantia, suiq; immodica ostentatio. Profuerit deinde & Agamemnonis illud, de quo diximus, factum despicere, eò quòd Sthenelum adijt, dum non esset alloquendus, & ne Vlyssem quidem præterijt, uerbis illum lacessens,

Ira quum sciret candescere corda uiri, mox
Verba capit rursus.

Omnibus respondere seruile, omnes despicere stulti.

Omnibus enim respondere seruile est, & libero homine indignum: despicere deinde cunctos, superbi est & planè stulti. Porrò Diomedes in bello silet, rege etiam maledictis illum adoriente: peracto prælio libertate dicendi mox usus erga ipsum, his quidem uerbis: Vires exprobras Græcos inter mihi soli. Par item fuerat, uatemq; prudentem in primis decuisset, rationem habere comitiorum, dum Calchas in procerum consessu, magnaq; hominum frequentia, neglecta alia maiore commoditate, non uereretur principem reprehendere, ceu pestilentiæ grassantis autorem. At Nestor certamini inter Agamemnonem & Achillem medium admiscens sermonem, ad motus huiusmodi sedandos idoneum, ne regem uideretur ceu peccantem corripere coram multitudine, iam ira percitum, his eum alloquitur uerbis:

Admoueas epulis, sacrum quoq; coge senatum,
Consilia expendens horum atq; salubria serua.

Peracta autẽ cœna emisit senes ad obeunda negocia, atq; ita mederi curauit erratis. O' aptam reprehensionem & in tempore adhibitam.

Est quando in genere hominum plurimam uideas diuersitatem, isq; tropus in eo notatur apud Poëtam, quòd Troiani plurimum sibi fidentes, magnoq; cum clamore incedunt: at Græci contrà cum silentio, metuq; anteste-

gnanorum. Quoniam in re militari reuereri duces, simul & fortitudinis, & imperio parentis militis, non leue est argumentum. Vnde Plato solebat conuitia & turpitudinem magis timere, quàm labores & pericula. Et Cato dixit se erubescentium maiori amore teneri quàm pallẽtium. In promissis item filum quoddam est proprium quod sequaris. Vt quum Dolon promittit se mox in exercitum uenturum ubi redierit, per Agamemnonis salutem. Verum Diomedes nihil promittit, ait'que se minus timere quando cum socio mittatur: ut perspicuum iam sit prudentiam Græcorum esse, & urbanitate quadam præditorum, at turpitudinem & temeritatem ad barbaros maximè pertinere. Itaque odisse hæc oportet, illam autem pro uiribus imitari. Habet autem & nonnihil bonæ frugis, si contempleris affectus ipsos qui Hectorem commouerunt atque Troianos, quum Aiax singulari certamine illi erat congressurus. Nam Aeschylus in Isthmijs, cæso quopiam in faciem, & clamore eius rei gratia in uulgo exorto: Quale, inquit, hoc nostrum est exercitium, spectatores clamitant, & qui plagas accepit silet. Poëtæ tum sequuntur uerba: Aiacem clarum cum suis apparere armis, ex cuius aspectu Græci plurimũ sint exhilarati, Troianis interim tremore conterritis, qui grauis admodũ singulorũ peruaserat membra. Ipsi quoq; Hectori animus in pectore concutiebatur. Iam uerò quis non admiretur hãc rerum diuersitatem? quãdo in confesso est, eorum dũtaxat salire corda qui pericula subeunt, ueluti quum luctari aut in stadio currere aliquis cœperit. Porrò spectatorum concuti ac tremere corpus, ex beneuolẽtia erga principẽ metuq;, cõsentaneum est. Deniq; spectandam puto & inter optima simul ac deterrima non inamœnam uarietatem,

Pudor utilis.

Affectus qui commoueat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, qualis est illa Thersitæ in Achillem, & potissimũ in Vlyssem simultas acerrima: Aiacis insuper in Achillẽ constans amor, ac perpetua cum illo amicitia: Alloquutus est enim Hectorem, ita ut huius quoq; honorificè meminerit:

Iamq; palàm fiet quàm fortis pugnet utrinq;,
Dum solus Graiũm longè optimus atterit hostem,
Magnanimo quanquam sit multò inuictus Achille
Inferior ille. Vides quàm egregia hinc laus ad Achillem redeat. Estq; hæc oratio minimè arrogans, dum candidè de omnibus sentit Græcis, plurimum referre indicans ad uires singulorũ dignoscendas, soli pugnent Græci an cum multis. Neque interea præcipuum sese ostentat inter socios, sed cum illis pares sibi in prælio esse uires. Sed iam de differentia satis, nisi hoc quoq; adiungi libeat, quòd ex Troianis multi sunt capti uiui, at Græcorum nullus: deinde multi item illorum supplicarunt hostibus, ceu Adrastus, filij Antimachi, Lycaon, & Hectori precibus concessum est sepulchrum ab Achille, cæterum ex his nullum inuenies supplicem. Barbaricum est enim preces porrigere, & capi in certamine, quum Græcorũ sit proprium uel uicisse in pugna, uel occubuisse. Cæterum perinde atque in pascuis florem sequitur apis, capra fruticem, sus radicem, reliquaq; animantia semẽ aut fructum, ita in poëtarum lectionibus ille flores legit historiæ, alius ornamentis inhæret & orationis mundo, quemadmodum Aristophanes de Euripide dicit: Vtor oris ipsius rotunditate. Est proinde qui fructum captat ex his quæ moribus rectè formandis sunt accommodata. Meminerint igitur illi ad quos hæc nostra tendit oratio, secumq; expendant, num facilè inueniant fabellarum cupidum lectorem, cui incognitum sit, multa apud poëtas, quod adres gestas

gestas attinet, uanè & per excessum ueritatis conscripta. Sic uix reperias studiosum rei oratoriæ, quem prætereat quæ illis uerborum insignis castimonia, & ad persuasionem aptè sunt usurpata. Deniq; uirtutis & rerum honestarum amator, dum non lusus cuiusdam puerilis, sed absolutæ eruditionis gratia attingit poëticen, fieri non potest, ut oscitanter audiat quæ de fortitudine, modestia, ac iustitia toties sunt decantata, quod genus est illud: Poëta orator, philosophus.

Tydide quid pæsus ego sum? capere uires
Iam decet, huc referas pedem, ut uideam ferus Hector
Si capiat naues armis. In summo equidem rerum ac uitæ periculo, sapientem magis decet turpitudinem uereri aut probrum, quàm uel mortem etiam ipsam, id quod iuuenis ex hoc discens loco, ad uirtutem probè posthac erit affectus. Sic alibi legis:

Iuncta bono felix homini sis, docta Minerua.

Quibus uerbis subobscure indicatur deã neq; diuitis uiri gaudere contubernio aut formosi, fortisue, sed uirtuosi, beneq; cordati. Rursus quum dea ait se non commissuram ut Vlyssem despiciat aut deserat:

Quandoquidem sapiens est, prudens, uerus & idem.

indicat ex omnibus quæ possident homines, uirtutẽ proprius accedere ad diuinitatem, atq; ideo deo magis esse acceptam. Siquidem ita cõparatum est, ut similia magis gaudeant similibus. Cæterum quando res quædam ardua uidetur, uereq; est, iram cõpescere, multò haud dubie maior erit custodia ipsa & prouidentia, quæ prohibet ne in irã incidas, aut illa capiaris, atq; isthuc diligẽter subindicare legentibus, iam est operæprecium. Videas enim quo pacto Achilles Priamum amarulentia minimè ferenda quietum esse iubet, ne se exasperet, his quidem uerbis: Iram compescere arduum.

Irritare senex noli me, tempora noui
Hectora quis soluam tibi, adest modò missus olympo
Nuncius, is iubet ut castris decedat uterq;
Cum nato, senior supplex quoq;, fallere credar
Iussa Iouis? Itaq; loto Hectoris corpore, ipsum
Pelides cõponens, in rhedam collocat, ne pater uideat uul
neratũ, unde cor mœrore cõtabescat, Achilli quoq; idem
accidat. Sed Iouis mãdata peracta sunt. Itaq; si quis ad irã
natura propensus est, & ingeniũ habet irritabile, nimisq;
asperum, idq; nõ sine periculo, quum hoc illũ minimè la-
teat, obseruetq; causas omnes quæ habeat suspectas, ra-
tione prius diu præsumpta, ne inuitus in eum incidat affe
ctum, non ne admirandæ cuiusdã prudẽtiæ id præbet ar-
gumentum? Sic decet ut ante ebrietatẽ uini cupidus sese
præmuniat, & ante amorem is qui libidini est obnoxius.
Quemadmodũ Agesilaus osculũ offerẽtibus pulchris quo
busdam, subduxit sese. Et Cyrus mulierẽ Panthiã uidere
non audebat, quòd inimici quidã materiã incentiuaq; libi
dinis illi hac occasione ministrarent, & ad quæ potissimũ
scirent affectus noxios inclinari, animũ incautum impele
lerent. Vlysses itẽ nõ modò suamipsius iram coërcuit, ue-
rumetiã Telemachi filij, quũ ex colloquio deprehendisset
iuuenem animo esse turbulẽto, & iniquo animo iniurias
ferentem. Mitigauit enim longè prius ferocitatem, & ad
patientiã cohortatus, quietũ hominẽ reddidit, his uerbis:

Leniter hostiles animos, nostræ domus omne
Qui decus eripiunt mihi nunc patiare meum cor,
Aspicis ut dulci mihi turbant corda parẽti,
Aedibus in nostris alienos despice gressus,
Telaq; disce pati iaculantum, culmina cernens
Eminus ipse foris tua. Nam quemadmodum

Propensi in ul-
tia fugiant ab
initio.

equis in ipso cursu nemo inijcit frena, sed longè antè, ita
qui animo sunt in iram præcipiti, & ad res molestas fa-
cilè irritabiles, rationibus quibusdam diu antè præsum-
ptis, in certamen sunt producendi. Conducibile autem ar-
bitror, non modò dictiones ipsas diligenter audire, sed
Cleanthis etiam doctrinã declinare, qui aliud fermè agẽs,
enarrat illud: Iuppiter alme pater, regnator sum-
mus ab Ida: Et illud item: Eia pater Dodonæe,
ubi præcipit subunionem dictionum fieri, unde sensus ille
eliciatur, Tellus exhalat de se aërẽ. Similiter Chrysippus
crebro lubricus est in rebus serijs, & quum disertus est,
nihil persuadet, uiolenter urgens Iouem uocalẽ esse, quum
in differendo grauis esse prodatur, & in orationibus ui-
ribus quibusdam stipatus incedat. Melius autem est ut hæc
grammaticis iure quodam suo torquenda permittamus,
quibus aptum hoc uidetur, & applausibile:

Non iubet hæc animus, didici quoniã bonus esse. Et:
Quàm sim festinus, noscere cunctos Arbitror.

Ostendit autem uiro dignam eam esse disciplinam, qua
amicè, & cum gratia quadam hominibus confabulamur:
quod ratio tradit, ad scientiam hanc rem pertinere. Itaq;
primum proponit, prorsus non decere hominem sui negle
ctum: sed potius ut honestarum rerum studio teneatur,
& ijs qui talia docent pareat: subindicans simul, quàm
fœda sit insciti a. Sunt proinde his rebus multum con-
sinia, quæ de Ioue & Neptuno dicit:

Est patria his eadem, genus unum prorsus utrisq;,
Iuppiter at natu est maior, tum plurima nouit.

Quibus uersibus ostendit sapientiam rem esse inter cæ-
tera maximè diuinam, & principe dignam, in qua lice-
at summam Iouis excellẽtiam, qua alijs præstet omnibus,
potissimum

Sapientia res
diuina.

potißimum collocare. Proinde alias uirtutes inferiores putat, quàm ut cum sapientia conferantur. Sunt & hæc insuper summo studio indicanda iuueni, ut ea non oscitanter audire consueſcat:

Temperat à nugis sapiens, quia dedecet illum
Mentiri. Et:
Antiloche haud quicquam fecisti prauius, antè
Prudens, nunc uires mihi dedecore afficis, idem
Lædis equos. Et:
Quàm mihi tu prudens dixisti Glauce superba.
O sapiens, dixi nulli uirtute secundum
Molliculum te.

Ex his enim carminibus docetur, quàm minimè deceat cordatos uiros nugari, tergiuersari in pugna, ac socios præterius & fis calumniari. Meminit deinde Pandari, quum ait persuasum esse, per amentiam illum soluisse fœdera: quòd perspicuum sit, nullum qui rectè sapiat, alteri esse iniurium. Huc pertinēt ea quæ de cōtinentia dici possunt, ut ostendamus, quo pacto poëta longè efferat talia, uersibus sequentibus:

Sapientia. Insanit Prœti coniux, furtiuaq; tractat
Connubia, at illi non paret omnia noscens
Bellerophon prudens bona, quæ persuadet honestas.

Sic alibi:

Abnuit extemplo mala Clytemnestra petenti
Infanda, haud illi quia mens aberat bona diuæ.

In his planè uerbis tradit poëta sapientiam continentiæ causam parentemq; uideri. Porrò in illis quæ ad rem militarem pertinent, quando ad pugnam capessendam excitandi sunt bellatores, ita fermè scribit:

O Lycij, fortes præstate uiros, fuga prorsus
Exulet, hanc sequitur pudor. Et:

Obuer

Obuerset animis pudor, & maledicta uirorum
Latrantium, uis magna furit Martis modò campis.

Videtur autem prudentia hic magnanimos homines efficere, dum illos pudet turpitudinis, simul que gaudent uoluptates præterire, & subire pericula. Nam hæc res Timotheum olim etiam solicitum habuit, Græcos nimirum non ineptè in Persia adhortantem: Veneramini, inquit, pudorē, uirtuti belliceæ suppetias afferentem. Æschylus igitur illum in numero sapientum habet, qui gloriæ alacer & indiuiduus est comes, quiq; laude uulgi impendio capitur, dum ait: Prudentia. Pudor.

Non optimus uideri hic, esse sed cupit,
Sulcum profundum in animo qui facit suo,
Affectus unde gloriæ congerminent.

Iam persuasum esse puto, eum potißimum hominē ingenio pollere, qui ex affectu præclaro quo præditus est, ad optima semper feratur. Itaq; quum omnia ad prudentiam & industriam iam sint congesta, non absurde consequitur, omnem hinc uirtutem nasci, omnemq; eruditionem. Porrò quemadmodum apem uidemus naturæ quodam instinctu, ex amariſsimis floribus, asperrimisq; spinis, dulcißimum mel atq; lenißimū colligere, ita pueri probè instituti in poëtica, norūt ex uilibus absurdisq; argumētis, quæ suspecta etiam aliquo modo uidētur, undecunq; dulce quippiā ac frugiferū eruere. Mox enim suspectus iam est Agamemnon, qui largitionibus corruptus, diuitem illum ab exercitu dimisit liberum, ob equam cui nomē erat Aethe, dono datam, ne uidelicet militiam Græcorum sequi cogeretur ad Troiam, sed delicijs domesticis indulgere potius ocioso liceret: magnam enim illi Iupiter opum uim tribuerat. Quanquam Aristoteles principis factum non admodum Suspicio.

admodum improbet, quòd equam egregiam homini effœminato & inerti prætulerit, qui ne ad canem quidem aut asinum, me hercle, uideatur conferendus: Quas enim uires, aut quod ingenium non corrumpunt opes? Rursus fœdissimum est quòd Thetis filium consolatur in amissa uoluptate, meminisse etiam docens libidinis. Atqui in ea re perspicere est operæprecium Achillis continentiam, qui quum Briseidem ad se uenientem deperiret, agnoscens uitæ breuitatem, non festinauit ad uoluptatis usum, nec ut multitudinis mos est, luget amicum inertia atque officij intermissione, sed à delitijs uitæ in luctu ita abstinet, ut in re militari nihilominus strenuum interea nauet operam. Rursus Archilochus non laudatur, quia sororis maritum in mari periisse queritur, ludum adhibens lamentis ac merum, quo illa eliminet & expugnet. Atq; ea in re rationem mihi sequutus uidetur, dum ait: Nihil equidem proficio ciulans, nec luctui officio, oblectamentis ac gaudio intentus. Si igitur ille delitias & animi tetrici laxamenta non existimauit obesse luctui, quid est cur nos queramur hæc quæ tractamus, incommoda esse nobis philosophantibus, aut rempublicã administrãtibus, uel dum prodimus in forũ, agriculturam ue exercemus? Correctiones proinde eorũ quæ absurde sunt dicta, nõ parum habent momẽti, ueluti eius quod dixit Antisthenes in theatro: Quid turpe est, in cuius usu tu non uides turpitudinem? Atheniẽsibus enim ob hoc uerbum tumultuantibus, mox adiecit: Turpe est turpe, siue tu uideas, siue non uideas. Sic Cleanthes de opulẽtia ait: Qui amicis suum impertit corpus, ita ut morbo corripiatur, expensæ pecuniæ id habeat uice. Hoc dictum alio quodam in hunc modum scripto emendauit: Qui scorto suum impertit corpus, ita ut mor

Correctiones dictorum profuit.

ut morbo corripiatur, expensam quasi reputabit pecuniam. Zenon item illud corrigens Sophoclis:

Ad principem magnum quisquis contenderit,
Fit seruus eius, liber quanquam aduenerit.

Ita quasi posliminio rediens scribit:

Non ullius fit seruus liber qui uenit,
Quid principi collucet clare, libero.
Boni fruens magnanimi hinc contubernio.

Quid igitur prohibet, ne iuuenes nostros ad id quod est melius huiusce modi succlamationibus impellamus? dum ad ea quæ dicuntur, ueluti insurgentes ex aduerso, illa impugnamus, hoc modo: Dum aiunt: quàm est optabile mortalibus, ut telum feriat id quod animo cõceperis. Obijcianus nos contra: Non, sed optabile est ut telum feriat id quod est frugiferum. Quæ enim optare non decet, si illa accipias, & pro animi tui desiderio fruaris eisdem, miserum id planè est, & non minima infelicitatis portio. Nec Atreus filium Agamemnona prorsus in omnibus erudiuit honestis. Nam dum ait: Oportet te & dolere & animum exhilarare. Nos cõtra illius uerba impugnamus. Per Iouem, contendimus, ut gaudere debeas, & non dolere, modò in rebus inuenias legitimam mensuram & modum. Sic Atreus filium Agamemnona non in omnibus prorsus erudiuit honestis:

Heu heu malum exitiosum nunc mortalibus,
Vt quis sciat, tamen non usurpet bonum.

Immedicabile utiq; hoc est, & malum rationi prorsus repugnans, ut ne etiam addam miserum, si hoc nosti quod est melius, & ad uitæ intemperantiam, atque mollitiem summi dedecoris prolabare. Tropus quidam est, dum quis paret dictis, nõ oratio. Imò & tropus & oratio, uel magis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tropus. magis tropus ex oratione. Quemadmodum equus per frenum,& nauis per clauum circumagitur. Nihil enim est tam humanum, ac prorsus nullum tam cognatum uirtuti

Oratio. organum,ut oratio.

Non fœdo amore maris,at dextro fœminæ
Capiaris,ut decorum utrinq; seruias.

Rectius hic dixeris ut modestiæ ubique seruias, ita enim æqualitas & decorum uerè obseruatur. Cæterum qui se ad uoluptatem aut formam transfert,utrobiq; ineptus est, parumq; stabiles habebit sedes.

Diuos metu,prudentes adeunt supplices:
Non utiq; ita habendum est quod legitur,sed
Fiducia deos,prudentes adeunt supplices.

Metus. Quando metus imprudentes, ingratos ac prorsus dementes solicitat, quippe qui diuinam illam uirtutem, unde bona nobis proueniunt,tanquam ab se læsam suspiciunt, ac

Lecta in usu traducenda. uerentur. Hactenus quæ ad correctionem attinent explicauimus. Qua autem uia ea quæ legimus in multiplicem usum traducamus,Chrysippus aptè ostendit: Oportet enim, ait, quod est ex usu, ex ijs quæ confinia sunt, & simulem habent speciem,colligere. Veluti dum ait Hesiodus:Bos equidè non amittitur, nisi quis improbũ habeat uicinum: id sanè de asello, cane, & omni eo quod ad hunc modum potest amitti,intelligas licebit. Sic quod ait Euripides: Quis est seruus qui mori non reformidet? id quod & de labore ac morbo haud absurde item intelligi potest. Ergo quemadmodum idem pharmacum ad unum morbum fugandum efficax, dum uim illius discunt medici,ad omnes finitimos illud transferunt & accõmodãt:sic sententia communis quæ uim suam in plura potest extendere, non est despicienda, sed dum uni negocio proprie congruit

congruit,ad similia nihilominus traducẽda est,& proxime cognata:Estq; in hac occupatione exercenda iuuẽtus, ut consuescat pro ingenij sui acrimonia id quod est commune ex proprio traducere, idq; compluribus experiri exemplis,ita ut in promptu illi fiat, celerrime huius exercitij præstare documenta. Vt cum Menander ait:

Beatus est,opibus iungens industriam.

hoc existiment non modò de diuitijs dictum, sed etiam de honore,principatu, & eloquentia. Stupendam præterea admirationẽ Vlyssis,qua tangebatur dum Achillem inter puellarum gregem in Scyro esset conspicatus,

Tuq; ò generis extinguis clara lumina,
Dum pensa natus optimi patris trahis.

Licebit in prodigum quoq; retorquere, sordida lucra captantem,desidem & negligentem, disciplinarum osorem. Veluti si dicas: Bibis patris Græcorum natus optimi. Sic dicere queas,Ludis,cauponam exerces,scortaris, nihilq; sapis egregium, quod generis tui nobilitatem deceat:Rursus dum ait:

Ne dixeris,miror præclarum opum deum,
Quarum facilè uim magnam possidet malus.

Itaque nec gloriam dices,formam corporis insignem, uestem magnatum, aut sacram etiam coronam, quòd hæc omnia uideamus etiam uanissimis contingere nebulonibus. Et quod ait:

Fœdos metus de se producit filios,

per Iouem, sic & petulantia,superstitio,inuidia,& reliquæ item omnes hominũ id genus pestes. Cæterum quod optimè dixit Homerus, Dispari forma præstantissime, & pari modo,Hector forma insignis, ostendit reprehensione dignum, & risu, qui nullo bono fruitur quod forma

Universidad de Deusto
Biblioteca

decẽtius. Vnde in proclivi est ad similia hoc trahere, quo compescamus eos qui sibi plus nimio placent speciosis cẽtulis, quum nihil illis sit uanius atque indignius. Docendi sunt proinde iuuenes, quòd odiosè dicta huiusmodi, contemptum secum afferũt. Veluti si dicas: Diuitijs optime, conuiuijs optime, liberis optime, iumentis optime, & per Iouem si dicas de alijs eodem modo, optime. Ex pulchris itaq; & honestis præstantiam scelteris necesse est, ut uidelicet in præcipuis rebus præcipuus & antesignanus habeare, primasq; teneas in rebus maximis, quando uideas gloriolam hanc, quæ ex rebus minimis ac uilibus captatur, non esse gloriam, sed planè ignominiam. Vnde hoc exemplo mox admonemur, ut penitius laudẽ aut decus introspiciamus, cum in alijs poëtis, tum apud Homerum potissime, ubi planè indicatur, ea quæ ad corpus aut fortunam referuntur, non admodum magno studio digna debere æstimari. Principio enim, in mutuis congressibus dum se compellant, dextrasq; excipiunt homines, nõ dicunt, O formose, diues, aut uiribus pollens: sed huiusmodi firmè benignitate uerborum utuntur:

In animo uirtus est, aut uitium.

Nate Iouis Lacrtiade, multiscie Vlysses. Et:
O soboles Hector Priami, qui æquare tonantem
Consilijs potis es. Et:
Pelides insignis gloria Graiũm. Et:
Chare Menœciades animo mihi grate.

Proinde dum uitio quippiam dant poëtæ, in scelera ipsa sic invehuntur, ut nihil earum rerum attingant quæ sunt corporis, ut:

O temulente tenes oculos canis, & leporis cor. Et:
Aiacẽ uince qui plurimũ polles maledicentia. Sic:
Idomenee

Idomenee die prius aliquid arrogantius.
Nec te decet esse blacteronem. Et:
Aiacem loquacule tu bubulee.

Deniq; Thersites ab Vlysse reprehensus, nõ claudus, caluus, aut gibbosus esse dicitur, sed linguæ amarulentia insignis. At Iuno Vulcanum amatum sobolem his uerbis alloquitur: Surge mi fili claudo pede. Vides hic Homerum videre loripedis uitium, non aliter atque alibi cæcitatem, quòd probro indignum putat, quicquid non à nobis, sed a fortuna porrigitur. Duo autem præclara contingunt illis qui poëtas audire solent: Primum moderationi animi famulatur, docetq; nulli fortunam molestè ac stultè exprobrandam: Alterum, uiam struit ad magnanimitatem, qua ad omnes fortunæ casus ita componas animum, ut non deijciaris aut conturberis, nihilq; commouearis ad scommota etiam ridiculis maledictis permista. Qua in re Philemonis illud in promptu habendum existimo: Suauius nihil est, nil denique concinnius, quàm si possis æquo animo ferre conuicia, potissimum si id uideantur errata alicuius exposcere, & affectus incompositi requirant castigationem. Quemadmodum tragicus ille Adrastus Alcmeone dicente: Mulieris homicidæ cognatus es: respondit: At tu manibus peremisti matrem quæ te genuit. Quemadmodum ergo qui flagris cædunt uestes, corpus non attingunt, sic qui infelicitatem aliquam fortunæ aut generis exprobrant homini, in ea feruntur quæ extra hominem sunt, nimirum stultè, uanoq; conatu, quum præstet animum correctione egentem, morsu impetere: Cæterum quemadmodum superius docuimus, poëmati parum honesto, quod bonis officiat moribus, opponere sententias ciuilium & celebrium uirorũ, quæ fidẽ abrogẽt turpi-

Poetice ad duo utilis.

Moderatio animi.

Patientia malorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudini: Ita si offendamus in carmine urbani quippiã quod sit frugiferum, fouere nimirum illud iam decet atq; amplificare philosophicis demonstrationibus & testimonijs, ita ut inuentio tota illis referatur accepta. Id nanq; in primis æquum est & non parum conducibile, ut tum demum poëma dignitatem, robur, ac fidem obtineat, dum canitur ad lyram, aut in scholis exercendi studio tractatur: si cum Pythagoræ & Platonis consentiat decretis, & in illa puerili lectione, ad Chilonis præcepta & Biantis, recta prouehãris. Indicandum præterea non oscitanter iuuentuti, carmen illud,

Philosophia in poëticam introducenda.

Non tibi concessum miscere prælia fili,
Sed Veneris dotes cape, permissosq; hymeneos.

Similiter illud:

Iuppiter ecce tibi succenset, uiribus impar
Quòd pugnas hosti, quomodo nihil differãt ab illo Nosce teipsum, & quòd utrobiq; eadem sit sententia. Sic illud:

Ignorant stulti ut toto plus dimidium sit. Et:
Consilium prauum consulto pessima res est.

Ex Platonis officina sunt profecta. Sic enim scriptum reliquit philosophus ille in Gorgia, & libro de republica, dum docet, iniuriam accipere melius esse quàm facere, magisq; offendi eum qui lædit, quàm qui lædatur. Adijciendum insuper est Aeschylo; dum ait, Virili sis animo, laboris immensitas tempus non habet: apud Epicurum id esse uulgatum, suosq; semper ibi habuisse admiratores, quòd uidelicet magni labores breui finiuntur, temporarijq; non habẽt aliquid in se magnitudinis. Et Aeschylus quidẽ haud dubie hoc cecinit. Sed appendix quædam cohæret, uidelicet: Si enim magnus breuisq; non manet labor,

labor, non est magnus qui perdurat in labore, neq; ad ferendum impos. Thespidis autẽ illa, Vides huic deorũ primas dare Iouem, nec uana sunt neq; arrogãtia, ad hæc non tam stulta ut rideas, dum hoc solum non nouit quid delectet. Et quod ait Plato, quantũ præstet longè abesse à uoluptate & tristitia, qua in re potissimũ deorum naturæ cõfirmatur. Porrò illud, Dicamus quòd uirtus fidã & constantẽ habeat gloriã: At opes hominũ, meticulosis cõmorantur, à Bacchylide dictũ est. Et propemodum cõfine illi est hoc Euripidis: Ego nihil antiquius puto prudentia, eò quòd bonorum duntaxat comes sit. Similiter & illud, Honoris uos teneat studiũ, Virtutem opibus paret alius, quas quidam felices in bonorum habent numero. Cæterum non habent hæ sententiæ euidentiam, philosophorũ dictis consentaneam, qui diuitias à bonorum ordine excludunt, putantq; inutilia esse, & nullius frugis, quæcunq; sine uirtute posidẽtur. Ad hunc igitur modũ poëticam usurpare, præceptisq; insistere salubribus, uindicat illam à fabulamẽtis, & detrahit ei personam, additq; studium illis rebus quæ magno cum fructu ibi dicuntur, aditum parans iuueni ad rationes philosophicas, dum animum eò inclinat. Venit enim cum quibusdam prægustamentis, non omnino rudis, sed ceu candidatus quidam rerum philosophicarum. Quando iam exoluerunt illa quæ audiuit perpetuò à matre, à nutrice, & per Iouem à patre, & à pædagogo, diuites solos beatos prædicãtibus, summoq; honore illos afficientibus. Exhorrẽtibus præterea mortẽ & laborẽ, uirtutemq; capessere operæprecium nõ existimãtibus, atque adeo nihil præter opes & honorem. His, inquam, opinionibus dum repugnare audiunt philosophos, stupor quidam illos ab initio retinet ac metus pauorq;, ita

Philosophiæ uis.

ut progredi nõ liceat, nec ferre queant insolita. Non aliter atq; ij qui è magna caligine prodeuntes solem cõtueri nequeunt, nisi antea paulatim fuerint assueti. In poëtica igitur ceu in adulterino quodam lumine, ubi uera falsis sunt permista, splendor est tenuis quem facilè feras, poteśq; citra molestiam respicere, tantum abest ut in fugam te agat præcipitem. Audierunt enim prius in poëtis, & planè persuasa habent hæc sequentia,

Mortalibus fienda est cuiq; sua calamitas,
Et mortuus, cunctis liber laboribus,
Domo efferendus est multo præconio. Et:
Quando duobus uita eget mortalium
Tantum, cibo panis, aquæ dein potu,
Vale tyranni barbarorum amicitia,
Et hominum miserorum felicitas.

Hæc enim, inquam, minima sunt quæ grauia esse possunt, minusq; conturbant, & offendunt, ex his quæ manant à philosophis. Dum uidelicet audiunt, mortem nihil ad nos pertinere, Naturæ opes circunscriptas suo tempore. Quodq; felicitatem & beatitudinem non liceat præscribere opulentia, aut rerum maxima ubertate, imò neque principatu, aut magna potentia: sed sola indolentia, ac affectuum tumultuantium sedatione, cupidine animi intra suos naturales terminos circumsepta. Harum igitur rerum gratia, & omnium simul quas prædiximus, iuuentus bona eget institutione, & ductu, per uniuersam lectionem, ut placide magis primo instructa, quàm ut dixi, offensa, in poëtica non aliter atque amicus & familiaris ad philosophiam mittatur.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI Commentarius, docens quo pacto se quispiam circa uirtutem, candoremq; morum sentiat profecisse.

Ottomaro Luscinio interprete.

AVT certa quædam est ratio, ò Sosie Senecion, qua sensu quispiã deprehendit, se cuasisse meliorẽ, aut profecto nihil immodestiæ decedit ad bonam frugẽ suis auctibus sensim promouentibus, sed pari lance cunctis mortalibus obuia sit morũ peruersitas oportet, quæ illos non aliter atq; rete quoddam plumbi grauitate concludat. Atq; iam grãmatico in disciplinam traditus, siue musico, nõ intelliget quid inscitiæ per exactam in arte percipienda diligentiã à se fuerit amolitus, sed perpetua identidem ignorantia sua torquebitur. Medicina item languenti nihil præstabit tranquillitatis & laxamenti, ubi iam declinare cœperit morbus, neq; discrimen ullum notare queas, nisi uerè reducta fuerit contraria corporis habitudo, sanitate prorsus reddita. Proinde donemus iam, ad meliora nihil proficere eos, qui etiã mole quapiam exonerẽtur. Et in trutina rerum facta collatione, nullam ponderis notari diuersitatẽ. Ad cumq; modũ in philosophia, & ijs quæ ibi præcipiũntur, nemunẽ percipere sensu, num profecerit, quandiu pusillũ inscitiæ relinquatur in animo, à quo non repurgeris, sed simpliciter eodem semper malo torqueare necesse est, donec summũ illud bonũ atq; perfectum se insinuauerit. Deniq; uno momẽto sapientẽ fateamur (si dijs placet) ab extrema malicia, in tam sublimẽ uirtutis habitũ promouere, ut incremẽta nõ possit accipere, subitoq; effugere mo-

Exordium ab absurdo.

A similit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum peruersitatẽ, eamq; tantam, ut longo etiã tẽporis interuallo nulla illi portio decedere potuerit. Verum nõ inficiabere eos, qui absurda hæc astruunt, ipsos sibi iam plane faceſſere negociũ, dum quod in cõſpicuo eſt, ignorãtiæ tenebris inuoluunt. Quomodo enim suã uulgo tuebuntur exiſtimationẽ, qui ſapiẽtes habẽtur, ſi puſillum illud uirtutis, quod tẽpore acceßit, aut detractũ eſt, in ſeſe nõ agnoſcant, aut pernegent? Quaſi uerò recta ad uirtutẽ ducẽs uia, latens ſit, omnesq; eò cõtendentes cæcutire uideãtur, ignari quò ſe recipiũt, aut quatenus promoueant. Idq; ſi obtinebit, ut tam repẽtina fiat rerũ cõmutatio, dum is qui hodie prauißimus fuerat, ueſperi in egregiũ euadat uirũ, & qui rudis literarũ ſomno cõceſſerat, experrectus lõgè ſit omniũ ſapientißimus: cõpellare mihi iam liceat heſternam inſcitiã, nouasq; præſtigias his poẽtæ uerbis: Porrò mihi longũ rogo ſomnia uana ualere. Atqui diſpeream ſi quis tam inſigne diſcrimen ſui, prudẽtiamq; tanta ubertate in ſe diluxiſſe, nõ intelligat. Planeq; auguror, ſi quis uoti cõpos, ueluti Cæneus, ſubito nobis ex muliere mas prodierit, eũ planè ignoraре quid deceat talẽ mutationem. Neq; enim ſapere poterit, prudẽti eſſe animo atq; maſculo, quũ ſtultitia, metu, uitaq; intẽperantia iampridẽ laborauerit, & rerũ omniũ neſcius, ex ſtatu mere beluino in diuinum protinus fuerit trãslatus. Cæterũ rectè dictũ eſt, Lapidem cõponi debere ad regulã, minimè regulã ad lapidẽ. Quũ iſti contrà nõ aptent negocia philoſophiæ præceptis, ſed negocia inſeruire cogant ſuis ipſorum cõmentis. Et dum ſuo arbitratu omnia ſtatuere conãtur, mirũ quàm multis erroribus ac dubijs ſubinde impleãt philoſophiam. Porrò cõſtituto hoc uirtutis faſtigio, de quo præſens eſt quæſtio, ſi omnes æquè ſunt infelices qui nõdum eò contenderint:

In Stoicos peccata omnia paria eſſe ſtatuentes,

Iam qui

iam qui totus ineũbit uirtuti, etiamſi nondum contigerit apicẽ, tam eſt miſer, quàm is qui uitijs omnibus eſt immerſus. Atqueadeo uidere eſt, quo pacto mire ſecum pugnẽt, qui in ſcholis Ariſtidis flagitiũ eũ illo Phalaridis æquant. Hinc meticuloſum animum Braſidis cum eo quẽ refertur habuiſſe Dolon, Melitiq; ingratitudinẽ cum illa Platonica, res utiq; longißimo interuallo diſtantes, conferunt. Quæ ratio ſatis nos mõnet, in uita probè inſtituẽda, uſuq; rerum, magiſtros illos parum elegantes, & duriuſculos, declinare, ac procul fugere, alios uerò qui frugi ſunt, audire, & ſequi. Proinde nos prauitatem omnem in ſuo genere, potißimum infinitam illam & inexplicabilem, quæ reſidet in animo, incremẽtis quibuſdam cõſurgere, & defectu minui cernentes, iuxta quem modum & differunt ipſi profectus & acceßiones. Veluti ſi ratione paulatim reſplendente, animumq; repurgãte, umbra iniquitatis attenuetur: non abſurdè arbitramur ſenſu deprehẽdi poſſe huiuſmodi tranſmutationem, haud aliter atque ſi liquoris nõnihil deceedat è dolio. Retinetur autem ratio eorũ quæ primo conſpectu quiſpiam aſſequebatur, dum perinde ac nauigantes uaſtum primo pelagus aſpectu complexi, ſimul cum tempore ipſo, uentiq; potentia curſum ſuum dimetiuntur, quem poßint utriuſq; habita ratione, peregiſſe, ita ipſe in philoſophia ex perpetuo illo motu rectà euntis, citra ullam ſtationem aut receſſum. Quippe dum non impetu quodam, à quiete in opus fertur, ſed leniter & ſenſim promouet, conſequetur haud dubie, ſi priorem ſtatum cum eo qui peracto opere contingit, rite conferat, quis ſit ille, de quo iam quærimus, in uirtute profectus. Celebre enim illud poẽtæ quo aiunt:

Addideris paulum ſi paulo crebrius, illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nullæ homini sunt cum uitijs inducię.

Protinus assurgit, magnusq; uidetur acervus. Non equidem apte de augendis opibus solum dicitur, sed cum ad res omnes, tum uerò potissimum ad uirtutū incrementa, moresq; absolutæ integritatis, duce ratione quæsitos, non absurde quadrabit, si eò conferas. Porrò eorū qui student philosophiæ, turbulentus primo & longè dispar incepto animus, non solum spacia quædam statuit itineris, quo profectum metiaris, sed etiam leuat labore, dum animi peruersitas ut similibus incrementa accipit, ita aduersis deijcitur. Et planetas quidem Mathematici appellant stationarios, quando à progressu desistunt, uerum in philosophia, uirtutisq; itinere nulla est quies, nulla perpetui profectus intermissio. Natura ipsa quemadmodum in trutina fieri solet, iam propensa ad id quod est melius inclinari, modò labi in deterius. Itaq; non aliter atq; Cirræis datum est à superis oraculum:

Nocte dieq; tibi non desint prælia posthac:

Ad eum planè modum noueris perpetuam tibi cum uitijs immunere pugnam, cuius nulla sit per diem, nulla etiā noctu relaxatio. Vix enim unquam cessant excubiæ, aut desunt uoluptates, quæ te infestent, & caduceatorum more in aciem prouocent, quanquam strenuè hostes præterire queas, atq; contemnere. In promouendo autem per certa interualla in semita uirtutis, stabiliora sunt ac diuturniora primis quæ sunt ultima. Hoc nimirum argumento, quòd fecordia iā exercitatione & labore irrequieto profligata est. Quanquā in ea re sedulò item curandum est, ne protinus intermissione aliqua facta, rursus langueſcere incipiat animi alacritas. Proinde quemadmodum culmus impetu quodam surgit in altum, longissima primum emensus spacia, ac mox ubi tenues accipit offensiones, & uerbe

ra, ceu anhelo spiritu in acumine fatigatus, dum nō suppetūt uires, dēsis quibusdā geniculis roboratur ad uenti plagas sustinendas: Sic qui primò magno cursu contendunt ad philosophiā, deinde accipiūt offendicula quibus auellantur, ita ut uirtutis non sentiant bona, tandē fatigati labore deficiunt. Atqui alæ rursus accipiēdæ erant, sublatis moræ occasionibus, et pergendū porrò ueluti auctis copijs, quæ robur suppeditent, animūq; promptitudinem largiantur, ut cœpto operi possint sufficere. Primum autem argumentū quo te sentias in uirtutis studio profeciſſe, est amoris immēsitas. Non enim si depereas mulierē, ex eo apparet, quòd præsentia illius te oblectat. Quandoquidē cōmune id est omnibus, amatis gaudere. Sed si mordicus eam retineas, ægreq; diuelli te hinc patiare. Videas equidē non paucos qui cupidi admodū feruntur ad philosophiæ studia, uerum mox ubi ad alia diuerterint negocia, effluit affectus prior, nulloq; dolore torquentur philosophiæ desiderio. Cæterum si cui adsit uerus amoris stimulus, quanquam remissus tibi appareat, uulgariq; affectu, in sodalitate eorum qui simul incumbunt sapientiæ studio, protinus tamē alium cernes, si inde segregatus fuerit atq; diuulsus. Quippe ad res alias prorsus insaniet, anxius erit, tristis, querulus, summoq; dolore cruciabitur. Non dicam hic nonnullos, quos non aliter atq; dementes, etiam amicorum ceperat obliuio, summo ardore ad hæc studia animum appuliſſe. Quando non contenta est philosophia, ut præsentia duntaxat nos amore sui capiant, ueluti unguenta, quorum absentia nemo discruciatur, sed inediam quandam, sitimq; oportebit concipere, sicubi auellimur, taliq; argumento intelligere utiq; licebit nos uerè proficiſſe. Perinde atq; à nuptijs, opibus, amicis, militiā ue,

Primum indicium profectus, amor uehemēs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

militiæ ue, si cõtingant, protinus distraharis. Iamq; eo magis dolendus est in uirtutis studio neglectus, quo maiorem fructum confert illius accessio. Huic primo indicio profectus circa uirtutẽ, cõsine est uetustissimũ illud Hesiodi, uiã ad eam sudoribus struentis, documentum, etiamsi iam non admodum sit obuium, aut celebre, nimirum quia omnis eò tendit cura, ut leni tramite, facili & compendioso incedamus. Acciditq; ut prisco illo expũcto atq; deleto, lux omnis ac splendor in philosophia planè conciderit, labore utiq; sublato & exercitatione, posteaquã ex dubijs rebus, uago errore, ac pœnitudine animum exemeris, quæ omnia philosophiam à limine salutantibus ab initio solent contingere, haud aliter atq; ijs qui terram in nauigatione ex oculis iam uisam amittunt, alterã illam ad quam tendunt nondum assequuti. Dum enim communia ista solitaq; ferant, necesse est, prius quam meliora intelligant eisq; fruantur, in medio interim fluctuant, & plerunq; retro labuntur. Id quod Sextio illi Romano iam olim usu uenit, qui urbanos honores fascesq;, quibus sese ob philosophiæ studium abdicauerat, negocio parũ feliciter primo procedente, doloris impatientia rursus affectauit, biremi exili optata, qua in priorem statum rediret. Huc pertinet Diogenis item Sinopei exemplum, memoriæ proditum, qui dum Athenis philosophiæ studium auspicaretur, fuisse tum insignem aiunt festiuitatem, sumptuosas cœnas & opiparas, spectacula, conuentus celebres ac congressus, conuiuiaq; in lucem usque protracta. Diogenem interea in quodam angulo fori porrectum, membris ita compositis ut somnum caperet, ucrum cogitatione plurima distractum, & animo irrequieto turbatum, quòd præter ullam necessitatem in tam monstrosam laborisq; plenam uitam

Secundum, asperam nõ horrere uiam.

Tertium, reclamare prauis animi suggestionibus.

descen

descendisset philosophiæ studentium. Proinde dum solus ipse sibi incumberet, uniuersis bonis mortalium, delitijsq; gratissimis sese spoliaret, hæc, inquam, dum tacitus animo secũ uolutaret, fama est, murẽ circa micas de pane illius decidentes occupatũ à uiro ausugisse, qui mœsto atq; attonito animũ reddiderit, his seipsum uerbis cõpellãti: Quid isthuc rei est, ô Diogenes? Hunc murem delicate pascis, id quod tibi etiam ex necessario supereſt, tuq; uir tantus uicem doles tuam, quia cum istis epulonibus non insides uireti molliq; stragulo, ac simul inebriaris. Dum igitur huiusmodi auocamenta, uirtutis uiam ingresso obsistunt, retroq; trahere molitũtur, & ratio hominis clàm repugnat, ad respondendum parata, conceptã facilè dirimens ægritudinem, ea uerò non leuis coniectura est felicis cuiusdam circa uirtutem profectus. Cæterum quando non solum ea quæ concitant & auertunt in diuersum, philosophantibus malè ominantur, sed etiam hoc ipsum quod est amabile, & philosophica diligentia concinnatũ, in quo item præsidium quærunt plerique, quales sunt ioci pueriles, saleſq; ridiculi, dum in philosophiæ tyrones iaciuntur, non raro offendunt illos atq; deijciunt: ut ne dicam quosdam a philosophia rebus etiam laudatissimis abactos: non absurde promouisse quisquiã hoc indicio se intelliget, si placido & tranquillo sit animo, ita ut nihil cõmoueatur quicquid cunq; dicterijs, nihilq; reluctetur. Potissimũ autẽ cõuicia, & ludicra huiusmodi irritamẽta, ab aulicis, in luxu & ocio uiuentibus excogitantur, uel in sponsalibus, siue dum in forũ descendunt ad magistratum, causam ue ibi aliquã sibi sumunt defendendam. Qui itaque tali septus est robore, eaq; pollet animi constantia, ut prorsus ista queat negligere, is planè dignus habetur quem philosophia suis

Quartum, præstare animum placatũ, minimeq; irritabilem.

condecoret

Universidad de Deusto
Biblioteca

condecoret dotibus. In confesso autem est, ita natura comparatum esse, ut isti quos nulla tangit admiratio uirtutis, sedulò curent, quo ab alijs celebratum lacerẽt atq; insectentur. Itaque licebit aliquando per speciem stultitiæ & malevolentiæ terga dare hominibus, & rursus sapienter ac rectè ea quæ ipsi tantopere eleuant & suspiciunt, animo constanti contemnere. Conferentes enim uana illa atq; caduca nostris, conditionem nimirũ philosophiæ protinus meliorem effecerimus. Exemplum in hac re abunde magnum & efficax nobis præstitit Solon: At nos, inquit, cum istis nõ commutabimus uirtute diuitias. Quando hæc nostra in tuto sunt, fortuna uicissim suas opes modò concedit, modò diripit. Sic Diogenes, dum per occasionem sedes commutando è Corintho Thebas, & rursus è Thebis Corinthum se reciperet, profectiones huiusmodi regijs digressionibus æquiparabat. Quòd in Babylone hyemante rege, uer Susis, æstatẽ in Media ageret. Et Agesilaus quũ de rege magno sermo incideret: Equid, ait, maior ille est nobis, nisi iustitia præstet? Aristoteles item ad Antipatrũ de Alexandro scribens: Nedum sapiẽtia præstare, inquit, par est eum qui antecedit imperio, sed etiam religione & pietate. Huc accedit quod Zenon ait, dum Theophrastum uideret auditorum multitudine cunctos in sui admirationem trahere: Chorus quidem illi est maior, at mihi cõcinnior. Ad hunc sanè modũ, si quis ea quæ sunt uirtutis, cum ijs quæ ab ea exulant, componat, profecto iam simul superessuderit cædes, zelotypias, aliáq; philosophiam aspicantibus obiecta, malis complurimis, ne animum ipse suum despondere cogatur prorsusq; deijcere. Atque haud dubie ne hoc quidem in postremis est, hominis se profecisse intelligentis, documentum. Est præterea non mediocris

Quintum, uirtutẽ agnoscere ex collatione ad stultia.

diocris commutatio rerum, quæ in sapientiæ studio solet accidere, dum (ut ingenuè dicam) scita illa philosophorum atque decreta, quisq; pro sua accipit opinione, atq; etiam lucro. Alius perinde ac uolueres omnia ad splendorem rerum naturalium, & acumen subtilitatis gloriæq; appetentiam confert. Ille catellis non absimilis, ut ait Plato, laniatu gaudet morsuq;, & ad rixas ac contentiones sophisticas penitus flectit iter. Bona pars dialecticis artibus sese inuoluunt, meros agentes sophistas, uictum quoque inde parantes. Rursus inuenias qui sententias recitent illustrium, & historias apponunt, quemadmodum Anacharsis dixit, uidere se Græcos numismate ad nihil aliud uti quàm ad numerandũ, esseq; ad hunc modum inutiles, qui in numerato habeant uerba, neq; alium fructum in cõmune conferant. Accidit autem id quod olim ait Antiphanes, ferè per iocum, ut ex Platonis similiaribus quidam retulit, Vrbẽ uidelicet esse, in qua uoces emissæ, protinus quidem diuerberent animum, atq; utinam in æstate tandem auditorem assiciant, quæ hyeme sint disputata. Sic planè, inquit, quæ Plato inuenibus disseruit, uix tandem percipiunt animo, ubi cõsenuerint. Et hæc quidẽ in philosophiæ studio tantisper foras oportet, dum certo iudicio firmum in animo habitum ac præclarum cõstituas, ita ut iam conferre simul possis rationes, easq; conquirere, quæ iuxta Aesopicum illud, Vestigia te aduersum, introq; spectare magis quàm foras uideantur. Vt autem autore Sophocle, primo ueluti per lusum Aeschyli grauitas in oratione expressa est, deinde difficultas cõpositionis, & artificium, tertio ornamentum, id quod omnium est optimũ, & ad bonos mores maximè accommodatum: Sic philosophiæ studio incumbentes, posteaquam ex artificio, & ea

Sextũ, cũ iudicio omnia legere, & ad bonã frugem traducere.

parte

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte dictionis quæ est plausibilis, ad moralem, & affectuum motricem promouerint, iam & uerè incipient & alacriter proficere. Curandũ item, ut nõ tam philosophorũ libros perpetua lectione reuoluamus, illosq; audiamus docentes, quam rerũ copiæ uerborumq; intendamus animum. Neue potissimum eò insiliamus, ubi maior est difficultas, & dictorum quædam imparilitas, prætermissa ea parte quæ est succulenta, pinguis & frugifera. Sed & in poëtis atq; historijs cautio adhibenda est, ne inter uerborum nitorem & elegantiam elabatur, quod ad morũ correctionem attinet, affectuumq; noxiorum alleuiationem. Sicut enim floribus insidens apicula flauũ mel, ut ait Simonides, ex succo conficit, quũ alij nihil præter colorem odoremq; in illis admirẽtur: Ita appellentibus alijs animũ ad poëticam lusus cuiusdã & uoluptatis gratia, nos cõtrà intuentes id quod est operæpretiũ, amore ueri boni, cõsuetudineq; domestica iunctos, decet altius quiddam in eare sapere. Iamq; uidere est eos qui Platonẽ euoluunt & Xenophontẽ solius eloquentiæ comparandæ gratia, in quibus uidelicet magis relucet Attici sermonis puritas, quo pacto illam colligant, ueluti ros aut puluerem, nõ admodum dissimules ijs qui pharmacis odore capiuntur, & nitore, sanandi uim & purgandi negligunt. Sunt præterea qui maiori fructu proficiunt, nedũ ex doctrina & literis, uerumetiã ex spectaculis, ac quibusuis alijs negocijs norunt ad bonã frugem suis incremẽtis proficere, dum opes ad eam rem idoneas undiq; consarcinant: Id quod ferè de Aeschylo ferunt suiq; simulibus. Aeschylus enim spectans Isthmia, dum in pugilũ certamine alter cæsus esset, totũq; theatrũ exclamaret, Iouẽ Chium fudisti: uide, inquit, quale sit hominũ studium: cæsus silet, spectatores uociferãtur.

Septimũ, quæcunq; uideris exempla uirtutum facere.

Sic Bra

Sic Brasidas dum murem inter caricas corriperet, ac mox dimitteret accepto morsu: O Hercules, ait, quàm non est ullum animal tam exiguum & infirmũ, quod pro uita non dimicet, pœnasq; ab infestatoribus ultrices sumere non audeat. Diogenes item bibentem quendam è manu conspicatus, mox poculum è pera ceu superuacaneum abiecit. In hunc equidem modum si quis attendat, & amplificet studia, expertus nimirũ atq; peritus rerum euadat oportet, dummodo cõgerat omnia ad germina uirtutum. Fiet autẽ hoc potissimum, si literarũ studia ipsis negocijs cõmiscuerimus. Non solũ ut Thucydides docet, curas omnes ad periculorũ euitationem conferendo, uerumetiã ad lites, uoluptates, iudicia, concilia, & magistratũ, ita ut in illis literarũ utilitatẽ ostendamus. Aut quod magis ex usu, ut rectè literis uti alios efficiamus. Videas enim nonnullos etiamnum discentes, qui mox ad ostentationem omnia cõferunt, hoc solo respectu ex philosophia quicquid licet decerpentes, ut mox in fõrum, uel iuuenũ cœtũ, aut certè ueluti circulatores in regium conuiuũ apportent. Verum ij plurimũ falluntur opinione, dum putant id esse philosophari. Perinde atq; si quis credat, uulgo commusturas & pharmaca populo uendere, id esse mederi, dum longe aliud medici sciamus esse officiũ. Deinde non admodũ differt sophista huiusmodi ab Homerica illa uolucri, quæ pullus implumibus id pabuli quod nacta est in os mittit, suo corpori nequicquam profuturum. Ita enim accidit ei qui alijs, nõ sibi philosophatur. Atqueadeo necessaria est hæc cautio, ne philosophemur sine fructu. Nobis enim in primis confert philosophia, maximoq; est usui, erga alios autem, præter docere & discere, inanis quædam ostentatio, & ambitio plerunq; se prodit. Idq; potissimũ, quando al-

Homeri homiotis Iliad. 15

Octauũ, ostentationem & rixas fugere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tercandi materia, & lites quæstionibus subinde implicã=
tur, finisq; totus in eo cõstituitur, ut sermones ueluti lora
quædam pilæq; per manus uicißim tradantur. Eoq; magis
iam intenditur animus, ut uocibus incõditis obstrepamus,
& omnia dirũpere magis uideamur, quàm docere quip=
piam aut discere. Proinde in hac re benignum se exhibere
& placidũ, ita ut in arenam minimè descẽdas, & per ira=
cundiã non dißoluas, quæ in cõmune sunt prolata, neque
cõuitijs inueharis in eum quẽ reprehendas, aut inique fe=
ras illatam contumeliã, euidens planè documentum est, ho
minẽ in philosophiæ studio promouißе. Edocuit autẽ hoc
mirè in quadã disputatione Aristippus, dum ab audaculo
alioqui insanienti & indocto superaretur, sciolusq; ille
impendio lætaretur & superbiret, ait Aristippus: Ego ex
hoc conflictu discedens inferior, te uictorẽ, dulcißimè dor
miens somniabo. Licebit præterea in dicendo nostrimet
facere periculum, sicubi non coëat maior expectatione
nos auditurus populus: Ne uidelicet metu præoccupe=
mur, & in uniuersum ab orando absterreamur. Nõ enim
primo coram paucitate contristamur, si locus postulet ora
torem, & deinde ad populũ siue magistratum audentius
uerba fecerimus: potißimum si cõcedatur cogitãdi spaciũ,
quo orationis habitũ queas disponere. Porrò de Alcibia-
de quædã referuntur & Demosthene, quod huc proprie
attinet, dum hic rerũ intelligentia plurimũ ualeret, in di=
cendo tamẽ meticulosus admodũ erat, sibijpsi quoq; in ne=
gocijs obturbãs, adeò ut in media oratione crebro hæsitã
do, uerba diu secũ quærẽs, fuga se proripuerit è cõcione.
Homerus itaq; cõsultò operi suo, quod uersibus cõstabat,
nõ passus est inseri uerba incõdita, quæ numeros & mẽsu
ram refugerent: eadẽ prudentia itidem pro uiribus usus in

negocijs

negocijs alijs. Ad hunc modũ qui rectà ad uirtutẽ contẽ=
dunt et honestũ, eos decet per occasionẽ usu rerum exer=
citari potißimũ. Deinde quod huic est proximũ, applausum
qui oratores manet, strepitumq; theatricũ nõ plurimi fa=
cere. Verborumq; in primis, ac negociorum agere respe=
ctum, ne in rebus eleuandis laus ipsa appareat nimia, mi=
req; cum ueritate pugnet oratio. Porrò si amatores uo=
luptatis quã percipiunt ab ijs quas depereũt mulierculis,
nullũ præter illas requirũt testẽ, quãto magis decet sapiẽ=
tiæ ueriq; boni amantẽ, dum in rebus honestis uirtutis frui
tur complexibus, scipso contentũ lætari, nihilq; laudantiũ
& auditorum curare applausus? Proinde, sicut is qui domi
uocat ancillam, clamore ipso contestans, bacchanalia se
uidere desißße, quum maximè iam uideat: Ita qui grati=
ficatur reipublicæ, et mox se paßim celebrat laudibus, iam
prodit ambitionem, dum foras prospicit, gloriolæ ca=
ptandæ gratia. Virtutis autem spectator non eget publi=
co applausu, sed in somnis, & ipsis rerũ simulacris, inter=
no fruitur rei feliciter gestæ aspectu. Tantũ autem abest,
ut aliquantißper progressus in sapientiæ studio, non reti=
ceat apud alios si quid largius sit amico, aut operis quip=
piam præclarè gesserit, ut etiã iniqua suffragia per largi=
tiones, aut potentis cuiuspiã interceßionẽ pro se, amoliri
adnitatur, non respiciens ad munera, quanquam hinc fa=
mes, hinc sitis premat. Quippe satius fuerat, solidã noctem
cũ inedia agere, quàm cum uirtute uerò; bono pugnam
inire. Ita planè Agesilaus uitã instituit, dum tacitus bona
sua secũ circũferret, abũde magnus buccinator ipsemet si=
bi. Lætabatur enim ex animo, quòd testis sibi esset idoneus,
spectatorq; bonorũ, intus rationem certò sibi commorari
ostendens, itaq; egisse radices, posteaquã iuxta Democritũ

Nonum, nõ cã=
ptare applau=
sum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adsueuerat ex sese uoluptatẽ accipere. Vt autem agricolis periucundum est, uidere spicas inclinatas ad terram & nutantes, nam quæ ob leuitatem sursum tendunt, inanes esse creduntur, & superbire tamen: Ita philosophastri quidam uani, nihil habentes ponderis aut grauitatis, elato sunt animo, & in habitu, incessu, ultuq; nihil præter merum fastum, aliorumq; præ se contemptum produnt. Perspicuum est igitur, eis qui fructum ex philosophiæ studio percipere moliuntur, illaq; sese farcire, deponendũ esse protinus quicquid uanum est & arrogãs. Et quemadmodum è uasis liquorẽ aliquem recipientibus aër inanis expellitur, sic qui in philosophiæ studio ueris implentur bonis, fastum exuunt, mitioremq; de se concipiunt opinionẽ, pærum iam barbam iactantes & pallium, dum omne studium ad interna transfertur. Adde quòd sibi seueriores tum fiunt magisq; rigidi, alijs contrà benigni & placidi. Deniq; non usurpant solitã philosophiæ gloriã insigneq; nomen, sed in mutuis colloquijs dum super ea re incidit sermo, abũde satisfactum est, si quis bonæ indolis nouitius prædicetur. Atq; hæc subridens excipit quispiam rubore perfusus, modesteq; Homerico illo respondet carmine:

Quid superis æquas hominem? quasi numen ego sim?

Decimũ. Veneris neglectus.

Cæterum puellæ flagrans oculus, ut autor est Aeschylus, quæ sui aliquando copiam fecit, facilè nutibus deprehenditur. Atqui iuuenis, profectus sui in philosophia hoc præbebit argumentũ, si uenerea negligat, nihil attẽtus lubricis cautionibus, quarum ea est uis, ut quamprimũ fuerint ab amatore auditæ, non aliter atq; ignis, linguã, corpusq; tenerum protinus peruadunt, uultum placidum, & lumena alioqui sedata & iucunda inflammando. Quemadmodum autem sacris initiati primo omnia implent clamore atq;

Vndecimo, prætractam deponere frontem.

atq; tumultu, mox uerò ubi ad sacra mysteria uentum est, iam silentes attendunt & trepidi: Sic philosophia in uestibulo primum nõ mediocrẽ ostendit tumultum, sui fiduciam, ac uerborum strepitum, multis barbarè magnaq; ui ad inanem gloriã contendentibus. Porrò si quis intra penetralia consliterit, iam luce magna perfusus, eò loci ubi redduntur oracula, alium assumet habitũ, tacitusq; cõtremiscet, rationẽ non aliter atq; Deum submisso animo, atq; modestè cõposito, sequens. Huc pertinet quod à Menedemo non minus uerè quàm eleganter dictum est: Cõplures uidelicet esse qui Athenas nauigent philosophiæ gratia, primũ sapientes, deinde sapientiæ amantes, ac mox rhetores, neq; ita multò pòst idiotas rerumq; omnium ignaros sese appellare. Quo enim magis cuiq; ex philosophia accedit rationis, eo plus decedit fastus & arrogãtiæ. Animaduertẽdum præterea, quo pacto in morbis cõmunibus, ut in dentium aut digitorum dolore, confestim medicus quæritur. Et febri laborantes accersunt rogantq; medendi peritum, ne detrectet opem ferre præsentem, quum grauioribus malis impliciti, ueluti phrenetici, atra bili, insaniaq; affecti ob morbi uehementiam, quam minimè sentiunt, non recipiunt medicum, sed aut explodunt aut fugiunt. Atque in eum modum quicunq; peccant, & monitoribus uitia corrigentibus sunt asperiores, ij profecto malo laborant, non admittente curationem. Contraq; omnes æquo ferẽtes animo reprehensionem, potissimum si ipsos etiam morbi animorum gratia accedant reprehensores, bonam spem exhibent melioris cuiusdam habitudinis. Qui enim sese ingenuè offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, nõ passus latere aut ignorari, proditq; corrigenti, adiunctis etiam precibus, is demum

Duodecimo, si pecces, correctionem admittere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpecimen præſtiterit non contẽnendi in philoſophia progreſſus. Nam quiſquis ad bonam frugẽ ex corruptis moribus peruenire deſiderat, opus habet, autore Diogene, diligenti amico, uel acri feruidoq; hoſte, ut peccatũ fugiat, aut correptus, aut certè humaniter ac blande curatus. Quandiu autẽ nõ apparent in homine ſordes, trita lacerna, aut calcei perforati, ſatis habet foris ornamenti, ſibiq; etiã atq; etiã placet, florere ſe identidẽ prædicans, & auditibus quibuſdã proficere, ſiue lõga illi ſtatura, breuis ue fuerit. Cæterũ interniã fœditatem animi, & uitæ impuritatem, inuidiam, malignitatem morũ, puſillanimitatẽ & uoluptatis amorẽ, ceu ulcera quædam circumuallat & abſcõdit, ne quis attingat, aut inſpiciat, mox reprehenſurus. Atq; illic nihil ſpei eſt reliquũ alicuius circa uirtutem morũq; integritatẽ profectus. Iam qui ita eſt affectus, ut in malis ſuis, doloribuſq; agnoſcendis cæcutiat, totum hunc uitæ ſtatum prorſus commutet neceſſe eſt, & tum correctione purgari ſi uelit poteſt, modò monitorum ductu uitia abſtergat & oderit. Oportet autem inter hæc etiam mali ſuſpicionem de nobis uel tenuiſſimam execrari & fugere. Qui enim uerum peccatum magis deteſtatur quàm ſiniſtram hominum de ſe opinionem, famam rem omnium præclariſſimam negligit, uitam etiã honeſtam infamia cõtaminans. Celebre deinde, & pergratũ eſt in primis Diogenis uerbum ad iuuenem quendam in popina uiſum, intrõq; fugientem. Ait enim: Quo interius fugeris, eo magis eris in popina. Sic peruerſi dum ſe nõ agnoſcunt, & malitiam negant, tanto penitius abdunt ſe, & recludunt in turpitudinem. Proinde quemadmodum rerum penuria preſſi, dum per faſtũ diuitibus ſe cõparant, eo magis egẽt. Qui igitur uerè proficit in uirtute, Hippocratem imitari minimè

Decimotertio Peccati etiã leuem ſuſpicionẽ tollere.

minimè dedignabitur, ignorantem capitis cõmiſſuræ certum rationẽ, id quod iam olim ingenuè ab illo eſt proditũ, & in ſcripta redactũ. Rectè autem ſecum animo reputauit uir ille celeberrimus, rem pernitioſi fore exempli, ſi auctoritate ſua peccaret multitudo, ſua cælans errata. Parũq; uideri cõſultum, alios ope medica ſeruare, & propriã fateri non audere inſcitiã. Proinde ſi quis Bionis doctrinã & Pyrrhonis nõ ad profectus cuiuſdã indicium referat, ſed magis ad habitũ animi auguſtiorẽ cõſummatæq; uirtutis, nõ maximopere refert. Hic enim cõtubernales tum profeciſſe putabat, quando æmulos à maledictis ad hæc Homerica uerba ſibi occinenda conuertiſſet:

Viue diuq; uale, meritos deus addat honores.

Decimoquarto, hoſtes in gratiam reducere.

At alter ille Pyrrho in tempeſtate nauigans, hordeũ fertur in ſummo periculo ſuculis quas ſecum habebat in nauim aſperſiſſe, quo cum illæ hilares & lætæ ueſcerentur: Talem, inquit, indolentiam ſibi ex philoſophia & ratione præparare deberet, qui conſtanti animo & infracto in uarijs fortunæ caſibus cuperet perdurare. Aeſtimare iam licebat, quàm frugiferum ſit quòd Zeno ſcriptum poſteritati reliquit, dum iubet ex ſomnijs deprehẽdere, num profecerit quiſpiam ſtudio uirtutis. Si enim in ſomnis nulla capitur uoluptate erga turpitudinem, neque grauiter hiat crimini, quo ſe contaminet, prorſuſq; nihil uidet cum uitio & fœditate cõiunctum, conſentaneum eſt, omnia in tuto eſſe poſita. Tum enim imaginaria hominis uirtus, ſi mal cum ea quæ affectibus eſt obnoxia, rationi ſubiectæ ac parẽtes, non aliter atq; fundus ſynceri amnis & tranquilli liquidò apparent. Id perſpectum habens Plato ſcitè admodum delineauit naturam animi tyrannici, dum imaginariæ huiuſmodi & brutæ portioni attribuit ea

Decimumquartum, animũ in fracturn gerere aduerſus fortunæ inſultus.

Decimumſextum, in ſomnis nihil flagitioſi uidere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ ille agit in somnis. Aut enim manus inijcit matri, ut eã incesto cõcubitu polluat, aut ui sua opiparæ irruit cœnæ, nõ aliter quàm prædæ, aliáq; pudenda perpetrat desideria, iam metu uacuus atq; rubore, quibus die uigilans arcebatur. Quẽadmodum igitur iugales equi ab auriga recta currere instructi, nõ deserunt uiam, illo etiã habenas remittente, sed perpetuo cursu nõ aberrant à præscripto: Sic quibus bruti affectus iam in totũ sunt domiti, & sub iugum rationis missi, certi sunt, quòd neq; in somnis, neq; in morbo facilè recalcitrant, aut delinquunt: nihil enim agent præter solitum, attenti eodem tenore perdurantes. Si enim corpus sola exercitatione assuefactum, in quibusdam partibus ita domatur ut non pareat affectibus, ueluti oculi cohibentur à lacrymis, incidente casu aliquo erumnoso, & cor item, ne protinus palpitet ad quemuis strepitum, aliáq; identidem, ne ad aspectum formæ lubricum, mox irruant in libidinem, cur nõ potius animũ assiduo usu, ab affectibus pernitiosis liceat in diuersum agere? Adeò, ut imaginariam uirtutem, motusq; intemperantes ad somnum usq; reprimamus, ueluti fama perhibet de Stilpone philosopho. Is enim uidens in somnis apparere sibi Neptunum, iniquè ferentẽ, quòd non immolasset illi bouem ueteri sacerdotum more, nihil animo consternatus: Quid ais, inquit, ò Neptune? uenis ad me pusioni simulis omnia replens querelis, quòd urbem totam, mutuò accipiens pecuniam, emptoq; inde sacrificio nõ refertam esse rim nidoribus. Num satis pie tibi ex his quæ mihi superebant opibus hactenus est litatum? Ad hæc uisum fuit Stilponi, deum in risum fuisse solutum, protensaq; manu dixisse: Ego Megarensibus in tui gratiam largiorem olei prouentum concedam. Quibus igitur in hunc modum somnus

somnus cõtigit, ab omni dolore, metu, turpitudine, & pra uitate uacuus, ijsdem aiunt simul insigne documentũ esse, certi in philosophia profectus. Qui uerò æstrum uidet in somnis, metũ, fugam cum dedecore, ludicra puerilia, mœstũ se flere, miserum esse & peregrinum, aut procellæ illisoq; scopulo se esse similem, haud dubie intelliget animũ citra decorũ agere, effingere tamen gloriæ certos canones. Quamq; ab his rebus longissime absuerit in somnis, rursus absoluitur à nocuis affectibus, planeq; in libertatem asseritur. Hæc igitur tute identidem contemplare si profectus sint, an nõ magis habitus animi, quando firmius quoddam robur iam nactus es in uirtutis fastigio, penitusq; immotum atque inconcussum. Quando igitur uera atq; perfecta indolentia res est magnifica, prorsusq; diuina, quam appellare nobis hic licebit profectũ, siue promotionem circa uirtutem, lenimento quodam & remissione conflatam affectuum, par est, ut diligenti indagine facta, certoq; iudicio, primum nos ad ipsos affectus, deinde illos inter se comparemus, quo uerius constent accessionum discrimina. Illud autem efficiemus, intelligendo malorũ desideria in nobis iam esse remissiora quàm fuerint olim. Similiter metum & iram mox à rationis imperio opprimi, impetumq; simul omnem flammamq; amittere. Hoc uerò posterius assequemur, si perspiciamus, nũ magis pudore retrahamur à turpitudine, an metu. Vtro magis capiamur, studio uitæ componendæ ad exemplum boni uiri, an magis liuore & inuidentia, qua illum insectemur. Sic num magis ueram ambiamus gloriam, an opes cõcupiscamus. Et ut summatim dicam, utra cantione magis delectemur, Dorica, sedata & pia: an Lydia, furore & tumultu omnia turbante. Sunt enim in cantu quoq;

Decimumseptimum, affectus noxios in se uidere sedatiores.

sui excessus quibus peccatur. Aduertendum proinde, num in uictus ratione rigidiores nobisipsis, an licentia nimia simus laxiores: In rebus gerendis maturitate utamur, an incõsulta temeritate: admiratione item hominum atq; uirtutis potius tangamur, quàm contemptu. Itaq; sicut morbis in alias corporis partes migrantibus, solitasq; relinquentibus, spes de sanitate concipitur: Ita prauorum affectuum commutatio in eos qui minori periculo uideantur ferendi, donec prorsus explodantur, profectus nimirũ est ad meliora non incuidens argumentum. Pheynnin quendam non incelebrem musicum duas chordas ad absolutũ septem fidium numerum insuper addentem, Ephori qui Reipublicæ administrationi præerant Athenis, rescindendam eam nouitatem rati, interrogant magistrũ utras mallet ex aliarum ordine abscissas chordas, graues illas infimas, an superiores acutas? At nobis non est ex usu, ut de profectu aliquid abscindamus, siue intensum superne, siue in grauibus remissum, dum utraq; librantes, ad mediocritatem conamur cuncta reducere. Profectus autẽ primo extentus omnes, totamq; illam affectuum acerbitatem remittit eò, quò solent acerrimi heluones suã, ut apud Sophoclem, fœdã intemperiem. Cæterum satis iam constat ex his quæ diximus, proprium id esse profectus circa uirtutẽ officium, ut iudicium rebus gerendis, uerbisq; adhibeat, magisq; circa prius quàm hoc posterius uideatur occupatus. Argumentum autem eius rei idoneum id erit, si mox imitari conemur, quod nobis est admirationi sedulóq; probatur, quodq; execramur odisse libeat, & minime gentiũ admittere. Exemplo esse poterit Themistocles Atheniensis, qui solus inter omnes municipes (quando illos quoq; decuisset Miltiadis res strenuè per uirtutẽ gestas, laudibus

Decimumoctauum, uirtutem quam admiraris æmulari, & uirium illaudatum fugere.

laudibus uehere) noctes agendo insomnes, Miltiadis trophæa, inquit, me excitant, & quietem capere non sinunt. Quibus uerbis iam planè edocuit, se nõ tam præconẽ esse uirtutis & admiratorem, quàm præsentem sectatorẽ, & uirtutis in bono æmulum. Liquet igitur iam profectum in uirtute prorsus esse tenuem, dum uirtutis admiratione feriamur, & torpemus ocio, nullaq; ui animi in rectè facta rapimur, eorumq; autores, quo illos liceat imitari. Neque enim amor ille uenereus uerus est, & alicuius momenti sine zelotypia. Atqueadeo uirtutis studiũ satis non est uehemens, mireq; friget, si careat incitamento & calcaribus, quæ loco inuidiæ honesti æmulationem & appetentiam animo inuehant. Vtq; autor est Alcibiades, nõ decet philosophum ut animũ solis intendat uerbis, etiã ita ut genas tingat lachrymis. Verũ si uerè promouere gestiat, operæpreciũ fuerit se boni & absolutæ uirtutis uiri exẽplo uitæ accõmodasse, conscientia simul stimulante ad ea quibus ægrè carere se agnoscit, dum gaudet, spe concepta, impetum ad honesta minimè desertũ iri. Non aliter atq; pullus matri equæ, ut est apud Simonidem, individuus cursu esse comes gliscit, & perpetuò adhærendi est cupidus. Vt de ueri profectus circa uirtutem illud est propriũ, ut quorum res gestas probamus & æmulamur, eorum pariter amemus, mireq; cõplectamur mores, beneuolentia summa honorem debitũ impendentes, simulq; ut illorum simillimi fiamus etiam atq; etiam cupidi. Certamẽ autẽ & cõtentio profecta ex inuidia erga uiros optimos, diuerso quodam modo accidit. Nam æmulatio quidem nõnulla ob perspectam suscipitur uirtutem. Atqui nullus in illã adest amor, nulla admiratio. Quis enim admiretur hoc quod impendio auersatur? Dum igitur uerum bonum in hunc modum

diligere

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligere ordimur, ut non solum ex Platonis sentẽtia, beatum iam animo reputamus uirum illum egregium, sed etiã parem felicitatem tribuimus auditori, qui sermonẽ ex ore eius prodeuntem excipit. Imò uerò habitum hominis, incessum, aspectum, risumq; cum admiratione diligimus, ita ut ad illius exemplum totos nosipsos componere gestiamus, eiq; perpetuò adhærere, tunc planè licebit fateri, nos haud dubie in uirtutis tramite profecisse. Præterea inuenias nonnullos, qui nõ tam bonis gaudent, felicibusq; hominũ dotibus, quàm ipsis ineptijs, ueluti balbutie & palore, nimirum amantium more. Nam Panthiæ mulieris lachrymæ ac luctus, imò ipsa quoq; animi indignatio & malignitas, uirum Araspen attonitũ in amore reddiderũt. Ad hunc sanè modum in uirtutis admiratione nos haudquaquam horrebimus Aristidis exilium, non Anaxagoræ carcerem, aut Socratis inopiam, Phocionisue condemnationem, sed uirtutẽ ijs quoq; rebus cõiunctam, dignissimã arbitrabimur omnium amore, eam simul complectentes cum præclaro hoc Euripidis elogio: Væ bonis uiris, si non omnia illorum sint honesta. Perdurandum est igitur, etiam irruentibus huius uitæ incommodis, nihilq; nobis est odiendum, sed amore ipsissimæ uirtutis, admiratio simul cum honesti æmulatione ferri debebit in diuitias hominum dotes, nihilq; mouere nos debet alia multitudinis imperitæ sententia. Rectè autem agũt qui in rebus gerẽdis illustres sibi proponunt duces, inq; magistratus administratione, uariaq; fortuna, disquirunt secũ optimos quosq; uiros, qui ætate ea sunt, aut longè antè fuerũt, quid uidelicet in eodem casu egerit Plato, quid dixerit Epaminondas, qualem se exhibuerit Lycurgus uel Agesilaus, perinde atq; illi qui sese exornant ad speculum, dicta factaq;

Decimo nono, incõmoda uirtuti coniuncta nõ formidare.

factaq; indecora ibi discendo, ut ea deuitent. Sunt proinde qui digitorum quædam propria ediscunt nomina, lentè recitantes singula, aduersus terrores: Verũ noster candidatus, ipsius circa uirtutẽ profectus, qui illustrium uirorum probè meminerit, nihil est cur affectus accuset noxios, dũ in promptu habet remedium, quo intrepidus possit consistere: Spectatum nimirum efficiens omnibus, ea in re suum in uirtutis studio profectum. Ad hæc boni quoque uiri est, subitò omnibus proferre in medium animi sui puritatem, dum ad nullius expostulationem commouetur, non erubescit, nihil cælat, nec quicquam uariat rerum suarum. Nam in tali statu fortunæ fragili & inconcusso durare animo, conscientiæ solius est integræ, prorsusq; illæsæ. Alexander autem suo more dum uideret nuncium summa lætitia gestientem, dexteraq; protensa accurrere: Quid mihi, inquit, uir bone nunciabis aliud, quàm Homerum reuixisse: Nil uidelicet sibi deesse ijs uerbis cõtestatus, quàm famam insignẽ apud posteros. Atqui in uirtute proficiẽti iuueni nullus amor pertinacius insidet animo, quàm uirorum uirtute insigniũ, quos identidem celebret. In hoc incumbens totus, etiamsi omnibus se priuet bonis, domo nimirũ insigni, mensa, uxore, liberis, studio, lectione doctorum, scriptisq; autoribus. Adeò ut sicubi meminerit pij parentis, aut etiam præceptoris defuncti, cuius uita longè fuerit suorum temporum moribus superior, nihil habeat magis in uotis, quàm ut liceat illis redire in uitã, quo rerum gerendarum præsentes habeat spectatores. Dum alij contra, qui miro neglectu atq; ocio uitam agunt non sine turpitudine, parentes è uiuis sublatos, dum in somnis apparẽt, magna cũ trepidatione exhorreãt. Iam si libeat præter ea quæ recẽsuimus indicia circa uirtutem profectus, & hoc

Vigesimo, apertum & constans gestare pectus.

Vigesimosecundo. Cauere peccata etiã minima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc itē non parui momēti adūgas uelim, ne quis peccatū aliquod reputet exiguū, sed solicite quoduis caueat atque deuitet. Vt enim qui se diuites fore desperant, impendia exigua floccipendunt, nihil efficere illa credentes magni, si tenui aceruo accesserint, at spes diteſcēdi nihil negligit quantuncunq; exigui lucelli, eoq; magis auget æris appetentiā, quo propius admotæ fuerint opes: Sic haud dubie usuuenit in negocijs per uirtutē gerendis: non enim illic locum habet indulgentia, ut dicas, hoc perpusilli ad istud est momēti. Iam enim talis est rei facies, quæ secūdo futura sit melior, ita ut proficiēti ad singula fuerit respiciēdum. Nam si in id quod est minimum semel ingressa fuerit scelerū peruersitas, licētia concessa patrādi ea ad quæ alioqui sumus propensi, corruere nimirum, & contaminari simul reliqua animi bona necesse est. Et ut ait Aeschylus: Qui nihil æstimat magnum habetq; , contemptor sit rerum pusillarum oportet. Cæterum qui sepem construunt aut aggerem, nihil sunt attenti, cuiusmodi sit lignum aut lapis, accipiunt enim quicquid casus obtulerit, & inter hæc columnam aliquam è sepulchro forte collapsam: Id quod ferè agit uulgus sceleratorum, omne opus in suum quæstum utcunque acciderit conglomerans & corradens. Porrò qui proficiunt in studio uirtutis, uitæ suæ non aliter atque phano cuidam, aut regiæ, aurcum subijciunt fundamentum, nihilq; temere admittunt in tale opus, sed ad rationem ueluti amussim omnia redigunt atq; componunt, dictum hoc ceu ab illustri quodam uiro profectum animo reputantes: Non esse uidelicet laborem magis contemptibilem, eo, qui sordes relinquat in unguibus. Ita ut in opere præclaro decorum serues, turpitudinem omnem prorsus declines.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI
De Auditoris officio, libellus ad
Nicandrum.

Ottomaro Luscinio interprete.

POSTEAQVAM absoluere licuisset per ocium, quæ de audiēdi officio à me sunt conscripta, protinus illa ad te misi, ò Nicāder, ut scias rectè ac salubriter monitis rite obtemperare. Quando illis reniti, iugūq; huiusmodi auersari, iam nil aliud est, quàm togam uirilem refugere. Sunt enim effrenes quidā iuuenes, qui nullius subiecti imperio, libertate se frui arbitrātur, parum interim attēti, in quāto sæuiores incidant pædagogos & præceptores, nempe prauas cupidines, quæ non aliter irruunt in incautos, atq; immanes beluæ è claustris suis emissæ. Et quemadmodum turpe uidetur mulierem suis nudari uestibus (ut est apud Herodotū) quòd simul cum illis omnē prorsus deponat pudorē: Ita iuuentus plerunq; abiecto puerili amictu, non sine dedecore omnem simul pudorem reijcit, ac metū: Deinde quum refugit quod decet, mox peccandi licentia tota ruit in præceps. Cæterum crebro audiuisti, quòd is demum sequitur deum, qui parēre norit rationi. Itaque sic habeto, dum iuuenes relicta pueritia in uiros proficiūt, illis si rectè sapiant, non reijciendum esse imperium, sed duces duntaxat mutandos, dum in cōductitij illius pædagogi uicē, diuinum, hoc est, ipsam rationem uitæ moderatricem suscipiunt: Cui quicunque parent, meritò liberi sunt appellandi, eò quòd soli qui discūt quid uelle debeant, ita uiuunt ut uolunt. Quando perspicuum est, quàm uile prorsus sit ac uanū quicquid præter rationē, ac disci-

Pudoris & metus in iuuētute quāta utilitas.

Rationi seruire, libertas.

plinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

plinæ præscriptum geritur: dum praua huiusmodi ad temeraria quæq; & inconsulta impellens uoluntas, plerunq; nil post se relinquat præter pœnitudinem. Proinde quemadmodum noui hospites & peregrini in Rempublicã recepti quampiam & inscripti, multa ægre ferunt & incusant, quæ indigenis & legum assuetis, non modò non sunt molesta, sed etiam grata uidẽtur & iucunda: Sic ex re iuuentutis apprime fuerit, si longo tempore circa philosophiam educata, disciplinæ illius rudimenta imbibere consuescat. Quandoquidem ex ipsis prægustamentis, quæ præceptionum philosophicarum recipiunt permistionem, beneuola ac nota, deinde non aliter atque cius aliquis, ad philosophiã accedet, cuius peculiare est officiũ, ducere ratione utros, eosq; absolutos efficere, atq; ea in re uerum decus ætati iuuenili apponere. Neq; uerò inamœnũ arbitror, si de audiendi sensu quippiam præfatus fuero, quem Theophrastus putat, ex omnibus alijs ad effectus commodos magis uideri idoneũ. Quippe uidẽdi uirtute, gustãdi & tangendi nemo obstupescit, quatitur, & à sese quodammodo redditur alienus, ad eum modũ quo à stridore, strepitu, & uehementi quocunq; sonitu, animum per aures in ipsis penetralibus corripiente. Quanquã rationali hominis parti hic sensus magis insuper coniunctus esse apparet quàm affectibus. Siquidem ad contaminandum malitia animũ sceleribus per uaria diuerticula, membráq; corporis patere nouimus aditum, quando ad bonam frugem, atq; uirtutem perducendi iuuenes, unica relicta est uia, nempe aurium imbuendarũ: modò puræ & alienæ ab assentatione, castæq; ab omni turpitudine protinus ab incunabulis seruentur. Xenocrates igitur nõ ab re præcepit pueris, ut aures armari ac muniri theeis, quas uocant

Philosophiæ præcepta à teneris imbibenda.

ampho

amphotides, magis quàm athletæ curarent: quòd plagæ hus quidẽ possint aures offendere, atqui incautæ iuuentuti longè maiori periculo morũ peruersitas animo quæat irrepere. Cæterum non probabat in ea ætate, ut nihil prorsus audirẽt aut totiobsurdescerẽt, sed excubijs quibusdã sepiẽdas aures putabat, ne stationẽ ingenij, præceptis philosophiæ, quibus ad præclaras uirtutes recta pergerẽt, destinatã sœdi sermones & pestiferi præoccuparent. Bias itẽ senior ab Amasi de iussus carnes ad uictimã optimas mittere, linguã pecudi eximens, protinus ad principem misit: Nimirum quia in dicendo aut commodi plurimum, aut tantundem damni audientibus allatura uideatur. Inuenias deinde qui pueros tenellos exosculantur, aures illorum auribus adiungendo, docentq; puellos eadẽ uicißim facere, quo planè ludo ceu inuolucro quodam & ænigmate docetur, inter amicos potißimum eos diligendos qui salutaribus monitis prosint auditori. Perspicuũ est autem, si quis adolescens dicendi rationem prius quàm audiendi fuerit aggressus, eum non solum prorsus nullius bonæ frugis hominem euasurum, ac planè sterilem, dum omni studio caret plantandæ uirtutis: sed etiam ad scelera non mediocriter propẽsum: Quippe qui in animo nõ aliter ac in agro inculto & neglecto, uepres & carduos, multáq; id genus mala sit productarus. Nam illecebræ uoluptatum, & laboris fuga, non sunt pestes adscititiæ, quas externa quadam ratione in animum introducas oportet: sed cognatæ ac domesticæ, fontesq; plurimorum pestilentium affectuum, atque illos si quis permutat indoli suæ innasci, ac recta ratione, sanisq; dictis non reuellat, ac totum habitum immutet, quo decens, aptúq; euadat, nihil est quòd speres immanibus beluis mutiorem fore. Cæterum

Lingua eadem & optima & pessima.

Audiendi ratio prior quàm dicendi.

Causa suscepti operis.

quando uis audiendi, pueris non tam præclaram affert fru
gem, quàm etiam coniuncta uidetur periculo, consenta
neum arbitror, ut in utranque partem disseramus de au
diendo, dum uidemus multò plurimos hunc ordinem pro
bare, ut dicendi rationem exerceas, antequam audire as
sueueris. Dicere enim disciplinam quandam esse arbitran
tur, in qua exerceant ingenium: uerum audire, quocun
que modo fiat, satis conducibile putant. Vt autem qui pi
la ludunt, artem teneant & commode illam mittendi &
excipiendi, necesse est: Sic in disciplina longè alia ha
benda est ratio, ubi prius accipitur, ac postea emittitur:
Perinde atque in pariendo natura constituit, ut non æda
tur in lucem fœtus, nisi fœmina conceperit, & in aluo
diu illum retinuerit. Itaq; auibus subuentaneos quosdam
partus aiunt accidere, ex imperfectis nimirum & inani
mis conceptibus. Nec aliter sanè de iuuentute æstiman
dum est, quæ nihil audire curat, omnemq; fructū eo sensu
concipere negligit. Quid enim aliud effutiet nisi uerba ex
uento nata? & quod ait poëta,

Subuentanei fœtus.

In uanas sparsit nubes ingloria dicta.

Videmus autem uasa angusta, dum liquorem ex alio effu
sum in sese recipere gestiunt, inclinare se, & aptè ad uas
effluens cõuertere, ita ut quod exundat, iam non uideatur
exundare, sed quasi recondi. Itidem aures adhibendæ esset
& rite coaptandæ dicenti, ne quid ex monitis salubribus
decideret, ac periret. Verū hoc iam non discitur, sed quod
omnium maximè est ridiculum, si inciderimus in aliquem
de opipara cœna, de apparatu magnifico, de somnio
quopiam, aut forte de contentione quæ illi fuerit cum alio
quopiam uerba facientem, arrectis auribus silentes, ex ore
illius pẽdemus. Sin alius ad se uocet utili aliqua doctrina,

Qui peccet audiendo.

atq;

atq; admoneat ea quæ recta sunt & decentia, peccãtesq;
ipsos erratorum cõmonefaciat, aut leniat morum asperi
tatem, nemo est qui animum intẽdat, finemq; expectet di
cendi. Quin magis ubi primum arripuerint facultatẽ, aut
reluctantur uerba facienti, omniq; conatu eò tendunt ut
euadant uictores, aut certè fugientes abeunt ad alios ser
mones, ubi meras audiãt nugas. Atq; in ea re simillimi sunt
uasis sordidis, dum omnibus rebus potius implent aures,
quam honestis, & quæ ex re & usu forent. Proinde qui
équos probè educant, uersatiles quidem eos efficiunt &
parẽtes freno, at qui instituunt pueros, docẽt eos idoneos
se præstare auditores, multa uidelicet audire, & pauca lo
qui. Sic Spintharus Epaminondã laudibus uehẽs: Quãquã
plura, inquit, scirem, & pauciora loquerer, utrũq; tamen
æquè illi ac facilè in promptu erat. Hinc naturam tradũt
cuilibet geminas præbuisse aures, & linguã unicam, quòd
plura expediat hominem audire quàm loqui. Prorsus igi
tur ubiq; pulchrum est & tutum iuueni silentium, potissi
mum ubi in alijs audiendis præstat patientiã, & non su
bitò immaniter gestit, & clamat, sed finem expectat ser
monis, etiam si ingrata quædam & parũ amœna dixerint.
Nõ enim par est, ut loquentẽ mox trahas in controuersiã,
sed ut Aeschines ait, tẽporis nonnihil illi cõcedendum est,
in quo dictis suis uel adijcere quippiam, uel adimere, aut
totam phrasim mutare, si uelit, possit. Quòd uideas eos qui
sese mutuis sermonibus obruunt, mediamq; intersecant o
rationẽ, neq; audire aliquid planè, nec audiri. Quid enim
aliud agunt, loquentes ad loquentes, quàm quòd confu
sionem uerbis ingerunt, ac conturbant omnia? Itaque
qui modestia præditus, temperare sibi in audiendo assue
uerit, frugi sermonem primo suscipere potest & retinere,

Audire melius quàm loqui.

Sermo dicentis non interrum pendus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac nugas præterea uanáq; dicta facilius dinoscere & deprendere. Tum deniq; perspicuũ efficiet omnibus, quanto amore studioq; ueritatis teneatur, quantumq; absit à cupidine altercandi, inconsulta temeritate, & contentione. Non absurde igitur à quibusdam dictum est, quòd magis sit frugiferum, ex iuuenum animis fastũ & tumorẽ animi eijcere, quàm ex utribus uentum & inflationem, si infundere uelis aliquid utile. Non enim capaces erunt boni, nisi uana ista exemeris. Similiter inuidiæ malum & odij maleuolentiæq; cum nullo penitus bono sunt coniuncta, imò magis ad bonam frugem properantibus obsistunt. Estq; longè pessimus assessor & consiliarius auditori liuor, molesta efficiens & iniucunda, deniq; prorsus non admittẽs quæcunq; sunt conducibilia. Atq; istbuc in causa est cur inuidi quacunq; re potius sese oblectẽt quàm bene & cõcinne dictis. Et opum quidem gloriæ, aut formæ cupido si animum cuiuspiam incesserit, erga alios duntaxat contabescit inuidentia, qui rebus huiusmodi fruuntur. Verũ qui malè afficitur bono sermoni, à quo reddi poterat melior, ipse iam sibi maleuolus est, bonisq; sese multis destituit. Quando oratio perinde atq; lumẽ aliquod non cõmodat nisi uolẽtibus accipere. Inuidiæ igitur alijs in rebus seminariũ, ex prauis affectibus & disciplina uacuis licebit deprẽdere: at ea quæ se ingerit audienti, ex ambitione quadam intempestiua, & famæ studio proficiscitur, nec sinit eum qui sic est affectus, dictis attendere, sed totam cogitationem simul ac mentem concutit distrahitq;, dum in se descendens auditor, habitudinem suam contemplatur, ac mox inferiorem se esse sentit, eo qui uerba facit: simulq; alios contuetur, explorans num dictis afficiantur, aut illa admurentur: tum enim concitatur ad amœulentiam, & impro

Fastus absit ab auditore & liuor.

Auditor improuidus ipse sibi nocet.

Inuidiæ fomes in auditore eũ ambitio.

improbat eorum factum qui oratorem beneuolentia prosequuntur. Ex sermonibus ergo nihil retinent, hoc malo inuidiæ afflati, non aliter ac si memoria illorum onerentur, & erga loquentes acriter commouentur & trepidãt, ne uidelicet ex dictis meliores reddantur. Id uerò sedulò curant, ut orator finem faciat dicendi, dum pulcherrima dixerit, ne fructus aliquis sequatur auditorẽ. Notant item subinde affectus uerbaq; præsentium in ea concione, ac ubi compererint aliquos admiratores, qui præconijs extollant concionantem, proripiunt se fòras ceu insani, rectaq; illos petunt qui orationem totam uituperent, ac inuertant. Quòd si nullos inueniant tales, conferunt eos qui dixerunt cũ iunioribus, qui in eo argumento fusius dicant & melius, tantum ut præclarè dicta uastent ac dilacerẽt, ne commoda sint & salutaria. Oportet igitur studiosum auditorem, qui uanam gloriolam reiecerit, ad orationem non aliter accedere atq; ad sacrum epulum, animo uidelicet placido & benigno, ut laudet ea quæ sunt apposita, ametq; beneuolentiam & officium eius qui aliquid affert in medium ex ijs quæ nouit, & è quibus persuasum habet aliquid, si qua fieri poterit, ut auditores eisdem argumẽtis afficiantur, & pareant. Atq; in ea re considerandũ est, quòd absoluta orationũ opera, non fortuito quodam casu, aut sua sponte, sed cura, labore & diligentia ab animo erudito conflantur, ut habeas quod imiteris, quodq; admirationi & exemplo esse possit. At in erratis animaducertere decet, totisq; ingenij uiribus insistere causæ, unde ueriſimiliter lapsus apparet esse ortus. Ita planè fiet ut quẽadmodũ ait Xenophõ, quòd rei familiaris curæ intenti, & ab amicis & ab hostibus accipiant quo possint proficere. Sic uigilanti intẽtoq; auditori non tam prosint boni oratores

Auditor sit gratus.

Fructus absolutæ orationis & cassæ.

Fructus ineptę.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tores quàm praui & à recto aberrantes. Ad hæc sententiæ simplicitas, dictionis languor, figuræ detorsio, ac impetus intempestiuæ cuiusdam lætitiæ feruntur quidam ad laudis aucupiũ, & siqua sunt alia huiusmodi, magis perspicua fient, dum audimus alios, quàm ipsis nobis uerba facientibus. Itaq; rectè facturus est, qui tum ex alienis eratis in seſe conuersus, si ibi delictum æquale latens inuenerit, audacter contra se ferat sententiam. Facilimũ nanq; est aliorum uitijs succensere, illaq; reprehendere, cæterum nihil in se habet bonæ frugis ea res, nisi teipsum prius corrigas, & ne ad similia prolabaris adhibeas cautionẽ. Contigerit autem in primis ut Platonicum illud assidue nobis sit in ore, sicubi de peccantibus facta fuerit mentio: Nunquid ego quoq; sum talis? Nam perinde atq; in oculis aliorum nosipsos conspicimus, sic nostra ex aliorum dictis æstimantes, facilimè uenabimur quid deceat: interea despiciemus alios, nostraq; maiori cura in dicendo elaborabimus. Afferet præterea non parum emolumenti ipsa collatio, quam sermone peracto apud te facias licebit, dum expendis quid præter decorũ dixerit orator, quid'ue minus quàm rei dignitas postularit, tuq; in id incumbas, ut eadem rectè dicas & integre. Est proinde quod prorsus mutare queas, & ab ipso exordio, seruato argumẽti perpetuo tenore, in aliam faciem conuertere. Atq; ne præsens huic rei desit exemplum, Platonis Lysiam legito priorem, & apertam planè facilemq; dixeris orationem. At si posteriorẽ sumas in manus, nihil apparet cõcinnius, nihil maiori studio elaboratũ. Proinde quẽadmodũ Lacon quidam ait, dum Olynthũ urbem à Philippo subuersam audisset: Delere quidẽ potest urbem talẽ, at nequaquam extruere: Ita si nos post mutatam orationem quam audiuimus, aliter in

Collatio auditoris ad dicentem utilis.

in eodẽ argumẽto explicãdo dissentire conemur, nec tamẽ superare oratorem illum phrasi ipsa poterimus, multum superbiæ nobis & cõtemptus in alienis orationibus audiendis decedet: ac mox intelligemus in ea collatione, & reprehẽsione, quàm temere ex nostri amore nimium præsumamus. Admiratio igitur si cum contemptu illam conferas, natura equidem senior est, & humanior, atqui nõnulla eget moderatione, & fortasse paulò maiore quàm contemptus, temeraria q; præsumptio. Nam ut hæc pestis insecti nihil emolumenti percipiunt ex oratione, ita illa præditi, quia boni sunt & simplices, facilius læduntur. Atqueadeo Heracliti uerbo nihil est cur repugnemus, dum ait, Stupidi esse ingenij, ex quouis sermone quærere quod discat. Oratoribus igitur ingenuè merita tribuenda gloria, & orationi cauta largienda fides, ita ut in certamine dicendi & eloquentiæ, benignum & incorruptum te exhibeas spectatorem, at in ijs quæ ad ueritatem pertinent, & quæ usui fore speres, exactum acerbumq; indagatorem. Sic enim fiet ut auditores odio uacent, minimeq; à dicentibus offendantur, quando plerosq; uideas nimia beneuolentia fideq; quibus erga dicentes afficiuntur, longè opinione falli, falsaq; & pestifera proueris & frugiferis imbibere. Lacedæmonij quum in senatu sententiam egregiam hominis turpissimæ uitæ approbare uellent, præcepit magistratus, ut uir quispiam bonus eam diceret. Quo facto nimirum docuerũt, in consultando Reip. mores magis spectandos quàm uerba dicẽtis. Atq; in hunc modum, in æstimandis philosophiæ rationibus, existimatio dicentis non parum habet momenti, si quis exactiori indagine loquentis uitam ad sermonem æqua trutina appendat. Sunt autem in oratione non secus atque in bello

In auditores simplices, qui omnia admirãtur.

Mores boni approbant uerba.

Inania in oratione.

multa inania, ueluti dicentis effictiones, candor, supercilium, copia, eadem aliis uerbis repetentis, potißimum autem clamor, strepitus, & auditorũ applausus, quæ omnia fluminis in modum rapere secum poßunt auditorem inuenem, & rerum imperitum. Habet enim oratio fallaces quasdam in se illecebras, dum rebus subiectis dulcedinem mista grauitate, & insuper apparatu accedente, pondus attulerit. Et sicut ad tibiam canentium multa nos errata suffugiunt, ita impar ac insolens oratio, splendore suo auditorem à manifestis sæpe auocat. Atque eam ob causam Melanthius rogatus quid de Diogenis tragœdia sentiret, consultò respõdit, Se illam haud quaquam despicere, quæ diuinis nomibus illustraretur. At in multorum orationibus & exercitamentis rhetorum, non modò uelatis nominibus huiusmodi sententias licebit deprehendere, uerumetiam in pronunciando concinnitatem quandam & mollicie, aliáq; id genus lenocinia, quibus auditores fascinãt, & ceu dementes secum quò malunt circunductitant, uanã illis uoluptatem pro uaniori gloria uenditantes. Aptè igitur in illos competit Dionysij uerbum, qui dum in theatro egregium quendam citharœdam pollicitationibus in spem eximiam magnorũ munerum pertrahẽs, atq; finito cõcentu nihil largiretur nisi uoluptatẽ, diceretq;: Quanta inter canẽdum te cepit oblectatio, tanta rursus te perfudit spei lætitia. Tale nimirum rhetores nostros manet præmium, dum id quod unicè concupiscunt, ac quo se apprime oblectant assequuntur, nempe sui admirationem. Deinde simulatq; auditoribus affluxerit orationis amœnitas, oratorum item gloria euanuit, adeò ut prorsus in cassum illi perdiderint tempus, hi etiam uitam ipsam insumpserint. Vnde copiam ipsam immodicam ac uanitatem dicendi

Voluptas pro gloriola.

cendi prætereas uelim, ac summo studio fructum orationis sectari coneris. Neq; ea in re puellas imiteris, quæ ad serta concinnãda fragrantißimos quosq; flores deligunt, opus sanè iucundum, ac uolupe, quis nesciat? cæterum nullius frugis, ac duntaxat diurnum. Sed apum potius te moueat exemplum, qui plerunq; in prata uolant, uiolis, rosis & hyacintho conferta, atq; illis tamen neglectis thymum accedunt, florem asperrimum atq; amarißimum, illiq; insidunt, flauum mel conficientes. Inde ubi acceperint quæ uisa fuerint commoda, auolãtes, ad domestica negocia reuertuntur. Ad hunc sanè modum, auditorem castum & studiosum decet, delicata & florida ornamenta uerborum, rerumq; adplausibilem quandam uim, nil aliud quàm oratorum herbam, unde nihil mellis conficiatur, putare, missamq; facere, atq; sua ipsius attentione, in mentem sermonis, & dicentis affectum irrepere, unde ad se trahat quod bonum sit ac conducibile. Proinde meminisse quòd non in theatrum, neq; ad cantationem, sed ad scholas uenerit, ut ex sermone uitam emendet. Necessaria autem est apprime cautio, certumq; in hoc adhibendum iudicium, quo ad se, suiq; ipsius affectum quisq; probet aut damnet quod audierit, dum uidelicet ad rationem uocat, exploratq;, num in affectibus magis redditus sit effœminatus, aut leuari sentiat se tristitia, firmari certa fiducia, animiq; constantia, aut certè ad uirtutem & honesti amorem ceu numine quodã afflatũ, incitari. Quis enim ferat te in tonstrina surgentem, mox abstisere speculo, & contractu capitis cæsariem contueri, num probè sis tonsus, & à scholis ubi sermonẽ audisti, non protinus teipsum cõtemplari, & ex animo tuo discere, quid miseriæ, implacabilitatis, aut immodestiæ decesserit, quanto'ue factus sis tranquillior atq;

Auditor ex suis ipsius affectibus probet aut damnet audita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iucundior? Quando non tam uerè quàm eleganter dixit Ariston: Neq; balnei ullam esse utilitatem, neq; orationis, unde non prodeas purior. Gaudeat igitur iuuentus, si ex sermone reddita fuerit melior, uerùm in audiẽdi uoluptate haud quaquam cõstituat finem, neq; arbitretur sapientiæ studiosum è scholis prodeuntem decere, si gestiat, secumq; submußitet aliquam cãtionem, aut fistula canat, ac si desiderret fomenta & malagmata, sed tum habeat gratiam, si ueluti alueare acri fumo, ita ipse mordaci sermone purgetur animo, plurima cæcitate & lippitudine laborante.

Quid potius sequendũ in oratione.

Quemadmodũ autem oratoris est, nõ prorsus ad ueneres orationis esse attentũ, sed potißimum ad persuadendũ, ita iuuenem decet, ut neglecto priori, ad posterius illud totus incũbat. Non aliter atq; potatores faciunt, qui sedata primum siti, tum demum pocula uersant manu, & sculpturas contemplantur. Qui enim salubribus refertus est doctrinis, in respirando dictionem consideret, si uacat, num elegãs sit ac nitida. Porrò si quis mox ab exordio orationis, nihil ad rerum dignitatẽ attẽtus Atticam phrasim ac subtilitatem requirat, ille nihil ubi distare uidetur ab eo qui antidotum bibere recusat, nisi in uase ex Atticæ Veneris figulina adducto præbeatur, nec hyeme uestem sumere, quæ non ex ouium Atticarum uellere cõstet. Quin magis sedendum puto adolescenti in tenui & humili orationis Lysianicæ genere, non aliter atq; in lacerna, ita ut quietus sit & tranquillus. Videas equidem minimè ferendam pestẽ quæ mentes iuuenum bonas uastat & populatur, præstigia uidelicet illa uerborum, & immodicam loquacitatem, in scholis undiq; ingenia opprimentium, adeò ut in uita probè instituenda, curanda Republica aut priuata, nihil à philosopho discendum putent, solam uerborum mundiciem,

ciem ac phaleras laudibus uehentes. Cæterum quid utile sit in oratione aut incommodum, necessarium aut uanum superuacaneumq; ad hoc cæcutiunt, nec inuestigare, aut inquirere de eare quippiam uolunt. Sed de ijs satis, reliquum est ut de quæstionibus legem præscribere studiosis curemus. Consentaneum autem est, ut conuiua in alienas ædes uocatus, illis quæ in mensam ueniunt benignè uescatur, nihil reprehendens, aliud ue requirens. Pariq; ratione conuenit, ut ad sermonis epulas accedens, quietum ac tacitum se præstet auditorem: Nam qui aliena à proposito inijciunt argumenta, ac quæstiones afferunt in medium, molesti sunt & uicißitudinis minimè tenaces auditores: præter hoc enim quòd & oratorẽ conturbant & orationem, nemini prosunt. Quanquam non negem frugiferum uideri, ut interroges quippiã, quod eò pertineat & propemodũ necessarium uideatur, modò qui disseruit ita fieri præcipiat. Deniq; quemadmodum Vlysses apud Homerum irridetur à procis, quia frustula panis petebat, & nõ potius enses atq; lebetes, pusillanimitatis enim id esse certum argumentum putabant, perinde atq; magnanimorum est grandia dare & exposcere: ita fermè oratorem subsannat, quicunq; auditor quæstionibus suis ad sordida ac leuicula illum impulerit. Id quod non raro uideas à iunioribus ißtis loquacibus, ostentatione dialectices aut mathematicæ tentari. Inijciunt enim uel optimo cuiq; orationis membro quæstionem hanc: Quisnam sit motus in diametrum, quis ue in latus. Atqui in illos aptè competit Philotimi uerbum ad Empium tabe laborantem. Dum enim compellaretur, pharmaci gratia contra rediuiam, Philotimus ex colore uultus ac spiritus difficultate mox deprehẽso hominis morbo: Non est, inquit, uir bone cur temporas

Quatenus interrogare debeat auditor.

Odyss. 17.

Immoleste interroganter.

teras

Universidad de Deusto
Biblioteca

teras in disputando de rediuia. Sic ad iuuenem haud absurde dixeris: Nihil agis bone iuuenis in his quæstionibus teipsum aliosq; occupando, sed magis ex re tua est, ut cures quo pacto uanis opinionibus, arrogãtia, prauo amore, ac nugandi studio liberatus, uicam uiuendo sanam ac moderatam, tibijpsi restituaris. Opportunum autem cum primis est, habere rationem ingenij dicentis, eiusq; peritiæ, quæ ue in re plurimum ualeat, ut sic in proponendis quæstionibus nos illi adtemperemus, ne uidelicet cum qui ad mortalia philosophiæ aptior est & propensior, in dubijs physicis & mathematicis uiolenter torqueamus. Quando expectationi nostræ magis respondere potest aliquis anteſignanus rerum physicarum, qui certis decretis statuere possit, quid in anceps positus fugias, aut sequare. Proinde haud aliter atq; is qui tentat claue secare ligna, & securi aperire ostium, dum utrisq; nocet, nutrius usum ac uim assequitur: Sic qui ab oratore exigunt quæstiunculas, quæ non attigit, & in quibus nullum fecit periculum, nõ modò in hoc lædũtur, quòd non accipiunt fructũ quẽ exhibet, illumq; decerpere negligunt, sed odium insuper & mali uiri existimationẽ lucri uice reportant. Obseruandũ præterea est & illud, an commodum sit, eundem sæpenumero eademq; interrogare: est enim hic quoq; modus quidam ingenij explicandi. Quanquã si alius interea proposuerit quippiam, candoris est & studij, patienter audire, nihilq; obturbare loquentibus, nisi negociũ aliquod uehementer te premat, aut insolentes urgeant affectus, quibus consilium aut remedia quæras opportuna. Tum enim quo euadas eruditior, inscitia haudquaquam occultanda est, ut ait Heraclitus, sed ingenuè proferenda in medium, dum in promptu habeas quo illi queas mederi. Porrò si ira uehemens

hemens, superstitio, dissidium inter domesticos, aut amoris ingẽs, & ad insaniam impellens æstus, chordas pulsauerit animi, quas nunimè conueniebat, illiq; iam cœperit imperare, minimè rem tam acerbam in aliud tempus differẽdam arbitror, & ob reprehensionem quam exhorreas, re infecta abeundum, sed in illa cõcione, aut ea peracta, mox dissertari de rebus tuis uelint, ubi accedens interrogaueris ac benignè audieris. Non enim in ea sum sententia qua bona pars mortalium, qui philosopho in communi docẽte applaudunt, dictisq; illius mire capiuntur, uerum ubi de rebus priuatis tempestiue & liberè quosdam scorsum carpit & admonet, id isti insectantur, & superuacaneum esse putant. Audiendos enim philosophos credunt in scholis, haud aliter ac tragœdos in theatris, nempe ad finem: & in his extrarijs negocijs nihil utrosq; inter se differre. Atqui à sophistis illa quæ hic incusant, iure quodam suo perpeti coguntur. Quando enim non surgunt isti è sedibus, & amoto libro, institutioneq; obmissa, quæ ueras uitæ huius partes complectitur, perpusillos sese & contemptos faciunt in multitudine, dum quæ deceant philosophũ minimè sciunt? Habet planè horum supercilium, risus, uerborum unda: studium, & eruditio, potissimum autem ad singulos illa scorsum facta cohortatio, nonnihil bonæ frugis, modò sint qui idoneos & constantes se exhibeãt auditores. Videtur hoc loco decorum, quòd circa laudem & applausum auditorum uersatur, cautione quadam in mediocritate retinendum esse, ne in ea re nimium parci simus aut profusi. Nam circa utrunq; plurimũ peccatur. Quod uidere est quosdam graues & odiosos auditores, qui flecti se & molliri nulla oratione permittunt, & domesticis negocijs ac sermonibus inconditis scatentes, perinde atq; ipsi

Sophistarum intemperies.

Quatenus laudare debeat auditor dicẽtem.

ipsi decentius aliquid habeant quod dicant, ne supercilio quidem annuunt, aut uoce testantur benevolos se esse auditores, sed silentio & gravitate, habituq; corporis extrinseco, famam aucupantur Socraticæ cuiusdam pertinaciæ, invictæq; gravitatis, in gloria tribuenda eadem utentes parsimonia qua in largiendis pecunijs. Quasi verò in laudando quippiam decebat ex rebus nostris, sicut fit in ære erogãdo. Invenias enim qui Pythagoricam hanc vocem, Ex philosophia id mihi contigit, ut nullius rei admiratione capiar, cõsiderantes, prave ac infeliciter usurpẽt, dum rerum terrenarum contemptui coniunctum esse putant, ut nemunẽ laudes, nullamq; honore merito prosequaris. Eaq; arrepta occasione quicquid est venerãdum contemptu quodam insectantur. Vera autem philosophiæ ratio, tollit quidem tenuitatis & insciliæ miraculum stuporemq;, dum certam affert causarum cognitionem, at non adimit interea ingenij dexteritatem, & humanitatis benevolentiam. Quandoquidem compertum habemus, viros verè bonos & strenuos maximi ducere, si dignum hominem pro meritis venerari liceat, præcipuumq; ornamentum sibi accessisse arbitrantur, dum in meritos honorum largitione videantur munifici. Porrò si qui in ea re erga alios sordidi apparent, evidens argumentum habeto, illos proprie gloriæ penuria premi, atq; ex eadem ardorem ac sitim suorum honorũ nasci. At contrà alium cernas in applaudendo volucrem ac plus nimio facilem: Dũ enim omni prorsus caret iudicio, clamore quodam incondito ad syllabas fermè ac verba assurgit, neq; ipsis rhetoribus, qui in arena ea versantur, hic mos admodum probatur. Nunquã enim non obturbat universæ concioni, qui præter opinionem surgit dicentis, alios vi quadam secum corripiẽs, quos

Contemptores et ambitiosi meritos sua fraudant gloria.

Nimij quidã in applausu.

quos pudet non vociferari cum acclamante, etiamsi nihil hac importunitate proficiant. Quando in turba illa mente attonita, laudibus accumulans dicentem, ex tribus unũ reportabit abiens. Vt videlicet cavillator esse ab omnibus iudicetur, assentator, aut certè impudens parumq; decens auditor. Proinde quanquam æqui iudicis sit, nihil in odiũ alicuius audire vel in gratiam, sed syncere ad ius reddendum in causa, omnia expendere: in audiendis tamen sermonibus nulla lex, aut iusiurandum prohibet, ne dicentẽ benevolentia complectaris. Eamq; potissimum ob causam veteres Mercurij statuam pone Gratiarum simulachra collocare solebant: quòd gratiam & favorẽ præcipue desideret sermo. Neq; verò tam abiectum putabant ullpiam esse oratorem, & a scopo dicendorum ita aberrantem, ut auditoris gratiam non ex aliqua saltem parte mereatur. Nam ut desint alia, vel ipsum certè orationis argumentum, vel inventio, aut phrasis, & affectus dictorum, favorem conciliare queunt oratori, perinde atq; in vijs asperis & salebrosis candidæ natæ violæ. Cæterum quando non desunt qui vomitus encomium oratione celebrant, aut febris, sive etiam, me Hercle, ollæ, habentq; tales orationes fidem, cur nõ inveniat vir bonus ac laudatus philosophus, de rebus arduis verba faciens, tantillum favoris & benevolentiæ penes humanos ac benignos auditores suos, ut nactu occasione & opportunitate, illum gloriola aliqua dignentur? Adde quòd amor, autore Platone, laudat plerunq; ea quibus alij offenduntur, veluti quum aliqui albos quos depereunt deorum appellant filios: nigros dicunt esse fortes & virili animo: adunco naso, regij vocantur: simi amabiles: pallidi per blanditias, mellis imitantes colorem. Atque hæc qualiacunq; sunt, exosculantur amãtes:

Mercurij statua apud simulacra Gratiarum.

Amor cæcus.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad quid enim non impellit amor? Nimirum sua sponte, non aliter atq; hedera, inuenit quo se alliget. Vnde culpa non uacant studiosi literarum, ac præclari auditores, qui prorsus nihil habent in dicentis oratione quod præconio celebrent. Et Plato quum in Lisij oratione neq; probaret inuentionem, neq; rerum confusionē improbaret, magnificam nihilominus pollicitationem laudibus uehit, simul celebrans dictionis euidentiam, & acumen, ad amussim omnia elaborantis. At si quis reprehēdat Archilochi argumenta, Parmenidis malè compositos uersus, Phocylidis insolitam parsimoniam, Euripidis loquacitatem, & Sophoclis inæqualem phrasim, non uideo quo pacto nutiorem se præbeat censorē erga rhetores. Inter quos uidere est, hunc nihil ad mores bonos conducibile in medium afferre, illum nare frigere in mouēdis affectibus, aliū omni gratia prorsus destitui. Quanquam præter hæc incommoda, cuilibet uirtus quædam inest peculiaris, qua capere possit auditores, quæq; abunde sufficiat ad conciliandam beneuolentiam. Neque res exigit ut acclamatione illam testeris, dummodo oculis hilaritatem præ te feras, uultum ac frontem explices quadam festiuitate, affectusq; serenos ac benignos in conspicuum proferas. Addenda insuper sunt hæc iam passim uulgaria, è triuio petita, & omnibus auditoribus generatim obseruanda: Vt uidelicet alacris, & non procumbens in latus, sed erecto corporis habitu consideas, acie oculorum in dicentem semper intenta, ita ut minimè illum fallat quàm attento sis animo. Vultus proinde tenor constans sit ac purus, non modò à procacitate & duritie uacans, uerum etiam ab omni alia solicitudine atq; negocijs. Videas autem in uniuerso rerū usu, si plura apte in unū coëant, ueluti accidit in numeris, harmo

In poëtis, oratoribus quædā reprehendēda, nihilominus laudanda aliqua.

Auditoris habitus in sedendo.

Concio musicæ par, in qua nihil dissonat.

harmoniam & concinnitatem inde haud dubie conflari. Contrà ex una re quapiam præter decorem absente, aut forte abundante, mox turpitudo generatur. Idq; tum alibi, tum uerò potissimum in concione accidit, ubi non tam superciliorum grauitas, asperitas oculorum, uacillantis intuitus, corporis distensio, ac crurū indecens situs, quàm etiam nutus, susurronum colloquium, risus, somnolentorum oscitationes, mœstitia, & si quid aliud est huiusmodi, in culpam cadit, & non mediocri eget cautione. Sunt rursus aliqui, quos constans tenet opinio, in concione totum negocij dicentis humeris incumbere, auditoris nihil, præmeditatum enim ac præparatum accedere dignum putant oratorem, auditores ipsos nihil, aiunt, necesse est. Sed irruere licet improuidos in illa quæ ratione cōstant, præter ullam rationem, ac assidere inertes, ueluti ad conuiuas in symposio, ubi laborantibus alijs, nihil agant, quàm ut uoluptate fruantur: Quanquam in conuiuio accumbentis suæ etiam cuiusque sunt partes, si uelit gratus haberi, nempe ut omnia æquo accipiat animo. Id quod potissimū benigni est auditoris, dum ex sermone in communi percipit fructum, quo iuuet etiam pro uirili oratorē, nec acerbe errata illius rimetur. Quī enim par est, ut acri censuræ dicentis opus uerbaq; subijciat is, qui fœde simul ac barbarè de oratione disputans, cuiusque iudicis sententiam prorsus reformidat? Atqui inter dicentem & oratorem congruitas quædā est mutui officij, si quisq; quod se decet præstare conetur: Perinde atq; inter eos qui ludunt pila, suscipiens motu corporis aptè se componit erga eum qui illam ejcit. Indecorum proinde est, in celebritate laudum fortuitis uti uocibus. Epicurus enim circa amicorum epistolia tumultuare applausus, rem prorsus inamœnam esse

Auditoris sicut cōuiuæ quædā sunt officia.

Contra ineptè laudantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse diffiniuit. Sunt præterea qui circũ pulpita dicentium peregrinas quasdam uoces laudum usurpant. Alij oraculorum more, & tanquam numine quopiam afflati, de hominibus inaccessas laudes prædicant, quasi uerò minimè sufficiant, quæ sapienter, uerè, & non sine decoro dictæ uideantur. Taceo cæteros, qui ne laudum neglectus arguantur, præconia quædam proferunt, Platonicam referrẽtia Academiam, aut Socraticam, uel Hyperidis. Atque adeo incertus sum, num hæc præstigia magis dehonestent oratores, illosq; accusent superbiæ, tanquam solitis præconijs non cõtenti, incondita insuper affectent, & superuacanea. Cæterum insuauiora sunt illa quàm ut hic commemorentur, quæ iurisiurandi religione fiunt, ad eũ modum quo in iudicijs perhibentur testimonia. Nec minus aberrant à scopo, qui in laudibus efferendis qualitate uerborum licentius abutuntur, acclamant enim philosopho, O quàm acute: seni, O quàm uiuaci industria & floride: atq; ea in re theatrales ludos ac populares non sine decore in scholas philosophicas & ad rhetorum declamationi & castæ, meretricias laudes tribuũt? atq; isthuc non minus est ineptum, quàm si quis athletæ sertum imponat ex lilijs ac rosis cõpositum, quem magis deceat laurea, & ex oleastro facta corona. Euripides igitur poëta, dicente illi quodam, carmen edidisti, ex harmonia tripudijs idoneum, subrisit alius. At poëta ait: Nisi stupidus esses, ac nullo tangereris affectu, non risisses, quia res serias Lydijs modulis temperaui. Porrò philosophum aut ciuili sapientia præditum uirum, pro concione delicate ac exquisitis lenocinijs celebratũ ab auditore, quid aliud dictu rum expectas quàm: appares mihi præco parũ cordatus, & ut

& ut hoc insuper addam, contumelioſius? Nam quum me docente, & cohortationibus quibusdam de diis, de republica, aut principatu differente, non concinueris lasciuam aliquam cantilenam, motus ue dederis incompositos, quæ dementia est, philosopho tibia, aut cithara canentes, tripudium ue foris acclamantium adhibere, quibus minimè indiget, nullaq; ex parte laude huiusmodi tangitur? Rursus in admonendis auditoribus, erratisq; illorum corripiẽdis, obtinere debet hæc ratio, ut cum mœrore & patientia quadam huiusmodi audiantur. Neq; parasitorum more, qui risu quodam excipiunt reprehensionẽ ab ijs quorũ mensas sectantur, illosq; collaudant, auditorẽ in hac re conueniet esse facilem aut negligentẽ: minimè enim uerum, ac parum honestum magnanimitatis argumentum est impudentia, qua procaces, & perfrictæ frontis homines sunt instructi. Morsu igitur omni uacante contumelia, per lusum & comitatem petere quempiam, dummodo id fiat hilari animo exporrectaq; fronte, festiuum sanè est, argutum, & libero homine dignum. Vnde non conuenit auersari monita salubria quæ incitant ad uirtutem, etiamsi ceu pharmacũ aliquod, acria uideantur ac mordacia. Minimè præterea ferẽdi sunt qui huiusmodi uerbo tacti, mox oculis in gyrum rotatis, toti sudãt, æstuq; animi flagrant protinus pudefacti. Quanquã intolerabilius est, & ingenij penitus deplorati, si quis iuuenis ad scõma rideat, & dũ non pudet, nihil cõmouetur. Totũ enim id accidit peccandi assiduitate, & inueteratæ cõsuetudine: quẽadmodũ in carne callo obducta, quæ ex plagis uibicem nõ suscipit. Quæ quum ita sint, reiectis impudentibus de ijs loquamur, qui pudore immoderate abutuntur. Inuenias enim qui semel dũtaxat malè audientes, fugam capessunt,

Graui sermoni nõ cõuenit laus ridicula.

Castigãtis uox quomodo accipienda.

Impudentia falsõ magnanimitas putatur.

Impudentia unde.

Pudor ad uirtutē insigne calcar.

ad philosophiam nunquā redituri. Quorum uicem ob id dolemus, quia egregiū ex natura ad uirtutem calcar habentes, mollicie animi ac delitijs pereunt. Non enim perdurant, ac prorsus omnem reprehensionem ac rectam institutionem declinant: assentatoribus quibusdā & sophistis magis intenti, qui blanditijs aures illorum capiunt, cantionibus quantumcunq; suauibus, nihil cōpendij afferrent. Quemadmodum igitur à medico sectus, si mox aufugiat, nec patiatur se obligari, dolorem quidem sensit, at curationis utilitatem non expectauit: Sic qui uulneranti ac mordaci sermoni morū prauitatem non exhibet sanandam, à philosophia discedit accepto morsu ac dolore, cæterum nihil interea promouit. Neq; uerò, ut autor est Euripides, solum Telephi uulnus ab eadem hasta, quæ illud inflixerat, sanatum extitit, sed etiam ingenioſi adolescentis, qui in philosophia probè est institutus, acceptus morsus eadem oratione unde illatus est, emendari potest. Rectè itaq; ex hoc consequitur, quàm patiente ac constanti animo sis oportet, si morsu aliquo feriare à philosopho, quòd hæc prima tædia in philosophia se offerant cuilibet ad illam aspiranti, haud aliter atq; in sacris insultus quidam impetunt initiandos, quos tamen illi spe futuræ dulcedinis ac dignitatis neglecto dolore rerum præsentium, æquo ferunt animo. Quòdsi per iniuriā uideare reprehensus, pulchrum nihilominus est, patienter tolerare ictum, philosopho loquente: cæterum ubi dicendi finem fecerit, tum licebit rectè factum defendere, simulq; orare, ut hac inuehendi in uitia libertate posthac ingenuè utatur in uera & indubitata facinora. Huc accedit quòd sicut in literis discendis, in musicis, ac luctandi arte, exordia multum exhibent laboris & difficultatis, immodica obscuritate.

Difficultas initij patienter ferenda.

Verum

Verum progresso paulisper facilia cognitu fiunt omnia, & amabilia, quæ & gesserit & dixerit: Perinde atq; cū homine ignoto, magna mox intercedit beneuolentia, & familiaritas, simulatq; in mutuam uitæ consuetudinē transieris. Ad eum sanè modum in ipso philosophiæ uestibulo non deest insoliti quippiam quo torqueare, potissimum in rerum ac uerborum raritate. Atqui negligenda hæc sunt, atqueadeò non tanti æstimanda, ut metu, & animi deiectione, mox in limine ab instituto resilias. Sed strenuè tentanda res est unaquæq; recordatione dulcedinis, quæ blanditur tendentibus porrò, ac suauia facit omnia quæ sunt pulchra. Veniet enim non ita multò pòst lux quædam, simul cum disciplina summum ingerens amorem & illecebras ad uirtutem, quæ nisi contingant, prorsus miser eris ac meticulosus, nec ad felicem illam quam spes certa ostendit, promouebis uitam simulatq; per desperationem à philosophia reiectus fueris. Cæterum habent quidem initia nonnihil obscuritatis, quòd iuuenes inexpertos torqueat, non negamus. Cæterum plerūq; item id accidit postea, ut insciitia ac nodosa difficultate rerum uexentur, diuersisq; modis in idem incidant peccatum. Sunt enim quos docentem aut pudet interrogare quod nesciunt, aut certè ueretur illum obtundere, atq; illi non aliter ac si intelligerent ea quæ necdū perceperunt, nutibus præceptori assentiūt. Ac sunt rursus qui intempestiuis nugis ambitioſius quàm par est apud alios acerrima uerborum pugna digladiantur, ostentationem de se eruditionis eximiæ prius dantes quàm accipientes, atq; in ea re nōnullos qui suas sequantur partes, urgendo retinent magis quàm accipiunt. Contingit autem illis quos prædiximus pudore quodam silere, ut discedentes à sermone addubitent, & tristitia affi-

Quærendum quod nescias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciantur, ac tandē necessitate cōpulsi, maiori pudore quàm obstreperi isti disputatores turbentur, dum dicta altius secum repetunt, & transcurrunt. Porrò audaculi item, gloriolæ mancipia id assequūtur, ut semper tenuitatis & insciti æ sibi conscij, illam cælare quatenus licet annitantur. Exclusa igitur omni deiectione animi & elatione, toti in hoc incumbamus, ut utilia dicta discere possimus, & animo complecti: uestigia eorum qui nos ingeniosè ceu tardiusculos ridere solent, assectando: quemadmodum Cleanthem & Xenocratem factitasse legimus, qui condiscipulis primo lentiores uisi, studio non intermisso, laboreq; irrequieto, tandem alios longo interuallo post se reliquerunt. Imitati in ea re uasa angusti oris, & tabellas æreas, quæ ut liquorem & literas difficilius accipiunt, ita fidelius seruant & tenacius. Non solum proinde, ut est apud Phocylidem, multorum dolis expositum esse eum qui cupiat in bonorum uirorum haberi numero, necesse est, sed etiam crebrò irrideri, contemni, ac morsus dentatos in se accipere illum qui prorsus cupiat explodere ab animo insciti am. Vt non obmutam interim eos qui peccant modo prorsus contrario, quippe segnicie & inertia, labores perpetuos, anxias q; curas exhibentes præceptori, ipsi suopte ingenio nihil tentantes aggredi. Crebró que idem de eadem re sciscitantur, non admodum disimules inuolucribus pullis, qui semper hiantes, præmansum ex alieno ore cibum, hoc est, parata omnia & elaborata sedulò sibi exhiberi postulant. Aliter item peccant quidam attentione nimia, illaq; ad amarulentiā concitant dicētem, dum uenari cupiūt gloriam in fœda loquacitate & superuacaneis quæstionibus, hæsitantes ubi minime conueniebat, nihilq; erat necessum, demonstrationes item locis pa

In obtusa ingenia.

In anxie urgentes interrogando.

cis parum opportunis exigentes. Et hac quidem ratione, uia ex sese breuis longa redditur, ut ait Sophocles, non solum uana quærentibus, sed alijs quoq; auditoribus eiusdem itineris comitibus interpellata docentis perpetua doctrina, interruptoq; sermone instituto, ambages fiunt ex methodo. Proinde, ut autor est Hieronymus, hi de quibus iam diximus, ad inertium canum similitudinem proximè accedunt. Nam sicut illi pelles ferarum domi mordent, & uillos conuellunt, uerum in uenatu minime illas attingūt: ita ignaui isti admonendi sunt nobis, ut caput ipsum eruditionis, ac studiorum fontē attingant, unde in promptu sit illis reliqua artificiosè cōponere, memoria rerum auditarum suggerente inuentionē. Quippe sermo auditus semunis uice nobis erit, unde in proclui sit foetū concipere, qui breui coalescat & prodeat in lucē. Neq; enim ingenia desiderant repletionē ueluti uasa, sed accendi uolunt ceu materia, quo uis inueniēdi simul cū appetentia ueritatis incitetur. Deniq; quemadmodū inciuile est ad uicinū proficisci ignis accipiendi gratia, ibiq; inuēto luculētissimo fōco, desidere, ædibus proprijs neglectis: ita prorsus indecens est, ab alio sermonē doctum audire, minimeq; curare ut domesticus ignis, nempe uis ingenij, accendatur. Quid uerò prodest sermonibus alienis animū oblectare, si nihilo te fias melior? Qui immoti cōsident apud ignē, fōmenta inde accipiunt ac facici ruborem. At quæ gloria est sermonis, si ex animo putrem humorē non decoquas philosophia, tetramq; nō expellas caliginē? Si quid autē supereſt præceptorum ad recte audiendū, quod nos hic nō attigimus, profecto frugiferum erit, uel nostrorum meminisse, ac disciplina quadam exercere uirtutē inueniēdi: ne propria illa interna quā philosophia suppeditat destituti,

Sermo est semen.

Reprehensio initium est bonæ frugis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inani quodam uẽto sophistico & historico tumeamus. Id semper æstimantes, quod res est, initiũ uidelicet esse recte uiuendi, ut male audias, nec auerseris iustam reprehensionem.

FINIS.

PLVTARCHI CHAERONEI LIbellus De docenda uirtute.

Ottomaro Luscinio interprete.

DE uirtute etiamnum hæsitamus, & in deliberationem iam cadit, Nam arte quapiam constet & præceptis, ut rectè sapias, iusta agas, beneq; uiuas. Et rhetorũ quidem opera miramur, magistratuum, architectorum, agricolarum, milleq; aliorum id genus. Verum boni duntaxat uiri nomen obtinent Hippocentauri, gigantes, & cyclopes, in quibus tamen nihil inculpatum aut innocuum, si res gestas excutias, quod ad uirtutem attineat, neque mores à prauis affectibus liberos & incorruptos inuenias. Atque ut donemus naturam sua sponte honesti quippiam decoriq; producere, id tamen rebus longè dissimilimis, & alienis, ceu fructus quidam syluæ incultæ agrestiq; implicitus, flocceſcit nimirum, planeq; obscuratur. Canere proinde discunt homines, saltare, literas, agriculturam, equo insidere, calceari, uestiri, pocula ministrare, & coquere. At quæ, malum, demẽtia est, ô mortales, quum hæc omnia præter disciplinam non liceat cõmodè agere, ut uos probè homines uitam instituisse, nulla disciplina, nulla adhibita ratione aut arte, sed fortuito putetis contingere? Adde quòd uirtutẽ quum discendam negamus, prorsus planè tollimus, quando disciplina generatio quædam est, qua

Virtutem non paris natura.

A simili.

fœtus in animo discentis à doctore producitur. Itaq; si à discendo mortales cohibeas, & doctrinam omnem sustuleris, uideberis haud dubiè cuncta extinxisse, rebusq; ipsis perpetuum inuexisse interitum. Cæterum, ut autor est Plato, ob pedis ad liram imparilitatẽ, dum malè cõuenit cum modulatione saltatio, neq; frater unquam cum fratre pugnam capeßit, aut amicus diſsidet amico, urbes ue inter se hostiliter decertant, ut extrema quæq; & facere & pati cogantur. De accentus item ratione nemo est qui dicat, aliquando in ciuitate ortam seditionẽ, num uidelicet Telchinas, nomen quo afflatos numine appellamus, penanflexè, an aliter sit legendum. Ad hæc in ædibus priuatis inter maritum & uxorem nulla adhuc nata dissensio est super telis, stamen ne an trama subtegmen ipsum uocetur. Et hæc quidem quum ita se habeãt, nemo tamẽ libro protinus, aut telæ lyræue manum admouet, nisi peritus. Nam etiam si non sit periculum, ne quid inde accidat incommodi, tamen ridiculum se fieri, ac cunctis haberi ludibrio, quis est quem non pudeat? Quando inscitiam cælari modis omnibus conuenit, magis quàm prodi, ueluti docuit Heraclitus. Adeò ut nihil agãt, qui uxorem, domum, rempublicam, aut principatum rectè tractari ab alio quàm perito arbitrantur. Diogenes igitur disciplinæ neglectũ castigans, puero quodam obsonium uorante, pædagogo illius dedit plagas, scitè admodum ei qui nõ doceret, non illi qui nihil disceret, peccatum imputans. Proinde communis ille catini usus & calicis haudquaquam ulli decorè contingit, si à puero non fuerit aptè assuetus: ut ne dicam turdos etiam edere, obsonari, ac pedes simul continere. Et nos adhuc putabimus, rem familiarem gnauiter administrare, rempublicam, coniugium, alimoniam, &

In quibus necessaria sit disciplina.

Inscitia cælãda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

principatum, mutuisq; uicissim pro rei dignitate respondere officijs, inexpertis ac rudibus citra erratum, & foretuito accidere? Aristippus autē interrogatus à quodam, an esset ubiq;: subridens ait: Haud dubiè si nusquam non sum, naulum mihi non perit: Ad eum sanè modum si non fiunt mortales disciplina meliores, perijsse impendia dixeris quæ fiunt in pædagogos, à lacte ipso primum pueros in disciplinā accipientes. Nam ut nutrices manibus effigiant corpus, ita illi mores cōponendo, in primum uirtutis uestigium collocāt. Et Spartanus ille rogatus, quid cōmodi afferret præceptorum opera: Honesta, inquit, illi faciunt, ut pueris etiam sint iucunda. Docent autem quo pacto incedentes proni incumbant itineri: digito salsamētum uno contingant, piscem genuinis: Cibum aliter discindant, aliter carnes: Pallium corripiētes corpori quomodo aptent. Porrò si dicas aduersus impetiginem, & rediuiam paratam esse medicinam, laterum autem dolori, febri & insaniæ nihil esse quod medeatur: hoc perinde est ac si contendas, minutulis rebus & puerilibus instituta quædam, ac proditas esse rationes, certaq; rerum gerendarum consilia, cæterum præclaris atq; absolutis ipsis, cuiusmodi est uirtus, nullam esse propositam moderationem. Quasi uerò in eisdem tractandis uana uideatur omnis exercitatio, tum nil aliud nisi insignis quædam infelicitas. Atque hac nimirum ratione, ut ridiculum uideri potest, quod sapienter celebratum est ueteri prouerbio, Oportet ut is impellat remū qui didicit: Sic contrà qui alijs artibus permittit disciplinam, spolians illa solam uirtutem, nobis se præbeat ridendum, oportet. Diuersum sanè hic à barbaris illis mihi agere uisus est Scythis, qui Herodoto teste, seruis eximunt oculos. Quid mirum? quippe mancipijs-

Verum

Naulum perire pro iacturā facere. Prouerb.

Præceptorum opera ad quid prosit.

Barbari sapientiores negantibus uirtuti disciplinam.

Verum hic noster uir bonus, artibus cunctis disciplinæ certam rationem ceu oculū imponens uirtuti, quæ omniū princeps est & regina, illam (si dijs placet) conatur euertere. Quòd si cui nondum est persuasum, uirtuti primas deberi, Iphicratem audiat Athenienſium ducem, qui per contumeliam interrogatus à Callia Cabrij filio, quisnam esset, num sagittarius, scutifer, eques, aut armiger? Nihil horum, inquit, sed omnibus hisce imperans. Iure igitur optimo iam explodendus est nobis qui iaculari, arma gestare, fundam impellere, & equitem agere, iudicabit ad doctrinam pertinere: Imperium autem administrare, & ductitare exercitum, ita ut forte fortuna obuenerunt cuiquam adesse, nec ullam prius institutionem requirere. Et ut hoc insuper addam, maiori laborat uecordia, sannaq; multo est dignior, quisquis hæc posteriora definiat sola egere prudentia, nihil interea tribuens doctrinæ: quum planè constet, sine illius præsidio nullum artibus relinqui incremētum, nullum operæprecium. Postremo obscurum esse non arbitror, ducem hanc rerum omnium, certamq; rationem & ornamentum, ad bonam frugem sui studiosos solere perducere: uel hoc potissimū argumento: Quòd nisi quis maiore affectu ministrorum, quam artis, præscriptiq; cuiusdam, & legis conuiualis teneatur, non deest ne cœnæ quidem sua gratia, si pueros habeat pocillatores, ad assandum, partiendum obsonia, reliquaq; id genus gnauiter obeunda munia exercitatos, arteque instructos.

FINIS.

Iphicratis sententia illustris de uirtute.

Contra asserentes prudentiæ, & disciplinæ contemptores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAROLVS VALGVLIVS IN PLVTARCHI MVSICAM, AD TITVM PYRRHINVM.



VERITVR comœdia uetus, cuius licentia increpandi mores erat liberior, in Musicâ fuisse iniectam labem: & execratur polluendæ eius autores, alioqui elegantis ingenij poetas, quòd auctis fidibus, & uarietate concentuum, Dithyrambusq; conditis bisoribus, ac iocunda fraude gratis uulgo uersibus, ex sorti illa, seuera, decora, atq; simplici Musica, mollem quandam, illecebrosam, calamistratam, ac uariam intulissent. At quid inde mali? dicet aliquis. Ingens profecto atq; latissimè manans, & quidem in res potiores. Nullane sunt mala, emolliri & lãguefieri animos ciuũ? nullane amissi pudoris, & corruptorũ morum? At quid id interest morũ? Sanè plurimum. Nam animus noster quasi Tetrachordũ quoddam, intellectu, ratione, phãtasia, ac sensibus (si Platonicis credimus) constat. Intellectus diuinus est, in quo nil est nisi simplex ac purum & uniforme. Imaginatio, ac sensus mortales partes sunt, proinde mutationibus, uarietatibusq; refertæ. Media ratio propria humanæ est naturæ, arbitriumq; anceps habet inclinandi ad diuina & ad mortalia. Si igitur ratio ut Mese neruus, cum diuina parte illa quasi neruo quodam se temperauerit, admirabiles morum concentus, simplices uidelicet, graues, decoros creabit. Sin se consociauerit cum mortalibus, uarios, molles, indecoros pariet. Tanta enim est uis canticis modis in utrãq; partẽ, ut quales ipsi in animos præsertim teneros illapsi

Intellectus.

illapsi fuerint ciuiũ, decori, graues, seueri, aut cõtrà leues, languidi, uarij, ac molles, ita rationem ancipitem, ac dubi tantem ad consortionem optimorum, aut peßimorum stipantium latera ipsius consultorum, quorum consilijs uel elegantes uel degeneres mores finguntur, pertracturi esse uideantur. Neminem autem esse puto tam stupidum tamq; plumbeum, qui cantu non moueatur. Præclarè Theophrastus in secundo Musicæ inquit naturam Musicæ esse motum animæ inuecta à perturbationibus mala ab ea depellentẽ: quod in musica efficeret, ut uidelicet animum quò uellet pertraheret, naturam ipsius omnino nullam futuram. Hoc loco nostri musicam temporis lamentarer, ni iampridem complorata foret, facilè id patiente Franchino Gassuro nostri æui præstanti musico, cuius libros & eleganter, & eruditè compositos ferè nemo nostrorũ cantorum legit, tum quòd plerique grammaticam ignorent, tum liuore, quo plurimo id hominum genus laborare Hesiodus autor est. Hoc autem à me solum dictum sit cohortandi eos quos ea mala tangunt, gratia, ut omni conatu ignorantiã, inuidiamq;, uelut peßimas feras ab animo depellant. Nam hæc me fari coëgit amor musicæ musicorumq;, quo incredibili teneor. Eorum ars & scientia omnis in paucis quibusdã est syllabis, cantus nulli ferè sunt sine conspecto libro, in quo nihil est descriptũ præter certas notas & characteres: quòd si uerba cantilenarum quandoq; proferuntur, de medio ea uulgo pleraq; accepta dices. Sed qualisnam erat apud ueteres Musica ista? dicet aliquis. A Plutarcho disces, si ipsum accurate legeris, longæ mihi explicãdæ ambages forẽt, & alieno loco. Quicquid enim canebant, ferè eruditũ, elegãtißimum, & metrico rhythmo compositum erat, siue laudes deorum,

quales

Universidad de Deusto
Biblioteca

quales Hymni Orphei, qui extant etiam nunc, siue decora clarorum uirorum, uictoresq; in Olympia certaminũ, & reliquarum celebritatum, quales Pindari, & aliorum, seu nuptiæ, ut Pæanes eiusdem, canerẽtur. Innumera alia argumenta funebria, eomplorationes, amatoria, apta epulis alia, ad deprecandam pestilentiam alia, materiæ tragicæ, & comicæ, perq; omnia genera, atque omnes Rhythmicas uarietates poëmata condita ad tibiam fides ue cantabantur, rhythmis, pulsibus, modulis, concentibus, humana uoce, cunctis simul materiæ congruentes mores exprimentibus. Sed ut summatim dicam, ut autor est Lucianus, argumenta, & materiæ canticorum, cantilenarumq; erãt ab orbe condito ad Cleopatræ usque tempora gestæ res, quales Ouidius in Metamorphosi cecinit, ad quarum cantum ueteres etiam saltabant. Ex quo patet, neminẽ exercere musicam saltationem ue tẽporibus illis potuisse, quin eadem opera animum multa cognitione priscarum rerum compleret. Operæpreciũ facturum me duxi canticum unum de ueteribus proponendo, quod Pythicum certamen uocabant. Argumentum erat pugna Apollinis cum dracone Pythone. Delona nomen toti cantico. Partium eius nomina, Exploratio, Prouocatio, Iambicum, Spondeum, Saltatio. In prima Apollo contemplatur an opportunus sit dimicationi locus. In secunda prouocat draconem in certamen. In Iambico iam pugnatur. Hæc pars continet Odontismon uocatum, quia draco frendens secat dentes uulnera iam accipiens in corpus. Quarta uictoriam Apollinis. Quinta saltantem ouantemq; uictoriæ ergò eundem declarat. Et hæc est una de legibus tibiarũ, in qua rhythmi, & moduli eorumq; mores in canẽdo mutantur, prout partes eius uarios actus continentes postulant.

Odontismos.

lant. Et quoniam legis mentionem fecimus, aliquid de lege musica, de que alijs quibusdam, quæ ad intelligentiam Plutarchi opem aliquam præstabunt, breuibus dicere constitui. Deinde calumniam quandam falsamq; accusationem ab Aristoxeno philosopho, Aristotelisq; discipulo, & Theophrasti æmulo, ac musicorum longè nobilißimo deprecabor. Lex itaque musica modus canticus est præscriptam Harmoniam siue concentum, & rhythmum definitum habens. Nomen autem inditum legis propterea, quòd quasi lege præscriptum esset, uocum fidium ue tensiones mutare non licebat: quanquam Aristotelem dubitare non ignorem, num quia ueteres, quòd literis carerent quarum monumentis crederent suas leges, canebant eas ne obliuioni mãdarent, atque ita abolerentur, ideo omnes cantus leges appellatæ fuerint. Legum aliæ erant propriæ tibijs, aliæ citharæ, fidibusq;, aliæ cõmunes utrisq;. Nomen cuique suum aut à gentibus, ut Aeolia, Bœotia: aliæ à rhythmis, ut Orthia, Trochæa: à tropis, ut acuta, Tetracœdia: ab inuentoribus amatoribusq; earum, ut Terpandria, & Hieracia: aliæ ab argumento, ut Pythicum certamen, & Curulis, sumptum habent. Partiũ citharicæ legis ipso partiente Terpandro, hæc nomina erãt, Eparcha, Eparchia, Metarcha, Catatropa, Metacatatropa, Omphalos, Sphragis, Epilogos. Quorum nomnum ratio etsi à me præsentia non explicatur causa breuitatis, & certè difficilis est eius coniectatio, hunc tamẽ usum præstabunt, ut hinc quoq; non nimium tardi homines quàm erudita omnia apud ueteres musicos essent, omnes intelligant. Orthia Palladis lex erat, argumentũ bellicum continẽs, quod nomen Palladis declarat duellis aptæ deæ: omnia, uox, cantus fidium, Rhythmus, materia, bellicum concinebant, & partes.

Lex musica.

Citharæ partes.

persona

perſonabant. Hanc legem cum Timotheus caneret, uir omnium regum atque imperatorum clariſsimus Alexander Macedo perpulſus eſt ad capeſſenda arma, & exclamauit eiuſmodi eſſe cantica regia oportere. Orthiorum ſeptem ſpecies erant, in quibus lex Palladis, quam dixi. Et Trochæus dictus tubæ cantus ſignum militibus dantis. Curulis quæ dicitur lex, id ideo nacta eſt nomen, quoniam raptatum bigis Hectorem argumentum habebat. Caſtoriæ legis cantu ſub Embaterio Rhythmo compoſitæ Spartani utebantur ad excitandum ardorem Martis in animis militum. Conſtabant autem leges illæ carminę numeroſo, & ad alios atque alios affectus commouendos accõmodatæ erant. Pauca hæc de lege muſica, pro re præſenti dicta ſufficiant. De uoce Melos, quamuis nulla nota eſſe uideatur, aliquid tamen dicendum duxi. Me-

Melos. los primò ſignificatione membrum corporis dicitur. Quemadmodum enim multa uaria que membra in uno animantis corpore ſunt uaria atque diuerſa officia præſtantia, quæ tamen finem eundem uitæ conſeruandæ ſpectant, ſic quia diuerſæ uoces mixtæ concorditer concentum unum conficiunt, cantum prouenientem inde Græ-

Melos. ci melos, nos modum modulumq; uocamus, aut quia melos ſignificat quod cuiq; curæ eſt, quaſi nihil maiori curæ homini eſſe debeat quàm cãtus & muſica, ſiquidẽ tantopere homines atq; deos commouet melos, cantum dixere. Nec abſolute quemcunq; cantum, ſed harmonia tantum-

Harmonia. modo conſtantem. Eſt autem Harmonia ratio cõpoſitorũ corporũ primo, inde ratio mixtorũ ut uocum. Compoſita enim ſeruant nomina partiũ, ut ſi diceremus corpus animãtis carnibus, oſſibus, neruis, ſanguine cõpoſitum eſſe, mixta uerò non ſeruant. Vt mulſum neq; unum eſt, neq; mel,

mel, tertia quædam natura, quanquam eſt utriuſq; mixtione confectum, ita concentus neq; acuta uox eſt neq; grauis, ſed tertium quiddam, quod neq; acuta neq; grauis uox dicatur. Harmoniarum nomina uariarum apud ueteres uſurpata hæc ſunt, Doris, Ias, Aeolis, Phrygia, Lydia, Lo-

erica, à Philoxeno inuẽta. Harmonia aliquot locis pro enharmonio Plutarchus uſus uidetur. Pythagoras eam ſic definiuit, multimixtorũ & diuerſa ſentiẽtiũ unio. Rhythmus uerò pater eſt metri, ut interpres inquit Ariſtophanis. Dionyſius muſicus de Pythagoreorũ ſentẽtia in libro de ſimilitudinibus ſic de Rhythmo inquit: Rhythmi & cãtici moduli una propè eſt atq; eadem eſſentia apud eos quibus graue tardum, & acutum celere uidetur: illi autẽ ſunt Pythagorei. Quam autem interualla cantica in rationibus numerorum ſtatuãt, omneſq; Rhythmi in aliqua una ratione numerorũ cenſeantur (alij enim ſunt dupla-

res, ſeſquialteri alij, in rationeq; alij alia) eiuſdẽ eſſe naturæ Modulus & Rhythmus uidẽtur. Quũq; præterea cõſonãtia quæ de interuallis proficiſcitur uocũ, eorundẽ dogmate Diapaſon in dupla ſtatuatur, Diapẽte in ſeſquialtera, & ſic de reliquis: quũ item Rhythmici pedes omnes ijſdem rationibus diſtinẽti ſint (nam pleriq;, & elegantiſſimi quiq; in Diapaſon ac Diapẽte conſonantia ſunt cõſtituti) cognationẽ inter ſe quandam, atq; familiaritatẽ habere uidebuntur. Hæc Dionyſius. Differunt tamẽ: eſt quidem Rhythmus Harmoniæ ſemper comes, ex qua modulus & cantus oritur: cæterũ modulus in acuto & graui, Rhythmus uerò in celeri & tardo motu ſpectatur. Qui motus in oratione conſideratus, longum ac breue dicitur, in cæteris uerò rebus celere, ac tardum. Vt quum pedes ſublati depreſſiq; alternis, apto & mediocri niſu pulſant terram,

is motus celer, & tardus nominatur, in metricis rhythmicis q; pedibus, qui quidem sunt apta syllabarum cõpositio, quanquam inde acceperint pedum nomen, brevis dicitur, atque longus. Est autem in eo discrimen atque momentum, quòd acutum & graue qualitates sunt, celere uerò ac tardum quãtitates, ut infrà dicetur. Aristoxenus: Rhythmorum, inquit, ductus innumeri sunt, quemadmodum & uocum tensiones, tametsi semper definiti terminatiq; sumuntur in usum, ut primi, disemi, trisemi, ac cætera temporum nonuna rhythmicorum. Prosodiacus, carminis cãtusq; genus est à Rhythmi genere appellatum, in quo erat Martis lex. Spondeum genus & ipsum moduli & carminis sub eo Rhythmo compositum. Huius tres species erãt. Epibomium unum, dictum ab ara: Telesterium aliud, ab sacrificijs mysticis: Cureticum aliud, à Curetibus. Ad res diuinas species omnes accommodatæ erant. Per dactylum modulus est sub Rhythmo dactylico compositus. Sic reliqua à Plutarcho huiusmodi nomina commemorata cantus poëtici sunt indepti ab Rhythmis appellationem, ut quod dicitur primum, Procriticum, Maron, Heroum, Embaterium, Creticum: hoc genus à Curetibus Cretensibus, ut interpres inquit Aristophanis, quòd sub eo Rhythmo canẽtes compositum carmẽ quatientes arma saltarent. Hactenus de Rhythmo. Virginalia species est poëmatis & cantus & saltationis, ut Epithalamia, quæ dicuntur poëmata ad uirgines spectantium. Prosodium poëmatis & cantici genus est adhibitum celebritatibus potissimum deorum. Prosodij huius principiũ meminit interpres Aristophanis: Quid pulchrius incipientibus, quid'ue desinentibus, quàm deum canere actores equorum? Pæanes cantus & poëmatis genus est libationibus & nuptijs accommodatum, quales

quales Hymni Pindari. Pæanumq; aliud genus antequam cum hoste conferent manus ueteres Marti canebant: Apollini parta iam uictoria aliud. Proœmia genus & ipsa poëmatis. Hyporchema poëmatis, & saltationis. Gymnopodiæ chori erãt Spartæ puerorũ, qui nudis pedibus cum tripudio laudes deorum canebant in honorem Spartanorum, qui pro patria in Thæræis occubuerãt. Sinuliter Endymatia Argolica celebritas & saltatio. Sic & quæ dicitur Endrone. Carnia festum Apollinis apud Lacedæmonios. Strobilus species saltationis. Pyrrhias nomen serui, à quo postea serui Pyrrhiæ dicti. Scolion melos genus cãtus erat quod accubantes ad epulas ordine accubantium non seruato canebãt. Dicæarchus in libro de musicis certaminibus: Tria, inquit, erant apud ueteres genera cantiorum, unum quod sine discrimine ab omnibus deinceps atque ordine cantabatur. Alterum quod à peritissimis ac scientissimis non deinceps, sed altero semper præterito, & hoc Scolion ab ordine tali dicebatur. Aristoxenus uerò & Phyllis musicus hæc tradidere de Scolio. In celebritatibus nuptiarum ad unam mensam plurimis positis sellis accubantes ramum myrteum, laureum'ue tenentes manu, proximo subinde præterito sententias & amatoria syntona canebãt. Periodus illa propter ordinem nõ rectũ canentium Scolia, hoc est nõ recta appellabatur. Hæc interpres Aristoph. qui & principiũ hoc Scolij unius Timocreontis Rhodij refert. Vtinã ô cæce Pluto nec terra, nec mari, nec cõtinenti apparuisses, sed tartarũ incoluisses, & Acherontẽ, nanq; te propter cuncta mortales circunstant mala. Cyclij chori. Cyclia dicebantur cantica, quæ eandem materiam continebant. Lagus siue Lassus Hermionẽsis primus existimatur constituisse Cyclios choros, &

Scolion melos.

Gymnopodiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dithyrambū in certamen deduxisse. Conditores Dithyrāborum corruptores esse musarū, Sophistasq; appellabant, de quorū numero Philoxenus, Cinesias, Cleomenes fuere, quos increpat comicus Aristophanes. De quibus Callimachus loquēs, Spurij, inquit, & adulteri florēt cantus. Erāt enim illi Cyclicorū magistri chororū, eorūq; scripta multos habebant flexus atq; reflexus, quos musici strophas, antistrophas & epodos uocant. Autor est horū interpres Aristophanis. Sciēdū enim est, in Tragœdijs atq; Comœdijs saltationes, et choreas duci solitas esse proprias cuiq;, ut quæ Emmelia dicitur, proprie erat Tragœdiæ dicata, Cordax uerò Comœdiæ. Erat autē Cordax satyrica saltatio, à Libero patre instituta, India domita, ut autor est Arrianus in rebus Alex. quē nos in latinū sermonē uertimus. Tibicines, fidicinesq; illis Cyclij dicti adhibebātur, cantusq; accōmodati metricis rhythmis. Partes porrò Musicæ sūt Harmonia, Rhythmica, Metrica, Organica, Poëtica, Saltatio. Hæc est diuisio uniuersalis Musicæ, harū partiū artifices omnes musici appellātur, sed Poëtæ, & poëtica per excellentiā. Per dictionē Tonus tria significātur. Tonus enim dicitur interuallum, tanquam mensura quædam ipsius loci uocis, qua significatione tonum Diapente maiorem esse tono Diatessaron dicimus. Dicitur item tonus uniuersus locus Systematis, quod nos (si modo rectè) complexionē interpretamur, accipiens perfectā, ut inquit Aristoxenus, cōplexionē illatibilis, ut Dorius tonus, Phrygius, & reliqui huiusmodi tropi. Tertio dicitur tonus ipsa qualiscunq;, & quantacūq; tētio: qua significatione qui canūt, alij tono graui, alij acuto dicūtur uti: Nec prætermittendum esse putaui admonere, Cruma, quem pulsum percussionemq; Latini interpretantur, esse speciem etiam cantus

Emmelia. Cordax.

Musicę partes.

Tonus.

cātus quandā tibijs ac tubis cōmodati. Nunc ad defensionem Aristoxeni, quem falso accusatū reprehensumq; fuisse diximus, descēdamus. Damnatur quòd tonū in duas æquas partes, quas semitonia æqua nominant, diuidi posse cēsuerit, urgentq; ipsum & oppugnāt acriter atq; importune rationibus numerorum mathematicis Pythagorei, & qui eorum sectam tuentur, de qua prius aliquid libandum esse existimaui. Qua re proposita & cognita, in promptu erit absolutio Aristoxeni. Complures factiones musicorū fuere, ut Archestratia, Hermippia, & aliæ, sed duæ longè cæteris præcelluere, Pythagoria, & Aristoxenia. Pythagoras quū ab operibus omnibus naturæ, ab agendis, contemplandisq; rebus omnibus, ab uita quoq; ipsa temeritatem, atq; inconstantiam exterminare, & in ordinem ea certū, constantemq; rationem redigere conaretur, consonantias uocum, ut eas ab infido incertoq; aurium arbitrio ad cōstans certumq; mētis iudicium reuocaret, ratis rationibus numerorum accommodauit, consilia hunc in modum agitans, ut autor est in Musica introductione Heraclides scribens: Pythagoras, ut inquit Xenocrates, cogitando inuenit musica interualla sine numero ortum habere non posse, quòd respectus forent quanti ad quantum. Reputabat enim qua natura eueniente re & causa consona atque obsona interualla efficerentur, ascendensq; ad originem uocis, motum esse genitorem ipsius comperiebat, ac motum sine numero esse nequire, igitur & uocem ipsam cum numero coniunctam, proinde quantitatem, acutumq;, & graue esse quantitates. Reliquam eius orationem breuitatis gratia prætermittimus. Ptolemais mulier Cyrenensis, Archytas, Aelianus, Panætius iunior eadem testantur, quorum seriem orationis Porphyrius fidei

Diapason. Diapente. Tonus.

gratia ad uerbum recitat. Igitur consonantiam Diapason uocatã in ratione dupla, Diapẽte in sesquialtera, Tonum in sesquioctaua statuebat, & reliqua uulgo nota. Porphyrius in commẽtarijs in Harmonica Ptolemæi æditis, instructus opibus clarissimorum Philosophorum, Platonis, Aristotelis in primis, Theophrasti, Panætij, adscriptis ad uerbum eorum sententijs longa oratione explicatis, fertur aduersus Ptolemæum asserentem, in uoce acutũ & graue quantitates esse, & interualla musica quanta sentientem cum Pythagoreis, & esse qualitates, & qualia apertissime demonstrat. Quibus omnibus in præsentia prætermissis, unius autoritate Panætij contentus ero, sic in libro de Geometriæ, atque Musicæ rationibus & interuallis scribentis: Qui spatium, inquit, acutum inter atque graue diuidi media quadam uoce existimat posse, simulis dicenti est, inter calidum & frigidum, candidum atque nigrum sectionem mediam posse fieri. Facultas nanq; consonantiarum non in magnitudinibus uocum, sed in qualitatibus spectatur. Quare quum mathematici dicunt, diapason in ratione dupla cõsistere, non hoc dicũt quòd magnitudo uocis nerui, puta Netes, auctior est parte dimidia magnitudine Hypates, sic de reliquis. Argumento est, si fides illæ uel acrius uel languidius ambæ, aut altera leuius, altera uehementius percutiantur, nihilominus idem remanet interuallum, tametsi pulsi nerui maiorem sonum reddunt, propterea quòd qualitatem non mutant. Quo fit perspicuum, interualla uocum nõ esse magnitudines sed qualitates. Verum, inquiunt, totam magnitudinem nerui dimidiatæ suæ magnitudinis partis, quæ pulsæ concentum diapason ædunt, duplam esse. De reliquis eodem pacto consonantijs. His iactis quoad fieri potuit breuiter

& ex

& explicatis, facilè calumnia Aristoxenum liberabimus: Tonum in duas æquas partes, quæ semitonia paria dicãtur, secari non posse, id quod posse fieri Aristoxenus censet, sic rationibus numerorum demonstrare se putant, qui eum accusant: Tonus, inquiunt, in sesquioctaua est ratione, sesquioctauum interuallum in quo est tonus in duas æquas partes secari non potest, ergo nec tonus. Inter senasdenas & octonasdenas unitates contineri dicunt sesquioctauum interuallum, id nihil interseeare nisi unitatẽ unam indiuisibilem quæ sit septimadecima, duo interualla ex uno factã necessariò inæqualia esse: maius enim semper interuallũ esse quod minores numeros itercedit, quàm quod maiores: maius igitur futurum semitonium quod est inter senasdenas, & septenasdenas unitates, eò quòd septenisdenis, & octonisdenis interiacet. Vera hæc dicuntur, neminiq; dubia sunt docto uiro, haud tamen efficiunt quod uolunt, nec propterea sequitur tonum non posse in duo paria diuidi, tametsi interiacens unitas sesquioctauã rationem in numeris non posit secari. At neruus ipse, in quo tanquam in regula alijs atq; alijs partitionibus rite factis concentus uocum uarij formantur, quoniam magnitudo perpetua est & continua, quacunq; in parte, quotocunq; in spatio secari potest, ergo & æquas in partes. Supradictũ est enim de sententia Panætij, Theophrasti, Porphyrij, & aliorũ, & certè patet latissime ipsa per se res, consonantias diapason, diapente, diatessaron, tonum, & reliquas haud quaquam ideo statui in numerorum rationibus atq; magnitudinibus, quia ipsæ uoces uocumq; interualla sint numeri, magnitudines ue, & respectum inter se quantum habeant, quum manifestissime sint qualitates, sed quia neruus, partesq; ipsius quæ uoces ædunt,

habet illos inter se respectus quantos. Quid igitur obstat quo minus spaciũ illud nerui sesquioctauũ, in quo statuũt tonum, diuidi in duas æquas portiones, quæ semitonia paria sint, diuidi queat, quum quantamcunq; portionem cõtinuæ quantitatis in infinita secari posse mathematici demonstrent? Mihi quoq; promptum esset in monochordo, quod Canona Pythagorici appellant, idem mathematicè demonstrare, ni satis perspicuum foret quod proposui, falsò Aristoxenum accusari, quòd tonum censuerit in duo semitonia æqualia posse diuidi. At uero ignorabat arithmeticam Aristoxenus, qui uolumina de ea ipsa facultate conscripsit, aut dogmata Pythagorica eum latuêre, qui Xenophanem nobilem Pythagoreum præceptorem habuit. Sed hæc hactenus. Neque uero pati æquo animo possum Ptolemæum tendẽtem aduersus Pythagoram importunis quibusdam argumentis, quòd ipsarum diapason, & diatessaron coniunctarum extremos terminos, hoc est, uoces non efficere consonantiam dixerit, quasi consilia Pythagoræ ignorasse uideatur. Diuinus ille uir Pythagoras, quem prouidentia numinis diuini demissum in terras fuisse puto, simplicia, pura, impermixta omnia adamabat, & cunctis in rebus quoad materia earum paterctur, eiusmodi requirebat & exposcebat, quòd in ipsis constantia & æternitas esset. Impura uero, mixta uariaq; repudiabat, & à rebus deprecabatur, quoniam temeritatem atque inconstantiam illis dominari intelligebat. Quocirca solos eos concentus admisit, qui simplicissimis numerorum rationibus consentanei essent, purissimamq; eorum naturam saperent, quales concentus omnes illi sunt, qui multiplicibus & superparticularibus congruunt, ut diapason, diapente, & reliqui. Reiecit uero illos de numero

mero consonantiarum, qui à tali natura abhorrebant, qualis est diapason & diatessaron, qui concentus nihil olet simplicitatis, & puritatis multiplicis, & superparticularis, sed consors est permixtionis impuritatisq; superpartientis analogiæ. Attamen Ptolemæus conatur demonstrare extremas uoces illas concinere, ac tripertitam distinctionem, triplicemq; ordinem concentuũ facit, ut alius sit omnium perfectissimus, quem Homophonum uocat: Alter, quem Symphonum, degenerans à primo: Tertius, quem Emmelem, degenerans à secundo. Non hæc ignorabat, bone uir, Pythagoras, quin multas quoq; alias scie bat concinere auribus mixtiones uocum, quæ aut nullis numerorum rationibus, aut deterrimis congruant, qualibus nostri æui cantores, quas tertias & sextas uocant, utuntur. Sed diuinus ille uir, & elegantissimus, ut apis purissimam cœlestem solum rorem carpit, ita sola nobilissima & simplicissima admittebat in rebus. Et quoniam Plutarchus meminit Harmonicorum, sciendum est Harmonicos uocari eos qui plus auriũ quàm rationis iudicio tribuunt autoritatis, ut Aristoxenij. Canonicos uero, qui primas in iudicãdo partes longeq; ratas maximè rationi adscribunt, ut Pythagorei, genere tamẽ & ipsi Harmonici. Ptolemæus mediã quãdam uiam est sequutus. Tantũ enim tribuit sensibus autoritatis, quantũ Aristoxenij, ac tantum rationi, quantum Pythagorei. Verum enim tum fieri in musicis iudicium demõstrat, quum sensus atq; ratio nihil inter se discrepare uidẽtur. Id quod in Astronomia quoq; demonstrauit, quũ uidelicet iudiciũ rationis cum oculorũ iudicio consentit. Hæc ad te potissimum scribenda Tite putaui, percupiens in hac quoq; te disciplina, quanquam non sine approbatione auditorum te canere intelligo, ut in

Harmonici

Canonici

ut in cæteris quoq; omnibus optimarum artium ornamentis excellere. Nam & ipse Aristoteles in libris de Republica præcipit Musicam studiosè pueris esse discēdam, ut protinus rectè lætari cōsuescant. Eiusq; utilitatem in tria genera partitur, ut aliud ad eruditionem disciplinamq; pertineat, ad purgationem animorum aliud, tertium ad iucundè traducendam in ocio atq; tranquillitate ætatem, grauioribus curis incessentibus sæpe animos musica emollitis & expulsis. Tria quoq; genera modorum, quos melos Græci uocant, à philosophis tradita proponit, quorū alios inquit moribus, ijs reor qui uirtutibus mansuetioribus continentur, congruentes, alios rebus gerendis accōmodatiores, alios quasi numine occupādis animis aptos. Itaq; morales quos nominat præcipue accōmodatos esse ei utilitati, quæ spectat ad eruditionem. Afflantes & corripientes conuenire expianti & perpurganti ui commotorum, quum eas mentes subeunt, quæ nimium pronæ mollesq; sunt admittendis affectibus, illis præsertim quibus consternatione fœmineæ, atq; miserationis deijciuntur, & affliguntur: nam & hos perfundere eiusmodi animos innoxio quodā gaudio tradit. Harmonias præterea, quarum uis atque natura uaria est, alias inquit moralibus, quos uocant modis, & disciplinæ utilitati, alias purgantibus & afflantibus modis, cæteris alias congruere arbitratur. Atqueadeo alios alijs modis & utilitatibus natura addictos, & accommodatos, & conspiratos concentus esse contendit, ut Philoxenum conatum fabulas in Dorio concentu Dithyrambo condere, impotentem sui, & quasi secundo amni in aduersum renitentem in Phrygium delatum fuisse prodiderit, uelut seuerus Dorius grauisq; cōcentus abominatus & abhorrens præfractam mollitiem materiæ,

ut musicæ tria genera.

odi musicæ tres.

materiæ, & carminis illecebras, libens appetenti & importune tanquam in suam possessionem sese ingerenti, Phrygiæ harmoniæ cessisse uideretur. At hæc præclara & erudita cognitio compluribus iam antè seculis funditus exoleuit. Verum quoniam neq; uirgula diuina in mentes ueterum ea scientia defluxerat, sed inuentum humanorum ingeniorum extitit, tui muneris Tite atq; officij fuerit, qui omnibus curis præterquam disciplinarū percipiendarum uacuus es ac liber, omni studio eniti & elaborare, si ope partim mea adiutus, partim Plutarchi, ut poëticam, musicā excellentissimam, & diuinissimam omniū, cum ista quæ uulgo celebratur, pro tua uirili parte coniūgas atque cōponas.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

STEPHANI NIGRI DE FRATERNA BENEVOlentia opusculum, Antonino ac Guilielmo, illustrißimi uiri Antonij Prati, utriusq; Galliæ magni Cancellarij filijs, dicatum.

ACHILLES atq; Helene, quum alter ad Troiam, altera in Aegypto moraretur, licet amoris incendium intuitu maximè excitetur, uno tamen aurium sensu ad eam cõpulsi sunt inter se beneuolentiam, ut post obitum eorum manes in Leuce Ponti insula mutuæ frui consuetudine à Philostrato dicantur. Odatis quoq; Omartæ ultra Tanain imperantis filia, & Zariadres Hystapsis Mediæ regis frater, ex nocturna tantum uisione se mutuò usqueadeo (ut refert Athenæus) dilexerunt, ut eam Zariadres patri quũ ſpõte assequi nõ ualuisset, inuiso surripuerit. Accidere enim solet, ut quũ alicuius probitatẽ, uirtutesq; audimus, ita nescio quo pacto afficiamur, ut haud secus cũ diligamus, ac si non modò sæpe uidissemus, uerũ & eius consuetudine iandiu usi fuissemus. Non erit itaq; mirandũ, si ego quoq; audita uestra uirtutis indole, & quæ præ uobis probitatis insignia feratis, ea uos licet nunquã cõspexerim, sim beneuolẽtiã prosequutus, quæ me ad hoc de fraterna beneuolentia opusculũ ad Plutarchi æmulationẽ elaborandũ adegerit. Quod utriq; uestrũm fore nõ ingratũ speramus. Ea etenim cõtinet quæ si quãdoq; perlegere haud molestũ fuerit, plurimũ ad contrahendum, atq; indies magis augendum inter uos amorem sunt profutura. Quare ut ad te sermonẽ conuertã, nihil est

hil est quod te magis deceat Antonine puerorum iucundißime, quàm ita uitam agere, ut omnes tuo merito fateantur, cum cæteris te quidem hominibus amicè simul ac beneuolè uiuere, fratrem uerò ea prosequi beneuolentia ac pietate, ut ad amorem nihil omnino accedere poßit. Quid enim fraterna charitate præclarius? Quid illustrius excogitari potest? Quid cõtrà odio, simultate, seditioneq; turpius, et à quo magis ipsa abhorreat natura? Nam si rectè considerabimus, naturam idcirco nobis fratres tribuisse cõperiemus, ut externis amicitijs minus indigeremus. Cui enim rectius, ac liberius, tutiusq; nostra committemus cõsilia, nostras aperiemus uoluntates, quàm his qui & eodẽ utero æditi, & sub hisdem parentibus educati, eademq; mensa à tenella ætate alti, trimodium, ut aiunt, salis nobiscum ederint? Sed nonnulli ad eam interdum redigũntur insaniam, ut omissa domestica necessitudine, neglectis fratribus, in quærendis externis amicitijs satagant, qui profectò nil aliud mihi agere uidentur, quàm si innatum sibi membrum sponte abscinderent, factitiumq; pro eo concinnare insertarcq; niterẽtur. Ipsa nanq; amicitiarum ac consuetudinum innata nobis cupiditas maximo esse documento debet, ut fratres obseruemus ac colamus, eorumq; amicitiam in perpetuum conseruemus, quando ἄφιλοι, καὶ ἄκοινοι, καὶ μεγιστοποι nullo pacto uiuere possemus. Cæterum quid externis multis'ue opus est amicitijs, cui fraterna non desit? Sunt enim multæ uariæq; amicitiæ, si ad eam quam inter fratres uoluit esse natura comparentur, umbræ quædam ac fictæ ueræ necessitudinis idola. Cuius arctißimum natura uinculum si quis dissoluerit ac contempserit, qua tandem fide externas amicitias culturus sperabitur? Nam mihi penitus desipere atque

Fraterna charitas.

insanire

Universidad de Deusto
Biblioteca

insanire uidebitur, qui sibi firmam, constantem, ueramq; amicitiam cum eo fore persuasum habebit, qui fraternam prodiderit. Quis enim Eteoclis necessitudinem, Atrei cõsuetudinem, non abhorreat ac despiciat? Quis contrà Pollucis amicitiam non expetat, libenterq; amplectatur? qui apud se in fratrem susurrantem quendam pugnis interemit, & quum immortalitate à Ioue optimo maximo donaretur, semideum se fieri maluit, ut Castori diuinitatẽ impertiret. Nullus est præterea, ne improbus quidem, qui Charidem Antiochumq; Ponticos non contemnat ac criminetur, qui quum paterna inter se diuiderent bona, poculum argenteum conciderunt, uestemq; mediam abscinderunt, ut neuter altero ditior opulentiorq; abiret. At egregium barbarorum fratrum non de argenteo cratere, uilissimoq; inuenẽto, sed de Persarum imperio iudicium memoratu dignum quis non summis prosequatur laudibus? Dareo enim Persarum rege defuncto, alij quidem Ariamenem natu maiorem rerum potiri dignum iudicabant, pars uerò ad Xerxem Atossæ Cyri filiæ ac Darei filium imperium deferebant. Ariamenes igitur ex Medis non hostilem in modum, sed placidè ac benignè, perinde atque ad æquum iudicium descendebat. Xerxes uerò præsens regia omnia obibat munia, aduẽtanti autem fratri, quum diadema capiti detraxisset, tiaramq; insigne regiam deposuissет, obuiam processit, eumq; benignè salutauit, donaq; ei mittens, ferentibus ut his uterentur uerbis imperauit: His te in præsentia Xerxes frater decorat muneribus, quòd si Persarum suffragio cõsensuq; rex declarabitur, tibi primũ apud se locum fore pollicetur. Ariamenes autem, Ego, inquit, munera quidem libẽter susciпio, summam uerò rerum ad me spectare contendo, primam autem secun

secundum me dignitatem fratribus conseruabo, primoq; omnium Xerxi. Itaq; Persæ huiusce disceptationis arbitrium Artabano Darei fratri demandarunt. Xerxes multitudinis suffragio fretus, iudiciũ detrectabat, sed à matre tandem impulsus, Artabani arbitrium subijt, qui quũ utriusq; rationes audiuisset, ac secundum Xerxem iudicasset, Ariamenes statim exurgens, fratrem adorauit, apprensaq; eius dextera in solio eum regio collocauit, seq; illi in posterum benеuolum exhibuit. Maximam igitur fraternæ charitatis pietatem in eo pectore habitasse par est existimare, propter quam se regia dignitate defraudari pro nihilo duxerit. Quapropter si tantum fraternæ beneuolentiæ specimen Barbaris fuisse ingenijs exploratum habemus, quis humanitatis professor non erubescat, minimam quoq; simultatis fraternæ scintillã animo insidere? Quid Pittacus ille, non ne quanto fratris teneretur desiderio facilè ostendit? qui quũ essent ne sibi pecuniæ, interrogatus esset, duplo sibi plures esse quàm uellet, respõdit, quòd scilicet fratrem germanum sibi fata rapuissent. Cæterũ quid externis exẽplis diutius immoror? quum Aphricanus Scipio nos manifeste doceat, nullam esse amicorum tantum iucunditatem, quæ fraternæ non sit charitati postponenda. L. enim Scipioni fratri Aphricanus ipse, nondum Asiatico legatus, in Asiam proficisci maluit, quàm ut ab eo prouinciæ sors in Læliũ arctissimo sibi familiaritatis uinculo iunctum transferretur. Marcus quoque Fabius tanto beneuolentiæ studio fratrem prosecutus traditur, ut insignem amplissimi triumphi honorem ob eius desiderium recusauerit. Nam quum deuictis Veientibus summo sibi senatus populiq; Romani consensu triumphus decerneretur, quòd in eo prælio Quintus Fabius strenuè se inter

pri

Universidad de Deusto
Biblioteca

primos gerens cecidisset, habitu triumphali urbem ingredi nō sustinuit. Quæ animi moderatio tantam ei ex spreto triūpho gloriæ amplitudinē attulit, quantā nullus unquā currus, nulla laurea afferre potuisset. Non'ne Lælius & Scipio, Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus, Orestes & Pylades, Phintias & Damon, Epaminōdas & Pelopidas, qui inter amicorum paria recensentur, propterea tantum ab utriusque linguæ grauissimis autoribus æternæ posteritatis memoriæ plurimum commendati sunt, quòd licet ijsdem non essent orti parentibus, inter se tamen fraterna dilexerint beneuolentia? Quid impulit Horatium poētam eximium, ut Proculeiū equitem Romanū his carminibus immortalitate donaret?

Viuet extento Proculeius æuo:
Illum aget penna metuente solui
Notus in fratres animi paterni
Fama superstes.

Ea nempe qua erga Scipionem ac Murenam fratres usus est pietas, quibus bello ciuili spoliatis, patrimoniū de integro diuisit, quod cum eis antea quoque post cōmunis patris obitum diuiserat. Sed ut exempla, quæ omnia exequi longum esset Antonine iam mihi charissime, missa faciamus, nihil est quod tibi maiores ad colendam fraternā beneuolentiam stimulos addere debeat, quàm ea qua parentes ex hac re afficiuntur oblectatio. Quæ enim filiorum opes? qui honorum gradus? quæ dignitates maiori esse parentibus oblectamento possunt, quàm quū gnatos suos eodē consilio, eadem uoluntate, summa demum concordia, mutuaq; charitate uiuere intuentur? Quare Apollonidem regis Eumenis, triumq; aliorū Attali, Phileteri, & Athenæi matrē se felicem ac beatam iudicasse, maximasq; dijs immortalibus egisse quamsæpissime gratias ferunt, non ob ingētes diuitias, regiāq; dignitatē, sed quòd tres filij natu maximum comitarentur, eiusq; latera armati munirent, ipsiq; inter eos tutò ac sine ulla proditionis suspicione inermis uersaretur. Vt contrà Xerxes quū Ochum filium fratribus insidias parantē cognouisset, animi solicitudine interijt, quod nulla proculdubio admiratione dignū existimandum est. Nam quum fratrum seditiones fœdæ sint ac truculentæ, parētibus fœdissimæ ac truculentissimæ uidentur. Qui enim fratres odio ac maleuolentia prosequitur, is parentes contemnat necesse est. Fratres contrà qui mutuò se diligunt, quin parentes colant, facere non possunt. Vnde Pisistratus quum nouercā filijs iam natu grādioribus superinducturus esset, ait se eos optimos ac sapiētissimos arbitratum atq; expertum plurimorum simulium patrē fieri uelle. Acquitate enim ac probitate præditi filij, non solum in parentum gratiam se mutuò diligent, sed & parentes ipsos certatim uenerabuntur, hoc assidue secum & reputantes, & meditantes, se quidem parentibus cum ob alia multa, tum ob fratres in primis quam plurimum debere, tanquam ex paternis bonis hoc precio sissimum ac dulcissimum arbitrentur. Quod Telemachus haud secus esse ratus apud Homerum conqueritur, οὔτε τῷ ἄλλῳ γενεὴν ὑποδύσασα γυναικῶν, hoc est, quòd unicus esset Vlyssi filius. Sed tu hoc deplorare non poteris, es enim à parentibus uno iam & eo optimo fratre donatus, quippe qui ea sit morum probitate insignitus, ea futuræ doctrinæ ac prudentiæ indicia unà tecum præ se ferat, ut uniuersa Gallia uestram utriusque indolem admiretur, optimam de utroque spem concipiat. Quare istiusmodi te fratrem non diligere solum, sed & uehementer amare ut

(ut facis) æquum est. Quid de parentibus loquar, quorum alterius quidem tam uariæ ac multiplices sunt uirtutes, ut quum Prata sit ortus familia, ἀρετῶν λειμών, hoc est, uirtutum pratum meritò appellari possit. Nam ut in uirenti prato uarij, ac diuersicolores cum summa animi oblectatione spectantur flores, ita in patre tuo grauissimo uitæq; integerrimo uiro quæcunque ad excolendum animum faciunt uirtutes clarissimè elucent. Cuius in utroq; iure peritiam si respexeris, utriusq; Galliæ oraculum: si in iudicandis prudentiam & æquitatem, Rhadamanthum atque Aristidem: si in dicendo facundiam, Gorgiam non iniuria appellaueris. Altera uerò à teneris usq; annis adeò se intra castitatis ac pudicitiæ terminos continuit, ut si priscis illis temporibus nasci contigisset, eam populus Romanus, pace Sulpitiæ pudicissimæ dixerim, ad Veneris simulacrum ex Sibyllinis libris dedicandum fuerit electurus. Quare summopere tibi Antonine mi nitendum est, ut istiusmodi parentibus, cum in cæteris omnibus, tum uel maximè in obseruanda fraterna beneuolentia morem geras. Quod si feceris, & à tam præclaris parentibus minimè degenerasse uideberis, & fraternam charitatem externis ac futilibus amicitijs, tuo summo decore præposuisse ab omnibus existimaberis.

Pratorum familia.

FINIS.

hic liber correctus et expurgatus
cæsaraugustæ in bum fe in quis ca
gium salmanticæ die 24 Julii 1583
D. patus fernandez
parra tomisen. in org

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca